C. SALLUSTI CRISPI OPERA QUAE SUPERSUNT.

AD FIDEM CODICUM MANU SCRIPTORUM RECENSUIT, CUM SELECTIS CORTII NOTIS SUISQUE COMMENTARIIS EDIDIT ET INDICEM ACCURATUM ADIECIT

FRIDERICUS KRITZIUS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, IN REGIO GYMNASIO ERFURTENSI SUPERIORUM ORDINUM PRAECEPTOR, SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS.

VOL. I.

CATILINAM CONTINENS.

LIPSIAE,
SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI

MDCCCXXVIII.

VIRIS CELEBERRIMIS

AUGUSTO BOECKHIO

ET

CAROLO REISIGIO

THURINGO,

PRAECEPTORIBUS OPTIMIS EGREGIEQUE DE SE MERITIS,

HANC SALLUSTIANORUM OPERUM EDITIONEM GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAUSSA

D. D. D.

FRIDERICUS KRITZIUS.

PRAEFATIO.

Scriptorum veterum quae nostra aetate condicio sit considerantibus obscurum esse nequit non omnes eadem esse fortuna usos, quum alii gravissimorum virorum studiis ita emendati et a maculis, quas temporis iniuria traxerant, purgati habeantur, ut non multum ad integritatem deesse videatur, alii vero non solum veteribus vitiis, scribarum vel incuria vel ignorantia aut interpolatione ortis, etiamnum affecti sint, sed editorum quoque levitate ac perversa interpretandi ratione adeo obscurati iaceant, ut non scriptorem ipsum, sed miserandum pulcherrimi quondam operis simulacrum habere videamur. Quod quum nonnullis aliis accidit, tum maxime Sallustius a Cortio eiusque sectatoribus idem passus est, ita ut rem haud inutilem suscipere videretur, qui animum appelleret ad egregium scriptorem tanta labe liberandum. Cortius enim, quamquam plurimis subsidiis ad Sallustium emendandum instructus fuit, tamen, iudicio parum valens ac perversa opinione de eius scribendi genere ductus, plus obfuit auctori quam profuit. Nam quum ita sibi persuasisset, Sallustium, quippe bre-

orationem putarem, id quod saepe antea factum, sed ut optimorum librorum scripturam, si ullo modo defendi posset, tuerer, nunquam tamen rationes soli codicum consensui posthaberem. Ut ii autem, qui hac editione usuri essent, ipsi de receptis lectionibus iudicare possent, ubicunque a Cortii recensione discessi, aut ubi de constituendis auctoris verbis ambigi posset, scripturae discrepantiam vel universim, vel singulis nominatis codicibus laudavi, rationibus, quibus iudicium nostrum niteretur; additis, unde duplicem utilitatem ad adolescentes perventuram credidi. Primum enim in eam assuetudinem adducuntur, ut nulli rei temere fidem habeant, neque nisi iis cognitis accurateque ponderatis, quibus unaquaeque res nitatur, recte se indicare posse confidant, quod nobis haud sane leve et contemnendum videtur. Tum criticis quaestionibus, quibus quid quoque loco verum sit via et ratione exploratur, nihil aptius, nihilque efficacius esse potest ad iuvenile ingenium exacuendum atque acri veterum linguarum studio incendendum, si modo ita factitetur ars critica, ut ii, qui exiguum adhuc vel nullum eius usum habent, eius vim et praestantiam sentire possint. Sed non opus est pluribus eam rem commendare, quum hodie inter omnes constet haud parum consulere adolescentium studiis, qui rem criticam a superiore scholarum ordine non plane arcendam putent, sed eam salutari instituto tum in praelegendis tum in edendis veteribus scriptoribus cum interpretatione coniungant. Occurrendum autem eorum videtur vituperationibus, quos

videmus, quamquam hoc recte fieri concedant, tamen vitio nobis daturos, quod interdum in explicandis rationibus paullo longiores fuerimus. Sed ii reputent velim, commentarios nostros non tam viris doctis, qui talibus non indigent, quam linguae Latinae studiosis esse destinatos. Perspicuitas igitur quum haud ultima virtus videretur libri in usum adolescentium conscripti, eam ut consequeremur maluimus interdum paullo pluribus verbis uti, quam verbis parcendo committere, ut quae nostra sententia esset potius divinari oporteret, quam recte intelligi posset.

Varias scripturas non attulimus omnes, neque opus erat, nisi ubi vel editorum incuria vera lectio obscurata esset, vel omnino quomodo scribendum esset valde incertum videretur. Interdum tamen etiam leviores scripturae varietates laudavimus, quae aliquam de rebus grammaticis disserendi copiam praeberent, id haud inutile iis fore rati, qui quovis modo ad accuratiorem grammaticae cognitionem excitandi et adducendi sunt, quippe a qua vel maxime veteres recte intelligendi interpretandique ratio pendeat. Incredibile est autem, quantopere isto nomine a Sallustii editoribus, si ab uno Herzogio discesseris, peccatum sit. Qui si saepius a me notati fuerunt, profecto non eo factum est, quo eorum laudibus meritisve aliquid detraherem, sed quia res ipsa flagitare videbatur, ut quae verae interpretationi obessent, non amplius intempestiva indulgentia tolerarentur, sed ut falsa et perversa exploderentur. Inde multae nobis natae sunt anno-

tationes, quas libenter omisissemus, quum ad res pertineant parum obscuras, et in quibus neminem haerere vel errare posse putares; sed quum ne in his levioribus quidem eas editiones, quae omnium manibus teruntur, peccatis immunes viderem, non praetereundum putavi, quin talia quoque notarem. Ceterum neutiquam is sum, qui aliorum errores exagitem, bene inventa vero sciteque observata spernam atque negligam. Neque enim eorum mos mihi placet, qui in edendis scriptoribus id studiosissime agunt, ut inaudita et incognita proferant, vel eruditionis ostentandae caussa, vel ut acuminis ingenii fidem aliis faciant, parum scilicet curantes utrum vera sint quae doceant, necne, si modo nova habeantur. Quin potius ita censeo, quum cuiusque editoris sit scriptori ita consulere, ut iis qui legant multa antea incerta non amplius dubia sint, omninoque facilior ad intellectum aditus pateat, summa cura quae a prioribus recte constituta sint explorandum iisque ita utendum esse, ut lectores ab aliis utiliter inventis commode frui possint. Quamobrem quum plurima a Cortio, pauca etiam ab aliis annotata vidissem, quae ad Sallustii loquendi consuetudinem, haud raro singularem et a vulgari usu discedentem, illustrandam pertinerent, faciendum putavi, ut quae ex his cum fructu ab adolescentibus cognosci putarem, vel eorum Latinae linguae scientiam augere possent, ea reciperem et in usus meos converterem. Raro tamen integras Cortii notas exhibui, quum ille plerumque talia admiscuisset, quae a nostro instituto aliena essent; his igitur omissis non puto fore

qui vituperent, quod eius notas in brevius contractas vel commodioribus verbis conceptas in meos commentarios transtuli, eius tamen nomine ubicunque operae pretium videretur apposito. In singulis autem verbis et sententiis explicandis eam mihi legem posui, ut relicta nonnullorum perversa ratione, qui in pravis omnibus et contortis sibi placent, simplicissimam ubique inirem viam, neque vanis indulgerem hallucinationibus. Propriam igitur verborum potestatem in eruendis obscuriorum locorum sententiis maxime sum secutus, et imprimis tales interpretationes arcere ac reiicere studui, quae quamvis per multas editiones propagatae et quasi auctoritatem nactae, tamen cum sententiarum nexui non possent conciliari, neque a communi Latinorum aut Sallustii proprio dicendi usu commendarentur. Ad hoc singularem interpunctionis curam habui, in plerisque omnibus editionibus pessime institutae. Quippe nimio eoque perverso perspicuitatis studio ducti editores infinita commatum et colorum multitudine verba onerarunt, si oratio in minimas particulas dissecaretur et verborum structuram facilius intelligi, et sensum melius patere rati. Quod quum plane contra sit, et a veterum consuetudine quam longissime recedat, id operam dedi, ut quam paucissimis interpungendi signis uterer, neve quae sensu arcte cohaererent importune interpungendo tanquam diversa disiungerem et quasi sententiarum et verborum discidium inducerem. In summo autem simplicitatis studio si constantiam non ubique servatam viderint lectores, facile eius rei veniam dabunt, si reputaverint, quam

difficile sit, etiam ubi vel maxime attendas, omnia ad eandem normam conformare. Eandem nobis excusationem opus futuram esse videmus in verborum scribendi ratione, quamquam confidimus aliquanto aequabiliorem eam nos effecisse, quam in prioribus editionibus factum erat. In ea autem re satis lubrica, cuius certa ratio ne in patrio quidem sermone constet, ita versati sumus, ut antiquissimorum ac probatissimorum quidem codicum auctoritate grammaticorumque praeceptis maxime niteremur, neque tamen anxie codicum consensum ubique requireremus. Qua enim scribendi ratione Sallustium usum esse certa, licet pauca, veterum librorum vestigia ostenderent, eandem ubique exprimendam duximus, etiam ubi codices non assentirent. Nam quum librarii iam mature antiquitatis colorem a Sallustio quaesitum delerent, ita ut quae supersunt antiquae formae magis casui quam scribarum diligentiae deberi videantur, per se patet scribendi nullam constantiam in codd. deprehendi posse, atque editori non tam id in quo libri consentiant, quam quid recta ratio suadeat ac postulet spectandum esse. Quocirca accusativum plur. earum vocum, quarum genitivus in *ium* terminatur, ubique *is* scripsimus, quum certa via intellexisse videremur in *es* formam a scribis invectam, non Sallustii esse, eademque caussa fuit, cur genitivum secundae declin. singularem eorum nominum, quorum nominativus in *ius* vel *ium* exit, non duplici *i* scripserimus, haud paucis exemplis ostendentibus Sallustium breviore eademque antiquiore forma usum esse.

Sic exhibuimus etiam *Senati*, *adulescens*, *volnus*, *volgus*, *vorto*, *voster*, *advorsus*, *condicio*, *dicio*, *relicuus*, *cotidie*, *optumus*, *neglego*, et si quae alia sunt quae a vulgari consuetudine recedant. In verbis cum praepositionibus compositis ipsis veteribus, ut antiqua monumenta ostendunt, ambiguum fuit, utrum etymologiae ratione habita praepositionis ultimam litteram servarent, an euphoniae legibus auriumque iudicio obtemperantes in primam sequentis vocis litteram mutarent. Non mirum igitur etiam recentiores modo hanc, modo illam rationem esse secutos, modo inter utramque fluctuasse, eoque factum esse, ut vix ulla exstet editio, in qua quod maxime probabile sit aliqua certe constantia expressum conspiciatur. Sed reputantibus nobis litterarum usum prius apud Romanos fuisse, quam de verborum etymologia quaererent, naturae autem maxime consentaneum esse, simplicem populum doctrinaque nondum excultum ita voces scripsisse, uti pronunciabantur, in pronunciando autem magis spectatum esse, quid facilitas oris ferret atque commendaret, quam quid accurata etymologiae ratio postularet, his igitur de caussis eam verborum scripturam quae euphoniae legibus nititur veriorem altera duximus, operamque dedimus, ut eam quanta possemus maxima constantia servaremus. Non omnibus tamen eandem de ea re sententiam fore bene quidem scimus, sed ea caussa non obstitit quominus a vulgari consuetudine discedendum putaremus.

Haec breviter significata potius quam accurate declarata sufficiant ad consilium et rationem in hac

editione adornanda initam indicandam. Sed erunt fortasse qui dicant, quamquam neutiquam improbent quae hac nostra opera praestare voluerimus, atque etiam concedant parum commendabiles esse quae ex longo tempore circumferantur editiones, tamen nunc quidem seram venire nostram opellam, quum praestantissimae Gerlachii et Herzogii editiones prodierint, quibus omnium satisfiat desideriis, ita ut rem inutilem et supervacaneam suscipere videatur, qui post horum virorum studia aliquid ad Sallustium vel emendandum vel illustrandum afferre posse speret. Quae si ita dicta sunt, ut istas editiones omnibus quae huc usque curatae sint et doctrina et iusta interpretandi ratione esse praeferendas ostendatur, nemo esse potest, qui me libentius agnoscat, quanta earum cum prioribus collatarum praestantia sit, quantumque Sallustius horum virorum studiis debeat. Eo tamen rem iam adductam esse, ut vel nulla amplius de Sallustio bene merendi copia relicta sit, vel omnium, quicunque eo legendo teneantur, rationibus satis prospectum sit, ne illi ipsi quidem viri concedere volent, quin potius probabunt neque aegre ferent, si quis etiam post eorum operam de egregio scriptore mereri posse speret. Tamen fortasse ne hac quidem cogitatione impulsus opus aggressus essem, si iam eo tempore, quo animus ad Sallustium edendum ferebatur, illae Gerlachii et Herzogii editiones in publicum fuissent emissae planeque absolutae. Sed quum quales Gerlachii commentarii forent adhuc incertum esset, Herzogium autem eandem rem mo-

liri ne fando quidem accepissem, non erat quod me a consilio deterrere vel avocare posset. Confectis igitur maximam partem de Catilina commentariis, tandem Gerlachii explicationes prodiere. Quibus quum ita usus essem, uti poscebat et libri indoles et meae operae ratio, quumque iam in eo essem, ut scripta mea prelo traderem, allata est docta et laboriosa Herzogii editio, quam impense laetor ante meam typis expressam perlustrari a me potuisse, quod summa cum utilitate et commodo factum esse quivis videbit, qui nostram vel obiter inspexerit. Praerepta ita quidem est gloriola, de multis locis primum verius iudicium protulisse; sed ea re tantum abest ut doleam, ut nihil gratius accidere potuerit, quam horum virorum consensu meas explicationes confirmatas esse, diversis autem sententiis vel in rectam viam me esse revocatum, vel de nonnullis rebus, quas neglexeram, admonitum. Offuere tamen etiam, in quibus illis quoque accidisse videretur, ut a vero aberrarent, aut minus rectis rationibus in constituendis auctoris verbis explicandisque sententiis et locutionibus uterentur. In quibus si me ita versatum fuisse iudicaverint harum litterarum periti, ut certiora ac veriora praebeat mea editio, non est, opinor, quod meum consilium pluribus excusem, siquidem inter omnes constat coniunctis tantum plurium studiis antiquitatis litteris consuli, et nunquam fructu carere, si quam plurimi in eodem scriptore emendando explicandoque elaborent. Praeterea eo quoque haud parum differt nostra ab Gerlachii editione, quod is neuti-

quam in eorum gratiam, quibus nos scripsisse ostendimus, Sallustii edendi negotium suscepit, sed id maxime egit, ut criticam pararet editionem, magis virorum doctorum usibus destinatam, quam adolescentium accommodatam rationibus, cuius rei tum ipsa libri indoles, tum externa forma satis certum documentum est. Herzogius vero quamquam idem fere atque ego consilium propositum habuit, tamen in eo persequendo paullo aliter versatus est. Nam quum saepissime soli res utiles annotandi studio indulgeret, ad cognoscendum quidem satis fructuosas, sed quae parum ad Sallustium explicandum pertinerent, nulla quippe verborum difficultate interpretis munus postulante, et nimis multa dedisse videtur, et, quum ita quaesitae ubertatis non satis certi fines esse possint, multa rursus quae eodem iure illustrari poterant, omisit. His quam maxime fieri poterat vitatis nostram editionem mediam quasi viam inter Gerlachianam et Herzogianam tenere arbitramur, ita ut, licet multifariae doctrinae laude neutiquam cum illis certare possit, tamen sic quoque suam utilitatem esse habituram speremus, neque plane indignam visum iri aequis iudicibus, qua Sallustii studiosi simul cum illis utantur.

Altero volumine praeter *Iugurtham* complectemur *Fragmenta* omnia, id gratum fore iis rati, qui orationibus aegre carebunt ex *Historiarum* libris servatis, quarum summam elegantiam dicendique gravitatem esse inter omnes constat. Neque minora fragmenta omittere placuit, tum ne quid deesset, quod ab eximio scriptore esset profectum, cuius

singula verba haud raro maiore sunt pondere maioremque artem habent, quam aliorum longae impeditaeque verborum complexiones, tum quia ad eius orationem accurate cognoscendam et ad iudicium de difficilibus locis ferendum saepe haud leve momentum affert, vel singula ipsius verba comparasse, praesertim quum fragmenta, quamquam foedis mendis affecta, tamen in universum antiquum colorem magis retinuerint, quam relicua scripta, cuius rei non alia caussa nisi haec est, quod rarissime descripta librariorum corruptrices manus minus experta sunt, quam de Catilina et Iugurtha libri, quibus vix ulla antiquitatis monumenta saepius scripta lectaque esse immensa ostendit librorum veterum copia. Sed *Epistolas ad C. Caesarem de republica ordinanda*, quae vulgo Sallustio tribuuntur, animum inducere non potui ut adderem, quum plurima eaque certissima documenta ostendant istas epistolas declamatoris esse, in rhetoris schola si verbis Sallustii liceret eius ingenium imitari satis inepte periclitantis, neque reputantis Sallustium eum scriptorem esse, cuius divini ingenii vim admirari facilius est, quam imitando consequi. Iam verbis epistolarum vel obiter inspectis, facile deprehendes auctorem summo studio locutiones Sallustio amatas sententiarumque quibusdam luminibus fulgentes conquisivisse, sed iudicio elegantiaeque sensu destitutum eas non tam composuisse, quam conglutinasse, ut non novum opus, sed miserabilem centonem ex splendidarum vestium discerptis partibus confecisse putandus sit. Sed gravius etiam est, quod eiusmodi epistolarum

ratio non solum a more illius aetatis aliena est, sed etiam ab ingenio eius qui scripsisse dicitur et ad quem datae sunt plane abhorret. Neque enim Caesar is fuit, qui aliorum monitis in moderanda republica vel egeret, vel obtemperare vellet, neque Sallustius pro suis rationibus, quae ei cum Caesare intercedebant, si modo sanus erat, talia suadere poterat, qualia epistolae auctor eum dicentem facit. Ad hoc, quicunque ineptas cohortationes scripsit, temporum oblitus, multa blateravit, quae ita sibi repugnant, ut nullo modo inter se conciliari et ad certum aliquod tempus revocari possint. Quodsi addideris nullum Grammaticorum, quibus tot historiarum fragmenta debemus, unquam harum epistolarum fecisse mentionem, vix quisquam dubitare poterit, quin pro spuriis habendae sint. Decreveram eam rem pluribus exponere; sed ut commode nunc eo negotio supersedere possim, Gerlachii factum est diligenti industria, qui tanto acumine in examinandis singulis versatus est, tantaque iudicii solertia spurias esse, quae summo rerum Romanarum scriptori tribuantur, epistolas ostendit, ut, si quis etiamnum eas Sallustii esse putet, is ad omnia, etiam ineptissima amplectenda pronus videatur. Fateor tamen me, priusquam Gerlachii Commentarios legissem, quid illum de Epistolis ad C. Caesarem iudicare crederem prorsus nesciisse. Nam in Praef. Vol. I. p. X. „Epistolas, inquit, ad C. Caesarem de republica ordinanda, quas *vulgo* incerti auctoris esse autumant, *hanc ob caussam simul cum ceteris Sallustii libris edidi*, quod mihi quidem

argumenta, quibus earum auctoritatem impugnarunt interpretes, parum firma esse videntur. Cavendum est, ne Grammaticis istis, quicunque tandem fuerunt, nimium tribuamus." Eandem sententiam quum in Praef. minoris editionis repetiisset, uti caussam afferret, cur illi quoque editioni, in usum scholarum curatae, Epistolas addidisset, ac novissime in Vol. II. P. I. p. 14. his usus esset verbis: „Epistolas fuerunt qui Sallustio abiudicarent, *sed illi argumentis parum idoneis usi*," quis est quin his lectis pro certo credat, Gerlachium declamationibus istis, immerito scilicet contemptis, defensorem atque patronum exstiturum? Sed contra opinionem quae sequuntur ita disputata sunt, ut epistolarum fides prorsus collabefactetur, easque nullo modo Sallustii esse posse ostendatur. Cuius rei satis mirae quamquam caussa non in promptu est, tamen ita videtur explicari posse, si statuas Gerlachium aut ludere voluisse lectores, ambigue interpretum *parum firma argumenta* vituperando, uti et me lusit et censorem editionis minoris in Ephemm. Litt. Ienenss. a. 1827. Supplementt. No. 16. p. 127., aut ipsum quum Vol. prius ederet Sallustium pro vero auctore habuisse, sed postea re accuratius perpensa aliter sentire coepisse, mutatique iudicii caussam verborum ambiguitate tegere voluisse. Sed utut est, strenue Sallustium a declamatoris ineptiis liberavit, sciteque simul coniecit ne eiusdem quidem auctoris esse utramque epistolam, sed duos adolescentes in rhetoris schola certamen ingenii videri instituisse, eodem argumento proposito, in quo quantam ex Sallustio

et sententiarum et verborum copiam hausissent posset conspici; qua quidem sententia quid magis probabile excogitari posset equidem non exputo. De *Declamationis in Ciceronem* auctore si praetereundum puto, nemo id vituperabit, quum hodie vix quisquam sit, qui tam putidam conviciorum congeriem Sallustio tribuendam putet, praesertim quum quae a Viris Doctis ad istas ineptias Sallustio abiudicandas prolata sunt, nuper a Gerlachio luculenter sint exposita, ut rem confectam et dubitationi nulli obnoxiam hic repetere alienum videatur. Eandem ob caussam veterem illam et acriter a VV. DD. agitatam contentionem de moribus Sallustii plane omittendam duximus, ne post Loebellii praeclaram de Sallustio disputationem iterum istam quaestionem instituendo rem actam agere merito argueremur. Loebellius enim, ut mihi quidem videtur, eo rem adduxit, ut qui vera potius quam nova velit amplecti, neque vanas sectari opiniones, vix possit quin eius iudicium, quo quidem Sallustius neutiquam a culpa vacuus declaratur, pro vero habeat, quod et Gerlachium fecisse video Vol. II. P. I. p. 9 sqq. et Frotscherum in repetita Cortii editione p. XI.

In Nostri *nomine* scribendo Gerlachius, codicum maxime auctoritate permotus, a consueta forma discessit, simplici L littera pro geminata posita, quod factum non ita certis rationibus niti videtur, ut imitandum censerem, neque Herzogius et Frotscherus, cauti et circumspecti viri, Gerlachium in ea re secuti sunt. Nam quod is librorum fidem

vetustis titulis, in quibus *Sallustius*, non *Salustius*, scriptum est, potiorem habet, videat ne rem satis certam admodum incertae posthabeat. At reperiuntur ipsae inscriptiones antiquae, quae codicum scripturam confirment, neque aliud suadet Graecorum ratio, ubique fere *Σαλούστιος* scribentium. Audio. Sed Graecos quis nescit in Romanorum nominibus scribendis liberrime fuisse versatos, eaque ad sui oris consuetudinem immutasse, non solum accentu in aliam sedem translato, verum etiam singulis litteris vel mutatis, vel additis, vel abiectis, ita ut, nisi certa quaedam analogia accedat, nullo pacto ex Graeca forma de singulis Latini nominis litteris coniectura fieri possit, eamque ab caussam, opinor, Gerlachius, ut hoc utar, neque *Mallius* pro *Manlio*, neque *Lentlus* pro *Lentulo* scribendum putavit, licet apud Dionem *Μάλλιος* et *Λέντλος* scriptum reperiatur. Inscriptionum antiquarum dissensum autem facile poterat ita tollere, ut appareret *Sallustius* legitimam esse nominis scripturam, alteram negligentiae cuidam scribendi ex antiquitate propagatae deberi, sed eodem prorsus modo fuisse pronunciatam, si Quintiliani verba Institt. orr. I, 7, 14. *semivocales non geminare diu fuit usitatissimum*, rectius intellexisset. Quis enim non videt, haec non de pronunciatione, sed de scribendi ratione dicta hunc sensum habere, olim eas vocabulorum syllabas, in quibus geminatae semivocales auditae sint, simplici tantum littera fuisse scriptas. Patet igitur, Sallustii nomen, quod duplici L littera et pronunciabatur et scribebatur, a nonnullis antiquiore more, non-

dum plane obsoleto, simplici L fuisse scriptum; quae ratio quamquam etiam in codd. servatur, tamen eo non pro legitima haberi potest, praeter alia, a nobis exposita, etiam Martiani Capellae p. 54. testimonio adversante: *L exilem sonum reddit quum geminatur, ut sollers, Sallustius.* Quod Gerlachius autem ad sententiam suam stabiliendam nomen a *sălus*, brevi penultima, derivandum censet, id equidem non intelligo quomodo conciliari queat cum locis Horatianis Od. II, 2, 3. *Crispe Sallusti* (–́ ᴗ – – | –́ . . . .) et Sat. I, 2, 48. *Tutior at quanto merx est in classe secunda! Libertinarum dico, Sallustius in quas Non minus insanit, quam qui moechatur* (. . . . . . ́– –́ ᴗ ᴗ –́ –), qui loci simul erroris convincunt Herzogium, primam syllabam, sive simplici, sive geminata L littera scribatur, semper brevem esse statuentem. Ceterum recte et ordine fecisse Gerlachium censeo, quod vulgatum nominum ordinem deseruit, cognomine postposito, ut constans poscit Latinorum usus et optimorum monumentorum auctoritas. Horatii enim locus Od. II, 2, 3., quo haud dubie nititur vulgatus usque ad Gerlachium ordo, non tantam vim habet, ut demonstret hunc potissimum verum esse, quum plurima, etiam pedestris orationis scriptorum, exempla doceant veteres interdum nomini praeposuisse cognomen, quamquam legitime etiam in his inversus ordo obtinebat. Plurima eius rei exempla Gerlachius congessit Vol. II. P. I. p. 32. velut Sall. Iug. XXVII, 4. Liv. XXVII, 6, 17. Vell. II, 26, 2. ubi v. Ruhnk., quibus adde, si tanti est, Tacit.

Ann. III, 75, in. *Pollio Asinius.* Nep. Hannib. IV, 4. ubi v. Bremius coll. Duker. ad Flor. II, 2, 11.

Relicuum est, ut nonnulla de codicibus dicamus. Atque in Catilinae verbis recensendis non aliis subsidiis usi sumus, nisi quorum copiam Gerlachii industria fecisset. Sed quum hoc, quod nunc evulgamus, volumen typis paene totum impressum esset, unâ tantum plagulâ relicuâ, ex insperato nova quaedam subsidia nactus sum, quae Viro Excellentissimo, Ioanni Schulzio, Regi Borussiarum a consiliis intimis, accepta refero. Is enim, ut est intelligentissimus optimarum litterarum existimator, idemque promptissimus ad iuniorum hominum studia quovis modo iuvanda, quum primum audivit me Sallustium edere instituisse, pro insigni humanitate sua ultro duorum codicum, Dresdensis alterius, alterius Misnensis, varias scripturas, accuratissime ab ipso Cortiano exemplo ascriptas, simul cum aliis quae olim de Sallustio docte commentatus erat, obtulit, et ut liberrime his omnibus pro meis rationibus uterer, permisit. Dresdensis liber Catilinam tantum continet, Misnensis vero Catilinam cum Iugurtha complectitur. Novas autem lectiones easque dignas quae prae ceteris in textum recipiantur hos codices non continere, non est quod miremur, in tanta librorum collatorum multitudine; tamen haud raro optimas aliorum lectiones confirmant, ac mihi praeterea eam utilitatem praestiterunt, ut de Italorum codicum collatione a Gerlachio facta aliquanto rectius iudicare posse mihi viderer. Nam quum is pauciores lectiones enotaverit, quam ut codd. sem-

per ubi nihil enotatum est cum eius editione conspirare videri queant, interdum suspicabar non satis accurate eum membranas excussisse, atque lectiones satis bonas vel memorabiles neglexisse. Sed collatio cod. Dresd. et Misn. a Schulzio, V. Ill., eximia cum cūra facta, ita ut ne minima quidem discrepantia desideretur, me docuit, Gerlachium, quum maximam partem similes horum libros nactus esset, consilio ita instituisse conferendi negotium, ut omissis diversitatibus quae post tot collatos libros nullam utilitatem haberent et in levibus tantum rebus versarentur, potiores modo lectiones notaret, quarum paullo maior certe usus in constituendis scriptoris verbis esset. Quod quamquam non plane vituperari potest, tamen ubi selecta tantum scripturae varietas est proposita, vix fieri potest quin eâ utentes interdum haereant, et in quandam dubitationem incidant. Quamobrem iis, qui varias lectiones diligenter examinare solent, haud ingratum fore arbitror, si accuratissima cod. Dresd. et Misn. collatio ad communem usum evulgetur; id autem fiet, quum absoluto altero volumine, quod Iugurtham et Fragmenta cum indicibus continebit, ad tertium conficiendum non defuerit otium. Eo enim, quod quasi pro appendice vel nostrae vel cuiuslibet editionis haberi velim, consilium est omnes, quotquot variis editionibus libellisve notuerunt, varias scripturas collectas commodoque ordine dispositas exhibere, neque vereor, ne quis post Gerlachii curam eidem rei impensam hoc parum utile ac supervacaneum dicat. Nam ut taceam, Italos codices difficillimum et im-

peditissimum habere usum, etiam in prioris voluminis variis lectionibus congerendis ei accidit, ut nonnullas earum, quas Cortius et Havercampius praebent, omitteret, receptarum autem interdum parum aptum et accuratum ordinem institueret. Operam igitur dabimus, ut nihil desit omnium lectionum, quae et ante Gerlachium, et ab ipso, et post eum e codd. prolatae sunt, tum ut tali ordine disponantur, ex quo et corruptelarum caussae, et codicum inter se similitudines facile appareant, denique ut quovis loco accurate indicetur, quid codices revera praebeant, aut, ubi editorum incuria factum est, ut hoc sciri nequeat, ut certe hoc ipsum moneatur, ne si nihil dictum sit temere cum vulgata consentire videantur. Ac quoniam tum de singulorum codicum externa et interna ratione accuratius agendum erit, eo negotio nunc quidem supersedere possumus, praesertim quum ad codices significandos iisdem signis ut priores editores usi simus, ita ut, si cui opus videatur, facile ex Cortii Gerlachiique editt. eorum notitia peti possit. Hoc unum addere placet, me non magis quam Gerlachium codicum quas dicunt familias investigare potuisse, quamquam ut id fieri posset summa cura scripturas ponderavi et inter se contuli, quo eorum certe satisfacerem desideriis, qui, nisi in ipso operis introitu familias istas et classes dispositas vident, continuo clamant frustra elaboratum esse, neque ullam scriptori salutem nisi ab eo qui classes noverit et constituerit sperari posse. Sed viderint isti, num ad certam aliquam et communem originem revocari possint libri,

qui, quum aliquot locis conspirent, ibi, ubi maxime eorum consensum requiras, non modo inter se ipsos magnopere discrepent, sed etiam cum aliis congruant, a quibus plerumque diversissimi reperiuntur. Mihi quidem in tanta codicum multitudine vix potuisse fieri videtur, ut antiqui cuiusdam libri scriptura integra nullisque progressu temporis aliorum librorum illatis lectionibus per tot saecula propagaretur; sed quum nullus scriptor frequentius Sallustio legeretur ac describeretur, multiplici via aliorum codicum scripturas in alios migrasse probabile est, ut ita confusas et varie commixtas non modo lubricum, sed paene temerarium sit ad suum quasque fontem referre velle. Neque vero ea res obest, quominus qui libri ceteris praestent et imprimis sequendi sint certo iudicio intelligatur, quum quo pluribus locis codicis cuiusque lectiones, accurate examinatae et ponderatae, verae reperiantur, eo melioris notae liber esse iure censendus sit. Qui autem iam prioribus editoribus prae ceteris eminere visi sunt, velut Nazarianus, Commelianus, Vaticanus A. qui orationes continet, Guelferbitanus V, Basileensis I, Leidensis L, Fabricianus I, et Tegernseensis, iidem et mihi tales se probarunt, eosque ubique intelligi volo, ubi in universum aliquam scripturam *optimorum librorum* auctoritate confirmari dixi.

Haec fere sunt quae dicenda habui. Omnibus me satisfecisse neque ipse puto, neque facile id in ingenii humani imbecillitate fieri potest. Satis tamen laetabor, si intelligentes arbitri iidemque aequi iudices senserint aliquo certe modo id quod praestare voluerim me esse consecutum, ut et Sallustius aliquantum emendatior prodiret, et ut humanitatis litterarum studiosi adolescentes librum haberent, quo cum fructu possent uti.

Scripsi Erfordiae Id. April. MDCCCXXVIII.

C. SALLUSTI CRISPI

DE

CONIURATIONE CATILINAE

L I B E R.

C. SALLUSTI CRISPI

C A T I L I N A.

Omnis homines, qui sese student praestare cete-

I. §. 1. *Omnis homines*] Accusativum pluralis eorum vocabulorum, quae genitivum in *ium* exeuntem habent, ubique secundum Grammaticorum praecepta, velut Charisii p. 28. Servii ad Virg. Aen. I, 112. et Prisciani p. 775. Putsch., non in *es*, sed in *is* terminatum exhibuimus, diversam ab editoribus Bipp. rationem sequuti, qui in indice editt. p. LXV. tantummodo vulgarem accusativi formam sibi probari ostendunt, tum aequabilitatis caussa, tum ut puerorum faciliori intellectui consulatur, id quod etiam Iahnius ad Virg. Georg. I, 25. non negligendum putavit, tum denique, quia neque veteres Grammatici in tradendis accusativi regulis plane consentiant, neque ex libris mss. certa huius usus ratio constitui possit. Grammaticorum dissensus etiam Gerlachium, Praef. Tomi prioris p. XI. sq., permovit, ut sine librorum auctoritate formam in *is* non temere censeret admittendam, quamquam ipse praecepti sui saepissime immemor fuit. Similia fere tradiderunt Oudendorpius ad Caes. B. G. I, 1, 1. et Zumptius Gramm. Lat. §. 15. p. 57. Ed. IV.; quibus ut non obtemperaremus et Caroli Beieri factum est auctoritate, ad Cic. Off. I, 26, 91., et quod certissimis indiciis intelleximus, librarios ubique antiquiorem accusativi formam delevisse, nisi ubi inscitia sua prohiberentur. Intactos enim nonnullos reliquerunt locos, quibus non accusativum pluralis, sed nom. vel genit. singul. haberi arbitrabantur; ita Catil. XVIII, 5. omnes libri tenent *circiter Nonas Decembris*, et c. XXX, 1. in septem codd. exstat *a. d. VI. Kalendas Novembris*, scilicet quia *Decembris* et *Nov.* pro genitivis substantivorum habebant. Pariter c. XXXI, 1. novem Cortii codd. integre servarunt: *omnis tristitia invasit*, quia *omn. tr.* con-

ris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque
2 ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in

iungebant. Cic. de Off. III, 18, 6. *num erat aequum, principes civis rem habere, ad Satrium nihil praeter nomen pervenire?* Non effugisset, opinor, accusativus mutationem, nisi scribae *civis rem* coniungenda putassent. Quo autem quisque codex antiquior est et maiore cura scriptus, eo plura genuinae formae exempla habebit, v. c. Vatic. 1. et 2. qui orationes continent, Bas. 1. et Vatic. 5. Singula huius accusat. in aliis codd. servati exempla Cortius enotavit ad C.. XLIV, 1. cf. etiam Ed. Wunderi Praefat. ad Varr. Lectt. Cic. e cod. Erfurt. enotatas p. XXXVI.

qui sese student praestare] Pronomen *studet* verbo additum, de quo interpretes certatim dixerunt, Langius cum Dahlio plane supervacaneum censet, structurâ sive adiicias illud sive omittas non mutatâ. Sed tenendum est, verba *cupere*, *velle*, *studere*, et similia duplicem constructionem admittere, si in altero membro idem subiectum est, quod in praegresso fuit; aut enim infinitivus nominativo iungitur, aut subiecti repetitione per pronomen facta exsistit accus. c. infin., quae dicendi ratio non infrequens est. Quare Langius non debebat dicere „Sallustius rariora amat," nam etiam Cicero cum optimo quoque ita loquitur. cf. de Off. II, 20, 7. *ille tenuis — gratum se videri studet.* II, 22, 9. *qui vero populares se esse volunt,* ubi v. Heusing. Adde I, 31, 8. I, 32, 8. p. Arch. poeta c. 5, 10, extr. in Catil. I, 2, 4. extr. II, 7, 16. II, 10, 25. Terent. Andr. I, 5, 3. Plura contulit Car. Beierus ad Cic. Off. II, 20, 70. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 35. et Frotscher. in Obss. ad Sall. P. I. p. 9 sqq. Ceterum in Sallustianis verbis noli cum Cortio et Dahlio elegantiam in pronomine a verbo suo seiuncto quaerere; legitima est enim Latinis verborum collocandorum ratio, ut pronomen, si non singularem quandam vim habet, non in principio enunciationis ponant, sed mediae orationi commodo loco inserant, cf. Cic. p. Sext. c. 45, 96. *quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt.* de Finn. II, 15, 48. *hanc se tuus Epicurus omnino ignorare dicit.* Nep. Eum. VIII, 2 *illa phalanx non parere se ducibus, sed imperare postulabat.* Noster Catil. L, 4. *Silanus pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat.* LVIII, 18. *magna me spes victoriae tenet.* Iug. XIV, 2, *Iugurtha Masinissae me nepotem regno expulit.* His concidit, opinor, Frotscheri sententia l. l. p. 9., qui in duplici illa constructione nominativi c. in-

animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur, alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius 3

finit. et, pronomine posito, accusativi c. infin. hoc discrimen esse statuit, ut pronomen positum dicat, ubi scriptor ad oppositionem quandam efficiendam personam maiori vi et gravitate pronunciari vellet. Nullam enim vim in pronomine inesse eius positus indicat, neque ullo loco, sic collocatum, oppositionem id facere deprehendes. cf. Cic. de Off. I, 19, 65. *vera et sapiens animi magnitudo principem se esse mavult quam videri*, ubi quivis videt, oppositionem non ad subiectum, sed ad praedicatum pertinere, eademque sententiae gravitate dici potuisse *princeps esse mavult quam videri*. Quare nequeo cum Car. Beiero ad Off. III, 5, 26. vim in pronominis positu cognoscere, non magis quam III, 4, 17. aut p. Sext. l. l. Omnino autem pronomen in omnibus locis, qui nostri similes sunt, nonnisi vel perspicuitatis caussa, vel ut oratio lenius suaviusque flueret positum videtur. — De pronominis positu aliquid etiam observavit Goerenzius ad Cic. Acadd. I, 2, 7., sed huius usus, latius patentis, caussâ non perspectâ, tam angustis finibus rem comprehendit, ut tantummodo verbis *dicendi, opinandi*, similibus, pronomen praeponi doceret; quae autem suae sententiae affert documenta, velut Acadd. I, 5, 18. *quid me putas populo nostro exhibiturum?* II, 25, 79. *tu autem te negas infracto remo commoveri?* I, 4, 16. de Finn. V, 31, 93. I, 1, 1. quibus adde de Off. I, 21, 71. I, 33, 20. de Fato c. 5. Sall. Cat. XXIV, 4. XLVIII, 4., haec igitur omnia ad communem illam pronominis collocandi legem, de qua supra dixi, referenda sunt.

ne vitam silentio transeant] Verborum ordinem, quem Cortius, insolentiam captans, ex solo Guelf. 5. mutavit, scribens *vitam silentio ne transeant*, recte Gerlachius codd. auctoritate restituit. Quod eundem tamen postea in Commentariis p. 37. eius facti poenituit, valde displicet; anastrophen enim *ne* particulae statim in principio operis admissam fuisse et per se est improbabile, et consensu librorum, initio certe accurate scriptorum, refutatur, neque iis potest firmari, quae Cortius ad dissimilem locum Iug. CII, 3. de ea re disputavit. — *Sita est*, omnes libri; Cortius *est* eiecerat. — *Utimur*, quod proprie tantummodo cum *imperio* convenit, per zeugma etiam ad *servitio* trahitur; v. ad c. LI, 8. 9. 15. LVIII, 11.

§. 3. *Quo mihi rectius videtur*] *Quo* Cortius interpretatur *propterea*, neque vult ad comparativum pertinere, sed ad antegressam sententiam refert, eumque Dahlius et Müllerus sequuti sunt. Sed

videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere, et quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memo-
4 riam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est,

omnium omnino locorum ratio obstat; ubicunque enim quo vocabulo ante comparativum leguntur, comparationi inserviunt, ita ut modus indicetur, quanto aliquid alteri praestet; quod ipsum tamen saepe numero non est expressum, sed cogitatione suppleri debet. Velut nostro loco ita fere sententiam expleveris: alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est; *quanto autem dii praestant belluis, tanto rectius* videtur, ingenii quam etc. Eandem explicandi rationem reliqua exempla poscunt, ut Catil. XIII, 4. XXXVII, 8. Iug. II, 4. LXXXV, 6. Sed Cat. XXXIV, 2, ubi v., noli cum Cortio huc trahere. — *Esse videtur*, multi tenent libri mss. et edd. ante Cortium, qui primus *esse* expunxit, non obsequentibus tamen omnibus editoribus; quod perperam factum. *Esse* enim iam varius eius locus aspectum reddit, nam in aliis codd. est ante *videtur*, in aliis post hanc vocem, et primitus non affuisse docent multi codd., in quibus non legitur. Praeterea reiicitur etiam loquendi usu, quem Cortius bene perspexit, monens verba *existimandi* et *dicendi* haud raro *esse*, infinitivi signum, aspernari; cf. Cat. XXI, 1. *tametsi illis quieta movere magna merces videbatur*. Iug. LXXIX, 1. *non indignum videtur, egregium facinus memorare*. LXII, 9. *quam omnia bello potiora duceret*. LXXIV, 1. *quum novorum fidem — experiri periculosum duceret*. Cat. XXX, 1. *L. Saenius litteras recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat*. XXXV, 3. XLVIII, 6. et 9. Tacit. Ann. III, 20. in. *Tacfarinas, quem pulsum a Camillo memoravi*. Alia, ex Cicerone desumpta, suppeditabit Carol. Beier. ad Off. II, 10, 35. p. 70. et ad III, 12, 49. p. 269. Ellipsis rationem scire cupientibus indicabit Ramshornius Gram. Lat. §. 168. Not. 2. p. 482. et §. 108. 1, 3, not. 3. p. 184. cf. etiam quae annotavimus ad c. XX, 3.

ingeni] Ita scripsimus pro *ingenii*, licet omnes codd. posteriorem formam exhibeant priorisque rarissima tantum vestigia exstent. Ita Cat. XIX, 4. est *Cnei Pompei* in Flor. 1. LII, 12. *aerari* in Guelf. 2. 8. et Bern. 4. ibid. §. 36 *Volturci* in Vatic. A. Iug. XXXI. orat. *Memmi*, in Vat. A. §. 7. *Fulvi*. §. 25. *aerari*, in Vat. A., qui cod. aeque atque alter Vatic. aliquoties eam formam servavit. Iug. XXX, 3. *ingeni*, in Eccard. His antiquae scripturae vestigiis ducti, quod Carol. Beierus in *Cicerone* edendo sibi faciendum putavit, ut

virtus clara aeternaque habetur. Sed diu magnum 5
inter mortalis certamen fuit, vine corporis an virtute
animi res militaris magis procederet; nam et prius 6
quam incipias consulto, et ubi consulueris mature

breviorem genitivi formam nominum in *ius* et *ium* reduceret, idem in Sallustio audere non dubitavimus, quum satis constet, eam formam ante Octavian. Augustum pervulgatam fuisse. cf. Heusinger. ad Cic. Off. II, 16, 11. Ed. Wunderi Praefat. ad Varr. Lectt. Cic. e cod. Erfurt. enotatas p. XXXVI. LXXIX. Bentl. ad Ter. Andr. II, 1, 20. Ruhnk. ad eand. I, 1, 17. p. 10. Ed. Schopen. et quos laudavit Conr. Leop. Schneider. in Gr. Lat. II. p. 59. Formae in duplex *i* desinentis primus suasor et commendator fuit Ter. Varro, ut nuper demonstravit Leonh. Spengel. ad Varr. de L. L. p. 8—11. — Paullo post non simpliciter dixit *vita*, sed *vita ipsa qua fruimur*, quoniam vitam, cuius nobis copia fit corporis beneficio, opponit ei, quae rerum gestarum memoriae debetur. Perperam Müllerus *ipsa* explicat *integra*, *etiam longissima*, frustra in auxilium vocato Plinii loco Epp. III, 7, 11., ex quo nihil discimus nisi vel longissimam hominum vitam brevem esse.

§. 4. *habetur*] *Haberi* non usitata ratione, quam Cortius sensit quidem, sed alienissimis exemplis illustravit, positum pro *esse*, non plane abiecta *possidendi* significatione, quae tamen pro cuiusque substantivi potestate mutatur. Catil. XXXVII, 4. *egestas facile h a b e t u r sine damno*. i. e. toleratur. Iug. LXXXIX, 4. *Capsae cives apud Iugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissimi habebantur;* i. e. erant et tenebantur. Cat. LVIII, 17. *audacia pro muro habetur.* Vides igitur, quam graviter nostro loco sibi respondeant *fluxa atque fragilis est*, et *aeterna habetur.* Eodem plane modo de huius verbi potestate indicavit Frotscher. l. l. p. 14. sq. Cum Cortio tamen, qui *haberi* simpliciter pro *esse* dici censet, etiamnum facit Bremius ad Nep. Attic. XIII, 1. *Atticus non minus bonus paterfamilias h a b i t u s e s t, quam civis*, quod germanice reddas: man hatte an ihm einen etc. — *Mortalis*, quo vocabulo Noster frequenter utitur, Frontone iudice apud A. Gell. XIII, 28. prolixius et fortius vel *ἐμφατικώτερον* est quam *homines;* neque tamen hoc cum Gerlachio a prisco sermone, sed potius ab ipsa vocabuli notione repetierim. A Frontonis sententia non multum abludit quod Heindorfius ad Hor. Sat. I, 6, 37. observavit, tum maxime *mortales* pro *hominibus* dici, si *multi* vel *omnes* adiectiva addita sint. Quod Herzogius vero ad c. II, 8. hoc vocabulo homines cum

7 facto opus est. Ita utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget.

II. Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperi id primum fuit) divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant; etiamtum vita hominum sine cu-

quodam contemptu vel negligentia et quasi ἐν παρόδῳ significari censet, mihi non plane probatur.

§. 7. *alterum alterius auxilio eget.*] Magnam haec interpretibus attulerunt molestiam, qui verbis *indigens eget* vel explicandis vel emendandis magnopere se torserunt. Codices fere omnes conspirant in verbo *eget*, pauci praebent *indiget*, unus *indeget*, Leid. E. *augetur*; sed plerasque editiones occupavit *veget*, quod, a Palmerio profectum, non satis constat num eius ingenio an libris debeatur, neque plane certum videtur, quod Tellerus pag. 194. tradit, in tribus codd. Hispan. id reperiri. Bona fide tamen receptum est a Tellero, Dahlio, Müllero, aliis, qui *indigens eget* non concoquerent, et sententiam *veget* postulare affirmarent. Sed si auctor ita scripsit, non intelligitur, quomodo in sententia tam perspicua omnes fere libri eodem modo depravari potuerint; tum suspicionem movet ipsa vocabuli forma, quum Sallustius alibi dicat *vigeo*, veluti Cat. III, 3. et XX, 10. sine ulla codicum discrepantia, ut mirum sit, hanc formam hic ne in uno quidem cod. reperiri. Denique, quod gravissimum est, *vegeo* non forma tantum, sed significatione diversum est a *vigeo*, quamvis dissentiat Ger. Ioan. Vossius, Etymol. p. 557. Nam *vigere*, de quo v. Goerenz. ad Cic. de Finn. V, 14, 39. et Conr. Leop. Schneideri Gram. Lat. I, 1. p. 15., est intransitivum, *vegere* transitivum, quod vocabula inde derivata probant; praeterea discrimen aliquod intercedere evincit locus Varronis ap. Non. II. n. 876. *nec natus est, nec morietur; viget, veget utpote plurimum.* — Diversas ab his caussas, neque tamen idoneas, Cortius (v. Excurs. I. ad Catil. pag. 395—6.) habuit, cur *veget* desereret, *eget* defendendum susciperet; sed quoniam alienissima exempla sine ratione et consilio congessit, quibus probaret, talem verborum idem significantium abundantiam interdum admissam esse, oculos duces non mentem sequutus, non est, quod singula fusius refellamus. Non melioris notae est, quod Langius dicit, „in tali caussa eiusdem fere vocis (indigens — eget) repetitionem ad rem magis affirmandam accommodatissimam esse," quod fortasse de eiusmodi locis valet, qualis est Virg. Aen. VI, 310. *lapsa cadunt folia*, de nostro non item; neque profecisse aliquid putandus est

piditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea 2 vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi caussam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum de-

Aug. Schlegel, in Seebodii Bibl. Crit. a. 1819. Tom. II. Fasc. 7. p. 715. qui ad Cortii iudicium, quod sequitur, firmandum, haec affert ex Thucyd. I, 6. *ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι, καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες, λίπα μετὰ τοῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο* ; collato Iustino II, 10, 5. Facillime omnes hae nugae evitari potuissent, si editores magis sententiarum nexum, quam singula verba voluissent spectare; nimirum omnes fugit non coniungi debere *indigens eget*, sed sibi opponi *utrumque per se* et *alterum alterius*. Auctor enim, ut hominum plane admirabilem naturam describat, utramque hominis partem dicit per se quidem mancam esse et imperfectam, sed tamen naturâ ita comparatam, ut auxilium non a perfecta quadam et absoluta re, sed ab altera sui parte, pariter imperfecta, petat, quo tota utriusque coniunctio cernitur; satis autem mirabile, duas res, quae singulae sibi ipsae non satis sint, invicem sibi auxilio esse posse, eoque indigere. Quare *eget* non est sollicitandum.

II. §. 1. *Reges divorsi*] i. e. in contrarium abeuntes, res inter se oppositas sequentes. De potestate vocabuli *diversus* v. ad Cat. V, 8.; formam antiquiorem exhibuimus cum Gerlachio; cf. eius Praef. p. X. — *Pars — alii*, Sallustio haud infrequens; falsum tamen esse, quod Cortio praeeunte repetierunt Müllerus et Langius, nunquam Nostrum dicere *alii — alii*, vel Telleri index verborum eos docere potest. — *Etiamtum* coniunctim scripsimus, pro *etiam tum*, quod omnes habent, excepto Cortio, qui in tria vocabula *et iam tum* divisit, sententiae et loquendi usus ignorantiâ. Tellerus, ad vulgatam reversus, quid sibi voluerit ipse non intellexisse videtur, adeo sunt confusa et male disputata omnia. Utroque non magis quid verum esset perspexit Langius, hac notula apposita: „i. q. etiam tunc, damals auch" ! Recte vero Dahlius et Müllerus, praeeuntibus editoribus Bipontt., viderunt, *etiam tum* esse *tunc adhuc* sive *eo adhuc tempore*, quod neminem poterat fugere, qui reputaret, haec verba opposita esse sequentibus *tum demum*. Latini enim utuntur particula *etiamtum*, ut indicent, aliquid praeterito tempore fuisse, quod postea esse desiit. cf. Iug. LXIII, 6. *tamen is ad id locorum talis vir petere non audebat; etiamtum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat.* LI, 2. *ita-*

mum periculo atque negotiis compertum est in
3 bello plurimum ingenium posse. Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita uti in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque

que multum diei processerat, quum etiamtum eventus in incerto erat. LIV, 5. *igitur Metellus ubi videt regis etiamtum animum ferocem esse.* XL, 4. *trepida etiamtum civitate.* XXI, 2. *obscuro etiamtum lumine.* His adde Tacit. Annal. I, 3., ubi recte Wolfius *dum* mutavit in *tum.* I, 21. I, 49. I, 50. II, 51. II, 52. cf. praeterea Walchium Emendd. Livv. p. 86., qui recte vituperat Forcellinum, explicantem: *usque ad id tempus*, et Heusing. ad Off. II, 13, 13. Ceterum voces *etiam tum* propterea in unum vocabulum coniungendae sunt, quod *tum* in hac sententia, ubi *etiam* particulae *adhuc* vim habet (v. ad c. LXI, 4.), encliticum est; ubi vero *etiam* pro *adeo* ponitur, utraque vox, seorsum collocanda, suam vim retinet, idque discrimen in omnibus *etiam* particulae compositionibus servatur. Quare distinguendum est inter *etiamtum* et *etiam tunc* (Sall. Fragm. Hist. I, 19, 6. Cic. p. Rosc. Amer. c. 20, 57. med.), inter *etiamnum* et *etiam nunc* (Sall. Cat. LII, 25. Cic. p. Rosc. Am. c. 52, 150. v. Gernhard. ad Cic. Lael. 3, 11. et Herzog. ad Caes. B. G. VI, 40., qui tamen discrimen non magis observat quam Bremius, ad Nep. Hannib. IV, 3. omnia miscens) denique inter *etiamsi* et *etiam si*, Cic. Off. I, 4, 9. I, 43, 10.

§. 2. *periculo atque negotiis compertum est*] Non satis simpliciter haec ab interpretibus explicata videntur; Gronovius enim *periculo* interpretatur *experiundo*, *experimentis*, parum commode; non minus longe petita est Cortii ratio, qui per figuram ἓν διὰ δυοῖν (parcius, quod obiter moneo, admittendam, cf. ad III, 5.) haec dicta censet pro *periculosis negotiis.* Melius *periculo* vulgari potestate accipias; *negotia* autem sunt *res graviores eaeque implicatiores.* cf. Scheller. Lex. ampliore, h. v. 1. a. — *Quodsi*, vulgo duobus vocabulis scriptum, in unum contraximus, quoniam *quod* cum particulis *si*, *nisi*, *ni*, *ubi*, *utinam*, et nonnullis aliis coniunctum, pronominis vi plane deposita, transitionis tantum significationi, quae in illis particulis iam inest, augendae inservit, ut merito cum iis coalescat. Id unum neglexit vir accuratissimae doctrinae, Carol. Beierus, qui locum Cic. Off. I, 43, 5. (§. 153.) pessime huc usque habitum, huius particulae usu demonstrato egregie sanavit. cf. cun-

mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium 4
facile his artibus retinetur, quibus initio partum est.
Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et 5
aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper 6

dem ad Off. II, 8, 29. et, qui luculenter de ea re exposuit, Zumptium, Gr. Lat. §. 87, 12. p. 530. ac §. 67, 4. p. 279. Vim *quodsi* particulae in nectendis sententiis etiam assecuutus est Bremius ad Nep. Hannib. I, 2. falso tamen *quod* pro accusativo pronominis habens, qui ab omisso *propter* pendeat. — *Imperatorum* non est i. q. *ducum belli*, sed latiore sensu comprehenduntur hoc vocabulo omnes ii, qui civitatibus praesunt. cf. Cat. VI, 7. *annua imperia binosque imperatores (i. e. consules) sibi fecere*; quare etiam animus translate *vitae imperator* dicitur Iug. I, 3. Herzogius tamen proprie exercituum duces intelligit, propter Lacedaemoniorum et Atheniensium paullo ante factam mentionem.

§. 4. *his artibus*] Ita Cortius primus ex codd. rescripsit pro *iis artibus*, quod in edd. erat, et verum videri poterat, sententia indefinita proposita, praesertim quum Fr. Aug. Wolfius in Anall. Litt. I, 2. p. 289. de frequenti horum pronominum permutatione, monachorum ignorantia orta, monuerit. Sed in his iudicandis non negligendum est, quod Priscianus XVII, 9, 58. praecipit: *hic non solum de praesente, verum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem.* Si quid igitur non prorsus vaga notione indefiniteque est enunciatum, sed aliqua, etsi levi, significatione declaratum, ita, ut quasi praesens intueri possimus, fieri potest, ut pro *is* ponatur *hic*, idque imprimis in eos locos cadit, ubi *relativum* cum demonstr. coniunctum reperitur. Saepius ad Ciceronem hoc notavit Goerenzius, quem v. ad Legg. I, 9, 27. *hunc locum satis in his libris, quos legistis, expressit Scipio.* de Div. I, 3, 5. *ut fecimus in his tribus libris, quos de nat. deor. scripsimus.* ad Legg. II, 12, 30. Acadd. I, 4, 16. I, 10, 37. II, 22, 70. Noster Cat. V, 7. *his artibus, quas.* X, 2. XIII, 1. XX, 7. XXII, 3. LI, 8. Neque te poenitebit consuluisse Heusingerum ad Cic. Off. I, 2, 6. Car. Beier. ad III, 6, 28. Bremium ad Cornel. Nep. Praef. §. 2. et Herzogium ad Catil. XIII, 1., qui haud male *hic* concretae, *is* abstractae potestatis esse dicit. — *Artes*, vocabulum Sallustio adamatum, bene Cortius explicat *studia*, *mores*, et proinde modo *virtutes* modo *vitia*, coll. infra §. 9. III, 4. V, 7. Relicuos locos suppedita-

ad optumum quemque a minus bono transfertur.
7 Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti
8 omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri

bit Telleri index. — *Invasere* absolute positum; v. ad c. X, 6. — *Imperium ad optumum quemque a minus bono transfertur.* Horum verborum sensus non est, ut Dahlius putat, moribus corruptis *rerum publicarum condicionem mutari*, imperio ad optimum quemque translato, sed potius sine animi virtute mortales nihil posse, eoque quum in aliis rebus tum in civitatibus summam rerum semper penes eos esse, qui virtute ceteris praestent, id quod auctor toto hoc loco uberius persequitur. Patet autem, *transfertur* idem esse atque *transit*, vel ut Tacitus loquitur, *cedit in opt. quemque*; quare Cortius et Müllerus perperam *transferre* proprio sensu intelligunt de iis, qui vere transferendi potestatem habeant.

§. 7. *Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent*] Recte sensum horum verborum perspexerunt Cortius et Dahlius, sic explicantes: *in agricultura, navigatione, aedificatione omnia ex virtute (animi) pendent*, i. e. sive homines arant, sive navigant, sive aedificant, nihil horum sine virtute fieri potest. Verbi *parere* eodem modo positi exemplum laudavit Wassius ex Hor. Serm. II, 3, 94. *omnis enim res Virtus, fama, decus, divina humanaque pulcris Divitiis parent.* Locum autem sententiâ non dissimilem habet Cic. Off. II, 3, 14. Aliena in hoc verbo quaesivit Langius, qui *virtuti parent* interpretatur, virtuti conveniunt, seu serviunt, ideoque laudanda sunt, collato parum apto loco Cat. LI. ? Contrario modo Müllerus lapsus est, qui praegressa verba *quae homines* etc. explicans „quantum homines in agro colendo et navigandi aedificandique arte *proficiant, quantumque proventum ex iis capiant*,“ aliquid huic loco intulit, quod neutiquam in verbis inest. Kunhardtus, in eadem sententia versatus, eo processit, ut scribendum coniiceret: *virtute omnia parant*, qua coniectura libenter caremus.

§. 8. *dediti ventri atque somno*] Hoc quid sit, non inter omnes convenit. Dahlius enim brutorum tantum naturam verbis *ventri atque somno* significari putat, collato Catil. I, 1. ita ut sensus foret: multi mortales qui a bestiis non differunt. Quod quamquam dici possit, tamen sententiae loci, ubi de neglecta animi virtute dicitur, non optime convenire videtur; quare Cortium sequimur, illa explicantem *voluptati atque desidiae*, aptis ex Seneca exemplis allatis, Ep. LV. *ille sibi non vivit, sed ventri, somno, libidini*, et de Benef. VII, 2. *ventri ac libidini dediti; quorum animus*

atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vi-

inerti otio torpet. — *Indocti incultique* alii ita differre dicunt, ut illud ad animum, hoc ad corpus referant; alii prius ad studia rerum divinarum humanarumque, posterius ad artes moresque spectare putant. Rectius statues, Sallustium non tam accurate haec distingere, sed hic vocabulis coniunctis animi inertiam et ignaviam indicari.

vitam sicuti peregrinantes transiere] Magna codicum pars et Serv. ad Virg. Georg. I, 3. habet *transiere*, quod in textum recepimus; alii praebent *transigere*, haud pauci *transegere*, quod plerique omnes, et nuper etiam Gerlachius et Herzogius in contextum intulerunt. In quo mire accidit, ut interpretes, rati hunc locum ad c. I, 1. spectare, diversis inter se rationibus uterentur, ad nostrum locum cum illo superiore conciliandum. Cortius enim *transegere* probat, quoniam Sallustius orationem *variare* amet; Langius contra, etsi in textu *transegere* edidit, tamen in notis *transiere* „ob congruentiam cum superiori I, 1." praestare dicit. Minus ridicule et hi et alii de hoc loco iudicassent, si proximorum verborum maiorem rationem habuissent, quod neglectum editoribus subinde fraudi fuit (cf. ad Cat. III, 2. XXXVI, 4. XXXIX, 6. Iug. XLIX, 4.); tum animadvertissent, huius sententiae *verbum* non ad caput primum respicere, sed a praegresso vocabulo *peregrinantes* pendere, et huic accommodatum esse debere. *Peregrinantes* autem, qui non certo aliquo loco commorantur, singula quaeque magis praetervolantes, quam accurate attingentes, ea non *transigere* sed *transire* dicuntur; pariter ii, qui res quibus vitam impendere debebant non curant, *vitam transeunt*, i. e. verae vitae expertes sunt, sicuti peregrinantes certa sede carent. Rem per se claram illustrat Seneca Ep. XC. *hoc a me exige, ne velut per tenebras aevum ignobile emetiar, ut agam vitam, non ut praetervehar.* Non dissimiliter verbo usus est Tacit. Agric. 6. *mox inter quaesturam et tribunatum annum quiete et otio transiit.* Eandem interpretandi rationem Gerlachius in Commentt. p. 39. iniit, aut certe ineundam esse sensit; utrum enim receptam a se scripturam improbet, necne, vix e verbis eius obscurioribus assequaris.

profecto contra naturam] Incommodam sustulimus interpunctionem, qua haec verba, in hoc nexu primaria, in parenthesin cogebantur, ita ut eorum vis plane delitesceret. — *Iuxta aestumo*, i. e.

tam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque
9 siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quae-

pariter nihili. Ad aequalitatis notionem exprimendam saepe Noster voce *iuxta* utitur, Catil. LI, 30. *iuxta bonos et malos interficere.* XXXVII, 8. *homines reipublicae iuxta ac sibi consuluisse.* LXI, 6. *suae hostiumque vitae iuxta pepercerant.* Iug. LXXXV, 33. LXXXVIII, 1. — *Aestumo*, non *existumo*, quod nonnulli codd. habent, huic loco convenire, patebit ex iis, quae dicemus ad c. VIII, 2.; sensus est enim: eorum vitae mortisque pretium idem constituo. — *Verum enimvero*, notante Ruhnkenio ad Ter. Adelph. II, 3, 2. et Cortio ad h. l., historicis quam Ciceroni frequentius, maiorem vim habet, quam simplex *verum.* Hoc enim sequentia seiungit et opponit praegressis; *enimvero* autem veritatem asserit eorum quae dicentur; cf. Catil. XX, 8. Liv. XXIV, 5, 1. IV, 4, 9. XXIX, 8, 7. XXXI, 30, 4. XXXVII, 52, 8.

§. 9. *qui aliquo negotio intentus*] Ablativum instar dativi esse omnes uno ore asserunt, quoniam Cortius, cuius summa est apud eos auctoritas, ita iudicavit, exemplis scilicet diversis alienissimisque sententiam probans. Sed quamquam dativus, aut accusativus cum *in* vel *ad* usitatior est, tamen ablativi propria vis constat, quod omnes neglexerunt; re enim eodem modo cogitata, quis sibi persuadeat perinde esse, tertius an sextus casus ponatur? Ablativus autem tum tantum potest cum dativo permutari, quum verbum eiusmodi est, ut possit et cum obiecto tertii casus coniungi, et absolute poni, ea re per ablativum adiuncta, qua id quod verbum significat efficitur. Igitur *intentus*, quod plerumque dativo obiecti iungitur, quum etiam absolute usurpetur, veluti Cat. VI, 5. XVI, 5. Iug. XL, 3. Caes. B. C. I, 58., haud incommode ablativum adiunctum habebit eius rei, *qua* quis *intentus* fiat; res autem, qua quis est intentus, non diversa est ab ea, *cui* sive *in quam intentus* est. Similis usus est verbi *implicari*, quod saepissime rem, in quam implicamur, ablativo adiunctam habet, Cic. Off. I, 32, 9. *implicatur aliquo certo genere.* Verr. II, 18, 44. *ipse tua defensione implicabere.* in Pis. 29, 70. *familiaritate implicatus.* Ita Caesar B. G. V, 12, 1. *quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt*; pro vulgari *memoriae*, quod constructionis discrimen recte explicavit Ramshorn. Gr. Lat. §. 144, 3. p. 271. et Herzog. ad Caes. B. G. VI, 25. B. C. I, 58, 1. *Massilienses et celeritate navium, et scientia gubernatorum confisi.* Sue-

rit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere reipublicae; etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace vel

ton. Caes. 3. *diffidere occasione*, Wolfio quoque probatum. Ablativo locus esse non potuisset, nisi verbum potuisset absolute cogitari; inde colligitur *assuescere* propterea tantum c. ablativo coniungi potuisse, quia compositi verbi vi plane deposita non alium sensum habet, quam *consuetudinem inire* vel *contrahere; qua* enim *re* aliquis consuetudinem aliquam contrahit, *eidem rei* etiam *assuescit*. cf. Flor. I, 1, 7. *assuetas sanguine et praeda volucres*. Senec. Contr. I, 2. *humano sanguine assuetos*. Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXXI, 35, 3. *genus pugnae quo assueverant*. cf. Ruddimanni Institt. Gramm. T. II. p. 137—8. Tac. Ann. II, 44, med. Liv. X, 6, 11.

praeclari facinoris aut artis bonae] *Facinus* noli cum Langio ad bellum, *artem* ad pacem referre; rectius Cort. Dahl. et Müllern *facinus* explicant eam virtutem quae rebus gravibus strenue *agendis* constat, *artem*, quae rerum praestantium *scientia* continetur. — *In magna copia*. Ablativum *in* praepositione coniunctum, si non praedicato comprehenditur, saepe enunciationis secundariae instar esse, qua rei alicuius condicio indicetur, Cortius exemplis ad h. l. ostendit, recte verba explicans *quum magna copia sit*. cf. Iug. XIV, 11. *in imperio vestro*. XXXI, 24. *in tam diversis mentibus*, sed Cat. XIV, 1. et LI, 15., quos locos Cortius eiusdem generis putavit, huc non pertinent. V. etiam Goerenz. in libello Animadversionum ad Cic. oratt. in Catil. II, 8, 18. *unum genus est eorum, qui m a g n o i n a e r e a l i e n o magnas etiam possessiones habent*. ib. II, 9, 20. *sed tamen hi sunt coloni, qui se i n i n s p e r a t i s r e p e n t i n i s q u e p e c u n i i s sumptuosius iactarunt*. Adde in Cat. IV, 1, 2. *multa meo quodam dolore, i n v e s t r o t i m o r e, sanavi*. p. Cluent. 8, 38. *in summo timore omnium*. Aug. Matthias ad orat. p. Rosc. Amer. c. 8, 22. et Heusing. ad Off. I, 22, 2.

III. §. 1. *bene facere reipublicae*] Hoc non est: beneficia conferre in rempbl., sed proprie, quod opposita verba docent, *factis egregiis de republica mereri*; Iug. LXXXV, 5. *quippe bene facta mea reipublicae procedunt*. v. ad Cat. VIII, 5. — *Bene dicere*, i. e. eloquentia valere, eloquentiae laude florere. — *Absurdum*, quod proprie sonos auribus ingratos significat, vel, ut Gerh. Ioan. Vossius in Etymol. explicat, surdis auribus audiendum, audituque plane indignum, in universum dicitur de eo quod hominem dedecet; cf.

bello clarum fieri licet; et qui fecere, et qui facta
2 aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scri-

Donat. ad Ter. Adelph. III, 3, 22. — Vim negationis cum hoc vocabulo coniunctae, qua sententia per litotem extollitur, ut sit i. q. *magnae laudi est*, illustravit Cortius; Cat. XXIII, 1. *natus haud obscuro loco.* LX, 3. *illi haud timidi resistunt.* Iug. VIII, 1. *Iugurthae non mediocrem animum incendunt.* Cat. XIX, 2. Cic. p. Arch. p. 3, 5. Liv. XXXVII, 7, 15. cf. Bentlei. et Heind. ad Hor. Sat. II, 3, 158. et Ramsh. in Iahnii Annall. Philolog. a. 1826. I, 2. p. 364. — Ad verba *et qui fecere* Cortius, Langius et Dahlius addendum censent *facta*, Bipontt. *reipublicae;* neutrum recte. *Facere* enim, *dicendo* oppositum, absolute dicitur; Cat. VIII, 5. *optumus quisque f a c e r e quam d i c e r e malebat.* cf. I, 7. — *Multi laudantur* Dahlius pessime accipit pro *multum*, seu *valde* laudantur, collatis dictionibus *multus disseruit*, et *nulli dubitamus*, quae plane diversa sunt; *multi* enim propriam potestatem retinet et consulto in fine collocatum est, quo maior eius vis esset. Totius autem loci rationem pervertit Müllerus, semicolis sublatis, quo singulae enunciationes, uno nunc quasi tenore decurrentes, pondere suo prorsus privantur, iis coniunctis, quae auctor noluerat coniungi.

§. 2. *Ac mihi quidem — pro falsis ducit.*] Integrum hunc locum affert Gellius IV, 15. cum paucis, neque tamen gravibus, diversitatibus. Pro *sequatur* in quinque codd. Guelff. Leid. L. Turic. 1. et apud Charis. p. 192. Putsch. est *sequitur*, quod, ab omnibus editoribus spretum, recepimus, quia coniunctivo in hac sententia, sine ulla dubitatione proposita, non est locus. Indicativum suadet etiam usus loquendi; cf. statim post §. 4. XXI, 1. ubi v. locos aliorum scriptt. a Cortio laudatos. XXXI, 4. XLVIII, 5. Iug. VI, 2. XI, 1. XIII, 3. Plura dabit Tursellinus h. v. Matthias ad Cic. p. Mur. c. 7, 16. et Moebius ad Caes. B. G. I, 30. Discrimen inter *tametsi* et *etiamsi* bene docuit Ramshornius Gr. Lat. §. 191, 1. p. 595. falsus tamen in eo, quod coniunctivum in nostro loco probavit. Quo sensu *sequi* h. l. dictum sit explicavimus ad c. LIV, 6. — *Auctorem rerum* proprio sensu dicit, qui res gessit, quique rerum quasi parens est, ut apud Vell. II, 10. *facinoris auctor*, Suet. Aug. c. 28. *auctor optimi status*, quae Cortius, nimis de perspicuitate sollicitus, cum aliis ascripsit; sed ne ambiguitas oriretur, opposito vocabulo et antecedentibus *fecere — scripsere* cautum erat. Quamobrem non possum assentiri Herzogio, qui *auctore* significari putat eum, qui primarias

ptorem et auctorem rerum, tamen imprimis arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis sunt exaequanda; dehinc quia plerique, quae

in rebus gerendis partes tenuerit, den *Helden* der Begebenheiten. In multis tamen codd. legitur *actorem*, de qua frequentissima permutatione v. Cort. ad h. l. et ad Iug. I, 4. Casaubon. ad Suet. Caes. c. 4. Drakenb. ad Liv. I, 26, 5.; quae res nos admonet, ut vindicemus Taciti locum a nuperrimis editorr., Beckero et Hertelio, iterum obscuratum, Agric. c. 39, in. *hunc rerum cursum* (victoriam de Britannis), *quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae a c t u m, Domitianus anxius excepit. Actum*, neque eo quod cod. Vat. A. praebet, neque allatis exemplis, Liv. X, 31, 10. et Cic. Act. I. in Verr. 13, 37., defendi potest; quis enim unquam dixerit *rerum cursum epistolis agere?* Nihil autem verius esse Lipsii emendatione *auctum*, evincunt praegressa verba, *quamquam nulla verborum iactantia*, de qua re monui ad c. II, 8. Sensus est autem: res ab Agricola gestas, (quum magna iam earum *fama* Romam perlata esset) eius *epistolae*, accurate perscriptae, *maiores etiam hominum opinione esse* ostenderunt, *licet omnis iactantia ab eius verbis abesset.* — *Arduum*, non tantum significat studii difficultatem gravitatemque laboris, sed omnia quae rerum gestarum scriptorem possint offendere, quae Kunhardti sunt verba. Vocabulum iam Gellius l. l. contra iniquos Sallustii vituperatores defendit, dicens, eo tum quod difficile, tum quod molestum et incommodum sit, significari.

quod facta dictis sunt exaequanda] Hoc quid esset ambiguum fuit interpretibus. Cortius enim et Dahlius intelligunt scribendi artem, ita ut dicendi genus rebus singulis, quae narrantur, accommodatum sit, ut magnifica dicantur magnifice, tenuia tenuiter, ne multa, ut verba rerum sint imago. Verbo *exaequare* hoc significari posse concedendum est, itaque capiendus Plinii locus Epp. VIII, 4, 3. *una, sed maxima difficultas, quod haec aequare dicendo arduum*, et Liv. VI, 20. *quum ea quoque, quae bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica, facta dictis aequando, memorasset.* Tamen haec explicatio hoc loco videtur aliena, quia verborum ornatus in rebus gestis scribendis non maximam difficultatem continet, quae potius veritatis lege, rerum scriptori maxime necessaria, constat. Quare cum Langio et Müllero haec verba ita interpretamur, ut sensus sit: verba rerum veritatem sequi debent, easque non aliter exponere, ac factae sunt; quod quam sit difficultatis ple-

delicta reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea, veluti ficta pro falsis
3 ducit. Sed ego adulescentulus initio, sicuti pleri-

num, et quam facile errori vel in narrandis rebus, vel in iudicandis locus dari possit, ubi vel maxime caves, neminem fugit. Hanc explicationem etiam sequentia adiuvant, quae ita fere cum antegressis cohaerent: arduum est res gestas scribere; primum quia quid ubique verum sit expediendum est; tum quia, *ubi magno studio verum assecutus fueris, homines iniqua mente id accipiunt; nam plerique q. del. rep.* etc. — *Dehinc*, quod pariter ut *inde* de loco ad tempus transfertur, v. ad c. XXII, 2., rarius est in enumeratione. Verbum *dicta* ante *putant*, quod plerique omnes codd. tenent, Cortius expunxit, quia etiam sine eo sensus constet, si ex praegresso *reprehenderis* cogitatione suppleas *te reprehendisse*. Quod ut verum est, ita est non necessarium. — *Malevolentia* et hic et c. XII, 1. scripsimus, quamquam in codd. Cortio teste legitur *malivolentia*. Nulla enim ratione utuntur, qui *i* litteram inferunt, quum vocabulum compositum sit ex *male* et *velle*, quorum prius nunquam mutatur. Eadem ratio est vocis *benevolentia*, Iug. CIII, 7. Qui igitur non dicit *maleficium*, *malificus*, *malidico*, *malifactor*, *Maliventum*, neque *benificium*. *benificus*, *benifacio*, *Beniventum*, non potest idem dicere *malivolentia* ac *benivolentia*. — Quae sequuntur verba aperte imitantur Thucydidia illa in Periclis oratione funebri, II, 35. *χαλεπὸν γὰρ τὸ μετρίως εἰπεῖν, ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιοῦται. Ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ εὔνους ἀκροατὴς τάχ' ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἐπίσταται νομίσειε δηλοῦσθαι· ὅ τε ἄπειρος, ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι, διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούοι. Μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε· τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν.*

aequo animo] I. e. qui in neutram partem moveatur, ut neque admiretur nimium, neque invideat; de vocis *aequus* vi cf. quae scite disputavit Hertelius ad Taciti Agric. c. 20, extr. — Verborum *super ea* sensum omnes fere interpp. assecuti sunt, grammaticam rationem non item; explicant enim *quae supra ea sunt*, sive *quae vires proprias superant*, securi, utrum hoc in verbis insit, necne.

que, studio ad rempublicam latus sum, ibique mihi
advorsa multa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur, insolens 4
malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla

Patet enim, in ista ratione *supra* praepositionem, unde *ea* pendet, grammaticum enunciationis *obiectum* esse, quasi auctor dixisset *his superiora*, vel *maiora* sive *haec excedentia*, quae ratio tum a Latinorum usu, tum a praepositionum natura alienissima est. Neque ulla ex parte similia sunt exempla a Cortio et Herzogio laudata, Cic. Epp. ad Famm. XIV, 1. med. *Pisonis amor tantus est, ut nihil supra possit.* Plin. Paneg. c. 47, 5. *superatis iam mille liminibus, ultra semper aliqua dura et obstantia*, quibus locis, ut plurimis aliis, praepositio absolute posita est, casu, *qui inde pendere debet*, ex antegressis supplendo. Eiusdem fere generis est Cat. V, 3. nisi ibi *supra* vi adverbii pro *magis* positum statuas. Non melioris notae sunt, quae Aug. Schlegel. in Seebodii Bibl. Crit. a. 1819. Vol. II. p. 715. protulit. Is enim, quum constructionem ad graecismum revocet, *ὄντα* supplendum censens, exempla *Latina* affert, ex Ovid. Met. I, 20. et Pompon. Mela III, 6, 1. III, 6, fin. III, 9, 3. petita, in quibus *sine* legitur; prorsus aliter ac nostro loco. Simplicissima autem ratio videtur, ut verba *supra ea* pendere dicas a praegressis *quae quisque putat*, ita ut hic quoque intelligatur *quae putat*. Quod ut fieri possit, semicolon post *accipit* in comma mutandum duximus; maiore enim interpunctione posita, verba *supra ea* novam videntur enunciationem incipere, constructionis obscuritate laborantem.

§. 3. *Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempubl. latus sum.*] Pro *studio* multi libri habent *a studio*, nonnulli etiam addita glossa *litterarum*, vel *litterali*. De hoc loco, a prioribus editoribus neutiquam intellecto, optime meritus est Car. Henr. Frotscherus, Observv. in Sallust. P. I. p. 19. sq. Is enim clare demonstravit, hunc locum neque ad Cap. IV, 2. spectare, neque *a studio* probari posse, quod Schlegelio visum in Seebodii Bibl. Crit. Hildes. 1819. II. p. 716., neque *studium* de litterarum studio esse accipiendum, sed *studio ferri* significare ardenti animo, sive, ut eius verbis utar, inconsulta quadam animi inclinatione ad aliq. rem rapi, quae sententia non magis *studio* quam *ferri* vocabulo continetur; quare nihil valent exempla a Müllero allata, Cic. Cat. Mai. 23, 83.

5 aetas ambitione corrupta tenebatur; ac me, quum ab relicuis malis moribus dissentirem, nihilo minus

equidem e f f e r o r *studio patres vestros videndi.* de Finn. V, 2, 5. *suo enim quisque studio maxime ducitur.* Meliora praecepit Bremius ad Nep. Dat. IV, 5., quibus adde quae collegit Scheller. in Lex. Ampl. p. 3793. Cic. p. Cluent. 70. *odio ferri.* Tusc. III, 5. *libidine aut iracundia ferri.* p. Quint. 11. *avaritia ferri.* *Studium* autem iniquiore sensu pro *nimio studio* habet Ter. Hecyr. Prol. I, 4. *populus* s t u d i o *stupidus in funambulo animum occuparat.* et noster Fr. Hist. III, 11, 4. *equidem fateor, me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum.* Per se igitur patet, *ibique* non ad *studio* referri posse, ut Tellerus opinabatur, sed ad rempublicam pertinere, eo modo, quem illustravimus ad c. V, 2. Hac explicatione inita demum intelligitur, quid sibi velint addita verba *initio, sicuti plerique;* recte enim monuit Frotscherus, temeritatem esse florentis aetatis, prudentiam senescentis. — *Advorsa* ex Incert. utroque pro *adversa* cum Cortio et Gerlachio edidimus. — *Adulescentulus* habet Bas. 2. 4. Teg. et Bern. relicui *adolesc.* cf. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 28. De usu vocis v. ad c. XXXVIII, 1. XLIX, 2.

§. 5. *ab relicuis malis moribus*] Bona pars codicum: *ab* r e l i c u o r u m *malis moribus*, quae varietas Langio quidem, qui id propter sequens *ceteros* praefert, sensum non variare videtur, praesertim quum Cortius, Kunhardtus, alii, (ac nuper Gerlachius quoque et Herzogius) genitivum receperint. Ablativum exhibuerunt Bipontt., post Müllerus; sed caussam, cur ita scribendum sit, primus exposuit Frotscherus l. l. p. 24. Nimirum Sallustius, quum sui aevi vitia enumerasset, audaciam, largitionem, avaritiam, non poterat, suis moribus defensionem paraturus, dicere, se ab *relicuorum* malis artibus alienum, ambitione tantum corruptum fuisse; ita enim ambitio non commune omnium, sed ipsi proprium vitium fuisset. Accedit, quod in tali sententia, licet ab auctoris mente alienissima, non *relicuorum* sed potius *ceterorum* scribendum fuisset, quoniam non omnibus omnia, sed aliis alia sunt vitia; *relicuis* autem recte habet, quia ambitionem malis moribus, quos vituperaverat, in unum quasi comprehensis opponit. De vocabulorum *ceteri* et *relicui* discrimine v. doctam Car. Beieri commentationem in Seebodii Miscell. critt. Vol. I. P. 1. p. 181., qui verissime docuit, *ceteri* dici, ubi, qui restant, *singuli* cogitentur, *relicui* autem, ubi omnes qui supersunt *in unum* comprehendantur, singulis cogitatione non discretis. Non satis tamen probare videtur Ludov. Doederlinus Synonym. Lat. Tom. I. p. 183. Quae autem Herzogius ad Caes. B. G.

honoris cupido eademque quae ceteros fama atque invidia vexabat.

IV, 1., de vocabulorum discrimine disputavit, et obscuriora sunt, neque rem expediunt. Ceterum, quod obiter monemus, relicta vulgari scribendi ratione, *relicuus* exhibuimus, non *reliquus;* ex quattuor enim syllabis constare vocabulum non solum testantur antiquissimorum codicum vestigia, (praestantissimus Vatic. A. *relicus* exhibet Iug XXIV, 8. et XXXI, 26., *relicuus* vero Fragm. Hist. III, 22, 2. et in Pseudo-Sall. Ep. ad Caes. I, 8.) sed etiam comicorum fere constans usus; contractam formam *reliquus* seriores tantum poetae adhibuerunt, *rellicuus* autem, quod metri dactylici necessitas exegit, non scribi potuisset, si *reliquus* primitiva forma fuisset. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. T. I. part. I. p. 332. et Bentl. ad Phaedr. I, 31. p. 20—21.

nihilo minus honoris cupido eademque quae ceteros fama atque invidia vexabat.] Haec verba interpretes multum exercuerunt, quia ad constructionis integritatem *et* ante *eadem* requiri videtur, (pro quo Dahlius et Langius pessime *nec non* supplendum censent) tum quia non liquet, *eadem fama atque invidia* nominativus an ablativus sit. Quare Gronovius Obss. III, 2. p. 337. *quae* vocula mutata in *qua*, omnia ablativis posita censet, *famâ atque invidiâ* explicans per figuram ἓν διὰ δυοῖν, nobis quidem minime h. l. probatam; v. ad Cat. II, 2. Gronovium sequuntur Bipontt., Kunhardtus autem coniecit *cupidum*, relicuis non mutatis, quod ad sententiam quidem est probum, sed a librorum auctoritate non commendatur. Dahlius, Langius, Müllerus, Frotscherus et Gerlachius, nihil mutandum censent, copulam, Sallustii more omissam, a lectoribus supplendam esse iudicantes. Sed nexu sententiarum accuratius considerato, quivis hoc fieri posse negabit. Nam sententia, quae sequitur, non *eiusdem* est generis ac praegressa, et quoniam non simpliciter illi additur, particula, qua nexus ratio indicetur, deesse non potest. Ita autem comparatae sunt sententiae, ut priorem explicet posterior, quippe qua indicetur, quid honoris studio effectum sit. Quare, quod Cortius iam senserat, etiam Frotschero l. l. p. 25. non plane repugnante, unice verum puto *eadem* q u e *quae*, ut *que* valeat *et propterea.* Huius scripturae vestigia exstant in codd. Remens. 1. Eccard. et Guelf., qui habent *eademque ceteros*, omisso *quae;* saepissime autem ante *quae* excidisse *que* monuit Goerenzius ad Cic. Legg. II, 7, 15., ad Acadd. I, 2, 8. et ad Finn. III, 21, 72. Cacophoniam quae existit, vocibus *que quae* iuxta positis, nostrae lectioni non obstare, Cortius docuit ad h. l. et Heusing. ad Off. I,

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi relicuam aetatem a republica procul habendam decrevi, non fuit con-

4, 1.; eamque omnino a veteribus non plane vitatam esse observarunt tum alii, tum Goerenzius ad Cic. Legg. I, 15, 43. Particulam *que* eadem potestate positam habes Cat. XLVIII, 6. *Tarquinii indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum.* Iug. IV, 4. *maiusque commodum ex otio meo venturum.* ib. IX, 3. *rex Iugurtham beneficiis vincere aggressus est, statimque eum adoptavit.* Eodem modo legitur apud Vellei I, 17, 6. II, 62, 1. — *Fama atque invidia*, quod iam monui non per figuram ἓν διὰ δυοῖν comprehendi, utrumque propria vi accipias; *fama* enim sensu praegnanti significat malam famam, *invidia*, odium et contemptum aliorum, illa ortum. — De totius loci consilio non possum quin huc transcribam quae, praeeunte Loebellio, in libello *de C. Cr. Sallustio*, Vratisl. 1818., verissime monuit Frotscherus l. l. p. 25. „Sallustius in toto loco videtur eo maxime spectasse, ut, quorum sibi conscius esset, et quae Romani nossent, vitia excusaret, et lectoribus hoc certe persuaderet, ea omnia, quae quondam male egerit, a mala ipsius ambitione repetenda esse. Ac ne crederent ipsum pariter atque ceteros audaciam, largitionem, avaritiam exercuisse, nihil magis inculcare studuit, quam se ab omnibus malis moribus liberum, nimia tantum honoris cupidine vexatum fuisse, et hac ipsa re malam sibi famam atque invidiam conflasse." His confer quae Cat. XI, 1. sqq., non rei quadam opportunitate in eum locum delatus, sed data opera de *ambitionis* vitio callide disputat, ita ut non se ipsum, sed omnino civitatis mores respicere videatur.

IV. §. 1. *ex multis miseriis*] *Ex* propria loci potestate ad tempus translata *post* significat, siquidem quod ex aliquo prodit tempore serius est; cf. Iug. XXXVI, 3., *ex tanta properantia tam facile tractum bellum.* Cic. p. Arch. p. 1. *ex gravi morbo recreati.* id. Brut. 92. *Cotta ex consulatu profectus est in Galliam.* Nep. Timol. III, 3. *ex maximo bello tantum otium insulae conciliavit*, ubi v. Bremius. — *Aetatem habendam*, pro quo Ciacconius et Ursinus malebant *agendam*, quod sane usitatius est, Cortius vindicavit, coll. Cat. LI, 12. *qui demissi in obscuro vitam habent.* Iug. LXXXV, 41. *ubi adulescentiam habuere, ibi senectutem agant.* Neque tamen *habere* plane idem est atque *agere*; sed ut supra I, 4. *possidendi* notionem ab eo non seiungi posse vidimus, ita h. l. alteram potestatem non minus frequentem, qua significat aliquam rem tenere, sive con-

silium socordia atque desidia bonum otium conterere, neque vero agrum colendo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo 2

stitutam aut collocatam habere, non plane deponit. Quod idem sentiens Herzogius scite monuit, *vitam habere* significare consilium et voluntatem vitae instituendae, *agere* simpliciter de vitae statu et condicione intelligendum. — *Socordia* scripsimus cum Gerlachio et Herzogio; Cortius cum relicuis edidit *secordia*, codicibus, ut videtur, non magnopere adiuvantibus, quare etiam Cat. LVIII, 4. Iug. IV, 4. LXXIX, 5. Fragm. Hist. I, n. 19. 11. et 21. vulgarem formam restituimus. Licet Festus verissime tradat, vocabulum ortum esse ex *se* i. e. *sine*, et *cor*, tamen iam mature altera forma in usu fuisse videtur. Consentit Ger. I. Vossius Etymol. p. 158. et Drakenb. ad Liv. I, 22, 5. cf. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 12. — *Conterere* et *terere* saepenumero, temporis vocabulis coniunctum, bono sensu significat *transigere*, ut Cic. de Amic. 27, 104. *in studiis omne otiosum tempus contrivimus.* Propert. II, 1, 46. *qua pote quisque, in ea conterat arte diem.* id. I, 7, 9. *hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est.* Hoc tamen loco cum vituperatione de eo tempore dicitur, quod frustra et nullo fructu impenditur sive consumitur et perditur. Liv. I, 57, 9. *quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes.* ib. I, 22, 6. *purgando terunt tempus.* Noster Fragm. inc 16. *ibi triennio frustra trito.* Utramque significationem Cortius, cui haec exempla debentur, permiscuit.

servilibus officiis, intentum] Pessime in omnibus editionibus haec tria vocabula comprehenduntur, commate post *intentum* posito, ita ut construatur: aetatem agere agrum colendo aut venando. Isto modo verba *ser. off. int.* enunciationem secundariam efficiunt, cum relicuis non satis coeuntem; nam liquet, ex auctoris mente *servilia officia* non diversa esse ab agricultura et venatione, sed haec ipsa hoc nomine nuncupari. Quod igitur sententia flagitat, grammatica autem vulgatae ratio non patiebatur, consequere interpunctione, ut fecimus, mutata; ita enim verba *serv. off.* appositionem faciunt ad praegressa, *intentum* pertinet ad gerundia, et *aetatem agere* absolute positum est. Appositionis ratio eadem, quae apud Tacit. Agric. 32. *metus et terror est, (sc. quo subiecti tenentur) infirma vincula caritatis.* id. Hist. IV, 18. *hortamenta victoriae.* Curt. III, 7, 11. Ceterum Herzogius bene observavit, gerundium (agrum colendo) ita differre a part. fut. passivi (agro colendo), ut

incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus

illud ponatur, ubi *verbi* notio praevaleat, obiectum minorem habeat vim, v. c. Cat. LIX, 6. Iug. VII, 2. Altera vero structura obtinet, ubi verbum cum obiecto in unam notionem coalescit, ita ut neutrum prae altero emineat, sed utrumque pari vi dictum sit. Utriusque structurae exempla congessit Ramshornius Gramm. Lat. §. 169, 5. p. 446 sq.

§. 2. *sed a quo incepto studioque*] Haud pauci libri *que* omittunt, ita ut *incepto* participium sit, cum *studio* coniungendum. Sed si auctor ita scripsisset, non intelligeretur, quomodo librarii *que* addere potuerint; contra, si haec particula a Sallustio fuit, apertum est, cur eam eiecerint. Quippe ignorabant eius usum in sententiis et verbis explicativis coniungendis, quem quum primus Goerenzius accurate demonstrasset, hic obtinere bene vidit Frotscherus I, I. p. 21. Eidem debetur nostro plane geminum exemplum Caes. B. G. VI, 15. *Eorum (equitum, Gallorum) ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet*, ubi *que* non diversum est a formula *id est.* Eodem modo Cicero loquutus est de Or. II, 67, 270. *Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque (i. e. in hac ironia, quam nostro vocabulo dissimulantiam vocamus) longe lepore et humanitate omnibus praestitisse.* Plura substantivorum exempla copulâ coniunctorum, quorum posterius vel synonymum est prioris vel eius explicandi vim habet, attulit Car. Beierus ad Cic. Off. II, 5, 16. laudans de Finn. V, 23, 66. *conspiratio consensusque.* His adde quae de usu *que* particulae dicemus ad Cat. XIX, 2. Ne quis tamen, qui huic particulae modo explicativam, modo adversativam, modo collectivam, modo continuativam vim tribui videat, hoc perperam ipsi particulae tribuat, statim hoc loco nobis monendum est, illas significationes huic voculae non naturâ inesse, quod sane mirum foret, sed loquendi usu factum esse, ut nonnullae sententiae explicativae, adversativae aliae, non particulis ipsis convenientibus, sed simplici copula praegressae sententiae annecterentur. Per se igitur patet, ubique propriam copulae vim remanere, tales autem sententias, a quibus copulae ratio plane aliena est, non posse

reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae 3
coniuratione quam verissume potero paucis absolvam;
nam id facinus imprimis ego memorabile existumo 4
sceleris atque periculi novitate. De cuius hominis 5

non particulis propria vi positis coniungi. Nostro igitur loco *inceptum* generale verbum est, cui auctor explicationis caussa statim subiungit *studioque*, ut intelligatur, quale illud inceptum fuerit; *studium* vero contextus docet esse quum litterarum, tum historiae studium. Male Gerlachius *studioque*, quod in textu expresserat, in Commentariis p. 42. improbat, tum propter Italorum librorum auctoritatem, ex quibus quattuordecim *que* ignorant, tum quia *incepto studioque*, figurà ἓν διὰ δυοῖν dictum, orationis colori parum conveniat.

ambitio mala] i. e. quae malum affert, vel quae malos facit. v. Gerlach. ad h. l. et cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 129. *misera ambitio*, quod recte interpretatur: quae miseros reddit. — *Carptim*, pro quo antiqua depravatione apud Nonium legitur *strictim*, Tellerus bene vindicavit; eo enim significatur Sallustii consilium non perpetuae historiae contexendae, sed de singulis tantum factis exponendi. Hoc sensu vocabulum etiam legitur apud Plin. Epp. VIII, 4, 7. *respondebis, non posse perinde carptim, ut contexta placere.* id. VI, 22, 2. *egit carptim et κατὰ κεφάλαια.* Tac. Hist. IV, 46. *dimissi carptim ac singuli.* *Strictim* autem, quod *breviter* significat, ferri non potest, primum quia brevitatis notio non potest consociari cum verbo *perscribere*, i. e. accurate scribere, nulla re graviore omissa, v. Bremius ad Nep. Datam. V, 3., et Frotscher. l. l. p. 22. coll. Goerenz. ad Cic. de Finn. IV, 1, 1. Gernhard. ad Cic. de Senect. c. 15, 52.; tum quia adiecta verba: *ut quaeque memoria digna videbantur*, aperte vocem *carptim*, neque vero *strictim* explicant. — Ad verba *paucis absolvam* Cortius supplet *narrationem*, quod si sententiam spectas ferri potest. Melius tamen videtur, nihil suppleri, ita ut *absolvam* idem fere sit quod *agam*, *disseram*, adiuncta rei confectae notione. Eadem vi Ammian. Marc. cum accus. hoc verbum coniunxit, XXIII, 6. *nunc locorum situm, quantum ratio sinit, absolvam*, quem locum Cort. adduxit. Noster Iug. XVII, 2. *cetera quam paucissimis absolvam.* Fragm. Historr. I, n. 2. *Cato multa paucis absolvit.*

moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. Lucius Catilina nobili genere natus, fuit

§. 5. *pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.*] *Priusquam* cum coniunctivo positum Dahlio tum propter simillimam sententiam Iug. V, 3. *priusquam huiuscemodi rei initium expedio*, tum quia haec particula semper cum indicativo construatur, adeo insolens visum, ut *faciam* pro futuro habeat, quod ei non concedimus. Coniunctivus enim, licet rarius cum hac voce coniungatur, potestate multum differt ab indicativo, quia res illa, ad quam respicitur, non ut certa ponitur, sed ita, ut in cogitatione adhuc versetur, et quadam quasi condicione teneatur. Consulto autem Sallustius coniunctivum posuit, nam sensum voluit esse hunc: priusquam initium facere *possum*, ita ut haec subsit cogitatio: id enim necessarium videtur ad res melius intelligendas. Coniunctivo igitur continetur *iudicium auctoris*, de rebus antea necessario explicandis; indicativus vero modus simpliciter significaret, has explanationes tempore tantum priores esse ipsa narratione. Cic. de Or. I, 59. *tragoedi quotidie, antequam pronuncient, vocem sensim excitant;* quo significatur non facta iam pronunciatio, sed pronunciandi consilium. de Off. I, 21, 13. *in omnibus negotiis prius quam aggrediare adhibenda est praeparatio diligens*, i. e. priusquam *tibi* recte suscipi posse *videntur*. Liv. XXX, 35. *Hannibal omnia et in proelio apud Zamam, et ante aciem, priusquam excederet pugna, erat expertus.* i. e. priusquam de excedendo cogitabat. Senec. QQ. NN. II, 12. *ante videmus fulgurationem, quam sonum audiamus.* i. e. audire possumus. In promptu autem est, auctorem aeque altero verbi modo uti potuisse, si ei placuisset rem aliter cogitare. cf. Iahn. ad Virg. Aen. V, 347.

V. §. 1. *L. Catilina nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis.*] Cortius verbum *fuit* invitis omnibus codd. delevit, quo tamen carere non possumus, quoniam manca constructione ipsa oratio tantum abest ut concinna fiat, quod Kunhardto visum, ut obscura evadat ac impedita. Neque probanda Mülleri ratio, qui id revocavit quidem, sed alieno loco post vocabulum *corporis* posuit. Reliqui editores codices sequuntur, quamquam non eadem interpunctione usi. Langius enim distinxit post *fuit*, ita ut praegressa verba *nob. g. n.* primariam sententiam efficiant, reliquis explicationis caussa adiectis. Quae ratio etsi ferri potest, quum praesertim etiam apud Nonium et in multis codd. ita interpungatur,

magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, 2 caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique

similisque plane structura habeatur Cat. XXV, 1., tamen vulgata propterea praeferenda est, quod, quum Sallustius capite antegresso de hominis moribus se dixisset explanaturum, valde incommodum foret, nunc generis commemorationem, cuius obiter tantum mentionem facere poterat in tali nexu, primariam esse, indolem ipsam quasi secundariam adiici. — *Genus nobile* dicitur, quia Catilina erat e Sergia gente, quae originem ducebat a Sergesto, Aeneae comite, Virg. Aen. V, 121. ubi v. Serv. Cortius comparavit praeterea Iuven. Sat. VIII, 231, *quid Catilina tuis natalibus atque Cethegi inveniat quisquam sublimius. Pravus*, quod Ger. Ioann. Vossius Etymol. p. 409. non satis recte a Graeco *ῥᾳος* ducendum putat, I. Fr. Gronov. ad Liv. IV, 22, 6. satis probabiliter ostendit descendere a vocabulo *παραβάς*, aeolice mutato in *παραβός*, *pravos;* eoque proprie significari vitium corporis quodque in eo perversum sit et male distortum. Cic. Finn. V, 12, 35. *si peccetur distortione et depravatione quadam*, ubi Goerenzius minus vere *pravus* proprie de arboribus usurpari dicit; de Or. II, 62. *tertium, oris depravatio, non digna nobis.* Caes. B. G. IV, 2. *quae sunt apud eos nata (iumenta), prava atque deformia.* A corpore deinde ad animi vitia translatum frequentissimo usu reperitur. De sensus discrimine inter *malus* et *pravus* acute disputavit Ludov. Doederlinus in Synonym. Lat. T. I. p. 60, sqq. Is *malum* dicit esse quod suapte naturâ et per se a bono alienum sit, *pravum* quod formâ tantum corruptâ et parum rectâ sit, eoque *pravitatem* iudicii potius quam morum esse. Quod idem tamen ubi coniuncta leguntur vocabula, ut Plin. Epp. III, 9, 32. Sulpic. Sev. H. S. II, 45., *malum* ad insitam naturâ nequitiam, *pravum* ad perversum ingenii usum et exercitium refert, subtilius videtur, quam ut discrimen animadverti possit. Neque vero cum Cortio *malum* ad *alios* referas, *pravum* ad *se ipsum*, sed puta coniunctis hisce vocabulis tantummodo nequitiae cumulum significari.

§. 2. *ibique*] Multae loci particulae, quae proprie ad loci tantum vocabula pertinent, haud raro pro pronomine cum praepositione ponuntur, latius patente vocabulo pro magis definito posito. Iug. XIV, 22. *quamquam immaturo et* unde *minime decuit vita erepta est; unde* i. e. *a quo.* Cat. XX, 8. *divitiae apud illos sunt,* ubi *illi volunt.* Fragm. Histt. III, 22, 6. *concessere* illic *omnes*, i. e.

3 iuventutem suam exercuit. Corpus patiens in-
ediae, vigiliae, algoris, supra quam cuiquam cre-
4 dibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuius
rei libet simulator ac dissimulator, alieni appetens,

ad illos. Liv. I, 24, 2. *ibi imperium fore, unde victoria fuerit.* id. I, 49, 5. *Tarquinius Sup. bonis multare poterat, non suspectos modo aut invisos, sed unde nihil aliud quam praedam sperare posset.* Plura vide apud Vechner. Hellenol. p. 236, sqq. Ed. Heus. cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 78. et Herzog. ad Caes. B. G. II, 5. et V, 14.

§. 3. *Corpus patiens inediae etc.*] Eadem de Catilina Cicero refert Or. in Cat. I, 10, 20. *habes ubi ostendes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium.* II, 5, 9. *atque idem frigore et fame, et siti, ac vigiliis perferendis fortis ab istis praedicabatur.* III, 7, 16. *nihil erat quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret; frigus, sitim, famem ferre poterat.* De sensus discrimine inter genitivum et accusativum cum *patiens* et similibus coniunctum v. Ruddimann. Instt. Gramm. T. II. Lib. I, 2. p. 70. Zumpt. Gramm. Lat. §. 73, 7. p. 345, sqq. Alia *genitivi* exempla dabit Car. Beierus ad Cic. Off. III, 3, 12. et Goerenz. ad Legg. II, 17, 42. — Pro *cuiquam*, quod plurimis codd. sustentatur, Cortius, Gruterum sequutus, ex aliquot codd. *cuique* edidit, a linguae usu haud commendatum. Nam quum sententia negativa sit, hoc fere sensu, *ita ut nemini credibile sit*, sequitur, *quisquam*, cui in sententiis totum negantibus locus est, v. Aug. Matthias ad Cic. in Catil. I, 6, 15. et infra ad c. XXXVI, 5., hic legitime poni. *Quisque* autem, quod in enunciationibus aientibus rem semper ad singulos revocat, alio nomine adiuncto, ab h. l. plane alienum est. — *Cuius rei libet,* quod est in Nazar. Senat. 1. et apud Nonium, v. *simulare,* p. 731. Gothofr. male a nonnullis recentioribus mutatum in *cuiuslibet rei*, quod reliqui codd. tenent; haud raro enim in eiusmodi compositis tmesis, quam grammatici vocant, admissa reperitur, velut Cat. LII, 10. *sed cuius haec cunque modi videntur*, ubi Cortius laudat Hor. Od. I, 6, 3. I, 9, 14. Ter. Andr. I, 5, 28. *quae meo cunque animo lubitum est facere.* Ruhnken. ad eand. I, 1, 36. et ad III, 2, 6. Plura congessit Ramshorn. Gramm. Lat. §. 206. B. 2. p. 701. Ruddimann. Instt. Gramm. T. II. Lib. II, 4. p. 395. et Müllerus ad Cic. p. Sext. 31, 68. ex Cicerone haec afferens: de Or. II, 23, 97. III. 16, 59, extr. de Divin. II, 2, 7. de Finn. IV, 25, 69, extr.

§. 4. *satis eloquentiae, sapientiae parum*] *Eloquentiae*, quod Gerlachius primus recepit pro vulgata scriptura *loquentiae*, in

sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquen-
tiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, 5
incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post 6
dominationem Luci Sullae lubido maxuma invaserat

omnibus fere codd. legitur, exceptis Inc. 1., Lovoniensi, ab Aus. Popma collato, Guelf. 11. Senat. 1. et Paris. E. Apud Priscianum quoque XV, 5, 32. p. 631. Ed. Krehl. ubi noster locus propter genitivum a verbo *satis* pendentem laudatur, novem codd. *eloquentiae* habent, idque Gerlachium permovisse videtur, ut vulgatam respueret. Sed locus multo maioris ad lectionem constituendam auctoritatis est apud Gellium I, 15., qui tamen editores mirifice elusit omnes. Verba haec sunt: *Valerium Probum ex familiari eius docto viro comperi, Sallustianum illud, satis eloquentiae, sapientiae parum brevi antequam vita decederet, sic legere coepisse: satis loquentiae, sap. par., quod loquentia novatori verborum Sallustio maxime congrueret, eloquentia cum insipientia minime conveniret.* Quo loco tantum abest ut probetur, quod omnes clamant, *loquentiam* Sallustii esse, ut nulla re contrarium magis pateat. Verbis enim vel obiter inspectis, apparet, id quod iam perspexerat vir recti incorruptique iudicii, Io. Ger. Schellerus, Lex. Ampl. p. 5816. et nuper etiam Gerlachius in Commentariis p. 44. assequutus est, et Gellii tempore *eloquentiae* in libris fuisse, et Sallustium ipsum sic scripsisse, *loquentiae* autem *coniecturam* tantum Valerii Probi esse, quod clarissime testantur verba *sic legere coepisse*, et *sic a Sall. relictum affirmasse*, (i. e. confidenter coniecisse) *quod novatori verborum congrueret.* Sed huic Grammatici coniecturae non multum tribuendum est, qui, si Suetonio de illustrr. Gramm. Cap. 24. fides habenda, ingenii acumine et recto iudicio non admodum excelluit. Neque obstat, quod Catilinae parum sapientiae, eloquentiae satis tribuitur; haud enim insipiens fuit et temere loquax, stultis inanibusque verbis utens, quod Valerius Probus vult, sed magna pollebat persuadendi vi, quod in tanto facinore incipiendo per se intelligitur et Sall. ipse testatur orationibus, quas ab illo habitas fingit, Cap. XX. et LVIII. operi insertis. Sapientia caruisse dicitur, quia alienissimus erat ab omni honestatis ratione et eloquentia ad turpissimas pessimasque res utebatur. — Ceterum de Catilinae moribus et ingenio non minus egregie, quamquam alio modo, ut orator, egit Cicero orat. p. Coel. 5, 12, sq.

Luci Sullae] Plerique codd. exhibent *Silla*, pauci admodum *Syllae*; sed *u* litterà scribendum esse nomen non modo lapides et

reipublicae capiundae, neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi
7 habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque his artibus auxerat, quas supra
8 memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxu-
9 ria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari vide-

nummi docent, sed etiam vocis origo. Scite enim Cortius monuit, nomen descendere a *sura*, quod uberius persequutus est Conr. Leop. Schneiderus Gramm. Lat. I, 1. p. 48, sq. — *Quicquam pensi habebat.* Dictionem Cortius exemplis illustravit; Catil. XII, 2. *nihil pensi neque moderati habere.* XXIII, 2. *neque facere quicquam pensi habebat:* LII, 34. *quibus si quicquam pensi fuisset.* Iug. XLI, 9. *nihil pensi neque sancti habere.* Liv. XLII, 23. *Pensum* autem idem fere valet ac *perpensum* sive *consideratum*, eandemque genitivi habet rationem, quae est in dictionibus *magni facere*, *esse*, *habere*, cuius structurae naturam explicavimus ad c. XI, 7. — *His artibus;* de pronom. cf. ad Cat. II, 4.

§. 8. *divorsa inter se mala*] Tellerus probante Dahlio et Müllero *divorsa* interpretatur *dissimilia*, *varia*, contra usum loquendi. *Diversus* enim dicitur de rebus *contrariis*, *sibique oppositis*, cf. Bremius ad Nep. Alcib. I, 4. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 1, 3. Hertel. ad Tac. Agric. c. 10. Noster Iug. XXXI, 24. LXXXV, 20. Liv. XXXIV, 4, 2. Vell. I, 13, 4. *diversi (Scipioni et Mummio) mores, diversa fuere ingenia.* id. II, 60, 5. II, 80, 2. Apud eundem cum vocabulo *contrarius* coniunctum reperitur, II, 75, 2. Cic. p. Coel. 5, 12. Quod igitur Passovius ad Tac. Germ. 15, p. 98. *Taciti* proprium putat, ut *diversum* pro *contrario* ponat, id optimo cuique commune est. *Quos* noli cum Cortio referre ad *civitatis*, ita ut per synesin intelligatur *civium;* imo relat. ad *mores* pertinet, qui *vexari* dicuntur, i. e. commaculantur, corrumpuntur et perduntur. *Vexari* enim non tantum personae dicuntur, sed etiam res, quae non integrae manserunt, sed quovis modo male habitae corrumpuntur. Vim verbi bene explicuit Gellius N. A. II, 6., accurate de eadem re egerunt Frotscherus Obss. I. p. 28. et Car. Beier. ad Cic. Off. II, 8, 28.

§. 9. *instituta maiorum — disserere.*] Verbum *disserere*, quod

tur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, ut paullatim immutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit disserere.

VI. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce

Gerlachius duriuscule insolito modo positum censet, duplicem constructionem habet, nam primo inde pendet accusativus obiecti, *instituta maiorum*, tum coniunctivus orationis obliquae, particulis *quomodo*, *quantum*, *ut*, a verbo aptae. *Disserere aliquid* dixit etiam Tacit. Annall. I, 4. init. *pauci bona libertatis incassum disserere.* Cic. de N. D. III, 40, 95. *ea disserere malui.* id. Epp. ad Famm. XII, 7. *quod in Senatu pluribus disserui.* cf. Ernesti. ad Tacit. Annall. II, 27, in. Duker. et Drakenborch. ad Liv. XLI, 6, 4. Goerenz. ad Cic. de Legg. III, 8, 19. Diversam eiusdem verbi in eadem periodo structuram habes Iug. XXX, 1. *postquam* *r e s* *in Africa* *g e s t a s*, *q u o q u e* *m o d o* *a c t a e* *f o r e n t*, *fama divolgavit.* LXXXIV, 4. *s e s e* *quisque praeda locupletem* *f o r e*, *victorem domum* *r e d i t u r u m*, *a l i a* *huiuscemodi animis trahebant.* Liv. I, 6, 1. *s c e l e r a* *in se fratris*, *o r i g i n e m* *nepotum*, *u t* *geniti*, *ut educati*, *ut cogniti* *e s s e n t*, *ostendit.* Tacit. Annall. I, 39, extr. *Planci gravem* *c a s u m*, *simul* *q u a n t u m* *dedecoris* *a d i e r i t* *legio*, *facunde miserantur.* ib. III, 40, extr. *egregium resumendae libertati tempus*, *si ipsi florentes quam inops Italia*, *quam imbellis urbana plebes*, *nihil validum in exercitibus nisi quod externum*, *cogitarent*, quem locum Rupertius pessime interpretatur, *magis* particulam supplendum censens. Plurima ex poetis congessit Iahnius ad Virg. Ecl. VI, 71. — *Habuerint* i. e. gesserint seu curaverint. Gerlachius comparat Fragm. Histt. III, 22, 13. et ib. §. 18. V. infra ad c. XI, 5. — Post *pulcherrima* aliquot libri addunt *et optuma*, quae verba interpretes merito, ut ab interpolatore profecta, reiecerunt; haud enim probabile est, scribas, si ea legissent, omisisse, contra facile perspicitur, addita esse, ut singulae voces sibi responderent; quo tamen non est opus.

VI. §. 1. *sicuti ego accepi*] Horum verborum sensum solus

profugi sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus,
2 sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memo-
3 ratu est quam facile coaluerint. Sed postquam res

Herzogius recte cepisse videtur, interpretatus: sicuti viri priscarum rerum gnarissimi, quorumque iudicio in tali re plus quam mihi tribuerem, consulenti mihi tradiderunt. — *Habuere* non plane idem est atque *habitavere*, ut Langius censet, sed *tenuere, possedere;* cf. Iug. XVII, 7. XVIII, 1. — De *profugi* vocabulo v. ad c. LIV, 3.

§. 2. *una moenia*] *Unum* plurali numero tantummodo cum iis vocabulis coniungi, quae *pluralia tantum* vocantur, aut quae plurali plures res in unum coniuctas comprehendunt, Cortius his exemplis docuit: Ter. Andr. IV, 1, 51. *ex unis geminas mihi conficies nuptias.* Cic. Epp. ad Famm. II, 7, p. med. *ut unis litteris totius aetatis res gestas perscriberem.* XIII, 24, fin. *etsi unis se litteris meis omnia consequutum putet.* ad Attic. I, 5, med. *abs te unas mihi scito litteras redditas esse.* Caes. B. G. IV, 7, 5. *sese unis Suevis concedere.* ib. IV, 16, 5. *Ubii, qui uni legatos miserant.* Sall. Iug. LX, 7. *ubi unae atque alterae scalae comminutae.* Usum tetigit Vossius de Analog. I, 39. p. 579., quocum cf. Zumpt. Gr. L. §. 28. p. 96. et Ramshorn. §. 157, 3, 3. p. 327, sq.

alius alio more viventes] Ita probatissimi codd. velut Fabr. 1. Bas. 1. Guelf. 5. Teg. 1. alii; minus boni exhibent *alii alio more*, quod I. Wassius non debebat recipere, ut Cortius recte iudicavit. Quia enim *alius* bis, sed non eodem casu, positum non unius sed plurium significationem continet, praedicatum, non formà grammaticà sed sensu spectato, recte plurali numero enunciari potest. Cat. XXII, 2. *alius alii tanti facinoris conscii.* LII, 28. *alius alium expectantes cunctamini.* Iug .LIII, 8. Curt. X, 5, 16. Iust. XV, 2. v. Herzog. ad Caes. B. G. II, 26. Semper autem haec verba iuxta collocantur, quo oppositionis vis magis emineat; cf. Ramshorn. Gr. L. §. 197. p. 637. Eadem constructionis ratio est verborum *quisque*, *uterque*, *alter-alterum*, de quibus accurate dixit Zumpt. Gr. L. §. 69. not. 1. p. 296. — *Res*, adiectivo a populi nomine descendente addito, significat *civitatem;* Sall. Fr. Histt. I, 7. *res Romana plurimum imperio valuit.* Liv. I, 3, 1. *tutela muliebri res Latina stetit.* I, 9, 9. *miran-*

eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur re- 4
ges populique finitumi bello tentare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu perculsi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti 5

tur tam brevi rem Romanam crevisse. XXI, 2. *rem Carthaginiensem auxit.* Ennius Annall. I. ap. Acron. in Hor. Sat. I, 2. quae exempla Cortio debentur; alia dabit Drakenborch. ad Liv. XXX, 42, 18. — Verba *sicuti pleraque mortalium habentur* non cum Müllero et Herzogio ad modum Graecorum ὡς ἔχει τὰ πλεῖστα τῶν θνητῶν explicaverim; *habentur* enim, ea vi positum, de qua diximus ad c. I, 4., hunc potius sensum habet: ut in plerisque *quae mortalium sunt* fieri solet. Non magis in verbis *pleraque mortalium* Graecismum invenio; nam si recte Herzogium intelligo, qui cum Graecis τὰ πλεῖστα τῶν θνητῶν confert Liviana VII, 29, 2. *quoties in extrema periculorum ventum*, et VIII, 29, 10. *prope ad ultimum dimicationis ventum*, *pl. mortalium* pro *pleraque mortalia* dictum putat. Sed hoc nimis longe petitum esse quivis concedet, quum sensus optimus et simplicissimus prodeat, si *mortalium* pro *hominum* capias. Omnino autem cavendum est, ne temere ad Graecam structuram referas quae ex Romanorum usu et cogitandi ratione facillime explicari possunt.

§. 4. *metu perculsi*] Haud pauci libri, solita permutatione, *percussi*, quod inde a Cortio plurimas edd. occupavit, criticis utramque vocem non minus quam librariis confundentibus. Petrus enim Burmannus ad Ovid. Met. IV, 138. statuit, in *vehementioribus* animi affectibus significandis *percussus* melius esse quam *perculsus*, quia illud a vulnere corporis translatum sit ad mentem, hoc vero sit in terram dare, evertere, sternere. Burmanni rationem sibi probari profitetur Drakenb. ad Liv. I, 14, 9. et ad I, 27, 10; non satis consulte. Accuratius de verborum discrimine egit Bentleius ad Horat. Epod. XI, 2., qui reiecta quorundam inepta differentia, *percutere* ad corpus, *percellere* ad animum pertinere, utrumque docet de utroque usurpari, sed hoc in re graviori, dicique *percelli terrore*, *metu*, *formidine*, *clade*, *ruina*, *damno*, *discordiis*, quibus rebus animi vires frangantur et plane consternentur; contra *percuti* in leviore affectu locum habere, ubi animus sit quidem ictus et saucius, neque

festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis

tamen eversus et consternatus. Bentleium presse sequitur Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 1, 98. Paullo aliter distinguit Bremius ad Nep. Dion. V, 3. *percellere* statuens dici de ea perturbatione, quae quamvis exiguo initio longum et durantem eventum habeat; verbo *percutere* vero talem significari perturbationem, quae cito desinat celeriterque praetereat. Quae explicatio ut non displicet, ita tum demum plane probabitur, si cum Bentleiana coniunxeris, modo abiicias illud, quod Bremius de *exiguo initio* admiscet, quodque in verbo non inest. His praemissis, non dubitamus nostro loco *perculsi* praeferre; nam si quis tanta est ignavia, ut periculis se subtrahat, recte dicetur *metu perculsus*, i. e. non leviter timore tactus, sed tam consternato et in perpetuum abiecto animo, ut rebus strenue gerendis impar sit. Discrimen bene intelligitur ex Nep. Eum. V, 1. *hac ille percussus plaga non succubuit*, ad quem locum Bremius scite contulit Cic. Tusc. III, 29, 72. *existimant enim, diis immortalibus se facilius satisfacturos, si, eorum plaga perculsi, afflictos se et stratos esse sentiant.* Cf. ex Nostro Cat. XLIII, 3. *caede et incendio perculsis omnibus.* ubi v. quae Cortius ascripsit. Iug. XXXVIII, 5. *milites tumultu perculsi insolito.* XL, 4. *ceteris metu perculsis.* XLII, 1. *nobilitas noxia, atque eo perculsa.* XLIV, 4. *Albinus Auli fratris exercitusque clade perculsus.* LVIII, 2. *nostri repentino metu perculsi.* LXX, 5. *magnitudine facinoris perculsus.* LXXIII, 7. LXXV, 10. LXXXII, 2. CI. 7. Quibus locis omnibus *perculsus* recte habet; tamen negari nequit, interdum difficillimum esse ad iudicandum, quid auctor scripserit, quum saepe a solo eius arbitrio pendere videatur, utrum verbum eligere velit. Cf. Suet. Tiber. c. 11. ante med. Ed. Wolf. ubi v. Ernest.

§. 5. *patriam parentesque*] Male haec, quae coniunctissima sunt, Gerlachius commate interposito seiunxit. Idem in Commentariis p. 48. *parentes* interpretatur *subiectos* (Unterthanen), quo nihil tum hoc loco, tum ingenio veterum alienius esse potest. Ubi enim de liberis reipublicae Romanae civibus, ac de pietate reipublicae debita agitur, *parentes* semper sunt *genitores;* Cat. LII, 3. *patriae, parentibus — bellum paravere.* Iug. LXXXVII, 2. *armis*

quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Impe- 6
rium legitumum, nomen imperi regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicae consultabant; hi vel ae-

patriam parentesque tegi.* Tacit. Ann. I, 59, extr. *si patriam, parentes, antiqua mallent, Arminium sequerentur.* Si vero de iis sermo est, qui vel tyrannidem alicuius patiuntur, vel in potestatem redacti serviunt, non dubium est, quin *parentes* sint iidem qui *subiecti;* cf. Vell. II, 108, 2. *Maroboduus ex voluntate parentium inter suos occupavit principatum.* Sall. Iug. CII, 7. *parentes abunde habemus, amicorum nunquam satis fuit.* III, 2. *vi quidem regere patriam aut parentes (i. e. cives Romanos aut gentes subactas) importunum est.* Nostro igitur loco *parentes* Müllerus recte explicat „seniores, a quibus geniti essent, et qui propter sexum aut aetatem armis ferendis impares essent." — *Auxilia portabant,* pro vulgari *ferebant.* Monuit Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 2, 1. *(Di boni, boni quid porto)* hoc sensu fere de aliqua re magna sive bona sive mala dici. id. Hecyr. III, 5, 63. *porto hoc iurgium ad uxorem.* Liv. XLV, 1, 9. *laetum nuncium portabant.* Ruhnkenium sequitur Ludov. Doederlinus Synon. Lat. T. I. p. 150. *portare*, ut frequentativum verbi *ferre*, docens de rebus gravioris ponderis dici, quod etiam de iis locis valere videtur, quibus commode pro *traiicere* vel *transmittere* sumi potest, velut Iug. XXVII, 5. *exercitus qui in Africam portaretur.* XXXVI, 1. *commeatum, stipendium, alia maturat in Africam portare.* et XXXIX, 4. *ne copias secum portaret.* Tacit. Ann. II, 17, extr. — §. 6. *Delecti* non plane idem est atque *lecti,* vel *electi*, ut Cortio visum; *eligere* enim in universum est ex aliquo numero eximere, *deligere* vero tum dicitur, si in electione simul vel utilitatis, quam aliqua res habet, vel facultatis rei gerendae ratio habetur. Discrimen primus docuit Bremius ad Nep. Pelop. II, 2. *quum tempus est visum rei gerendae, diem delegerunt.* Aristid. II, 3. *intemperantia Pausaniae et iustitia factum est Atheniensium, ut omnes fere civitates Graeciae Athenienses adversus Barbaros duces deligerent sibi.* Cf. Liv. XXXVI, 28, 8. Caes. B. G. VII, 76, extr. VII, 15, extr. Herzog. ad I, 3. VII, 31. *huic rei idoneos homines deligebat.* — *Validum erat* omnes tenent codd. Sed Cortius *erat* eiecit, quia in Struv. locum mutat. — *Aetate — similitudine* i. e. *propter* aetatem vel simil. V. ad c. XXXI, 3.

tate vel curae similitudine patres appellabantur.
7 Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convortit, immutato mo-

§. 7. *conservandae libertatis*] Genitivi rationem in hac constructione non satis perspexit Cortius, qui et hoc loco, et ad Iug. LXXXVIII, 4. diversa exempla permiscuit. Nimirum genit. substantivi ac participii fut. passivi, a verbo *esse* pendens, significat aliquid ita comparatum esse, ut ad eam rem, quae genitivo enunciatur perficiendam spectet ac pertineat. Quod non reputans Cortius, talia exempla adduxit, in quibus aliud verbum, quam *esse*, habetur, quaeque vulgo ellipsi *caussa* vocis explicari solent, licet haec constructio, a Graecis prius et frequentius admissa, sine ellipsi ex ipsa genitivi natura et indole repeti debeat, quippe cuius primaria vis haec sit, ut significet, cui altera res attributa adhaeret. *Consilio* autem alicuius rei faciendae attributum est id, cuius ope res perficitur. Huius generis sunt Sall. Fragm. Historr. I, 15, 8. *ille omnia retinendae dominationis honesta a e s t u m e t.* ib. Fr. 19, 3. *exercitum opprimundae libertatis h a b e t.* et paullo post §. 6. *quum privata arma opprimundae libertatis c e p i s s e t.* ib. §. 10. *arma c e p i t — legum ac libertatis subvortundae.* Cic. de Invent. II, 47, 138. *omnia supplicia culpae ac malitiae vindicandae c o n s t i t u t a e s s e.* Plaut. Rud. V, 3, 18. *iusiurandum rei servandae non perdendae c o n d i t u m e s t.* Ter. Adelph. II, 4, 6. *ne id assentandi magis quam quod habeam gratum, f a c e r e existumes.* Liv. VIII, 6. *placuit averruncandae deum irae victimas c a e d i.* Caesar. B. G. IV, 17. *si naves deiiciendi operis essent a barbaris m i s s a e.* id. B. C. I, 82. *illi impediendae rei legiones a d d u c u n t.* Tacit. Historr. IV, 25. med. *tum unum e seditiosis v i n c i r i iubet, magis usurpandi iuris, quam quia unius culpa foret.* Annall. II, 37, extr. *nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae r e f e r o.* ubi *refero* non est *pertinere iudico*, sed *narro*. I, 3, extr. *bellum adversus Germanos s u p e r e r a t, abolendae infamiae.* II, 59. init. *Germanicus Aegyptum p r o f i c i s c i t u r, cognoscendae antiquitatis.* III, 27. *pulso Tarquinio multa populus p a r a v i t tuendae libertatis et firmandae concordiae*, quem locum Zumptius p. 466. male explicat: *multa quae tuendae libertatis essent.* Geminus locus est Ann. XV, 4, 1. *Ea dum a Corbulone t u e n d a e Syriae parantur*, in quo, ne ad illius rationem solvatur, verborum ordo obstat. Hanc caussalem genitivi

re annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

potestatem plures iam tetigerunt, velut Sanct. Minerv. IV, 4. p. 49. Ed. Bauer. Ruhnken. ad Ter. Adelph. II, 4, 6. Davis. ad Auct. Bel. Alex. c. LXV, 1. Oudendorp. ad Caes. B. G. IV, 1, 4. et Ger. I. Vossius de Construct. c. VII. p. 344. Verbi *esse* c. genitivo participii fut. pass. constructionem recte intellexit Herzogius ad h. l. et Ramshornius Gramm. Lat. §. 108. I, 3, 3. p. 184. Exempla satis multa attulit etiam Zumptius Gramm. Lat. §. 82, 3. not. 2. p. 466, in eo tamen errans, quod dictionis vim, qua aliquid ad aliquam rem pertinere significatur, in genitivo quaerit, quae potius participio futuri pass. nititur; nam *futura* tantum actio cum genitivo qualitatis, quem vocant, sociata eam vim habere potest, ut eam rem, quae genitivo propria esse enunciatur, *eo valere* sive pertinere significet. Alter Zumptii error est, quod cum Cortio illa exempla, de quibus supra diximus, huc trahit, *caussae* significationem in iis plane alienam censens. Cum nostro autem, a quo exorsi sumus loco, haec conveniunt: Liv. III, 39, 8. *quod unum exaequandae sit libertatis.* XXXVIII, 50, 8. *nihil tam aequandae libertatis esse.* V, 3, 4. *concordiam ordinum dissolvendae maxime tribuniciae potestatis rentur esse.* XXVII, 9, 12. *ea prodendi imperii Romani, tradendae Hannibali victoriae esse.* Auct. B. Alex. LXV, 1. *quum multa fierent, quae dissolvendae disciplinae severitatisque essent.* Varro de R. R. I, 19. *ea sola, quae agri tuendi erunt, pauca habenda.* Zumptium sequitur Ern. Weberus Exercitatt. styli Lat. Tom. I. p. 377. et Frotscherus apud Herzogium ad Caes. B. G. IV, 17, extr., qui tamen locus ad alterum huius structurae genus pertinet.

§. 7. *in dominationemque convortit*] Plurimi libri Mss. addunt *se* vel ante vel post *convortit*, alii *sese* habent, pauci pronomen omittunt, unde patet ex interpolatione accessisse, quia librarii ignorabant reflexivam huius verbi vim, quam cave cum Cortio aliisque *passivam*, aut cum Herzogio *intransitivam* voces. Cf. Cort. ad h. l. et ad Iug. LXXXV, 9. in Excurs. p. 930. Multa huius generis accurate collegit Vechner. Hellenol. p. 59—79. Adde Perizon. ad Sanct. Min. III, 3. p. 369. Ed. Bauer. Voss. de Annal. III, 3. p. 8—16. Drakenborch. ad Liv. I, 17, 6. Passov. ad Tac. Germ. c. 31. p. 108. Gell. XVIII, 12. V. etiam quae dicemus ad Iug. XXXVIII, 10.

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere, magisque ingenium in promptu 2 habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est.

VII. §. 1. *coepere se quisque magis extollere*] Vocem *magis*, quam Cortius invitis fere omnibus codd. expulerat, cum Gerlachio restituimus. Nam *se magis extollere* non est *potentiorem fieri*, sed se erigere et liberius respirare. Haud male Langius germanice reddit: sie fingen an sich mehr zu fühlen. Poterat enim iam sub regibus libertatis ac dignitatis suae sensus paullatim excitari, quamquam regio imperio repressus. Expulsis igitur tyrannis *magis* se extollebant. — De plurali cum pronomine *quisque* coniuncto v. ad VI, 2. Addidit Cortius ex Livio haec: II, 19. *missi honoratissimus quisque ex patribus.* VII, 19. *delecti nobilissimus quisque, qui Romam mitterentur.* XXII, 51. *primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes.* Iug. I, 4. cf. Ruhnken. ad Ter. Heaut. I, 1, 71. Drakenb. ad Liv. II, 22, 7. Ruddimann. Instt. Gramm. T. II. p. 369. Hertel. ad Tac. Agric. c. 3. —

§. 3. *adepta libertate*] Passive positum *adeptus* ut saepe, Iug. CI, 9. *dum prope iam adeptam victoriam retinere cupit.* Tac. Ann. I, 7. *tunquam adepto principatu.* Cic. de Senect. 2, 4. *eandem (senect.) accusant adeptam.* Suet. Tiber. 38. *biennio continuo post adeptum imperium pedem porta non extulit.* Egerunt de hoc passivo deponentium usu ex veteribus Priscian. VIII, 4, 15. p. 367 sqq. Ed. Krehl. et Gell. XV, 13.; tum Ger. I. Voss. de Analog. III, 6., Sanct. Min. III, 2. p. 391 sqq. Ed. Bauer., Ruddimann. Institt. Gr. Vol. I. Lib. III, 3. p. 288. Ed. Stallb., Vechner. Hellenol. p. 104, 116., Zumptius, Gramm. Lat. §. 81, 1, 2. p. 451., cui tamen non assentimur statuenti, non plane passivam esse talium participiorum vim, eoque a probatis scriptoribus structuram ablatt. absolutorum evitari, neque emendate a Sallustio dici *adepta libertate*, et a Livio XXVII, 8, 17. *classe partita*, et XXVIII, 19, 9. *partito exercitu.* Cuius rei ut per se probabilis caussa non intelligi potest, ita contrarium demonstrant ii loci, quibus aliud quam praeteritum tempus legitur, velut Plaut. Trinum. II, 2, 88. *non aetate verum ingenio adipiscitur sapientia.* Q. Fab. Max. apud Prisc. VIII, 4, 16. (Vett. hist. Fragm. Ed. Frotscher. II, 3. p. 365.) *amitti quam apisci*, i. e. adipisci, v. Tacit. Ann. III, 27, a. med.

§. 4. *simulac belli patiens erat, etc.*] Vix ullo loco codd. ma-

Sed civitas incredibile memoratu est adepta liberta- 3
te quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae incesserat. Iam primum iuventus, simulac belli pa- 4
tiens erat, in castris per laboris usum militiam di-

gis fluctuant. Vulgo editur *simulac belli patiens erat in castris per laborem usu militiam discebat*, quod multi libri tenent. In ceteris cum *belli* vario modo coniunctum est *laboris*, *simulac* particula in nonnullis codd. etiam in duas voces divisa; Sen. 2. Heus. Guelf. 12. *simul laboris ac belli;* Struv. *laboris simul ac belli;* Vatic. 2. *laboris belli simulac pat. er.;* Nazar. in marg. *simul labores et belli;* Med. 11. *simulac laboris ac belli:* Venet. 1. *laboris belli simulac;* Venet. 2. *simul ac laboris belli;* Leid. H. *simul et laboris et belli;* Palat. 4. *pacis ac belli pat. er.*; Leid. C. *periculi simul ac belli;* Guelf. 3. Veget. de Re mil. I, 4. *simulac pacis et belli.* In extrema parte *per laborem* deest in Ven. 1.; ex relicuis pro vulgato *per laborem usu* Bas. 4. tenet: *disc. mil. usu per laborem*; Barb. 3. et Ven. 4. *per laborem et usu;* Vin. 2. et Veget. Edd. *per laboris usum;* Acad. Bas. 2. et Veget. codd. *per laborem usum.* Ex his Cortius nimia audacia novam scripturam effinxit: *iam primum iuventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris per usum militiam discebat*, quod nemini facile probabitur a libidine magis, quam a recta ratione profectum, praesertim quum ex Diomede p. 430. Ed. Putsch. pateat, a Sallustio *simulac*, non *simul* scriptum esse, quae praeiudicata opinio Cortium in errorem induxit. Neque tamen vulgata sana videtur, quum tanta discrepantia doceat, et initio et sub finem aliquid turbatum esse. Ad hoc *per laborem usu* valde durum videtur; quod Gerlachius enim in vocabulis ἀσυνδέτως positis singularem Sallustii artem esse censet, equidem non assequor, quamquam facile ei concedo auctorem his verbis suae aetatis mollitiem et pravos mores perstringere voluisse; sed quum *usu* multo minorem habeat gravitatem, quam praecedens vocabulum, asyndeton admitti non potest, si vera sunt quae de ea re diximus ad c. XLIII, 2. Multo minus ferri potest Langii sententia, verba explicantis *per laborem et usum*, sive *usu laborioso*, qui sensus ex vulgatae verbis nullo modo elici potest. Quam nos recepimus scripturam, et sententiae et grammaticae satisfacit, neque codicum auctoritate plane destituitur, ita ut ad eam commendandam nihil opus sit, nisi ut ostendatur, quomodo tanta codd. discrepantia inde oriri potuerit. Duplicem autem locus noster expertus est depravationem,

scebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus ho-

alteram interpolatorum, negligentium scribarum alteram. Vulgata enim ita potuit oriri, ut scriba quidam somniculosus, *per* praepositione seductus, exararet *per laborem usum*, ut est in Acad. et Bas. 2.; quod quum alii ferri non posse viderent, pingui coniectura scripserunt *p. laborem usu.* Alii, velut Bas. 2. et Tur. 1., constructioni et sensui ita voluerunt succurrere, ut emendarent *per laborem usum militiae discebat*, unde hoc certe patet, *usum*, non *usu* a Sallustio esse. *Laboris* autem vel *pacis* aut *periculi*, quod initio periodi additum legitur, haud dubie ab iis profectum est, qui *ac*, forte a *simul* seiunctum, pro copula haberent, et praeterea ad sententiam aliquid requirerent, quum eos offenderet iuventutem simpliciter belli patientem dici. *Usus*, i. e. exercitatio et assuetudo, pariter cum vocabulo *laboris* coniunctum est apud Lucan. I, 123. *Te iam series usus laborum erigit.* Postremo notandum, pro *discebat* in tribus codd. legi *discebant;* quod ne quis praeferat, quum statim sequatur *habebant*, tenendum est, propter id ipsum pluralem effictum esse ab iis, qui in utroque membro eundem numerum esse debere putarent.

lubidinem habebant] Pluralem, qui in plerisque omnibus codd. legitur, recte Cortius singulari *habebat* praetulit; *iuventus* enim quia collectivum est, constructio facile ex singulari numero ad pluralem transire potest, sensu magis quam grammatica forma spectata. V. ad Cat. VI, 2. et imprimis ad XXIII, 6. Sanct. Min. IV, 10. p. 365. T. II. Ed. Bauer. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. p. 47. id. ad Vell. Paterc. I, 15, 5. Drakenb. ad Liv. XXXV, 26, 9. Cortius ad Iug. XXVIII, 2. — *Lubido* h. l. bono sensu dictum, pro voluptate, sive delectatione, ut apud Plaut. Epid. I, 1, 87. *nequam homo es Epidice; qui tibi lubido est male loqui?* — *Labos* pro *labor* editores Sallustio iam vindicarunt, testimonio Servii ad Virg. Aen. I, 253. (257.), qui dicit: *Sallustius paene ubique l a b o s posuit, quem nulla necessitas (sc. metri, ut Virgilium) coegit.* — *Formidolosus*, i. e. timendus, qui timorem iniicit, ut paullo ante §. 2. Cic. p. Cluent. 3, 7. *locus horribilis et formidolosus.* p. Leg. Man. 21, 62. *bellum maximum formidolosissimumque.* cf. Gronov. ad Tacit. Ann. I, 76. Alias tamen significat *timidum*, qui timore tenetur; ut Ter. Eun. IV, 6, 19. Tac. Ann. I, 62. cf. ad Cat. X, 5. et v. A. Gell. IX, 12, init. —

tis formidolosus; virtus omnia domuerat. Sed glo- 6 iae maxumum certamen inter ipsos erat; sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici lum tale facinus faceret properabat; eas divitias,

'irtus omnia domuerat. Satis commode Müllerus haec explicat, *v. m. plana et facilia reddiderat*, Cortio praeeunte conferens Colum. I, 22. *terram aratro domare;* cf. Virg. Aen. IX, 608. *Domare* enim n universum dicitur de rebus asperis horridisque mitigandis et eniendis.

§. 6. *sic se quisque*] Haud dubie vera lectio, quam ex pluriis optimisque codd. Bas. 1. Teg. Tur. 1. Leid. L. Fabr. 1. et viinti quinque aliis expressimus. Magnopere tamen variant libri, liis exhibentibus *sic quisque;* aliis *sicque se quisque;* aliis *se quisue;* aliis denique *sic sese quisque.* Neque minus editores fluctuant.)ahlius enim pronomen plane eiecit, Cortius vero ex coniectura edit *sese quisque*, omissa particula *sic.* Lectionem a nobis recetam tuentur Langius quoque et Schlegelius, in Seebodii Bibl. Crit. 819. T. II. p. 717. usi tamen haud satis aptis rationibus. Ad veum proxime accessit Müllerus, qui *sic sese* scripsit, recte monens ic ad praecedentia spectare. Reliquos enim interpretes fugit hanc articulam, qua ad sententiarum nexum aegre caremus, ea hic ositam esse vi, qua aliquid *colligitur* ex praegressis, sive qua inicatur, ea quae sequantur convenire praegressis, iisque consenanea esse. Cf. Goerenz. ad Cic. Legg. I, 11, 31. ib. I, 18, 48. et ad 'inn. V, 14, 40. Bremi. ad Nep. Eumen. X, 1. Plin. Epp. II, 1, 8. ll. etiam Cic. Epp. ad Fam. XIII, 70, in. de Off. III, 15, 1. Eadem lane potestate apud Nostrum *ita* legitur, Catil. II, 6. et VIII, 4. Ton assentior igitur Herzogio, qui particulam *intensivam* dicit, ernacula interpretatus *in dem Grade*, quum potius sit *dem gemäss.* — *'roperabat* autem ex iis verbis est, quae subiectum repetere solent, e quibus dictum est ad Cat. I, 1. In ea tamen constructione rarisime plenior pronominis forma *sese* ponitur; unde patet Müllerum on satis probabiliter ita scripsisse. — Pro *eas div. eam b. fam.* ex codd. Leidd. tres Gerlachii ac plures Cortii tenent *ea divitias, a bon. famam*, quam structuram Cortius merito repudiavit, quum emonstrativum, si ad integram enunciationem spectat, neutrum enus respuat, ac potius per attractionem praedicati genus sequatur. Comparavit ille Plaut. Trinum. III, 2, 71. *is est honos homini pudio, meminisse officium suum.* Liv. II, 38, 5. *si haec profectio, et non*

eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam
7 ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis

fuga est. Cic. Somn. Scip. c. 8. *hic fons, hoc principium est movendi.* Cort. ad Cic. Epp. X, 10. Gronov. ad Senec. Cons. ad Marc. c. 19. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 69, 4. p. 301. Sall. Cat. XX, 4.

pecuniae liberales] Genitivus huic adiectivo additus, qui sine exemplo esse videtur, h. l. ab oppositionis ratione proficiscitur. Tamen *liberalis* analogiam servat relicuorum adiectivorum, quae, quia per se sunt indefinitae potestatis, genitivum rei ad quam pertinent assumunt. Plenissimum horum indicem exhibet Ruddimannus Instt. Gramm. T. II. Lib. I, 2. p. 73-78. cf. Vossius de Constr. c. X. p. 354 sq. Vechner. Hellenol. Lib. I. Part. II. c. 18. p. 267-292. —

§. 7. *Memorare possem;*] v. ad c. LI, 4. — In fine capitis Gerlachius eum Cortio pronomen *nos* post *longius* eiecit; sed quum tantummodo in Vin. 1. locum mutet, in Inc. 1. eius loco *me* legatur, et in Bas. 1. solo absit, hoc in tanto relicuorum consensu vocem non potest suspectam reddere. Quocirca, quum Sallustii oratio id non respuat, delere non ausi sumus.

VIII. §. 1. *ex lubidine quam ex vero*] Omisimus *magis* post vocem *lubidine* praeeunte Wassio, ex auctoritate cod. Pal. 4. Bern. 1. Barb. 3. Leid. D. I. L. M. N. Haud raro enim ista particula in comparativa sententia, sequente *quam*, omittitur, aegre ferentibus librariis, qui ubique fere eam intrudere solent. Quare ubi vel pauci libri eam non habent, horum auctoritate videtur omittenda, quia haud consentaneum est scribas ipsos omisisse hanc particulam, quos constat omnes ellipses paullo insolentiores explere fuisse solitos. Quare recte Cortius, codd. secutus, id eiecit Cat. XLVIII, 5. *tanta vis hominis leniunda, quam exagitanda videbatur;* c. IX, 5. *beneficiis quam metu imperium agitabant*, et c. LII, 3. *res monet cavere ab illis, quam quid in illis statuamus consultare.* Audacior vero idem fuit Cat. XX, 17. *nisi vos servire magis quam imperare parati estis;* ibi enim omnes codd. id tenent. Cf. Tacit. Annal. I, 58. *pacem quam bellum probabam.* III, 17, fin. *miseratio quam invidia augebatur.* IV, 61. *Fine anni excessit Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis.* Hunc usum iam illustrarunt Vechner. Hellenol. Lib. I. P. II, 5. p. 138-140. Voss. de Constr. c. LXI. p. 566. Peri-

natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego 2

zon. ad Sanct. Minerv. IV, 7. p. 288 sqq. Ed. Bauer. Drakenb. ad Liv. V, 21, 15. Bremius ad Nep. Datam. VIII, 1. Passovius ad Tacit. Germ. c. 6. et Walch. Emendd. Livv. p. 51.

ex vero] Hoc et quod sequitur *ex lubidine* Cortius ita explicat, ut dicat *ex* significare *secundum*; haud male, siquidem id quod *ex aliqua re est*, *aut fit*, non potest quin cum ea conveniat; *ex vero* igitur *celebrare* est, ita celebrare, ut laus a veritate proficiscatur, sive *vere*. Nam omnino tenendum est, neutra adiectivorum vel etiam substantiva praepositionibus iuncta, saepe pro adverbiis, vel, ubi locus fert, pro adiectivis poni. cf. Walch. Emendd. Livv. p. 163. Liv. XXXIII, 31. *nec criminatio tota e x v a n o erat*, i. e. vana. id. III, 8, 9. *quum exitus haud i n f a c i l i essent*, i. e. faciles, ubi v. Gronov. Hertel. ad Taciti Agric. c. 15, in. *ut graviora tanquam e x f a c i l i tolerantibus imperentur.* Sall. Iug. XXII, 4. *Populum Rom. non p r o b o n o (i. e. b e n e) facturum.* XXXVIII, 4. *d e i m p r o v i s o Auli castra circumvenit.* Eiusdem generis est *ex composito*, de quo fuse egit Drakenborch. ad Liv. I, 9, 10. Adde Heusing. ad Cic. de Off. I, 37, 13. — *Obscuratque.* Particulam *que* in sententia disiunctiva, ubi proprie *ve* locum habet, vindicavit Walchius in Emendd. Livv. p. 53—4. Liv. III, 55, 13. *quae (senatusconsulta) ante arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque.* id. XXIII, 1, 9. *aliquot eo praelio nobiles iuvenes capti caesique.* V. ad c. XIV, 4. et cf. Iahnium ad Hor. Sat. II, 3, 157. p. 255. eundemque ad Virgil. Georg. I, 441. Aen. II, 37.

§. 2. *sicuti ego existumo*] Ita scripsimus pro vulgato *aestumo*, secuti Goerenzii iudicium ad Cic. de Finn. III, 2, 6. docentis *aestumare esse rei pretium constituere; existumare* vero *ex rei pretio* (externo vel interno, vero vel opinato) *iudicare.* Eodem fere modo distinxit glossator Guelf. 12. ad Cat. II, 8., qui haec habet: *aestimare est considerare; existimare vero post nostram investigationem iudicare; non enim quiscunque aestimat statim et existimat.* Illa igitur *existumare* verbi significatio ut est ex ipsa vocabuli *ex* praep. iuncti natura ducta, ita dubium esse nequit, quin huic loco conveniat. Perperam igitur Müllerus, sine dubio Bremium secutus ad

existumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur.
3 Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxu-
4 mis celebrantur. Ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extol-

Sueton. Octav. c. 57. et Tellerum in Indice p. 290. statuit, *aestumare* esse *ex caussis certis iudicare, quod deliberato animo fiat in re ab utraque parte probabili;* quae explicatio potius in verbum *existumare* cadit, v. Herzog. ad Caes. B. G. II, 17 extr. Sallustius enim rerum ab Atheniensibus gestarum pretio apud animum suum constituto atque ponderato, inde iudicat eas non ita magnas esse, ut fama ferantur. Omnino igitur *existumo* scribendum videtur, ubi accusativus c. inf. verbum excipit, quia ita semper animi iudicium significatur; *aestumo* autem recte habet, si ad solum accusativum obiecti refertur, velut c. II, 8. LVIII, 18. Haud dissimiliter, sed non satis accurate, utrumque verbum distinxit Cortius ad Iug. XXXI, 19. et ad Cat. XLVIII, 7., quamquam sibi non constat, neque singulis locis regulam a se constitutam sequitur, plerumque *aestumare* probans, ut Cat. 1. l. et c. XIV, 7. LI, 15. Iug. CX, 5., quibus locis *existumare*, quod etiam plures codd. tenent, praeferendum videtur. Cf. Cat. LI, 43. Iug. III, 4. et praeterea Gronov. ad Liv. IV, 41, 2. et ad XXXIV, 2, 5. Ruhnken. ad Ter. Heaut. Prol. v. 25. et ad Muret. T. I. p. 43.

aliquanto minores] i. e. bona parte minores; nam *aliquantum* non est *paullum*, ut visum est Drakenborchio ad Liv. XLI, 16., sed *satis multum*, explicante Ernestio ad Suet. Caes. c. 86. cf. Heusing. ad Off. I, 1, 2. et ad I, 30, 12. Tamen non negligendum est, quod F. A. Wolfius prudenter monuit ad Suet. Caes. c. 10. *aliquantum* per se esse incertae potestatis, et relative tantummodo *satis multum* significare, id quod Zumptius quoque Gram. Lat. §. 74, 15, 1. p. 370. sensisse videtur. Praeter necessitatem A. Schlegel. in Seebodii Bibl. Crit. a. 1819. T. II. p. 718. probat *aliquantum*, quod in solo Bas. 2. legitur et rarissime in usu est. Ne quis tamen dubitet omnino ita dici posse, neve cum Zumptio l. l. *aliquantum*, qui accusativus est, adverbii vim habere putet, conferat censorem in A. L. Z. a. 1826. No. 259. p. 414. Car. Beierum ad Cic. de Off. III. 9, 38. et Herzog. ad Caes. B. G. V, 10.

lere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissumus quisque negotiosus maxume erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

§. 4. *qui ea fecere*] Pronomen *ea* Cortius delevit ex uno cod. Eccard. cui postea Leid. C. H. Erl. Teg. et Tur. 1. accessere. Nos restituendum putavimus, quia sententia non generalis est, (in qua *facere* plerumque absolute ponitur, inprimis si verbo *dicere* vel simili opponitur, cf. ad III, 1.) sed ad Athenienses pertinet, quorum facta intelliguntur; in quo nexu pronomen vix abesse potest. Revera autem Athenienses intelligi, non solum ex oppositione patet, *at populo Rom.*, sed inde etiam, quod dixit *potuere;* in generali enim sententia vix poterat quin *possunt* scriberet. Similem locum Cortius pariter depravavit, Iug. XXXI, 10. *neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet*, ubi *ea* invitis codd. eiecit. cf. ibid. §. 26. — Statim post Cortium secuti sumus, ex codd. Fabr. 1. et Guelf. 6, 10. exhibentem *verbis eam potuere*, pro vulgato *verbis ea potuere*, quod etiam Gerlachius retinuit. Efficacius enim dictum videtur, virtutem tantam haberi, quantum *ipsa* potuerit verbis extolli, quam si ex laude *factorum* pendeat. Tamen negari nequit, pronomen omnino incertum videri propter magnam codd. discrepantiam. Nam praeter eos, unde vulgatum *verbis ea pot.* fluxit, in septem Leidd. Vin. 1. Erl. Teg. Bas. 1. 2. 3. Tur. 1. 2. Bern. 1. 3. est *ea verb. pot.;* in Paris. E. *ea facta verbis;* in Bas. 4. *ext. eam facta verbis;* in Mediol. 1. vero et Flor. 1. prorsus deest pronomen, unde probabilis fit Gerlachii sententia, scribis, non Sallustio id deberi. Sed ut auctor omiserit, certe non *ea*, sed *eam* mente supplendum est.

§. 5. *ea copia*] i. e. copia tam praestantium scriptorum. *Copia* autem non est *abundantia*, recte observante Cortio, sed *habendi larga facultas et occasio;* hoc enim vult Sallustius, Romanorum rempublicam non ita comparatam et institutam fuisse, ut magna scriptorum ingenia inde provenire potuerint. De vi substantivi cf. Cat. XVII, 6. *quibus molliter vivere copia erat.* Plaut. Capt. II, 1, 21. *quum, quod volumus nos, copia est.* id. Mil. IV, 6, 11. *copia vix fuit cum adeundi.* Ter. Heaut. II, 3, 41. *ea res dedit tum existimandi copiam.* cf. Corte ad Iug. XCVIII, 3. — *Negotiosus*, i. e. *rebus stre-*

IX. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.

nue gerendis intentus, ut e sententiarum nexu intelligitur. Paullo aliter Gerlachius interpretatur *in republica administranda occupatus;* quod quamquam re h. l. fere idem est, tamen a propria verbi potestate nimis recedit. — *Bene facta* perperam Cortius et Gerlachius cum plerisque coniunctim scripserunt; quod quominus fiat, prohibet analogia similium dictionum, v. c. *recte facta*, de quo dixit Aug. Matthias, ad Cic. Or. in Catil. III, 12, 27. laudans Auct. ad Herenn. I, 14, 24. Liv. XXVIII, 25, 6. Sall. Iug. XCII, 2. *omnia non bene consulta.* Cat. LI, 43. *bene parta vix retinemus.* v. ad c. III, 1. Fragm. Histt. I, 19, 6. coll. Ernestio ad Tacit. Ann. III, 40, init. Unde liquet, in his locutionibus utrumque vocabulum propria et adverbii et participii potestate poni, neque in unum coire.

IX. §. 1. *ius bonumque*] Haec Cortius recte videtur ita interpretari, ut *ius* sit id, quod verum, rectum et aequum est, *bonum*, quod reipublicae utile. Langius utrumque vertit *Recht und Billigkeit*, quod tamen coniunctum tantummodo ad *ius*, non item ad *bonum* pertinet. *Bonum* autem Herzogius putat esse quod rectum et honestum et cum virtute sit, coll. Cicerone Parad. I, 1. et de Finn. III, 8, 29 Sed haec Stoicorum de bono sententia male huc trahitur, neque sententiarum nexui convenit, praesertim quum in isto sensu *leges* non nisi ad ius spectare possint. — *Non legibus magis quam natura;* similes sententias Cortius laudavit Taciti Annall. III, 26, in. Germ. c. 19, extr. et Iustini II, 2, 6. Nostrum locum etiam Ruhnkenius comparavit ad Rutil. Lup. II, 2. p. 80. — Particularum *non magis quam* usum Zumptius Gramm. Lat. §. 67, 2. p. 278. eum esse dicit, ut utrumque membrum pari prorsus vi sibi aequetur. Rectius earum naturam perspexit Ramshornius in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826. I, 2. p. 364., quippe quibus eiusmodi membra coniungantur, quorum prius minoris est gravitatis quam posterius, quam rationem Germanice exprimas particulis *nicht sowohl, als vielmehr.* V. eundem in Gramm. Lat. §. 155. not. 3. p. 304 sq.

§. 2. *in amicis fideles erant*] Ita scripsimus ex Inc. 1. Guelf. 11. Paris. B. E. et Erl., quibus postea accessere Bon. Vat. 1. 3. 4. Flor. 22. Med. 5. 11. 19. Ven. 4. m. pr., pro vulgato *in amicos*, quod Gerlachius in textu quidem reliquit, sed in Commentt. p. 54. improbare videtur. Constructio eadem plane est, quae, metro fir-

lurgia, discordia, simultates cum hostibus exercebant; 2
cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant.

mata, apud Ovid. Trist. V, 2, 36. *Saepe suo victor lenis in hoste fuit.* Virg. Aen. II, 540. *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles talis in hoste fuit Priamo.* Quibus adde ex poetis petita: Ovid. Art. Am. I, 731. *Pallidus in Lyrice sylvis errabat Orion, pallidus in lenta Naide Daphnis erat.* id. Amorr. II, 8, 9. *Quid? quod in ancilla si quis delinquere posset, illum ego contendi mente carere bona?* id. Metamm. I, 442. *hunc deus arcitenens et nunquam talibus armis ante nisi in damis capreisque fugacibus usus perdidit.* VII, 22. *quid in hospite, regia virgo, ureris?* VIII, 50. *merito deus arsit in illa.* Ter. Andr. I, 4, 6. *di date illi in aliis potius peccandi locum.* Sed nec pedestris orationis scriptores hac structura abstinuerunt, quae apud Nostrum ipsum aliquotis legitur, velut Cat. XI, 4. *foeda crudeliaque in civibus facinora fecere.* LI, 6. *quid in illis iure fieri posset.* ibid. §. 26. *quid in aliis statuatis considerate.* LII, 3. *res autem monet cavere ab illis, quam quid in illis statuamus consultare.* ibid. §. 12. *sint misericordes in furibus aerari.* Cic. de Off. I, 14, 3. *qui aliis nocent ut in aliis liberales sint.* (ita cod. Pithoei, et Guelf. 4.) ib. II, 18, 3. *in iis tamen qui se adiuvari volent, restricti omnino esse nullo modo debemus*, ubi v. Heusing. cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. II, 32, 2. *se id quod in Nerviis fecisset facturum.* v. idem ad I, 6, 3. et Bremius ad Nep. Dion. VI, 2. *in filio saevitiam suam exercuit.* et ad Phoc. IV, 3. *in hoc tantum fuit odium multitudinis.* Gronov. ad Iustin. I, 7, 10. et Drakenb. ad Liv. XXVIII, 43, 8., qui decem Livii locos congessit. Nuper eandem constructionem tetigit Goerenz. in Iahnii Annall. Philolog. et Paedag. I, 2. p. 305. laudans Cic. Lael. 12, 41. Philipp. 14, 3, 9. Haec exempla cumulare eo magis necessarium videbatur, quoniam interpretes de hac constructione magnopere ambigunt, nihilque quod probari possit protulerunt. Heusingerus enim hunc usum exemplis firmasse satis habens, eius caussam exponere omisit. Ruhnkenius ad Ter. Eun. III, 5, 19. poetis tantum hunc dicendi modum ait licere, si de *amore* loquantur; Bremius contra ad Nep. Phoc. IV, 3. statuit verba *irae*, *crudelitatis* ac similia et cum ablativo et cum accus. construi posse. Cortius denique *in amicis* explicans *erga amicos* nihil discrimen videtur inter utrumque casum agnoscere. Sed tenendum est, nullum casum propriam vim deponere, neque duos casus permutari posse, quin cogitandi ratio mutetur. Haec

3 Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate seque remque publicam curabant.
4 Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos,

ratio autem quum a verbo pendeat, sequitur, ut duplex illa accusativi et ablativi constructio tum tantum liceat, ubi verbum duplici modo possit cogitari. Hoc autem fit, ubi *verbum* ita comparatum est, ut et per *in* praepositionem acussativo iunctam cum obiecto aliquo arcte coalescat, quae vulgaris est ratio, et *absolute* cogitari possit, ita ut vim suam non in obiectum exserat, sed per se generali sensu positum addito ablativo cum *in* praepositione accuratius definiatur, quippe quo res illa significetur, in qua absoluta eius actio versatur, vel quae actioni caussam aut originem praebuit. Talem verbi cum ablativo coniuncti rationem si explicaveris formula *quod attinet ad*, (germ. in Betreff, in Bezug auf, was anlangt) vim constructionis plane fueris assecutus, nullumque locum non expedies. Sic nostro loco *fideles erant in amicis* neutiquam ita cogitatur, ut idem sit atque *in amicos*, sed primo absolute intelligitur *fideles erant*, cui notioni accuratius definiendae adiicitur *in amicis*, h. e. quod attinet ad amicos, sive respectu amicorum. Apparet igitur, sive accusativus ponatur, sive ablativus, rem ipsam quidem non mutari, sed alia tantum cogitatione mente concipi. Simul perspicitur, quamquam utrumque probum sit, *saevire in aliquem*, et *saevire in aliquo*, tamen propterea, ut hoc utar, non dici posse *proficisci in Graeciam* et *in Graecia*, quia posterius verbum non cogitari potest, nisi ita, ut intentionem in alq. rem significet, quod secus est in priore.

§. 4. *in bello*] Haec verba Cortius vanis suspicionibus ductus eiecit, ne uno quidem codice suffragante et plane contra sententiam, quia infra opponitur *in pace vero.* — Statim post Cortio obsecuti sumus, *bello* scribentes, pro *proelio*, quod plerique edd. tenent. *Proelio* enim glossam esse clare perspicitur ex Tur. 2. qui habet *bello proelio exc.* Receptam scripturam tredecim ap. Gerl. codices exhibent, unus *ex bello;* relicui pro captu scribarum vel *proelio*, vel *a*, *e*, *ex proelio.* *Bellum* etiam *proelium* significare Cortius ostendit laudato Servio ad Virg. Aen. VIII, 541. et Stewech. ad Veget. II. 13. Adde Drakenb. ad Liv. III, 61, 2. Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 1, 4. Gesner. Thes. L. L. p. 598. Tac. Ann. I, 45, extr. Vox *bellum* ter posita aliquam, fateor, offensionem habet; sed talem eiusdem vocabuli repetitionem interdum sibi indulsisse ve-

qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, bello excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco, cedere ausi erant; in pace vero quod beneficiis quam metu imperium

teres, observarunt Heusing. ad Off. I, 20. 10. Cortius ad Sall. Cat. XXIII, 3. et qui plus centum exempla attulit Drakenb. ad Liv. I, 3, 9. In plerisque locis eo etiam aliquid excusationis paratur, quod vocabulum repetitum aut alia forma recurrit, aut alia significatione, uti nostro loco; cf. Car. Beier. ad Off. I, 39, 141. et qui omnium accuratissime et prudentissime de ea re disputavit, Iahnius ad Virg. Aen. I, 315. et X, 465. praeeunte Weicherto, de verss. aliquot Virgilii et Val. Flacci iniuria suspectis. p. 97 sqq. Vide etiam Bremium ad Nep. Them. 3, 3.

aut pulsi loco, cedere ausi erant;] Interpunctionem mutavimus, commate, quod vulgo post *pulsi* ponitur, post *loco* vocabulum transposito. Auctor enim non loquitur de iis, qui victi ex pugna discesserant, quod haud semel factum erat, (neque est enim in potestate ducis aut militum semper invictos esse,) sed de ignavia eorum, qui pedem retrahere ausi erant, quum potius resistendum erat. Quodsi interdum, necessitate cogente, pelli turpe non est, sequitur, ut etiam *loco cedere* non ignominiosum et animadversione dignum esse possit; nam qui pellitur, non potest locum obtinere. Ut autem *pelli* et *loco cedere* nequit disiungi, ita *loco pelli* et *cedere* neutiquam idem est; cf. Liv. VII, 8, 3. *primum gradu moverunt hostem, deinde pepulerunt, postremo iam haud dubie avertunt.* Iug. LXXIV, 3. *ceteri eius omnes milites primo concursu pulsi fugatique.* Fortis igitur militis est loco pulsum non cedere, sed studere, ut locum recipiat, quod tantummodo ignavus non faciet, ita ut in talem iure animadverti possit; qui autem gradu vel loco pulsi non cessissent, merito ignaviae crimine vacabant. Ita satis firmata videtur mutatio nostra; *loco* autem aeque cum *pelli*, ac cum *cedere* coniungi docent exempla Velleii II, 5, 2. Liv. XXXVI, 18, 6. Senec. Nat. Quaest. II, 27. Praeterea notandum, *locum* esse i. q. *suum locum*, de qua vi dicit Goerenzius ad Cic. de Finn. IV, 1, 2, extr. Off. III, 9, 2. *quum in locum annulum inverterat.* Sall. Iug. XXXVIII, 3. *locum uti desererent.* LII, 4. *amisso loco Numidae fusi fugatique.* Ruhnken. ad Ter. IV, 1, 57. Plura dabit Walchius Emendd. Livv. p. 22 sq.

§. 5. *beneficiis quam metu*] Multi codd. habent *benef. magis q. m.*, sed *magis* non legitur in Leidd. K. L. Colon. Palm. Martin. Pemb.

agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

X. Sed ubi labore atque iustitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et

Rem. 2. Fabr. 2. Sen. 1. Guelf. 4. 5. De qua structura v. ad c. VIII, 1. et Gerlach. ad h. l. — *Ignoscere quam persequi.* Erravit Gerlachius haec absolute dicta censens, quippe quae ratio simplicior sit et magis ex more priscorum auctorum. *Ignoscere* absolute poni posse quivis concedet, cf. Fragm. Histt. I, 19, 6. *ignoscendo populi Rom. magnitudinem auxisse;* sed *persequi* non addita vel intellecta voce *iniurias* aut simili nunquam potest esse *ulcisci.* Quocirca ex verbis *accepta iniuria* ad sequentia *eam* animo repetendum, quod iam Cortius et Müllerus viderunt faciendum. Ille dictionis illustrandae comparavit Iug. XIV, 23. *tuasne iniurias persequar?* Cic. p. Mur. 21, 44. *acceptam iniuriam persequi non placet?* Senec. Controv. III, 20. *ego taceam de adulterio, quod persequitur etiam populus?* Cic. Phil. XIII, 18, 39. Acadd. II, I, 1. Donat. ad Ter. Adelph. II, I, 9.

X. §. 1. *labore atque iustitia*] I. e. industriā et alacritate in periculis subeundis, quod virtutis studium militiae domique cum iustitia coniunctum fuerat. Respicit auctor ad c. VI, 5. et IX, 3. — *Reges — nationes — populi* — eodem modo apud Ciceronem coniuncti leguntur, Off. II, 8, 2. *regum, populorum, nationum portus erat Senatus,* et apud Nostrum Fragm. Histt. IV, 12. 5. *namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una caussa bellandi est;* neque raro *populus* et *gens* (Liv. VI, 12. Virg. Aen. X, 202. Pompon. Mela I, 21.), *gens* et *natio* (Cic. Off. I, 17, 1. de N. D. III, 39.), *natio* et *populus* coniunguntur, ut interdum difficile sit, accuratum aliquod discrimen observare. Hoc tamen certum est, *populi* nomine semper eos comprehendi, qui iisdem legibus, institutis, moribus et civitatis forma utantur; inde apparet, *nationem* et *gentem* latius patere quam populum, cf. Gronov. ad Liv. V, 34., eosque his vocabulis significari, qui eiusdem sint originis eademque lingua utantur. Quod ipsum tamen quum non satis certis finibus circumscriptum sit, factum est, ut *gens*, quam vocem ex Taciti verbis, Germ. 2, 6. *ita nationis nomen, non gentis evaluisse*, maioris ambitus esse colligitur, interdum cum *natione* confunderetur, et contra; v. Herzog. ad Caes. B. G. VI, 10. Quare probabile videtur, scriptores ubi vocabula tam incertae potestatis coniungerent, non anxie

populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res fa- 2

nter eorum significationes distinxisse, sed potius abundantiae caussa ut synonyma ea cumulasse.

maria terraeque patebant] Verbum *patere* Müllerus bene explicavit, dicens de iis rebus usurpari, ad quas aditus quidam sit, velut ad maria, fines terrae, rem familiarem alterius, oppida, si in potestate nostra sint; *clausa* contra ea dici, quae extra nostram potestatem sint. Cf. Cat. LVIII, 9. *coloniae atque municipia patebant.* Cic. Epp. VI, 10. *ut intelligant omnia Ciceronis patere Trebiano.* In Verr. V, 65, 168. *omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus R. ista defensione praecluseris.* Liv. IV, 25, 11. *qui caverint, ne cui patricio plebeii magistratus paterent.* Haud dissimilem, hoc certe loco, sensum praeberet *parebant*, quod Ciacconius coniecerat et Cortius in Guelf. 9. scriptum reperit; tamen a vulgata non est recedendum, quia *magnitudo* imperii, quam auctor hic describit, optime hoc verbo significatur. Neque huc facit locus Cat. XXXVI, 4. *quum (populo Romano) omnia domita armis parerent.* Ibi enim *parere* recte se habet propter verbum *domita* et Cortius perperam *patere* praetulit ob nostrum locum. Haud inconsulto autem Sallustius tempora mutavit, praegressis perfectis *crevit*, *domiti (sc. sunt)*, *interiit*, subiungens imperfectum *patebant;* illa enim simpliciter ut *praeterita* et *facta* refert, hoc quia durabat imperfecto extulit. Cf. Cat. XII, 1. *postquam divitiae honori esse c o e p e r e, et eas gloria, imperium, potentia s e q u e b a t u r.* LI, 32. *Sulla quum Damasippum iugulari i u s s i t, quis non factum eius l a u d a b a t?* ibid. §. 34. *post paullo ipsi t r a h e b a n t u r, neque prius finis iugulandi f u i t, quam* etc. Liv. I, 48. *Aequi se in oppida r e c e p e r u n t, murisque se t e n e b a n t.* Cic. Brut. 10, 39. *Etsi (Solon et Pisistratus) Servio Tullio regnante v i g u e r u n t, tamen multo diutius Athenae iam e r a n t, quam est Roma ad hodiernum diem.* Liv. III, 48, 3. *quum haec intonuisset plenus irae, multitudo ipsa se sua sponte d i m o v i t, desertaque praeda iniuriae puella s t a b a t.* Cf. Godofr. Stallbaumius ad Ruddimann. Institt. T. II. p. 343. et Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 44, 127.

cile toleraverant, his otium, divitiae, optandae alias,
3 oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium
4 malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas subvortit; pro his super-

§. 2. *his otium, divitiae, optandae alias*] *His* scripsimus pro *iis* codd. plurimis ita iubentibus, et quia relativum praecedit, cf. ad Cat. II, 4. Pro *optandae* Perizon. ad Sanct. Min. IV, 10. p. 371. Ed. Bau. ex Ms. Hogersii praefert *optanda*, quod sane usitatum est, notantibus praeter Perizon. ad l. l. Cortio ad Cat. V, 7. et Heusing. ad Off. I, 25, 5. sed vulgata non minus proba, quum saepe adiectivum vel verbum, quod ad plura substantiva praecedentia pertinet, novissimo tantum accommodetur; velut Cat. XI, 8. *corpus animumque virilem.* Iug. CXI, 2. *amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, ultro venturam.* VIII. 2. *ultro illi gloriam et regnum venturum.* Cat XII, 1. *gloria, imperium, potentia sequebatur.* XXV, 3, 5. Cic. de Or. II, 44. Nep. Con. IV, 4. Goerenz. ad Acadd. I, 4, 17. Participium ipsum non cum Müllero explico *quae exoptatae veniunt*, sed interpretor *optabiles*; rariore participii fut. passivi usu, quo, necessitatis notione aliquantum oblitterata, potius significatur rem aliq. fieri *posse*, quasi adiectivum in *ilis* positum sit. Egerunt de ea re Walchius Emendd. Livv. p. 51. Bremius ad Nep. Attic. 18, 5. *quod vix credendum sit.* Vell. I, 12, 2. *quia credenda afferebantur.* Goerenz. ad Finn. III, 15, 51. *quaeque autem aestimanda essent.* Sall. Iug. LXIV, 1. *virtus, gloria atque alia optanda bonis.* Vell. II, 46, 1. *quum immanes res, vix multis voluminibus explicandas, Caesar ageret.* Cf. praeterea Zumptium, qui enucleate de hac significatione disseruit in Gramm. Lat. §. 81, 9, 1. p. 460. His explicatis offendit adhuc pronomen *aliis.* Cur enim non his ipsis, qui pericula et dubias res facile toleraverant, otium et divitiae optandae sunt? Et si non sunt, quinam sunt hi *alii?* Num Romani, an quivis alii? Num meliores, an peiores Romanis? Difficultatem sensit etiam Müllerus, haec annotans: *intelligit multitudinem; differt enim quod bonis optandum est*, Iug. LXIV, 1. Sed nihil his proficimus; manet enim indefinita et vaga verbi notio, quo fit, ut non certa oppositio exsistat, quam auctorem voluisse liquet. Res autem plana fiet, si pro *aliis* nobiscum scripseris *alias*, quod in Guelf. 5. se reperisse testa-

piam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestumare, magisque voltum

ir Cortius, et facile poterat in *aliis* abire, librariis consueta structura deceptis. Sententia igitur est: otium . . iae, quae res *per* se non malae sunt, et tales, quae merito expetantu tempore Romanis perniciosae fiebant; *alias* igitur optandae, *tunc* non optandae, sed oneri miseriaeque erant.

§. 4. *subvortit*] Recte Gerlachius interpretatur corrumpit, vel pessumdat, coll. Fragm. Histt. I, 19, 8. Iug. XXX, 1. Iustin. II, 5. Tacit. Ann. IV, 71, extr. — *Edocuit* i. e. aoristi sensu *edocere solet*, quem usum illustravimus ad c. LI, 11. *neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur; multi eas gravius aequo habuere.* Locis ibi laudatis adde Iug. XVII, 6. *plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere.* — *Neglegere* est in Tur. 1. Bas. 2. tribus Pariss. et melioribus Cortii; vulgo *negligere.* . 5. *falsos fieri*] I. e. active, qui alios per simulationem fallerent. Usum dicendi illustravit Cortius. laudans Tacit. Annal. I, , 1. *quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes.* ib. III, , 1. *ne falsi intelligerentur.* Plaut. Bacch. III, 6, 11. *quos quum censeas esse amicos, reperiuntur falsi.* Cf. Serv. ad Virg. Georg. 463., qui nostrum locum laudat. Sed in aliis quoque duplex illa activi et passivi significatio reperitur, cuius generis sunt *ignotus*, Cic. Epp. ad Fam. V, 12. v. Bremius ad Nep. Agesil. VIII, 1. *ignarus*, Tac. Ann. III, 69, 1. XII, 45, 4. *nescius*, Tac. Ann. XVI, 4, 2. cf. Vechner. Hellenol. p. 420. Cort. ad Cat. XXXIX, 2. Wolten. Lex. Antib. p. 1219. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 11, 30. ; Ramshorn. Gr. L. §. 206. p. 693. v. ad Cat. VII, 5. et ad XV, 4. *aliud clausum in pectore*] Affert haec Iul. Rufinianus p. 196. ed. Ruhnken.: *ironia elocutiuncula Sallustiana commodissime exprimitur, quum aliud in pectore reclusum, aliud in lingua promptum habeamus. Reclusus* interdum quidem dicitur pro *occlusus*, c. Iustin. I, 9, 16. *quia singulae separatim recludantur.* Cf. Duker. ad Flor. IV, 12, 64. Nihil tamen huic varietati tribuendum, quum appareat, illum memoriter haec citasse, quod etiam mutatus verborum ordo indicat.

6 quam ingenium bonum habere. Haec primo paullatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

§. 6. *post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit*] Locum graviter corrupit Cortius, commate, quod post *contagio* erat, post *quasi* posito, ut coniungatur *pestilentia invasit.* *Pestilentia* enim vel *pestis* nunquam ita nude positum malos mores significare potest, minimeque hoc, ut Cortius autumat, probant loci Cat. XXXVI, 5. Senec. Consol. ad Helv. c. 13. et c. 17. quippe in quibus hoc vocabulum, pariter ut nostro loco, quamquam paullo alio modo, comparationi inserviat. Praeterea nexus ipse docet *contagio* nominativum et primarium vocabulum esse, cui illustrando *quasi pestilentia* additum sit. Auctor enim priora tempora, quibus vitia, paullatim crescentia et interdum repressa, rara essent, iis opponit, quibus, contagione pestilentiae instar totam civitatem invadente, omnes corrupti tenebantur. Haud dissimili sententia etiam usus est in Fragm. Histt. I, 19, 9. Gerl. ubi haud dubie vera Carrionis emendatio *quasi tabem.* cf. Iug. XXXII, 4. Fragm. Histt. IV, 9. — Ad *invasit* Langius supplendum opinatur *civitatem*; rectius verbum absolute positum censebis. Cf. Cat. II, 5. *ubi lubido atque superbia invasere.* Iug. XLI, 9. *cum potentia avaritia invadere.* Ter. Hecyr. II, 2, 21. *an dolor repente invasit?* Liv. V, 13. *dulcedo invasit - plebeios creandi.* Eodem modo *incessere* usurpatur. Cat. XIII, 3. *lubido stupri, ganeae incesserat.* VII, 3. *tanta cupido gloriae incesserat.* Iug. XIII, 7. *tanta commutatio incessit.* XLI, 3. Tac. Ann. I, 5. I, 55. III, 26, init.

XI. §. 1. *avaritia animos hominum exercebat*] Res exercent homines, quum eos ita occupatos habent, ut in iis toti sint et quasi defixi teneantur, eoque aut exagitentur, aut fatigentur. Virg. Aen. I, 435. *qualis apes exercet sub sole labor.* id. Georg. II, 415. *incultique exercet cura salicti.* Hor. Epp. I, 11, 28. *strenua nos exercet inertia.* Lusum quaesivit in verbi structura Livius XXXIX, 40, 9. *simultates nimio plures et exercuerunt Catonem, et ipse exercuit eas.* Non multum diversus est locus Fragm. Historr. I, n. 8. *servili imperio patres plebem exercere.* Cf. etiam quae Ruhnkenius monuit ad Ter. Heaut. I, 1, 21. — *propius virtutem*] Plurimi codd. tenent *pr. virtuti*, sed accusativum tuentur probatissimi libri Leid. L. Nazar. Bas. 1. Bern. 1. Fabr. 1. cum novem aliis et Priscian.

XI. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, im- 2 perium bonus ignavus aeque sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt, dolis

XVIII, 23, 180. T. II. p. 179. Ed. Kr. Praeterea quartus casus etiam usu Sallustii commendatur, cf. Iug. XVIII, 9. *propius mare Africum.* ib. §. 11. *proxume Carthaginem.* XIX, 5. *proxume Hispaniam.* XLIX, 1. *propior montem,* ib. §. 6. *proxumum hostis.* v. etiam Gronov. ad Liv. II, 48, 5. Drakenb. ad I, 21, 1. et Herzog. ad Caes. B. G. VII, 18.

§. 2. *bonus ignavus*] Plerique codd. *bonus et ignavus*, sed copula abest in Struv. decem Leidd. Vatic. 5. et compluribus Rivii ac Wassii libris, quos Gerlachius perperam non secutus est. Nam in rebus contrariis, quae aequaliter et promiscue locum habere dicuntur, consociandis, sine copula, quae alias geminanda foret, alterum alteri respondet, sic ut par quoddam inde exsistat; quae sunt Car. Beieri verba ad Cic. de Off. I, 17, 56., plurima huius usus exempla congerentis. Quaedam etiam Cortius ad h. l. adscripserat, velut Iug. LI, 1. *arma tela, equi viri, hostes cives permixti.* XCVII, 5. *equites pedites permixti.* Plaut. Asin. I, 3, 94. *dignos indignos adire atque experiri certum est mihi.* coll. Donato ad Ter. Eun. V, 8, 28. His adde Tacit. Annall. II, 13, init. *Germanici comitatem per seria per iocos eundem animum laudibus ferebant.* III, 1. extr. *neque discerneres proximos, alienos.* ibid. XVI, 10. *princeps immobilem se precibus invidiae iuxta ostendit,* de quo loco v. G. Ludov. Walch. Emendd. Livv. p. 32.

huic quia bonae artes desunt, — contendit] Pauci libri pro huic exhibent *hic;* male. Nam si enunciatio primaria et secundaria ita coniunctae sunt, ut duo verba habeant diversae constructionis, in sententia secundaria autem pronomen demonstrativum sit, quod ad subiectum primariae sententiae spectet, attractione admissa, fit interdum, ut substantivum primariae sententiae non eo casu ponatur, quem suum verbum requirat, sed ut constructionem alterius verbi in secundaria enunciatione sequatur, omisso pronomine demonstrativo, quod cum hoc verbo coniungi debebat. Igitur nostro loco proprie dicendum erat *hic, quia ei bonae artes desunt, dolis contendit.* Cf. Bremius ad Nep. Thrasybul IV, 1. *huic corona data est; quam quod amor civium, non vis expresserat, nul-*

3 atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque

lam habuit invidiam; pro: *quae, quod eam* etc. cf. Wopkens. Lectt. Tull. p. 217. laudatus a Walchio in Emendd. Livv. p. 80., qui plura ibi attulit, v. c. Liv. V, 1. fin. *Romanis etsi quietae res nunciabantur, tamen muniebant.* XXI, 18, 3. *Romani postquam Carthaginem venerunt, quum senatus datus esset.* Paullo liberior structurae ratio videtur in his, Liv. XXX, 30, 9. *agimus ii, qui quodcunque egerimus ratum civitates nostrae habiturae sint.* Cic. Off. I, 3, 5. *medium officium id esse, quod cur factum sit probabilis ratio reddi possit.* p. Sext. 24, 53, extr. *lex erat lata, et ea lex, quae ut ne ferretur Senatus fuerat veste mutata.* Nep. Attic. IV, 2. *noli adversus eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem Italiam reliqui*, ubi v. Bremius.

§. 3. *pecuniae studium habet*] i. e. coniuncta est cum pecuniae studio. Cf. de hac *habere* verbi potestate Car. Beierum ad Cic. Off. II, 22, 70, extr. *quam habet aequitatem, ut agrum multis seculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat?* Or. in Catil. IV, 4, 7. *habere videtur ista res iniquitatem.* Off. II, 6, 19, extr. *fortuna ceteros casus rariores habet.* ib. III, 2, 9. *alterum potest habere dubitationem.* de Legg. II, 26, 65. *habet enim luctum concursus hominum*, ubi Goerenzius parum accurate *habet* interpretatur *efficit, excitat, parit*, scilicet *ratione ex Graecis imitata ἔχει ταῦτα λύπην!* His addi possunt loci a Cortio laudati, Cic. Epp. ad Fam. X, 28, 1. *ut vestrum beneficium nonnullam habeat querelam.* X, 18, 2. *consilium quod habere posset obtrectationem.* cf. ad LI, 20. — De ratione perfecti *concupivit* v. ad c. LI, 11. — *Corpus animumque virilem;* v. ad c. X, 2.

neque copia neque inopia minuitur] Non placet editorum sententia, qui trita significatione haec verba accipiunt; nam *inopia* avaritiam non minui sed potius accendi quis non videt? Idem sensit Tellerus, qui p. 241. aliam interpretandi viam iniit, *copiam* explicans opportunitatem et occasionem divitias comparandi, *inopiam* vero talis opportunitatis defectum. Sed haec explicatio non minus incommoda est, primum, quia *copia* absolute non ea, qua voluit Tellerus, significatione ponitur, tum quia acquirendi opportunitas avaritiam vehementissime incendere solet, neque eam minuit, id

copia neque inopia minuitur. Sed postquam 4
L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque

quod Sallustius vult. Quare, ut in utraque parte aliquid sit, quod *avaritiam minuere* posse videatur, *copiam* refero ad eas res, quas quis iam comparavit, *inopiam* ad eas, quas adhuc sibi acquirendas putat. Avaritiam enim minui debere putaveris, si aut multas opes iam collectas habeat, aut perpauca videat, quae ad se rapere possit; sed neque copia rerum acquisitarum, quibus acquiescere possit, neque inopia acquirendarum, qua deterreatur, minui potest; quippe nihil omnino respuit, eoque summa eius turpitudo constat. Tenendum autem, *copiam* aeque ac *inopiam* per se incertae relationis esse, quo fit, ut h. l. non ad eandem rem pertineant. Quodsi cui haec nimis longe repetita et non satis simplicia videantur, fortasse magis placet quam ad c. XV, 4. tentavimus loci difficilis explicationem. — Paullo ante, praeeunte Gerlachio, plurimorum codd. auctoritate est post *insatiabilis* restituimus. Illum tamen postea in Commentariis p. 56. eius facti poenituit; verbo enim omisso numerum censet incitatiorem fieri, quod plane contra est, quum *infinita, insatiabilis* ita non pro integra enunciatione esse possint, sed tantummodo appositionem efficiant, quod multo minorem vim habet.

§. 4. *bonis initiis*] Bipontt. ediderunt *ex bonis initiis*, quod est in octo codd.; tres alii tenent *de b. i.* Cortius praepositionem recte omisit, graviter tamen errans, quum *bonis initiis* pro dativo habet, eleganter scilicet genitivi loco posito. Eum sequuntur Tellerus et Kunhardtus; Dahlius vero et Langius *de* vel *ex* supplendum consent, a quibus non multum diversa est Gerlachii sententia, qui vel praepositionis vel participii aut adiectivi ope structuram expediendam putat. Sed omnes falsi; nam *bonis initiis* abll. sunt absoll. haud infrequentes illi, adiectivo c. subst. coniuncto, v. ad c. XLVIII, 1.; sensus igitur est, *quum initia bona essent*. Ita Iug. XXXVII, 3. *hieme aspera* est, quum hiems aspera esset. Cat. XLVI, 6. Fragm. Histt. I, 8, init. I, 65. Vell. II, 68, 3. ubi v. Ruhnken. Gernhard. ad Cic. Lael. c. 15, 54. et Herzog. ad Caes. B. G. II, 9. qui primus scite monuit hos ablativos propria sexti casus vi caussali esse explicandos, neque cum Zumptio Gramm. Lat. §. 81, 7. p. 458. ad ellipsin participii *esse* verbi, quae nulla est, esse confugiendum. Alias eadem constructio male intellecta turbas

modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo

dedit Cat. XXXIX, 3. ubi v. *Sulla malos eventus habuit*, i. e. Sullae res gestae malae esse coeperunt. Igitur sententia haec est: postquam Sulla, qui initio iustissimus videbatur, optimatium partibus favens, mox ad crudelissima facinora convertebatur. Apposite Cortius comparavit Vellei. II, 25. *putares Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem, tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium perduxit.* Cic. de Off. II, 8, 27. *in illo secuta est honestam caussam non honesta victoria*, ubi v. Beier. — *Rapere, trahere*, de immoderata licentia et cupiditate diripiendi dictum, ut Iug. XLI, 5. *sibi quisque ducere, trahere, rapere.* Fragm. Histt. IV, 12, 17. *quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos trahant, excidant.* Plaut. Trin. II, 2, 10. *cetera rape, trahe.* Tacit. Ann. III, 20, in. *Tacfarinas vicos exscindere, trahere graves praedas.* III, 74. *ne pagi traherentur.* — *Neque modum neque modestiam habere* valet ad summam intemperantiam effrenatamque libidinem significandam, ut germanicum: weder Maass noch Gränzen kennen. Cf. Cat. XXXVIII, 3. Iug. XLI, 9. Liv. XXVI, 48, 11. Plaut. Bacch. IV, 3, 2. — *In civibus* habet cod. Wassii. Reg. 1. Teg. et Tur. 1. reliqui *in cives*; sed v. quae diximus ad c. IX, 2. Quod Herzogius monet hostilem animum, quo Romani cives quasi *petierint*, non potuisse non accusativo significari, subtilius videtur, neque valet ad scripturam improbandam, quae librariorum ingenio nullo pacto deberi videtur.

§. 5. *quem in Asia ductaverat*] Bipontinos et Langium secuti scripsimus *in Asia*, quod est in Leid. L. et melioribus Haverc. Bas. 2. 4. Tur. Bern. 1. 2. 3. Pariss. A. B. C. D. Med. 1. Vat. 2. 5. Barber. 1. 5. Alii habent *in Asiam*, quod Cortius recepit, diversum plane loquendi usum huc referens, quo se ipsum et alios elusit. Quum enim sciret multa verba, vulgo cum *ablativo* et *in* praepositione iungi solita, etiam cum accusativo iungi, v. c. Tac. Hist. I, 87. *in custodiam habitos.* Cic. p. L. Manil. 12, 33. *esse in potestatem*, (cf Ruhnken. ad Ter. Eun. II. 2, 29. Interpp. ad Liv. II, 14. Walch. Emendd. Livv. c. III. p. 46) igitur hanc constructionem, cuius caussa eum latuit, etiam nostro loco esse credidit. Sed quoniam vulgari structura diverso sensu dicitur, *exercitum ducere in aliq. terram*, et *in aliqua terra*, illud non potest alia ratione in-

sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis militum animos

telligi, nisi ea, quam fert *in c. accus.* coniunctum. Sequentia autem docent Sallustium non loqui de itinere ex Italia vel Graecia in Asiam facto, sed de commoratione in Asia, ita ut *exercitus quem in Asia ductaverat* idem plane sit atque *exercitus Asiaticus;* quare auctor quum hoc dicere et debebat et volebat, non poterat *in* cum alio casu, quam cum ablativo coniungere. Ad rem, quae per se clara est, magis confirmandam addo quod Gerlachius monuit, *ductare* i. esse q. *praeesse*, uti c. XVII, 7. *Pompeius magnum exercitum ductabat.* XIX, 3. *equites quos Piso in exercitu ductabat.* Iug. LXX, 2. Tacit. Historr. II, 100, med.

liberaliter habuerat] *Habere* cum adverbio ad personam relatum, ut sit i. q. *tractare aliquem*, Cortius exemplis bene illustravit. Iug. CIII, 5. Liv. XXIX, 8, 6. XXXVII, 34, 7. XXXIX, 1, 4. De Asia, luxuriae et corruptorum morum matre, cf. Cic. p. Mur. 5, 11. ubi v. Matthias, qui laudat Liv. XXXIV, 4, 3. XXXIX, 6, 7. et ibid. c. 1, 3. — *Amoena* non ab omnibus Grammaticis ad eandem originem refertur. Quae veteres protulerunt, velut Festus, qui *amoenum* id esse dicit, quod ad se amandum alliciat, et Servius, qui, praeeunte Varrone, ad Aen. V, 734. et ad VI, 638. docet amoena loca esse voluptatis plena, vel quae solam voluptatem praebeant, fructum vero, (i. e. munia) nullum habeant, haec, inquam, nullius pretii sunt. Ger. I. Vossius contra in Etymol. p. 25. a *moenibus* deducit, quorum amoenitas magna esse soleat, quia arboribus consita sint, et quod in hortos proximos longe lateque prospectus pateat. Sed haec minima tantum ex parte placent, quia quid *a* valeat non explicatur; neque apud veteres arbores in moenibus fuisse putaverim. *Amoenum* potius est, quod a moenibus recedit, et in quod prospectus, isque laetus, ut solet, a moenibus datur; recte igitur Cortius ad nostrum locum monuit, hoc vocabulum proprie de naturali iucunditate locorum dici. Cf. Liv. XXXIX, 1, 3. Tac. Ann. III, 7. *per amoena Asiae.* Nep. Attic. XIII, 2. *domum habuit, cuius amoenitas silva constabat.* Cic. Epp. ad Attic. XVI, 3. *praediola nostra satis amoena.*

ferocis animos] i. e. duros, acres et strenuos; *ferox* enim in laude est apud militem. Iug. CVI, 3. *ille animo feroci negat, se Numidam pertimescere.* Liv. III, 47, 2. *strenue ac ferociter facta.* XXXVIII, 13, 11. *feroces ad bellandum viros.* Nep. Themist. II, 1.

6 molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere.

ferociorem reddidit civitatem. Tac. Historr. II, 76. *si quid ardoris et ferociae miles habuerit.* CORT. Vide etiam ad c. LXI, 4. — *Amare*, i. e. veneri indulgere, libidinibus et stupris deditum esse. Iug. LXXXV, 41. *quin ergo ament, potent.* Ter. Andr. I, 2, 20. *omnes qui amant graviter sibi dari uxorem ferunt.* Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 2, 55. et ad II, 3, 250. — *Potare* est largiter bibere et ad id se invitare; Doederlinus Synonym. Lat. T. I, p. 149. comparat cum vernaculo *saufen.* Nolten. Lex. Antibarb. p. 670. Exempla collegit Broukhus. ad Tibull. I, 11, 31.

§. 6. *delubra*] Haec qualia sint et quomodo differant a templis, mire dissentiunt et veteres Grammatici, et recentiores, quum etymologia non satis certa sit, neque ullo scriptoris cuiusquam loco aliquid reperiatur, quod rem illustrare possit. Diligenter varias sententias collegit I. Matth. Gesnerus, in Thes. L. L. h. v., ipse Ger. I. Vossium secutus, qui in Etymolog. p. 178. vocabulum derivat a *deluendo*, ut sit *templum cum fonte*, ubi se deluerent, sive purgarent. Cortius, eandem originem agnoscens, multo aliter explicat; nam quia *deluere* sit *solvere*, ea templa, *quibus condendis vota essent soluta*, delubra esse vocata. Magis probabilis, quamquam non certa Varronis sententia videtur, qui de rebus divinis lib. VII, p. 219. Ed. Bip. haec habet: *sicut locum, in quo figerent candelam candelabrum appellarunt, ita in quo deum ponerent, nominarunt delubrum.* Utcunque est, antiquissimum videtur vocabulum, cuius vim ipsi Romani non satis perspicerent; tamen latius videtur patuisse, quam templum, ut omne templum quidem esset delubrum, neque vero omne delubrum diceretur templum.

§. 7. *nihil relicui victis fecere*] Structuram dictionis *nihil relicui facere* Gerlachius plane abnormem dicit, confusione alienissimae constructionis ortam. Qui capitalis eius error inde fluxit, quod in hac sententia accusativum praedicati necessarium putavit, genitivi vim, neutiquam cum *nihil* coniungendi, sed a *verbo* pendentis, non assecutus. Sed primaria huius casus potestate, quam exposuimus ad c. VI, 7., etiam illud continetur, ut genitivo significetur id, cuius alia res pars est, unde tum aliae dictiones, tum haec nostra repetendae sunt. Igitur *facere aliquid relicui* proprie est *facere, ut aliquid*

Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, 7
nihil relicui victis fecere. Quippe secundae res 8
sapientium animos fatigant, nedum illi corruptis moribus victoriae temperarent.

sit eius, sive *ex eo, quod relicuum est*, i. e. *facere, ut alqd. relicuum sit*, vel brevius etiam *facere aliquid relicuum*. cf. Cat. XXVIII, 4. *quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil relicui fecerant*, ubi Cortius haec laudavit: Cic. in Verr. I, 1, 2. *ne hoc quidem sibi relicui facit.* III, 48, 115. *quibus nihil de bonis suis relicui fecit.* Caes. B. G. II, 26, extr. *nihil ad celeritatem sibi relicui fecerunt.* Drakenb. ad Liv. VII, 35, 8. Eiusdem plane generis sunt locutiones *lucri*, *compendi*, *aequi bonique facere*, v. c. Nep. Thrasyb. I, 3. *quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri*, i. e. fecit ut *ex lucro* essent, sive, ut Godofr. Stallbaumius haud male sensum expressit ad Ruddimanni Institt. T. II. p. 188., *fecit ut in lucro sibi ponendae essent.* Plaut. Bacch. II, 2, 6. *compendi verba multa iam faciam tibi*, i. e. faciam, ut m. v. tibi in compendio sint, vel *pro compendio habenda sint*, ut Stallbaumius l. l. explicat.

§. 8. *sapientium*] Maior librorum pars tenet *sapientum*, quam formam Gerlachius, licet in textu *sapientium* scripserit, in Commentt. p. 59. parum abest quin probet, auctoritate Seyferti Gramm. Lat. §. 696. et Creuzeri ad Cic. N. D. I, 36. permotus, qui genitivum in *um* legitimum dicunt, si adiectiva vel participia substantivorum potestate posita sint. Nobis Conr. Leop. Schneideri iudicium, Gramm. Lat. I, 2. p. 249., circumspectius videtur, qui utram formam *codices* commendent accurate spectandum suadet. Quocirca quum *sapientium* in optimis libris Leid. L. Bas. 1. Guelf. 5. Fabr. 1. 2. Teg. et praeterea ad viginti aliis exstet, non dubitavi, quin haec scriptura verior esset. Formam in *ium* omnino praeferendam censet F. A. Wolfius ad Cic. de N. D. I, 3, 6. in Annall. Litt. II. p. 277 sqq. et C. H. Frotscherus in Ep. crit. Meyeri *Oratoris* Ciceroniani editione praemissa, p. XI.

nedum illi] Pro *nedum* particulâ *ne* exstat in plurimis Gruteri, Bas. 1. Fabr. 1. Guelf. 1. 2. 5. 12. Sen. 1. 2. Vin. 2. octo Leidd. Teg. Paris. A. C. Tur. 1. Bern. 1.; *nedum* relicui tenent Cortiani, Leidd. Parisini, Bas. 3. 4. Tur. 2. Bern. 2 3. Her. Erl. Simplex *ne* pro *nedum* dici Cort. demonstravit ad h. l. Gronov. ad Liv. III, 52, 9. et ad Plaut. Casin. V, 4, 23. Schellerus in Lex. Ampl.

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia
2 pro malevolentia duci coepit. Igitur ex divitiis

p. 6660. et Ramshornius Gram. Lat. §. 173, 1, n. 2. p. 485. Sed quominus recipiatur obstat Prisciani auctoritas, qui in libello de XII verss. Aen. c. X, 181. p. 342. Ed. Kr. de vario usu et significatione *dum* particulae agens, nostrum locum affert, unde apparet, eius certe aetate, quae omnibus quos habemus codicibus antiquior est, *nedum* in textu fuisse. Neque obest alius apud eundem locus, lib. XVI, 2, 10. p. 642. Ed. Kr. ubi eadem verba afferens *ne* habet; ibi enim eodem modo ut in Sallustii codicibus librariorum culpa oriri potuit.

victoriae temperarent] Pro *temper.*, quod est in Leid. L. Guelf. 5. Fabr. 1. m. sec. Bern. 1. et novem aliis, alii codd. habent *obtemperarent*, alii *obtemperarunt*, alii *obtemperant*. Sed quod recepimus tum constructionis et sententiae firmat ratio, tum Prisciani utroque loco auctoritas, tum praestantiores codices. Ceterum Gerlachius comma posuit post *illi* et *victoriae*, quo et *victoriae* a suo verbo seiungitur, et *corruptis moribus* ablativi fiunt absoll., qui potius ablatt. praedicati sunt, ad pronomen pertinentes, ut oppositum vocabulum *sapientium* docet. *Victoriae temperare* est victoria moderate uti, sive *sibi temperare in victoria*, ut dixit Iug. LXXXV, 9. *illis difficile est in potestatibus temperare*. Geminum nostro exemplum laudavit Herzogius, Tacit. Historr. III, 31, fin. *illos esse, qui semper Bedriaci victoriae temperassent*. Cf. Vechner. Hellenol. p. 130.

XII. §. 1. *imperium sequebatur*] De significatione huius verbi v. ad c. LIV, 6. — De *imperfecto* post *perfectum* diximus ad c. X, 1. Aliquot praeterea codd. *sequebantur;* sed verbi numerus ad novissimum tantummodo vocabulum se accommodat. Cf. ad c. X, 2. — *innocentia* h. l. pariter ut Iug. XLVI, 1. *avaritiae* opponitur, et significat animum a divitiis iniuste comparandis alienum, easque contemnentem. Cf. Cat. LIV, 6. *Cato cum innocente abstinentia certabat*, eoque sensu haud dubie etiam positum est Iug. LXXXV, 18. v. Matthias ad Cic. p. l. Man. c. 13, 36. Gerlachius tamen *innocentiam* latiore sensu omnino vitae integritatem et probitatem interpretatur; sed V. D. non videtur attendisse ad sententiarum nexum. Quum enim non solum toto hoc loco de pravo *pecuniae* studio agatur, sed etiam *paupertas* praecedat, cui innocentia adiecta est, nihil

iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere.

est vertius, quam hoc vocabulum eo quem significavimus sensu positum esse. — *pro malevolentia duci* i. e. malevolum animum prodere, sive ad invidiam divitibus conflandam valere putabatur.

§. 2. *ex divitiis*] Praepositio caussam simul et fontem originemque significat, ut Cortius recte observavit. Tamen non negligendum est, quod Herzogius ad c. VI, 6. prudenter monuit, in caussa significanda non plane perinde esse, utrum solus ablativus, an *ex* praepositio cum isto casu ponatur. Simplici enim ablativo caussa efficiens *proxima* indicatur; *ex* praepositione addita significatur id, quod ex altera re temporis progressu efficitur et consequens est, neque continuo illam excipit. Cf. eundem ad Caes. B. G. I, 30, extr. et ad II, 27. Cat. XIV, 6. *uti cuiusque studium ex aetate flagrabat.* XXXV, 2. *ex nulla conscientia de culpa.* Iug. VII, 5. *alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre solet.* XXXII, 5. *timido et ex conscientia diffidenti.* XXXIX, 2. *Albinus ex delicto fratris invidiam timens.* Adde XLVIII, 2. L, 1. LV, 1. LXII, 8. Substantiva in eadem enunciatione cum infinitivis coniuncta miratur Gerlachius; quam structurae rationem non ita raram esse ostendimus ad c. XVI, 2. Sed h. l. *rapere*, *consumere* etc. non substantivorum vim habent, sed infinitt. historici sunt, ut c. XIII, 3. — *Pudicitiam;* idem significare videtur, quod haud obscure indicat XIV, 7. ubi v. coll. XIII, 3. Non satis recte igitur Müllerus: *pudor*, inquit, est animi, *pudicitia* corporis castitas. Hoc loco enim non libidines in universum, sed nefandae libidines et naturae repugnantes intelliguntur.

nihil pensi neque moderati] *Neque*, quod cum Gerlachio recepimus, praebent Bas. 1. 2. 3. 4. Paris. B. Leidd. B. C. E. G. I. K. L. M. N. Teg. Bern. 1. 2. Eius loco Cortius *atque* scripsit; quod quamquam in duobus Rivii codd., Rem. 1. Inc. 1. Guelf. 5. 6. 9. 11. 12. et Par. A. legitur, et recto dicendi usui non repugnat, tamen exiguam h. l. probabilitatis speciem habet. Negativam enim particulam primitus affuisse, non solum magnus docet codd. numerus, in quibus *neque* est, sed patet etiam ex variis lectt. *nec*, *neque quicquam*, *nec quicquam*, *nihil*, *nihilque*, quae omnes ad ne-

3 Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissumi
4 mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis
5 quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At

que ducunt, non item ad *atque* particulam. Praeterea neminem fugiet, sententiae vim disiunctivâ magis quam copulativâ particulâ extolli. De dictione *nihil pensi habere* v. ad c. V, 6.

§. 4. *verum*] Haec vox non opposita videtur praegressis verbis, sed potius huic sententiae cogitatione supplendae: *tum magnum temporum et morum discrimen deprehendes.* Simul sequentia vehementius hac particula affirmantur, quod vernacula exprimas: *aber jene zierten auch* etc. — Pro *domos suas gloria* Cortius, probante Müllero, ex Wassii cod. Reg. et Fabr. 1. m. sec. edidit *domos sua gloria;* postea idem repertum est, si fides Harlessio, in Teg. et Her. ac novissime in Flor. 22. et Barb. 2. Sed Gerlachius recte iudicavit, his nihil tribuendum esse, tum ob tantum codd. consensum et Prisciani VII, 6, 27. p. 310. Ed. Kr. auctoritatem, tum quod auctor aperte *domos suas* opponat verbis *delubra deorum*, neque Romani *aliena* gloria domos decorare potuerint.

§. 5. *victores hostibus*] *Hostibus*, quod Cort. et Gerlach abesse iusserant, ex codd. Leidd. D. I. Bas. 3. Rem. 2. Ecc. melioribus Palatt. et Turic. 2. reduximus. Non enim nos movet Cortii auctoritas, qui nugas potius agit, quam accurate iudicat, hac ratione utens, abesse id debere, quia e contextu per se intelligatur, *hostes* significari. Quasi vero omnia eiicienda sint, quae non sine aliquo negotio divinari possunt ex praegressis. Gerlachius vero quomodo *hostibus* sensu carere dicere potuerit, equidem non assequor, quum luce clarius sit, *hostes* eosdem intelligi atque *socios*, qui victi quidem essent et in Romanorum potestatem redacti, sed nondum socii facti. Ad sensum igitur satis fuisset dicere *victis;* sed *hostibus* multo est gravius, quum auctor de industria tales oppositiones quaerat, ut non solum sententiae, sed etiam singula vocabula sibi respondeant: *delubra deorum — domos suas; pietate — gloria; ignavissumi homines — fortissumi viri; per summum scelus — victores* (i. e. quum victorum iure uti potuissent); *adimere — reliquerant.* Num adhuc dubitas *socios* diserte opponi *hosti-*

hi contra ignavissumi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victores hostibus reliquerant, proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem, quae nisi his qui videre nemini credibilia sunt, a privatis com=

bus? Pariter c. XI, 8., sententiae vi flagitante, non contentus fuit dicere *illi*, sed ut verbis *sapientium animos* sequentia accuratius responderent, dicit *illi corruptis moribus.*

proinde quasi] Bas. 3. Guelf. 8. 9. 11. et 12. *perinde*, quod saepius cum altero, quum similitudinis vim habet, permutatur, ut Iug. IV, 8. Quin Moserus cum Heindorfio, quem secutus est ad Cic. de N. D. II, 38. negavit, *proinde* aliter a veteribus positum esse, nisi pro *igitur* cum exhortatione quadam, ut Graecum πρὸς ταῦτα. Sed cf. quae perite monuerunt Ruhnken. ad Rutil. Lup. I. p 31. et ad Ter. Heaut. I, 1, 13. Zumpt. Gram. Lat. §. 63. p. 238. Walch. Emendd. Livv. p. 31. Bremius ad. Nep. Lysand. 2, 4. Passov. ad Tac. Germ. 5. p. 7. et Goerenz. ad Cic. Legg. II, 19, 49.

XIII. §. 1. *nisi his*] Ita scripsimus cum Gerlachio ex plurimis codd. Cortius cum recentioribus dedit *iis*; sed v. ad c. II, 4. — *Constructa* legitur in Bas. 4. Guelf. 2. 10. Fabr. 2. Sen. 1. Vin. 2. Leidd. C. D. F. G. I. L. N. Mark. Γ. Pemb. Paris. E. Erl. Teg.; in Palat. 7. *constracta*; inde in alios invasit *contracta*, in alios *constrata*. Quaenam lectio vera esset, sententiae ratio interpretes, magnopere ambigentes, facile poterat docere. Sallustius enim, ad insanam multorum luxuriam notandam, *naturae* eos adversari dicit, quod fit montibus, ubi sunt, destruendis, maribus, ubi non sunt, exstruendis. *Montes subvertere* est deiicere, demoliri, destruere, ut dicitur *silvam subvertere*, apud Lucan. III, 436. et ap. Suet. Calig. 34. *statuas subvertere.* Accedit quod in eadem sententia dixit, c. XX, 11. *divitias profundunt in mari exstruendo et montibus coaequandis.* Quum igitur verbum requiratur, quod contrarium sensum habeat, quis dubitat quin *construere* recte opponatur *destruendo? Construere* est enim *instituere*, *facere*, i. e. h. l. terra effossa mare in continentem immittere. Haud dubie autem notat, ut Cortius recte iudicavit, piscinas, a divitibus Romanis summo studio

pluribus subvorsos montis, maria constructa esse.
2 Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem

paratas, quas ob magnitudinem maria appellat. Cf. Varro de R. R. III, 17. *maritimae piscinae aedificantur magno.* Macrob. Saturn. I, 11, med. *piscinas autem quam refertas habuerint pretiosissimis piscibus Romani illi nobilissimi Lucilius, Philippus et Hortensius — etiam illud indicium est*, etc. Cic. Parad. V, 2. med. *videat aliquem — barbatulos mullos exceptantem de piscina, muraenarum copia gloriantem.* cf. Hor. Carm. II, 15, init. Praeter illos a Macrobio nominatos imprimis Lucullum intelligere videtur; cf. Plin. H. N. IX, 54. *Lucullus exciso etiam monte — euripum et maria admisit.* Varro de R. R. III, 17. *Lucullus posteaquam perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas.* Plin. H. N. XXXVI, 15. *Quodsi quis diligentius aestimarit aquarum abundantiam in publico balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis suburbanis, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto terrarum orbe.* Vell. II, 33, 4. ubi v. Ruhnken. Ceterum Cortius magnopere errat, verbo *constructa*, praeter eam sententiam, quam modo explicavimus, h. l. etiam significari censens aedificia in mari molibus iactis exstructa. Exstruebantur sane; sed tam diversae res nequeunt uno vocabulo comprehendi, et si auctor maria in continenti arte facta intelligit, non potuit simul aedificia in mari exstructa cogitare. Eiusdem farinae est Langii sententia, qui *constructa et constrata esse* coniungi vult.

§. 2. *honeste habere*] Langius non concoquere potuit, Romanos a Sallustio *honeste divitias habere* dici, quas per summum scelus sociis eripuerint. Quare ut loci sententia constaret, coniecit *non hon. hab.* quo nihil infelicius cogitari potest. Non enim vidit V. D., hoc loco non agi de comparandis divitiis, sed de earum usu, id quod docent antegressa *quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae.* Honeste habet divitias, qui in res honestas impendit, quod facere potest etiam is, qui iniuste est adeptus. Sed Romani male partas opes male etiam locabant, quum tamen honeste iis uti licuisset. — *Abuti* ita referendum ad *quas*, ut *iis* inde suppleatur. Saepenumero enim, si duo verba diversae constructionis ad idem subiectum referuntur, pronomen demonstrativum, imprimis relativo praegresso, ad verbum posterius non eodem casu supplendum est, quo substantivum vel ponomen positum fuit. Cf. Cic. Epp. ad

properabant. Sed lubido stupri, ganeae ceterique 3 cultus non minor incesserat; viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi

Fam. II, 3, extr. *quae primum navigandi nobis facultas data erit, utemur.* Sall. Iug. LIV, 1. *universos in concione laudat atque agit gratias.* Cat. XLVIII, 6. *cum retinendum neque amplius potestatem faciendum.* XXXVII, 3. *quis opes nullae sunt, bonis invident.* XVII, 6. *quibus — molliter vivere copia erat, bellum quam pacem malebant.* LV, 5. *quibus imperatum erat, laqueo gulam fregere.* Fragm. Histt. I, n. 19, 13. *quibus illa placent, in armis sunt.* — *Per turpitudinem*, i. e. turpiter. v. ad c. VIII, 1. et ad XX, 2. Ceterum de luxu et avaritia Romanorum gravis etiam locus est in Fragm. Historr. 1, n. 9.

§. 3. *incesserat; viri pati*] *Viri* exstat in codd. Bas. 4. Leidd. G. H. plurimis Wassii, Senat. 1. Vin. 1. Guelf. 7. Rem. 1. Acad. Erl. Tur. 1. Relicui tenent *viros*, quod inde a Grutero omnes fere edd., etiam Gerlachiana, habent, magno structurae incommodo. *Incesserat* enim, quod hic suppleri volunt, primo absolute positum foret, (de qua vi diximus ad c. X, 6.), ad *viros* autem relatum transitivum esset, quod logicae et grammaticae legibus repugnat, quia verbum ex antegressis cogitatione assumendum non alia vi, quam antea fuit, suppleri potest, eoque simul transitivum et intransitivum esse nequit. Melius Cortio egerat Gruterus, qui sic edidit: ... *non minor. incesserat viros* etc. quamquam ne hoc quidem probari potest. Nam non solum *incesserat* verbum, verum totius loci conformatio postulat ita scribi ut fecimus. Locus enim haud sine magna arte a Sallustio ita compositus est, ut aetatis vitia primum generatim notet, deinde per partes explicet, singulis enunciationibus ad singula substantiva pertinentibus. Sic ad vocem *stupri* spectant haec: *viri pati muliebria — habere;* ad *ganeae* haec: *vescendi caussa — exquirere; ceterus autem cultus* quia multiplex est, pluribus etiam illustratur. — Vulgatum verborum ordinem Gerlachius deseruit, pro *viri pati mul.* scribens *viros mul. pati*, quod est in Bas. 1. 2. 4. Teg. Erl. Tur. 1. 2. Bern. 1. 2. 3. et decem Leidd.; sed relicuorum consensus vulgatum satis firmare videtur. — *Ganea*, proprie locus comissationibus et libidini constitutus, v. Nonius II, 387. et Donat. ad Ter. Adelph. III, 3, 5., h. l. de epulis opiparis nimisque lautis dictum, ut apud Plin. H. N. VIII, 51, p. med. *neque alio ex animali (quam sue) numerosior materia ganeae.* Cic. in Pis. VI, 13. *paullisper stetimus in isto*

caussa terra marique omnia exquirere; dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere.
4 Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant;

ganearum tuarum nitore atque fumo. — *Cultus*, de qua voce relativae potestatis v. ad c. XLVIII, 2. coll. Gernhardo ad Cic. Lael. 23, 86. Herzogio ad h. l. et ad Caes. B. G. I, 1. hic in malam partem dicitur, pro mollitie, deliciis et luxu; Liv. XXIX, 21, extr. *quae vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia imperatoris.* Victus delicias simul hoc vocabulo significari, quod Cortius putat, non probabile est, quoniam *ganeae* singularis mentio facta est. *Propatulum* proprie locus non inclusus, sed omnibus patens. Liv. XXIV, 16, extr. *in propatulo aedium.* Nep. Hannib. 9, 3. *statuas in propatulo abiicit.* H. l. cum *in* praepositione et *habere* verbo pro adiectivo est, velut *patentem*, vel *obviam habere*, de quo dicendi genere v. ad c. VIII, 1.

omnia exquirere] Laudarunt interpp. alios, eandem rem vituperantes, ut Gell. VII, 16. Senec. Cons. ad Helv. c. 9. Hor. Sat. II, 2. — *Antecapere* noli cum Tellero p. 298. explicare: cibum, potum — capere, antequam esuriant, sitiant etc., sed potius *harum rerum appetitum a r t e e x c i t a r e*, non exspectantes, donec natura desiderium faceret. *Famem* autem antecapiebant vomendo, Senec. ad Helv. l. l. Cic. Phil. II, 41, 104., *frigus* in frigidariis et porticibus, *lassitudinem* corporis exercitationibus, sed iis ad delicias et luxum tractis. — Pro *famem aut sitim* in viginti septem codd. legitur *famem, non sitim*, quod ab interpolatore est, qui *aut* non nisi disiungendi excludendique vim habere putaret; v. ad c. XXVI, 2. Ceterum Gerlachius iterum, ut c. XII, 2., in infinitivis *pati*, *habere*, *exquirere*, *dormire* etc. haeret, *viros — pati*, *mulieres — habere* pro accusativis c. inf. habens, quos simplices infinitivi sequantur: qua structura, praeterquam quod vitiosa scriptura nititur, nihil potest magis abnorme esse. Qui singularum sententiarum rationem, quam supra explicavimus, assecutus est, eum non fugiet, non duas structuras haberi, sed omnes infinitivos esse quos dicunt historicos.

§. 4. *Lubidinibus* non est, ut Gerlachius putat, *corporis voluptatibus*, sed potius *cupidinibus; lubido* enim significat animi *impotentem appetitum, voluptas* vero dicitur de luxuriae *usu.* Sed in errorem

animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

XIV. In tanta itaque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium

induxit V. D. *carebat* verbum male ita acceptum, ut sensus sit *haud carere poterat*, sive *lubidines* q u a e r e b a t, *vix pati et ferre poterat, ut sine lubidinibus esset.* Contra recte vidit Herzogius *carere* h. l. idem esse atque *vacare*, *liberum esse ab aliqua re*, ita ut appetitus ac desiderii notio plane absit, et aliquid simpliciter ab aliqua re abesse dicatur. Cf. Cic. Tusc. I, 36, 88. Ter. Hecyr. IV, 4, 41. *mulier quae careat culpa.* Cic. p. Rosc. Amer. 20, 55. *quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret.* Totius igitur loci sensus hic est: hi mali mores iuventutem ad facinora incendebant; his facinoribus autem (malis artibus) fiebat, ut fere nunquam cupidinibus vacarent; quo magis autem his exagitarentur, eo profusius quaestui atque sumptui dediti erant. Quocirca, quum mutuo nexu sententiae contineantur, punctum post *incendebant* in semicolon mutavimus. — *Eo* Cortius perperam *propterea* explicat; v. ad c. I, 3.

XIV. §. 1. *In tanta itaque corrupta*] Omnes edd. habent *i. t. tamque c. c.* idque est in codd. Vin. I. Guelf. 1. 2. 3. 5. Fabr. utrq. Rem. 2. Sen. 1. Bas. 3. 4. Leid.. A. C. D. E. L. M. N. Quam lectionem, per se quidem non suspectam, ut improbaremus fecit magna relicuorum librorum inconstantia. Nam in haud paucis est *in tanta itaque tamque;* in aliis *in tanta itaque et tam;* in aliis *in tanta igitur et tam;* in uno *itaque in tanta et tam;* in paucis *in tanta itaque cor.* Mira sane varietas, si primitus scriptum fuit *in tanta tamque.* Quare certissimum puto auctorem scripsisse *in tanta itaque corrupta civ.*, quod habet Struv. et Leid. I. prope accedente Eccard., qui exhibet *itaque in tanta civ.* Nam ne *i t a q u e* confunderetur cum *igitur*, superscripserunt *tamque* vel *et tam*, quod aut solum in textum irrepsit, aut cum *itaque* coniunctum, quia pro connectendi particula habebant. *Itaque* autem saepissime poni pro *et ita* notissimum est; cf. tamen Ruhnken. ad Ter. Andr. III, 3, 18. Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 10, 32. Heusing. ad Nep. Alcibiad. 4, 2. ad Cic. Off. I, 40, 3. Beier. ad II, 20, 69. Schellerum in Lex. Ampl. p. 5379. n. 1. et quae diximus ad c. XXIII, 4. Ne quis vero, secundum Zumptii praeceptum Gramm. Lat. §. 63. p. 237.

flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat.
2 Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria laceraverat, quique alienum aes grande con-

tam adiectivis modo addi putet, *ita* h. l. non admitti posse, tenendum est, has particulas ita differre, ut *tam* semper *gradum* significet, *ita* autem adhibeatur ad *modum* rei notandum, eoque etiam adiectivis, adverbiis et participiis, mutata tamen cogitandi ratione, praeponi posse. Igitur *tam corrupta* esset adeo, *tantopere corrupta; ita corrupta* autem significat *tali modo* (sc. ut diximus in antegressis) corrupta. Cf. c. XV, 5. *ita conscientia mentem excitam vastabat;* quod non est *tantopere* sed *tali modo.* Liv. III, 20, 8. *non ita civitatem aegram esse, ut consuetis remediis sisti possit.* Caes. B. G. I, 52. *Ita nostri acriter in hostes impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque procurrerunt, ut spatium pila in hostes coniiciendi non daretur.* Ceterum Goerenzius ad Cic. de Finn. I, 1, 1. *tam* particulae vim non assecutus est, *quam* supplendum censens, ubi demonstrativum solum habetur; Ciceronis enim l. l. aeque ut Or. 48, 161. et Epp. ad Attic. XIII, 25. *tam* idem est quod *tantopere.*

flagitiorum atque facinorum] Multi codd. *flagitiosorum atque facinorosorum;* sed receptam lectionem tuentur Bas. 1. Leid. L. Par. A. C. D. meliores Grüteri et Glareani. Codd. Reg. Mark. *A.* B. Pub. m. pr. Guelf. 3. 4. 5. Rem. 2. Sen. 1. Fabr. 1. 2. Fefellit enim librarios abstractum pro concreto positum; eodem modo Cic. p. Mil. 15, 39. *erat inimicus Clodio P. Lentulus, ultor sceleris illius.* ib. §. 41. *magnum fuit Miloni conficere illam pestem.* Epp. ad Fam. X, 28. *tuo beneficio adhuc vivit haec pestis.* Ita *coniugium* pro *uxore*, Virg. Aen. II, 579. Tac. Ann. XII, 65, init. ubi v. intprr. *servitium* pro *servis*, Sall. Cat. XXIV, 4. ubi v. Cort. cf. Drakenb. ad Liv. X, 23, 6. Ruperti ad Tacit. Ann. II, 13, extr. Ruddimanni Institt. Gramm. T. II. Lib. II, 3. p. 375. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84, 4. p. 473. Ceterum *flagitium* factum significat, quod nunquam sine summo dedecore admitti potest, cf. Gell. I, 17, extr.; *facinus* autem malo sensu factum est vel temeritatis, vel iniuriae, vel pravae audaciae magnitudine insigne. v. Noltenii Lex. Antibarb. p. 947. Ruhnken. ad Muret. T. II. p. 126. Herzog. ad Caes. B. G. VI, 20. Utrumque Sallustius aliquoties coniunxit,

flaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, prae- 3
terea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc quos manus atque lingua periurio aut sanguine

velut hoc ipso cap. §. 2. et c. XXIII, 1. Iug. XXXII, 2. *flagitiosissuma facinora.*

§. 2. *manu, ventre*] Ita cum Gerl. Cort. et plerisque aliis scripsimus ex codd. Naz. Commel. Par. D. Teg. Pal. 2. 3. Fabr. utroq. Sen. 1. 2. Guelf. 2. 5. Reliqui tamen codd. addunt *alea*, vel ante, vel post *manu,* vel alio loco, ita ut septem sedes diversas habeat. Quod quum per se vocem valde suspectam reddit, tum accedit, quod sententia ipsa eam respuit. *Manus* enim cum inter eas res referatur, quibus res familiaris laceretur, non potest nisi de talorum vel tesserarum, quae manu iaciuntur, ludu intelligi; quod si concesseris, quivis autem debebit concedere, licet paullo insolentius dictum sit, sequitur, si *alea* addatur, quod librarii haud dubie explicationis caussa superscripserant, *manum* aut idem esse quod *aleam*, quod absurdum est, aut nullo modo explicari posse. Nam quod Herzogius statuit hac voce significari profusionem et dilapidationem bonorum, id tale est, ut neque dicendi usu, neque sententiarum nexu confirmetur; a verbo *lacerare* enim nullum huic explicationi praesidium peti potest. Non magis feliciter pro *alea* coniecit *gula,* cui voci non solum codicum ratio, sed multo maxime *ventre* obstat. Sed eiecto spurio vocabulo, minime tamen probatur Mülleri sententia, qui *manum* esse dicit pecuniam, post iactum talorum in medium collatam, ut apud Sueton. Octav. c. LXXI, extr., quod etiam Gerlachius amplectitur, *manum* explicans pecuniam talorum iactu amissam. Sed Sallustius, insolentia captans, pro vitiis ipsis eorum sedes, vel eas partes, quibus exercentur, nominat; quare quum *ventre* sit i. q. helluatione, *pene* i. q. stupro, *manus* necessario est illud vitium, quod manuum ministerio patratum rem familiarem comminuit. Ceterum noli putare, ad verba *impudicus*, *adulter*, *ganeo* sequentia ita referri, ut singula singulis respondeant; nam sententiae universae tantummodo sibi opponuntur, non singula verba. Cf. Bremius ad Nep. Agesil. VII, 4. *quam qui intraret*, *nullum signum libidinis*, *nullum luxuriae poterat videre*, *contra plurima patientiae atque abstinentiae.* Tacit. Annall. III, 26, init. *postquam pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat.* cf. ad XX, 8. — *Lacerare*

civili alebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: hi Catilinae
4 proxumi familiaresque erant. Quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris
5 efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiaritates appetebat; eorum animi molles et aetate fluxi

plane respondet vernaculo *zerrütten*. Schellerus in Lex. Ampl. p. 5476. comparavit Plaut. Merc. Prol. v. 48. *lacerare rem suam.* Cato in or. de Achaeis apud Serv. ad Virg. Ecl. VI, 76. *quum Hannibal terram Italiam laceraret.* Cic. de Off. I, 17, 13. *qui lacerarunt omni scelere patriam et in ea funditus delenda occupati sunt.* — De vocabulo *parricida* v. ad c. XXXI, 8. — *Quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat;* de hoc verborum ordine, qui chiasmus vocatur, v. ad c. LXI, 7. — De *alere* verbo v. ad c. XXXVII, 3.

§. 3. *hi*] Vulgo *ii; hi* cum Gerlach. exhibuimus ex Bas. 1. Tur. 1. 2. Erl. quibus accedunt Bas. 2. 3. 4. Maiorem autem habet vim, quum omnes ante dictos comprehendat, et quasi praesentes sistat; v. quae Frotscherus de h. pronominis potestate scite disputavit in Obss. in Sall. Part. I, p. 32. cf. infra c. XXXVII, 5. L, 3. 4. — *Proxumi* sunt, qui arctiore consuetudine cum aliquo coniuncti sunt, intimi; cf. Iug. XXXV, 4. *Bomilcari proxumo ac maxume fido sibi.* LXXX, 3. *regis Bacchi proxumos.* Tacit. Ann. VI, 26, 2. XIII, 13, 5.

§. 4. *inciderat*] Verbum de rebus malis usurpatum significat Catilinae amicitiam adulescentibus quasi pestem et perniciem fuisse; optime respondet vernaculum *hineingerathen.* — *Cotidiano* Bern. 3. Erl. Tur. 1. cum plurimis Cortii libris; cf. ad c. XLVIII, 2. — *Par similisque* non placet cum Cortio, Dahlio et Langio ita explicare, ut *par* ad coniunctionem et consuetudinem externam, *similis* ad mores pertineat; nam de uno eodemque utrumque dici mihi non possum persuadere, cum voces *gradu* tantum differant. Quare ubi iuxta positae reperiuntur, non coniungendae sunt, sed disiungendae. De disiunctiva autem *que* particulae potestate diximus ad c. VIII, 1. Adde Hertel. ad Tac. Agric. c. 12. *rarus duabus tribusque civitatibus conventus.* Eadem ratio est in locis a Cortio laudatis, ut Senec. de Ira I, 9, extr. *quos (affectus) nunquam deprimere possit, nisi pares illis similesque opposuerit.* Cic. Legg. I, 10, 29. *nihil est*

dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio fuisse nonnullos qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pu-

6

7

enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus, ubi aperta gradatio est. Cf. Burmann. ad Quint. Decl. VIII, 4.

§. 5. *adulescentium familiaritates*] *Adulesc.* cod. Tur. 2. Bern. 1. Similia Catilinae Cicero obiicit in or. I, 6, 13. et II, 4, 8. — *Familiaritates* auctor plurali posuit, quia familiaritas ad plures adulescentes pertinet, quae ratio a nostrae linguae usu recedit. Id luculenter exposuit Zumptius Gramm. Lat. §. 22. III, 1. not. p. 77. cf. Iug. XL, 1. *uti quaereretur in eos, qui in* l e g a t i o n i b u s *aut* i m p e r i i s *pecunias accepissent.* XLIV, 5. *lixae cum militibus pecoris et mancipiorum* p r a e d a s *certatim agere.* LXXXV, 9. *illis difficile est in* p o t e s t a t i b u s *temperare.* Cf. Cic. in Verr. IV, 34. in Catil. I, 7, 18. p. Leg. Man. 17, 51. — *Ex aetate* explicavimus ad c. XII, 2. parum commode igitur Cortius adiecit: *habet enim sua quaeque aetas studia et cupiditates*, quasi *ex aetate* esset, *pro varia aetate*. — *Postremo* in tali sententiarum nexu saepe a Nostro ita usurpatur, ut habeat vim comprehendendi, valeatque *ut paucis complectar*; cf. c. XX, 12. XXIII, 3. LI, 9. 38. LXI, 5. Iug. XIV, 18. III, 1. XXXI, 20. v. Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 74. — *Obnoxios fidosque sibi faceret.* Ita Gerlachius ex Leidd. A. B. D. F. G. K. L. omnibus Bass. Erl. Tur. 1. 2. Bern. 1. 2. 3. quod magis placet quam vulgatum *obnoxios sibi fidosque f.* Cortius pronomen, quod sane abesse potest, expunxit; sed unius Guelf. 9., in quo abest, auctoritas non tanta est, ut obsequamur. — *Existumarent* pro *aestumarent*, ut Cortius ex octo libris scripsit, vindicavimus ad c. VIII, 2.

§. 7. *frequentabat*] Ex vulgaris grammaticae lege, coniunctivus poni debebat; sed haud raro in oratione obliqua auctoris quadam negligentia fit, ut enunciatio secundaria, ex mente alterius proferenda, ab auctore ut sua exhibeatur. cf. L, 3. *Consul refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi* e r a n t. XXVII,

dicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

XV. Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum

4. *se Manlium praemisisse*, *ad eam multitudinem*, *quam ad capiunda arma paraverat.* Iug. LXIII, 1. *proinde, quae animo agitabat*, *fretus dis ageret*, ubi plura collegimus. Cf. Gernhard. ad Cic. Off. I, 9, 28. ad I, 25, 87. et Bremius ad Nep. Milt. III, 4., qui tamen ad Pausan. II, 5., cuius loci eadem plane ratio est, atque prioris, non satis idoneam explicandi viam iniit. — *Parum honeste pudicitiam habuisse*, i. e. impudicos fuisse seu pathicos, i. e. masculae veneri deditos. cf. c. XIII, 3. XIV, 2. ibique Cort. F. A. Wolf. ad Sueton. Octav. c. 71, init. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 82.

XV. §. 1. *Iam primum*] Haec non cum Cortio ad Catilinae adulescentiam refero, quasi *iam primum* sit *iam mature;* sensus potius est: ut narrationis de Catilina initium ad adulescentis facinora referam. Eodem modo c. VII, 4. *iam primum* valet: ut caussas aucti imperii ab suis initiis repetam. Pariter apud Tacit. Ann. IV, 6, in. his vocibus de statu reipubl. exponendi initium fit. Ita etiam apud Livium XL, 3, 3. de Philippo rebellionem parante *iam primum* est: initium rebellandi eo fecit, ut etc. Patet igitur, *iam* transeundi continuandique vim habere, *primum* autem totius enunciationis instar esse, quae res non mutatur, ubi *omnium* additum est, ut apud Liv. I, 1, 1. et XXVIII, 39, 5. Totius loci rationem et singularum partium nexum Herzogius non satis videtur cepisse. Putat enim respici ad ultima praegressi capitis verba *ex aliis rebus magis quam* etc., ita ut his verbis vera caussa illius famae, iuventutem parum honeste pudicitiam habuisse, afferatur. Sed *nova* potius narrationis pars incipit, a praegressis plane diversa. Absoluta enim generali parte de caussis coniurationis, i. e. de malis civitatis moribus, iam de *ipso Catilina* eiusque inceptis exponere incipit. Quodsi vera sunt quae de nexus ratione et de *primum* voce diximus, patet etiam falsum esse, quod Herzogius *primum* in *enumeratione* positum censet, cui altero loco *alia*, pro *tum* vel *deinde*, tertio *postremo* respondeat. Quae quamquam nullo pacto ferri possunt, tamen meliora sunt Langii ratione, qui *primum* abundare censet. — *Adulescens* habet Bern. 1. reliqui *adolesc.*

cum virgine nobili] Quaenam illa fuerit ignoratur; putant ta-

sacerdote Vestae, alia huiuscemodi contra ius fasque. Postremo captus amore Aureliae Orestillae, 2 cuius praeter formam nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo creditur, necato filio va-

men intelligi eam, de qua Cic. in orat. contra C. Ant. et L. Catilinam dixit: *ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti*, coll. Plut. in vita Cic. c. 10. — *Sacerdos Vestae*, auctore Asconio ad Cic. or. l., fuit Fabia, Terentiae, Ciceronis uxoris, soror. Hunc locum, quem prius Gruterus et Cortius suspectum reddiderant, Dahlius parum consulte interpolatum iudicavit, quia Cicero de ea re sileat, Sallustius autem res parum compertas non pro certis affirmare soleat. Sed Asconius rem scite expedivit, monens Ciceronem de industria illius flagitii turpitudinem non ita exagitare voluisse, ut Fabiae famae non consuleret. Quum enim criminis absoluta esset, haud dubie quia affinitas et auctoritas Ciceronis magno praesidio erat, hic, ut eam purgaret, de Catilina ita dixit: *quum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus quo non adventus tuus, etiam quum nulla culpa subesset, crimen afferret.* Ad ea Asconius: *ita et suis pepercit, et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem obiecit.* Inde patet, ut Müllerus recte vidit, rem turpem, a Cicerone callide praeteritam, Sallustium, Fabiae aequalem, latere non potuisse.

alia] Ed. Gruteri et nonnullae aliae *et alia*, uti etiam Guelf. 10. *aliaque* Guelf. 7. Sed bene vidit Cortius copula non opus esse; caussam dicendi usus primus pervidit Goerenzius, qui ad Cic. de Legg. III, 9, 20. docuit, ad ea adiectiva, quae extremo loco posita omnem rem colligant et comprehendant, copulam omitti solere. Eiusmodi sunt *relicui*, ut Cic. l. l. *quid iam de Saturnino, Sulpicio, relicuis dicam?* Orat. 31, 109.; *ceteri*, ut Tusc. IV, 31, 66. *sint sane ista bona, quae putantur, honores, divitiae, voluptates, cetera; omnes*, ut Acadd. I, 12, 44. ubi vid. Goerenz. Eiusdem generis est *alius*, cuius vocis exempla Cortius congessit, Cat. XXI, 2. *Catilina polliceri tabulas novas, sacerdotia, rapinas, alia omnia.* XLVIII, 4. *ne eum Lentulus, Cethegus, alii terrerent.* LVII, 1. *de Lentulo, Cethego, ceteris supplicium sumptum.* V. Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 233.

§. 2. *adulta aetate*] Ita Cortius edidit e codd. Bas. 1. Vin. 2. Senat. 1. quibus accesserunt Paris. A. Erl. Bern. 3. Relicui omnes *adultum aetate*, quod Müllerus neutiquam debebat revocare. Neque

3 cuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi imprimis videtur caussa fuisse facinoris
4 maturandi; namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat.

tamen ita statuendum ob exempla, quae Cortius satis bona attulit, (velut Lucret. IV, 1030. Tac. Ann. II, 43, init. Cic. Verr. V, 12, 30.) sed quia, si *adultum* scribas, *aetate* plane otiosum ac paene ineptum est; nam qui simpliciter *adultus* dicitur, eum per se intelligitur aetate adultum esse. Tenendum est autem, *adulescere* translato sensu de rebus dici, quae a suis initiis paullo provectiores iam satis virium nactae sint; ita apud Tacitum Annall. I, 46, init. *nondum adulta auctoritas* est i. q. non satis gravis auct. Ibid. XIII, 36. *adultum ver*, et XI, 31. *auctumnus adultus*. cf. Ruperti ad II, 23, init. Aetas igitur quoniam varia est, addito participio recte definitur corrigendusque Suetonius, apud quem Oct. 69, med. pro vulgato *adultas aetate virgines*, scribendum est *adulta*. Plura dictionis exempla collegit Heindorf. ad Hor. Sat. I, 9, 34. — *Pro certo* frequentissimum pro simplici *certum*. Cat. LII, 17. *pro certo habetote*. Liv. XXV, 10, 1. *quid rei esset, nemo pro certo scire*. XXVII, 1, 13. *quot caesa in eo proelio millia sint, quis pro certo affirmet?* Sed etiam ad substantivum refertur ita ut generis nulla habeatur ratio, cf. Ruhnken. ad Ter. Adelph. III, 4, 32. *pro certon' tu isthaec dicis?* v. Duker. et Drakenb. ad Liv. I, 3, 2. fusius de hac re explicantes. — *Vacuam domum fecisse*. Iisdem fere verbis Cicero utitur in or. in Catil. I, 6, 14. *quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses*. cf. Valer. Max. IX, 1, 9.

§. 4. *infestus*] I. e. a diis hominibusque exagitatus, quippe quos ob scelera sibi iratos infensosque credebat. *Infestus* enim, quod vulgo activam vim habet, interdum etiam passive positum legitur ut significet eum, cui malum vel periculum immineat, quam duplicem vim, in aliis quoque vocabulis notabilem, explicavimus ad c. VII, 5. et X, 5. cf. Iug. LXXXIX, 5. *loca infesta serpentibus*. Liv. III, 24, 11. *infesta civitas*. cf. A. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 11, 30, extr. qui laudat or. p. Planc. 1. Philipp. XII, 10. et A. Gell. IX, 12.

quietibus] Germani singularem ponerent; sed Latinis pluralis non inusitatus in iis vocabulis, quae aliquem statum significant,

Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

XVI. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, illexerat multis modis, mala facinora edocebat.

eumque talem, qui non generatim cogitetur, sed aut multis vicibus repetitus, aut in multis rebus conspiciendus. Cic. de Off. I, 29, 103. *ludo uti quidem licet, sed, sicut somno et quietibus ceteris, tum* etc. ibid. I, 36, 131. *cavendum est autem, ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates.* cf. Heusinger. ad Off. I, 22, 15. ad I, 32, 2. Zumpt. Gramm. Lat. p. 77. et quae paullo ante diximus ad c. XIV, 5. Ceterum *vigiliae* et *quietes*, quae sibi opposita sunt, eodem modo h. l. coniuncta ad eandem rem referuntur, ut c. XI, 3, *copiae et inopiae;* eoque inducor, ut credam auctorem tali oxymoro quandam animi *ἀπορίαν* in diversas partes agitati, et quid sequatur prorsus nescientis exprimere voluisse; neque aliam vim habere puto Sophocleum illud, quod omnes editores mirifice torsit, Antig. v. 39-40. *τί δ' ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ λύουσ' ἂν, ἢ 'φάπτουσα προςθείμην πλέον;*

vastabat] I. e quasi diripiebat. Minus bonae edd. antiquiores paucique codd. *vexabat.* Quod nos edidimus et longe maxima codicum parte confirmatur, et ad sententiae gravitatem multo est efficacius, quod dudum viderunt interpretes. Cf. Iug. XLI, 9. *avaritia polluere et vastare omnia.* — *Colos* cum Gerlachio scripsimus auctoritate Probi Cathol. p. 1467. Ed. Putsch. et ex cod. vetusto Gifanii, quem v. ad Lucret. p. 317; ita etiam Popma in uno cod. invenit; v. de forma *labos* ad c. VII, 5. — *Prorsus* Müllerus perperam explicat *revera;* haec enim vox, si in fine expositionis cum *verbo* coniungitur, comprehendendi vim habet, ac significat, *ut paucis complectar.* cf. XXV, 5. *prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.* XXIII, 2. Iug. XXX, 3. LXVI, 1. LXXVI, 4.

XVI. §. 1. *illexerat multis modis*] Interpunctionem mutavimus, commate, quod in omnibus libris post *illexerat* est, transposito post *modis*, quia ita demum huic vocabulo sua vis constare videtur. *Modi* enim eiusdem rei variae sunt species sive formae, modosque alicuius rei exponere vult, non solum quid actum sit ostendere debet, sed etiam quomodo sit actum. Iure igitur mireris Catilinam

2 Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, maiora alia impe-
3 rabat; si caussa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontes sicuti sontes circumvenire, iugulare; scilicet ne per otium torpescerent

dici multis modis iuventutem edocuisse, quum Sallustius ipsa tantum facinora simpliciter afferat, neque ullas edocendi artes enumeret. Quare, quum ipse lectores ad superiora remittat, respiciens ad c. XIV, 6., dubium esse nequit, quin coniungendum sit *ill. mul. mod.* Ibi enim revera *modos* exposuit, quibus Catilina adulescentes caperet; nostro loco in universum dicit illum mala facinora sibi obnoxios edocuisse.

§. 2. *signatores*] Commode Gerlachius interpretatur, qui testamento scribendo atque obsignando assint, coll. Suet. Tiber. c. 23. — *Commodare* est usui praebere, utendum concedere, si quis tale ministerium requireret. Cic. Verr. IV, 42, 91. *nomen suum ad translationem criminis commodare.* Plaut. Persa II, 3, 2. *Iovi opes, spes, bonas copias commodanti vitulor.* Plin. Epp. II, 12, 23. *operam suam ad turpissimum ministerium commodasse.* Post *commodare* autem cum Cort. et Gerl. semicolon posuimus, cuius loco Müllerus pessime commate distinxit, scilicet ut *commodare* et *habere* eandem structuram haberent, quod fieri nequit. Similem in sequentibus errorem commisit Cortius, semicolon ponens post *habere*, quod plurimi imitati sunt, quum potius comma ponendum esset. Nos recte verba distinxisse, constructionis ratio, quam interprr. non assecuti videntur, ostendit. *Commodare* enim est infinitivus historicus, quem, mutatâ structurâ, subsequitur imperfectum *imperabat*, unde tum *habere* pendet, tum *maiora alia.* Talem infinitivi et substantivi coniunctionem habes etiam c. X, 4. *superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit.* Liv. XXI, 33, 3. *deinde ut t r e p i d a t i o n e m in angustiis suoque ipsum tumultu m i s c e r i agmen videre.* Hor. Carm. I, 2, 50. *hic magnos potius t r i u m p h o s, hic ames d i c i pater atque princeps.* I, 1, 19. *est qui nec veteris pocula Massici, nec partem solido d e m e r e de die spernit.* Suet. Oct. 64, fin. *nepotes et l i t t e r a s et n o t a r e docuit.*

manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, 4
simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant, opprimundae reipublicae consi-

Ex infinitivo autem in imperfectum abit oratio pariter ut Cat. LIV, 4. *nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium* *e x o p t a b a t.* LVI, 4. *Catilina iter* *f a c e r e*, *castra* *m o v e r e*, *occasionem pugnandi non* *d a r e*; *s p e r a b a t* *propediem* etc. Iug. XV, 2. *Adherbalis dicta* *c o n t e m n e r e*, *Iug. virtutem* *e x t o l l e r e*; *gratia, voce — sua quasi pro gloria nitebantur.* Vides nunc et *commodare* interpunctione ab altero infinitivo esse seiungendum, et *habere* non posse maiore distinctione a sequenti accusativo divelli. Intelliges etiam male Perizonium ad Sanct. Min. IV, 11. p. 381. Ed. Bau. iudicasse, *habere* a verbo *edocebat* pendere; denique perspicies perperam Cortio verbum *imperabat* ad sequentes infinitivos *circumvenire*, *iugulare* supplendum videri, qui potius inff. historici sunt, non infrequentes illi imperfecto vel praesenti praegresso aut sequente, cf. Cat. XXI, 4. *i n c r e p a t* *omnis bonos, suorum unumquemque* *l a u d a r e.* v. ad c. XXII, 2. XXIII, 2. XLVIII, 1. Iug. LIII, 8. LXX, 1. Cort. ad Iug. XXXII, 4.

§. 3. *gratuito*] Gerlachius Cortium vituperat, quod hanc vocem statuat h. l. *sine mercede et praemio* significare, ipse interpretatus *frustra et sine caussa;* sed re accuratius spectata, utrumque reperies idem esse. Nam qui aliquid *gratuito* facit, eo non utilitatem aliquam sequitur, commodumve appetit, idque pro sententiarum nexu modo est gratis, sine praemio, modo sine caussa, nulla alia re impellente, non ut aliud quid consequatur, sed ut factum ipsum faciendi finis sit, id quod Cicero de Caesare dicit de Off. II, 24, 5. *ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiam si caussa non esset.* Interpretes praeterea compararunt Sall. Fragm. Histt. I, 19, 9. Senec. Ep. 105. Liv. I, 47, 1. — De *simul* particula v. ad c. XIX, 2. — *Sullani milites* i. e. veterani, de quibus monuimus ad c. XXXVII, 6. Cic. in Catil. II, 9, 20. *in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus.*

lium cepit. In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes; Senatus nihil sane intentus; tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae.

§. 5. *in extremis terris*] Armeniam intelligit et Pontum, ubi Pompeius, lege Manilia imperator factus, contra Mithridatem bellum gerebat, quem anno 66. a. Chr. n. apud Euphratem vicerat, fugientem et remotiora petentem insecutus. *Extremas* autem *terras* Cortius dici censet, quia istae regiones illo certe tempore Romanis parum cognitae fuerint, coll. Liv. Epit. CI. *Cn. Pompeius, quum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque regiones penetravit.* Sed loquendi usus docet *extremas*, vel *ultimas terras* a Romanis omnino dici pro valde remotis et longinquis, cf. Gronov. ad Tacit. Annall. II, 82, init. et Bremi. ad Nep. Attic. XX, 4.

consulatum petenti] Hoc Gerlachium et Lang. secutus ex Pal. 2. 5. Guelf. 6. et Paris. E. recepi; Cortius cum plerisque scripsit *petundi*, quia non cuivis petere licuerit, quod Gerlachius recte vidit parum ad probandum valere. Aliam viam iniit Müllerus, genitivum gerundii vim *de* vel *in* praepositionis habere censens, ut sensus sit *de petitione consulatus*, vel *in petendo consulatu magna ipsi spes erat;* sed eam explicationem verborum ratio vix patitur, neque laudata Ciceronis exempla p. Rosc. Am. 50, 146. in Verr. II, 22, 62. et II, 7, 20., quantum equidem assequor, cum nostro loco conveniunt. Contra *petenti* sententiae plane satisfacit; significat enim *si peteret*, ita ut cogitatione supplendum sit: ei autem certum erat petere. Ita *spes* absolute positum est, contextu tamen, in quanam re ea versetur, docente; quod quum librarios fugeret, in proclivi iis erat genitivum, huic vocabulo saepe coniunctum, invehere.

nihil] Hanc vocem pro *non* positam esse iam Cortius monuit. Eundem usum etiam observavit Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 9, 30. et Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 2, 31. et 33. laudans Drakenborch. ad Liv. XXII, 45, 5. et Perizon. ad Sanct. Minerv. IV, 4, not. 83. (T. II. p. 141. Ed. B.); cf. infra c. LI, 3. Tenendum autem *nihil*, ubi pro *non* positum videatur, nunquam propriam substantivi potestatem abiicere, sed vi accusativi, quem dicunt, Graeci illud significare, quo id quod praedicatur pertineat, quod etiam Zumptius

XVII. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo Consulibus, primo singulos appellare; hortari alios, alios tentare; opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt quae voluit, 2

Gramm. Lat. §. 84, 6. p. 474. videtur intellexisse, monens *nihil* gravius negare quam *non*, quum sit germanice *in keiner Hinsicht*. cf. Herzog. ad Caes. B. G. II, 20. — *Erant* in fine capitis, quod Bip. et Langius receperunt, in omnibus codd., septem exceptis, deest, quare cum Cort. et Gerl. omisimus.

XVII. §. 1. *L. Caesare et C. Figulo Coss.*] i. e. anno u. c. 690, sive a. Chr. n. 64. De L. Caesare v. Cic. in Catil. IV, 6, 13. ibique Aug. Matthias; avunculus fuit M. Antonii triumviri, Cic. Epp. ad Famm. X, 28, extr. — *C. Figulus* Ciceroni Epp. ad Attic. I, 2, init. nominatur C. Marcius Figulus; olim ei nomen erat *Minucio Thermo*, v. Cic. ad Attic. I, 1. sed in *Marcios* adoptatus est. Cf. Ernestii Clav. Cic. cui hi loci debentur. — De verbo *appellare aliquem* v. ad Iug. XIV, 17.

§. 2. *quae voluit*] Nota perfectum pro relativo tempore positum, quo non ad certum illud tempus, quo res fiebat, respicitur, sed praeteritum tantummodo tempus indefinite et ἀορίστως significatur. Iug. LXX, 1. *Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu d e s e r u i t, inceperat* etc. De hoc perfecti usu iam satis monuit F. A. Wolfius ad Suet. Caes. c. 84. p. 107. Eandem rem tractavit etiam G. Lud. Walchius Emendd. Livv. p. 72 sqq. Liv. XXI, 1, 2. *adeo varia belli fortuna fuit, ut propius periculum f u e r i n t, qui v i c e r u n t.* XLI, 31, 5. *qui s u p e r f u e r e praelio, in oppida sua dilapsi sunt.* XXIX, 23, 2. *haud parvum et ipsi momentum adiecerunt, societatem Syphacis regis, cuius maxime fiducia traiectum in Africam Romani c r e d i d e r u n t.* Nep. Hamilc. I, 5. *quum Catulus negaret se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem t e n u e r u n t, Sicilia decederent.* id. Alcib. IX, 2. *Thraces insidias ei fecerunt; qui ea, quae a p p o r t a v i t, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt*, ad quem locum Bremius parum accurate hunc perfecti usum Nepotis tantum proprium iudicat, gravius vero in eo errans, quod hoc perfecto tempus praeteritum significari censet, plene ad id usque momentum, quo altera actio fiebat, pertinens. V. etiam quae annotavimus ad c. XXXIX, 5.

in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo
3 et plurimum audaciae inerat. Eo convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae,

in unum convocat] Dahlius et Müllerus praeeunte Cortio supplent *locum*, quae ellipsis non videtur admittenda, quia *unum* neutro genere substantive positum est. Romanos de supplendo *locus* sub t. non cogitasse, docet etiam frequens locutionis usus, quem Cortius illustravit. Iug. XI, 2. *postquam illi in unum convenere.* L, 5. *neque in unum se recipiebant.* LI, 3. *milites in unum conducit.* XCVIII, 4. *milites in unum contrahit.* Tacit. Ann. IV, 47. *donec exercitum in unum conduceret.* ib. XV, 26. *auxilia regum in unum conducta.* Liv. XXXVI, 8, 5. Nobiscum facit Car. Beierus ad Cic. Off. I, 17, 53, extr. *colligatio societatis propinquorum i n e x i g u u m a n g u s t u m q u e concluditur.* Eadem plane ratio est dictionis *in praesens;* praesens est enim id quod adest, sive *praesentia*, ita ut *tempus* non suppleatur. Exempla Cortius attulit ad Cat. XVI, 3. sed ibi quoque, ut videtur, de ellipsi cogitans.

inerat] Hoc verbum Cortius, ne uno quidem cod. suffragante, eiecit, Gruteri potius inconsultam sententiam, quam rectam rationem secutus. Exiguam tamen aut nullam ad vocabulum defendendum vim habet, quod Gerlachius dicit, eo omisso numerum claudicare. Sed propterea potius non potest omitti, quia omnes supplerent *esse*, quum tamen *inesse* requiratur. Nam huius vocabuli proprius usus est, ubi de rebus internis, imprimis de animi ingeniique virtutibus vel vitiis dicitur, quae *insunt in homine*, quum res externae ei *sint*. Cat. XXIII, 2. *huic homini non minor vanitas inerat*, quem locum Cortius pariter corrupit. XXV, 5. *multus lepos inerat.* LVIII, 2. *quanta audacia animo inest.* Iug. LXIV, 1. *inerat contemptor animus et superbia.* Cic. de Off. I, 37, 13. *vitium aliquod inesse in moribus.* Ter. Eun. I, 1, 14. *in amore haec omnia insunt vitia.* Cf. ad c. XX, 11. Eodem sensu etiam simpliciter *esse in aliquo* dicitur. cf. Iug. VIII, 1. XXVIII, 5. Cic. Epp. ad Famm. XVI, 5, init. quae loca Cortius attulit ad Catil. LI, 42. Patet igitur leve zeugma h. l. haberi, nam *inerat* non potest ad *necessitudo* referri, sed *erat* inde assumendum. Ceterum *necessitudo* non est coniunctio, sed *necessitas, urgens calamitas*, qualem auctor descripsit c. XIV, 3. cf. XXI, 3. Vocabuli forma propterea Sallustio placuit, quod multo antiquior est quam altera in *tas*, quamquam sententia non diversa.

Servi filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius
Laeca, L. Bestia, Q. Curius; praeterea ex equestri 4
ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius
Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et

Ita dixit Iug. II, 4. *claritudo;* Gell. XIII, 3. refert *suavitudo*, *sanctitudo*, *acerbitudo*, *acritudo;* Cic. de N. D. I, 34. fluctuat, utrum dicendum sit *beatitas* an *beatitudo;* Plaut. teste Festo dixit *canitudo*, et apud Non. II, n. 399. *hilaritudo*. Inde patet *necessitudinem* idem esse quod *necessitatem*, neque recte Charisium I, p. 76. discrimen statuere. v. Beier. ad Off. I, 21, 70.

§. 3. *P. Lentulus Sura*] Fuit ex clarissima gente Corneliorum, Cat. LV, 6. nepos P. Lentuli, qui princeps Senatus fuerat, Cic. in Cat. III, 5. Consulatum gessit cum Cn. Aufidio Oreste a. 72. a. Chr. n. sed anno sequente ob furtum aerarii senatu motus est, Plut. vita Cicer. c. 17. Postea denuo receptus praetura functus est Cicerone Consule, Cat. XLVI, 5. Cic. or. in Catil. III, 6, 14. Fuit autem homo tardi ingenii et gerendis rebus impar, Cic. or. in Cat. III, 7, 16., sed tamen stolide elatus et superstitionibus deditus, Sall. Cat. XLVII, 2. LVIII, 4. Formae dignitatem in eo magnam fuisse testatur Cicero in Bruto, c. 66, 235. — De *P. Autronio* cf. quae Sall. ipse affert cap. sequente. Plura de eius nequitia refert Cicero p. Sulla, c. 2, 7. 6, 18. et pluribus huius orationis locis. — *L. Cassius Longinus*, Ciceronis in consulatu competitor, teste Asconio ad Or. contra C. Anton. et L. Catil., homo fuit iners et nullius consilii; cf. Cic. in Catil. III, 7, 16. Idem in postrema coniuratione urbis incendendae procurationem sibi depoposcerat. v. ibid. c. 6, 14. — *C. Cethegus*, cum Lentulo princeps coniurationis, Catil. XLVIII, 4. XLIV, 1., nimis calida consilia semper agitabat, Catil. XLIII, 3. 4. Cic. or. in Catil. III, 7, 16. Sall. Cat. L, 2. — De *P. Sulla* cf. c. XVIII, 2. Quum a L. Torquato de coniuratione accusatus esset, Cicero eum defendendum suscepit, quae oratio pro Sulla nobis servata est. v. Ernestii Clav. Cic. — *Vargunteius*, audacissimus ex coniuratis, Ciceronis interficiendi munus in se receperat, Cat. XXVIII, 1. Plura de eo reperiuntur in Cic. or. p. Sulla. *M. Porc. Laeca* conventum coniuratorum domi suae habuit, Cat. XXVII, 4. cf. de eo Cic. p. Sulla 2, 6. or. in Cat. I, 4, 8. In multis codd. scribitur *Leca*, vel *Lecca*, sed *Laeca* antiquissimorum monumentorum auctoritate nititur. — Reliqui minus noti sunt; *Q. Curius* tamen memorabilis, quod per Fulviam coniurationem aperuit, Catil.

5 municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paullo occultius consili huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam
6 inopia aut alia necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat; quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum quam
7 pacem malebant. Fuere item ea tempestate qui

XXIII, 4. XXVIII, 2. — *Bestia* fuit tribunus pleb. Cat. XLIII, 1. — De *Statilio* v. c. XLIII, 2. XLIV, 1. XLVI, 3.; de *C. Cornelio* cf. c. XXVIII, 1. — De *coloniis* et *municipiis* v. ad c. LVIII, 9.

§. 5. *nobiles*] Haec vox, quae in uno Inc. 1. deest, Dahlio ita suspecta fuit, ut uncinis includeret, caussam afferens, eam incommodo loco collocatam esse. Sed ad sententiam eam requiri docent adiecta verba *dominationis spes*, quae quidem spes vix ab aliis quam a nobilibus poterat concipi. Cortius Antonium, Caesarem et Crassum intelligendos censet, de prioribus non repugno, sed de Crasso infra singulatim dicitur. Vocabuli autem locus neutiquam sollicitandus, quum non coniungendum sit *participes nobiles*, sed *complures nobiles*, relicuis verbis quasi parenthesin efficientibus; haud inusitatum autem duo vocabula arcte cohaerentia multis interpositis disiungi. Cf. Vell. II, 47, 2. *medium iam, ex invidia potentiae male cohaerentis, inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus, Iulia decessit.* ibid. II, 52, 5. *quod huius voluntatis erga Brutum suae postea vir tam mitis pretium tulit?* — De infinitivo *vivere*, quem Gerlachius cum intprr. dicit esse pro gerundii genitivo, vide ad c. XXX, 5. et ad Iug. LXXXVIII, 3. — *Quibus — malebant.* De pronomine demonstrativo alio casu, quam praegressum relativum, supplendo monuimus ad c. XIII, 2.; *quibus* autem dixit, quoniam *iuventus* collectivum est; v. ad c. VII, 4. — Verba *quia Cn. Pomp.* etc. cum antecedentibus caussali nexu cohaerent, particula tamen caussali omissa, quod saepe fieri ostendimus ad c. XXXIX, 4. Falsus est igitur Cortius, qui adversativam sententiarum rationem putans *sed* censet supplendum. — De synesi, qua *illos* ad *coniuratio* refertur, v. ad c. XXXIX, 3.

XVIII. §. 1. *Catilina fuit*] *Fuit*, quod inde a Cortio omnes omiserunt, cum Gerlachio ex optimis codd. reposui. Statim post,

crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consili fuisse; quia Cn. Pompeius invisus ipsi magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item coniuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina fuit. De quo 2

Bipontinos secutus, scripsi *de quo*, licet omnes praeferant *de qua*, quod ex scribendi compendio male intellecto ortum non modo plurimos codd. invasit, sed etiam Diomedem II. p. 440. Ed. Putsch. elusit; tamen omnes Leidd. et aliquot Wassii scripturam a nobis receptam tuentur. Femininae formae defensor imprimis exstitit Muretus Epp. I, 33. inter anacolutha hanc structuram referens, Langio probante. Sed magna cautio est, ne temere ad hanc excusationem confugias. Anacoluthorum proprium quidem est, ut inceptae verborum structurae non omnia ex grammaticae lege respondeant, sed id in maioribus tantummodo verborum complexionibus fit, parenthesibus aut enunciationibus secundariis paullum impeditis, ita ut auctor in fine periodi, inceptae constructionis oblitus, orationem ad sensum modo conformet. Quodsi quid anacoluthorum in brevioribus enunciationibus reperitur, plerumque in eo cernitur, quod aut ex abstracto transitur in concretum, aut numerus vel genus praedicati non ad primarium sed ad secundarium substantivum accommodatur. Ex hoc genere sunt verba quae praecesserunt c. XVII, 7. *si c o n i u r a t i o valuisset, facile apud i l l o s principem se fore.* Ter. Eun. II, 1, 19. *Adeone h o m i n e s immutarier ex amore, ut non cognoscas e u n d e m esse.* Cic. Phil. IV, 4, 9. *q u i s igitur illum consulem nisi latrones p u t a n t?* Off. I, 23, 4. *bellum autem ita suscipiatur, ut n i h i l a l i u d nisi pax q u a e s i t a videatur.* Cf. Legg. I, 17, 48. Goerenz. ad Legg. III, 5, 12. Heusing. Praef. ad Off. p. XLVI. Tam late autem non patet haec dicendi negligentia, ut verbum continuo sequatur pronomen, quasi verbi loco substantivum fuisset. Non afferendus erat Cortio Ciceronis locus, Epp. ad Famm. II, 3, 2. *quid s e n t i a m aut scribam ad te postea pluribus, aut, ne ad e a m meditere, imparatum te offendam.* Putavit ille in verbo *sentiam* latere *sententiam;* sed quivis videbit pro *eam*, cui

quam verissume potero dicam. L. Tullo, M. Lepido Consulibus P. Autronius et P. Sulla, designati Consules, legibus ambitus interrogati poenas dederant.
3 Post paullo Catilina, pecuniarum repetundarum reus,

voci *m* adhaesit ex sequenti vocabulo, scribendum esse *ea*, quae constructio talis est, qualis apud Livium, XXX, 17, 12. *quicquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissae, ea patres comprobare.* Cf. ib. XXXIII, 24, 6. ubi v. Drakenborch. Non minus aliena sunt reliqua Cortii exempla, quibus Gerlachius usus est. Quocirca quum nullum ita comparatum sit, ut pronomen ad substantivum ex verbo eliciendum referatur, unice verum iudicamus *quo*, quod eo facilius potuit male intelligi, quum *qua* eodem scribendi compendio contineatur. Ceterum punctum posuimus post *fuit*, quo clarius perspiciatur pronomen ad totam enunciationem praegressam, neque ad solum subst. pertinere.

§. 2. *legibus ambitus interrogati*] De ambitu plures fuere leges, omnium tamen gravissima et severissima Calpurnia, Cic. p. Mur. c. 23, 46. lata a. u. DCLXXXVII. v. Ernestii clav. Cic. Eam Cicero ipse accuratius definivit ampliavitque, ut patet ex or. p. Mur. c. 32, 67. — *Interrogari*, si significat *postulari*, plerumque cum abl. *lege* vel *legibus* coniungitur; infra c. XXXI, 4. *lege Plautia interrogatus erat.* Liv. XXXVIII, 50, 8. *ut legibus interrogari non possit.* Vellei. II, 13, 2. *interrogatus lege repetundarum.* Tacitus tamen etiam absolute ponit, Ann. XIV, 46. et XVI, 21.

§. 3. *profiteri nequiverat*] Hoc quid sit non inter omnes convenit. Cortius haud male explicat *profiteri se candidatum;* accuratius tamen dixisset *nomen apud rogatorem profiteri.* v. Ernest. Clav. Cic. v. *profiteri* et *rogator* et Nitschii Antiquitt. Romm. T. II. p. 1068. Ed. III. Alii intelligunt aeris alieni professionem, de qua dicit Senec. de Benef. VI, 20. Menckenius Obss. Lat. Ling. (Lips. 1745) esse putat *censum solvere*, quia *prohiberi consulatum petere*, et *profiteri se candidatum non posse* idem sit. Müllerus denique facillimam interpretandi viam iniit, verba scilicet *quod intra l. d. p. nequiverit* a glossatore profecta esse pronuncians. Sed Cortii sententiam veram esse docet Vellei. II, 92, 3. *C. Sentius quaesturam petentes, quos indignos putavit, profiteri prohibuit.* Nam si qui honores adipisci vellent, primum erat *nomen profiteri;* quod nisi fecissent, aut si a rogatore improbati fuissent, non poterant inter candidatos recipi; v. Cic. in C. Anton. et L. Catil. *a quibus consu-*

prohibitus erat consulatum petere, quod intra ligitimos dies profiteri nequiverat. Erat eodem tempore 4
Cn. Piso, adulescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempubli-

latum petis? principibus civitatis? qui tibi, quum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. Licebat autem candidato tantum petere.

nequiverat] Ita scripsimus ex Bas. 4. Tur. 1. Bern. 1. et Leid. H. K. M.; idem tenent multi codd. Italici et aliquot Cortii libri, quos male minus probatos vocat. Omnes relicui codd. et edd. habent *nequiverit*, quod vix ferri potest, quum auctor rem simpliciter ut factam narret, neque vero ad senatorum sententiam referat, quod Gerlachius vult. Ex duabus autem rebus praeteritis ea quae alteram praecessit non potest non plusquamperfecto enunciari, cf. c. LII, 30. *apud maiores nostros T. Manl. Torquatus filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit.* XIX, 1. Eodem modo, ut noster locus, corruptus erat Sueton. Tiber. 2, med. *iudicium maiestatis mulier subiit, quod palam — optaverit*, ubi dudum ab Oudendorpio et Ernestio ex melioribus libris correctum est *optaverat.* Quod Gerlachius autem contendit, si *nequiverat* scribatur, Catilinam serius ex Africa Romam rediisse putandum esse, id equidem non intelligo. — *Intra legitimos dies*, i. e. intra trinundini spatium ante comitia maxima, v. Macrob. Sat. I, 16. p. 282. Ed. Bip. Perperam autem Müllerus cum Langio credit trinundinum esse triginta fere dierum; septemdecim tantum dies complecti docuit iam Ernestius Clav. Cic. h. v. Schellerus in Lex. Ampl. p. 11669. Nitschius Antiquitt. Romm. T. I. p. 623. Ed. III. et, quem laudat Gerl., Drakenborch. ad Liv. III, 35, 1.

§. 4. *Cn. Piso*] De eo v. Cic. in or. in C. Antonium et L. Catil. *praeterea illum nefarium conatum tuum, quum, C. Pisone socio, neque alio nemine, caedem optimatium facere voluisti.* Ascon. in Cic. or. p. C. Cornel. *Cn. quoque Piso, adolescens potens et turbulentus, familiaris erat Catilinae, omniumque eius consiliorum particeps et turbarum auctor.* — *Adulescentem* scriptum in Bern. 1. — *Circiter Nonas Decembris* Cortius, caecique eius sectatores Tellerus et Kunhardtus omiserunt. Bipontt. et Langius edidere *Decembres.* Quod cum Gerlachio ex omnibus codd. exhibuimus noli pro genitivo substantivi habere, quum in tali temporis notatione semper fere pro substantivo adiectivum ponatur. Exempla dabit Ramshorn.

cam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius circiter Nonas Decembris consilio communicato parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum Consules interficere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exer-

Gramm. Lat. §. 207, 1. p. 717. et qui hanc rem uberrime exposuit Drakenborch. ad Liv. IV, 37, 3. — *Kal. Ianuariis*, quo die novi consules magistratum inibant, votis in Capitolio factis [illegible] itschii Antiquitt. Romm. T. II. p. 1075. Ed. III. De Catilin[illegible] cepto cf. Cic. in Cat. I, 6, 15. ubi v. Matthias. — De *L. Cotta* v. Cic. Philipp. II, 6, 13. *L. Cotta, vir summo ingenio, summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis. L. Torquatus*, teste Cicerone or. in Pis. 19, 44., vir fuit omni dignitate ornatissimus, et magnis rebus in Macedonia gestis, imperator est appellatus. v. Ernestii Clav. Cic. — *Duas Hispanias*, i. e. citeriorem et ulteriorem, sive Tarraconensem et Baeticam. Liv. XXXII, 28, 2. Caes. B. C. I, 29. *interea veterem exercitum, duas Hispanias confirmari.* Cort.

§. 6. *ea re cognita, rursus*] Revocavimus interpunctionem Gruterianae editionis, commate post *cognita* posito, quod inde a Cortio omnes, etiam Gerlachius et Herzogius, post *rursus* habent, non satis considerato, ut videtur, usu loquendi. Haud raro enim compositorum verborum vis addito cognatae significationis adverbio augetur; ita *transferre* quamquam suapte vi repetitionem ferendi significat, tamen *rursus* non vitiose adiectum videri debet. Flor. I, 3, 9. *in suum corpus rediisse rursus*, ex quo scriptore plura suppedidabit Freinshemii index. Cf. Ruhnken. ad Ter. Adelph. IV, 1, 9. *quam huc reverti posset iterum*, ubi v. etiam Bentleius. ib. I, 1, 46. *rursum ad ingenium redit.* IV, 2, 40. *in porticum rursus redi.* Eun. IV, 2, 6. *redio rursus.* Nep. Alcibiad. 6, 5. *rursus resacrare.* Cf. Gronovius ad Liv. XXI, 32, 7. *quamquam fama prius praecepta res erat.* id. XXI, 20, 8. *ante praeoccupare.* Alia dabit Bremius ad Nep. Datam. 6, 1. Zumpt. Gramm. Lat. §. 85, 8. p. 503. Quod Herzogius autem *cognita rursus* idem esse dicit atque *detecta, patefacta*, iteratam cognitionem non ad conscios, sed ad eos qui extra coniurationem erant referens, id mea sententia nullo pacto fieri potest.

§. 7. *non consulibus modo, sed plerisque*] Quod Cortius annotavit, *sed nude positum, pro eo quod vulgatius est, sed etiam*,

citu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re 6
cognita, rursus in Nonas Februarias consilium caedis
transtulerant. Iam tum non Consulibus modo, sed 7
plerisque Senatoribus perniciem machinabantur.
Quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis 8

id, licet Gerlachius repetierit, prorsus falsum est. Romani enim ita usu distinxerunt inter *sed etiam* [illegible] simplex *sed*, ut illud ponerent, si [illegible] ue membrum pari esse vi vellent, hoc, si posteriori me[illegible] quandam vim tribuerent, ita ut prae altero quasi emineret; hoc autem imprimis fiebat, si latius pateret quam antegressum, idque eo contineretur. v. c. Catil. XXXIX, 6. *neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum.* Dixit de hoc usu Bremius ad Nep. Cimon. 4, 1. Heusi[illegible]. ad Off. I, 4, 4. *nec sibi soli, sed coniugi, liberis, ceterisque.* I, 39, 3. *in domum non repulsam solum retulit, sed ignominiam et calamitatem.* II, 2, 12. *non modo disputandi, sed vivendi ratione sublata.* Goerenz. ad Cic. Legg. III, 11, 25. et ad I, 14, 41. Aug. Matthias ad Cic. in Catil. III, 10, 24. et Passov. ad Tacit. Germ. c. XV, extr. qui tamen ad eiusdem generis locum ibid. c. X, p. med. graviter lapsus est, *sed* deleri cupiens, alienissimis exemplis collatis, qualia ad Cat. XXXV, 2. congessimus.

§. 8. *quodni*] Hanc vocem coniunctim scribendam esse diximus ad c. II, 3. Simul inde perspicietur, Kunhardtum imperite iudicare, *quod* particulis condicionalibus coniunctum interdum redundare. — *Maturasset dare* est celerius vel properantius dedisset; paullo aliter *maturare* sequente inf. positum c. XXXVI, 3. ubi v. Ad nostrum locum pertinet quod Herzogius ad c. XIII, 2. observavit, *maturare, occupare, contendere* verba ad analogiam Graecorum *οἴχομαι, φθάνω, διατελέω* adverbiorum vices sustinere. Liv. II, 48, 2. *occuparent patres suum munus facere.* Statim post cum Gerlachio incommodam recentiorum editt. interpunctionem sustuli, semicolo, quod post *convenerant* erat, in comma mutato, ne verba arcte cohaerentia divellantur. Nugas autem agit Cortius, in verbis *ea res c. diremit* hypallagen conspiciens, quam explicat *ea re c. frustra fuit. Ea res* simpliciter est *id;* nihil enim tritius, quam vocem *res* ad circumscribendum neutrum pronominis vel adiectivi adhiberi. Cf. c. XL, 4. *nihil tam asperum esse, quod non cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret.* Cic. Epp. ad Famm. V, 15, 3. *non habeo certum, quae te res hinc maxime retrahat.* Noster Cat. VII, 7. XIX, 6. XX, 4. Iug.

dare, eo die post conditam urbem Romanam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam

LXXIX, 1. LXXXIV, 3. v. Zumpt. Gramm. Lat. § [illegible] p. 475. Moebius ad Caes. B. G. I, 30. — *Urbem Romanam* haud d[illegible] genuina scriptura est, ut Cortius recte vidit. Plurimi quidem libri tenent *urbem Romam*, sed adiectivum legitur in Guelf. 10. Acad. m. pr. Erl. et Teg.; praeterea septem Guelff. tres Leidd. totidemque Italici habent *Romane tam*, sex vero Italici *Romam tum*, quae inepta scriptura documento est, primitus *Romanam* fuisse in libris. Minime enim probabilis est Gerlachii sententia, *tum* glossam esse verborum *eo die*, cuius loco alii *tam* per incuriam scripserint. Loquendi usum, quo *urbs Romana* dicitur pro *urbe Roma*, Cortius exemplis satis firmavit, ut Nep. Attic. XX, 5. Iustin. VI, 6, 5. XLIII, 3, 1. Liv. VII, 1, 10. Tacit. Historr. IV, 58, extr. Flor. I, 13, extr. Lucan. II, 564. — *Diremit* i. e. irritum reddidit. Cf. Drakenb. ad Liv. IX, 8, 12. Non est igitur, quod cum Gerlachio hoc vocabulum in haruspicina proprium esse statuas.

XIX. §. 1. *Quaestor pro Praetore*] Guelf. 11. *Propraetor*; reliqui omnes conspirant in vulgata, quam Cortius cum plurimis sic explicat, ut sit, *loco Praetoris*, sive cum imperio ac dignitate praetoria, quomodo etiam Moebius ad Caes. B. G. I, 21. accipit. In ea interpretatione recte se habet *pro* per ablativum *loco* explicatum; nam *pro Praetore*, quod saepissime in appositione nominativi vim habet, h. l. nequit pro primo casu esse, quia in ista constructione appositio *Quaestor* vocis foret, quod absurdum est. Sed Praetor h. l. nihil aliud est quam *Propraetor*, quia tum in provinciis nulli praetores erant, v. Lipsii Excurs. ad Taciti Ann. I, 14. Tom. IV. p. 748. Ed. Oberl. Saepe autem *Propraetores* dicuntur Praetores, quod docte monuit G. L. Walchius Emendd. Livv. p. 96. laudans Duker. ad Liv. XXIII, 40. Cf. Car. Beier. ad Cic. Off. II, 14, 50. III, 26, 99. Ilgen in Opusec. philoll. Vol. II. p. 104. Oudendorp. ad Caes. B. C. I, 1[illegible], 1. Lips. ad Tacit. Ann. II, 56, extr. Ernestius in Clav. Cicer. v. *Praetor*, et Schellerus in Lex. Ampl. p. 8396. Eodem modo *Proconsules* vocabantur *Consules*, v. Duker. ad Liv. XXVI, 33. et qui proprie *Proquaestores* essent, inter-

Quaestor pro Praetore missus est, annitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen Senatus provinciam invitus 2 dederat; quippe foedum hominem a republica procul esse volebat; simul quia boni complures prae-

dum [illegible]pabantur *Quaestores*, Ruhnken. ad Vell. p. 229. Omnino de [illegible]m munerum nominibus permutatis conferendus Ernestius ad Sueton. Caes. c. 54, init. et Oudendorp. ad auctor. B. Afr. c. 80, 4. Nostri igitur loci sensus est: *Quaestor loco Propraetoris missus est;* interdum enim inferioribus magistratibus in provinciis potestas superiorum permittebatur. Rem tangit etiam Sueton. Caes. c. 9, extr. unde lucis aliquantum affertur verbis Sallustianis; tradit enim, *Pisoni ob suspicionem urbanae coniurationis provinciam Hispaniam ultro extra ordinem datam esse.* — *Annitente* i. e. summo studio id agente. Cf. Iug. XLIII, 4. Liv. XXI, 8, 8.

infestum inimicum] Posterius vocabulum, quod in Guelf. 11. abest, in Inc. 2. autem et Rem. 1. Guelf. 1. 9. *que* adiunctum habet, Bipontini, Manutio suspicionem movente, ut glossema eiecerunt; ceteri editores, codices secuti, retinuerunt; *infestum* recte explicantes *acerrimum.* Possit tamen hoc offendere, quod *inimicus*, substantive positum, genitivum regit, dativo autem coniunctum adiectivum est; sed alio adiectivo addito veri substantivi naturam induit, eoque fit, ut alterum substantivum, quod genitivo ponendum erat, etiam dativo poni possit, qui casus a verbo pendet, vel quovis, vel substantivo *esse* supplendo; cf. Liv. III, 37, 5. *id modo plebes agitabat, quomodo tribuniciam potestatem, munimentum libertati, repararent.* Cic. p. Mur. c. 14, 32. *cum P. Africano Senatus egit, ut legatus fratri proficisceretur.* Sall. Cat. XL, 2. *quem exitum tantis malis sperarent.* Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. II, 6, 27. et ad Rutil. Lup. p. 38. Bentl. ad Ter. Andr. III, 3, 17. Ruddimann. Institt. Gramm. T. II. p. 88. et imprimis Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 9, 27. p. 161 sq. — *Neque tamen invitus*, v. ad c. III, 1. —

§. 2. *simul*] Crebro Sallustius hac voce ut particula copulativa utitur in sententiis connectendis, si levior quaedam ad graviorem adiicitur. Cf. c. XVI, 4. XVII, 7. *simul confisum.* XX, 3. *sed quia — simul quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi.* LVI, 5. *simul alienum suis rationibus existumans.* LVIII, 4. Iug. IV, 1. *cuius de virtute quia multi dixere praetereundum puto, simul ne*

sidium in eo putabant, et iam tum potentia Cn.
3 Pompei formidolosa erat. Sed is Piso in provincia

quis existumet. CORT. — *Complures* ex probatissimis codd. cum Gerlachio revocavimus; Cortius ex XI codd. librariorum commentum *quamplures* recepit, temere spernens, quae Gronov. ad Gell. I, 7. Valla praeeunte monuerat, *complures* tantummodo genuinum esse, alteramque formam ubique esse corruptam, maleque agere, qui depravatis locis uterentur. Huius iudicii veritas etiam librorum Mss. auctoritate confirmatur; nam Cat. XVII, 5. XXIII, 4., XIII, 1. XLII, 3. *complures* sine ulla discrepantia legitur, et c. XXXIX, 5. duo tantum codd. habent *quamplures.* De vocis potestate v. Herzogium ad c. XIII, 1. *Complures* enim, sine comparatione dictum, numerale indefinitum est, idemque fere est ac *nonnulli; plures* contra semper vim comparativam habet, ac respectu minoris numeri dicitur.

et iam tum] Haec verba Cortius imperite cum alienissimo loco c. II, 1. contulit. Ex relicuis unus Müllerus recte vidit *et* h. l. non tam copulandi quam explicandi vim habere; nam auctor hac enunciatione, quae per *et* particulam priori adiungitur, rationem reddit, cur complures boni praesidium in eo putaverint. De hoc copulae usu in universum diximus ad c. III, 5; explicativam vim, ubi singulis vocabulis interponitur, illustravimus ad c. IV, 2. Uberius de ea re exposuit G. L. Walchius in Emendd. Livv. p. 65-67. et, quos laudat, F. A. Wolf. ad Tac. Ann. I, 57. et Dan. Wyttenb. Bibl. Crit. III, 3. p. 103. Adde Iug. XLIII, 5. *quod advorsum divitias animum invictum gerebat, et avaritia magistratuum nostrae opes contusae erant.* Tacit. Ann. II, 35, init.

§. 3. *in provincia*] Cum Cortio permulti, etiam Gerlachius, scripserunt *in provinciam*, quam lectionem exhibent Fabric. 1. Rem. 2. Acad. Senatorii, Struv. Basilienses, septem Guelff. omnes fere Leidenses et Gerlachii libri. Nostra scriptura, quam tuentur etiam Bipontt. et Müllerus, est in relicuis Cortii libris, Leid. M. Paris. A. et Erl. *In provinciam iter faciens* non ita interpretantur, ut sit *in provinciam se conferens*, vel *provinciam petens*; ibi enim Pisonem iam fuisse, quum occideretur, omnes concedunt; alioquin Sallustius non potuisset *Hispanos equites* et §. 4. *barbaros* commemorare. Rem diserte tradit Dio Cass. XXXVI. p. 21. ὁ μὲν (Πίσων) ἐνταῦθα ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, ἀδικήσας τι αὐτούς, ἐσφάγη. et Asconius Ped. ad Cic. or. contra Ant. et L. Catil. *Piso, quum haec dicerentur, perierat in Hispania, ibique dum iniurias provincialibus facit, occisus erat.* Sed Cic. in Verr. IV, 25, 56. Müllero non laudandus erat; qui enim ibi interfectus

ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicunt, impe- 4

traditur L. Piso diversus est ab hoc nostro. Ut autem accusativus expediatur, Cortius, probante Gerlachio, ad antiptosin confugit, cuius haec vis sit, ut *accus.* nullo plane sensus discrimine pro *ablat.* ponatur, alienissimis pessimeque intellectis exemplis allatis, velut Cat. XI, 4. quem locum pariter corrupit, et aliis, de quibus accuratius dicemus ad Iug. CXII, 3. Langius vero et Müllerus interpretantur *intra provinciam*, quasi vero hoc differat ab *ablativo* cum *in*; nisi forte statuas, Pisonem in finibus tantummodo et extrema provinciae parte versatum esse. His nugis abiectis, confidenter construe *Piso ab equitibus Hisp. in provincia occisus est, iter faciens* i. e. in itinere. Qui enim Langii error fuit, ut „quovis modo *in provinciam* coniungendum censeret cum *iter faciens*," idem etiam librariis caussa fuit, cur ablat. in accusat. mutarent.

§. 4. *dicunt*] Ita omnes codd. excepto Bas. 4. et Bern. 1. qui habent *dicant*. De indicativo post *sunt qui* magnopere dissentiunt critici; utrumque modum promiscue poni censet Cortius, quippe apud quem exempla omnia valeant, ratio nihil; idem sentit Langius ad h. l. Schellerus in Obss. p. 10. et in Lex. Ampl. v. *sum*, p. 10857. Si verbo *sum* nullum subiectum additum sit, indicativum prorsus damnat Ernestius Praef. ad Cic. p. VI. Bremius ad Nep. Milt. 3. 2. id. ad Cic. de Finn. I, 20, 70. accedente Goerenzio ad h. l. et ad Acad. II, 22, 70. Pariter statuit etiam Car. Beierus ad Off. I, 2, 5. et Censor in Ephem. Litt. Lips. a. 1816. p. 206. Iidem tamen hunc modum probant, si *sunt* verbo aliquod subiectum adiungatur, ad quod pronomen referatur, velut *nonnulli*, *multi*, *plurimi*, *quidam*, id quod etiam Zumptius tradit Gramm. Lat. §. 78. 9. b. not. 2. p. 414. qui tamen indicativum etiam post simplex *sunt qui* admittit, sed cum Heusingero ad Cic. Off. I, 24, 12. ad Graecismum refert, id quod etiam Gerlachius ad h. l. amplectitur. Sed hae sententiae cur non plane satisfaciant, haec caussa est, quod nulla earum ex utriusque modi natura et indole hausta videtur. Indicativi enim haec vis est, ut rebus certis quaeque vere sunt vel fiunt exprimendis inserviat; quare adhibendus est, ubi significare volumus, cogitationibus nostris rerum veritatem respondere, ac nullum incertitudini aut dubitationi locum relinqui. Coniunctivo vero enunciantur ea, quae cogitatione tantum complectimur, h. e. quae fieri *posse* videntur, quaeve aliquem facere *velle* consentaneum est, ut adeo dubia atque incerta sint neque definite possint pronunciari. Subiunctivus igitur modus adhibebitur in re aliqua tradenda,

ria eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequi-
5 visse pati; alii autem, equites illos, Cn. Pompei
veteres fidosque clientis, voluntate eius Pisonem
aggressos; numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpes-
6 sos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum.

quam non pro certa atque indubitata haberi volumus, sive quia eam ipsi non satis compertam habemus, sive quia eius auctorem ignoramus, aut certis de caussis ignorare simulamus. Quod modorum discrimen quum Goerenzius, Beierus et Zumptius H. ll. hanc vim habere concedant, ut, si verbo *sunt* subiectum aliquod additum sit, indicativus recte se habeat in re vel sententia ut certa declaranda (cf. Cat. XXXIX, 5. *fuere extra coniurationem complures qui ad Catilinam profecti sunt*), nulla plane caussa excogitari potest, quam ob rem non idem de simplici locutione *sunt qui* valeat, quum modi ratio nihil plane mutetur. Quam sententiam, dudum nobis persuasam, luculenter exposuit vir Latinae linguae peritissimus, Lud. Ramshornius Gramm. Lat. §. 184. p. 547-551. qui nostri loci non immemor, indicativum graviter vindicat, quum Sallustius illius rumoris auctores haud dubie nosset, eorumque sententiam sine ulla restrictione proferret. Eadem ratio est apud Cic. Off. I, 24, 2. *sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt.* ibid. §. 12. *sunt, qui quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.* ubi indicativum nolim cum Gernhardo et Beiero ad I, 2, 5. per anacoluthiam quandam excusare, quia improbabile est, Ciceronem post tam brevem sententiam interpositam structurae oblitum esse. Merito igitur cum Ramshornio apud Cic. de Finn. I, 20, 70. restitues: *sunt qui dicunt, foedus quoddam esse sapientum.* Adde Hertelium ad Taciti Agric. c. 28, extr. *fuere, quos indicium tanti casus illustravit.* Cic. Tusc. III, 31, 76. Invent. c. 40, init. Quum igitur pateat saepe a solo scriptoris arbitrio pendere, utrum rem enunciandi modum eligat, neque e rebus ipsis ubique certum argumentum peti posse, neminem fugere potest, codicum auctoritatem non temere negligendam esse.

§. 5. *Cnei Pompei veteres fidosque clientis*] Haec hexametrum efficere animadvertit iam Muretus ad Cic. in Catil. I, 1. Multos

XX. Catilina ubi eos, quos paullo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit; atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit.

„Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, 2

eiusmodi versus, qui optimo cuique scriptori interdum inscienti exciderunt, VV. DD. ambitiosi collegerunt. Sufficiat nobis laudasse Fr. Aug. Wolfium ad Tac. Ann. I, 1. init. prudenter monentem, errare eos, qui in his versibus, casu natis, altius quiddam et reconditius quaerendum censeant. — *Clientis* i. e. gratia et beneficio sibi devinctos, quales Caesar B. C. I, 75. *beneficiarios* vocat. Cf. ib. II, 18. *magna esse Pompei beneficia et magnas clientelas in citeriore provincia sciebat.*

XX. §. 1. *in rem fore*] In VI codd. Leidd. VIII Guelf. Run. 1. Fabr. 1. Eccard. Arond. legitur *in re*, contra usum dicendi. Laudavit Cort. Ter. Phorm. I, 3, 9. *quae in rem tuam sint, ea velim facias mihi.* Gronov. ad Liv. XXX, 4. *quae in rem erant.* Adde Ruhnken. ad Ter. Andr. III, 3, 14. Dicitur etiam eodem sensu *ob rem*, Sall. Iug. XXXI, 5. et *ex re* Ter. Phorm. V, 7, 76. cf. Ruhnken. ad II, 2, 41. — *Secedit.* Ita Bas. 1. Naz. Commel. Pal. 5. 12. permultique Cortii libri; alii minus probi *secessit*, quod librarii propter sequens *habuit* maluerunt. Sed ut Sallustius frequenter ex infinitivo historico transit in imperfectum et contra, ita praesenti historico adiungit perfectum, quomodo apud Liv. V, 50, 1. praeteritum excipit praesens, *omnium primum quae ad deos pertinebant retulit; et senatusconsultum facit* cet. cf. F. A. Wolf. ad Tacit. Ann. II, 7, init. *Caesar Silium irruptionem in Cattos facere iubet; ipse sex legiones eo duxit*, ubi Ernestius, huius usus ignarus, perperam *ducit* scribendum censuit. Iustin. VII, 6, 9. *Thessaliam expugnat, unumque corpus equitum pedestriumque copiarum invicti exercitus fecit.* Ne tamen utrumque tempus arctius copuletur, semicolo interpunximus, ut, subiecto denuo cogitato, nova enunciatio incipiat, quo sententiae vis haud paullo augetur.

§. 2. *spectata*] In tribus Leidd., octo Guelff., Bern. 1. 2. Tur. 1. 2. Rem. 1. Vin. 2. Bas. 3. Eccard. et quattuor Vaticc. est *satis spectata*; in Leidd. F. H. M. et Bern. 3. *spectata satis*; sed in opti-

nequicquam opportuna res cecidisset, spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent, neque ego per ignava aut vana ingenia incerta pro certis ca-

mis *satis* abest; quare, quum haec codicum inconstantia ostendat vocem a glossatore additam esse, cum Cortio et Gerlachio omisimus, quamquam languere eam, quod Herzogius censet, non dixerim; Langius tamen et Bipontt. revocarunt. Praeterea septemdecim codd. habent *foret*, quod satis probum, ut ostendimus ad c. X, 2. sed non necessarium. Quae Herzogius autem de sententiae discrimine disputavit, nimis subtilia videntur. — Pro *cecidisset* in undeviginti codd. legitur *accidisset*, quod minus probum. *Cadere* enim habet notionem eventus certi, et quidem in utramque partem, imagine a tesserarum ludo petita, ut bene monuit Herzogius. Cf. Ter. Adelph. IV, 7. 21 sq. Caes. B. C. III, 73. — De *opportuna* pro *opportune* v. ad c. XXVI, 5. — Pro *dominatio* septem Leidd., totidem Guelff., Bas. 4. Erl. Par. B. C. cum septem aliis Cortii tenent *dominationis*, quod quamquam non ineptum est, tamen scribarum ingenio debere alia docet interpolatio; quippe quod est in Guelf. 9. et Bas. 2. *dominatioque* non potuisset effingi, si primitus genitivus affuisset. Accedit quod Catilinae ingenio multo convenientius est, si de dominatione ut certa loquitur, quamquam id noluerim cum Cortio et Langio *correctionem* dicere. Haud infrequens autem Sallustio est duo vocabula sine copula iuxta collocare; cf. infra §. 7. *semper illis r e g e s, tetrarchae vectigales esse.* c. XI, 5. *loca a m o e n a, v o l u p t a r i a animos molliverant.* cf. ad c. XLIII, 2.

per ignava ingenia] Omnes codd. constanter tenent *per ignaviam;* sed non veremur, ne audaces videamur, quod Cortii coniecturam, huc usque neglectam, in textum recepimus, quum multo graviori de caussa ita fecerimus. Ille enim tantummodo oppositionis caussa vulgatam mutari cupit, haec annotans: „aut fallor, aut Sallustius scripsit: per ignava aut vana ingenia; ita ut *ignava* ingenia opposuerit virtuti, et *vana*, fidei coniuratorum, de quibus principio orationis dixerat.“ Sed isto modo nihil lucramur, quum etiam *per ignaviam* ad praegressam vocem *virtus* referatur. Vulgatam ita explicant interpp., ut dicant abstractum pro concreto esse positum, sensumque esse *per ignavos homines.* Gerlachius praeterea eo defensionem parare vult, quod consuetudinis Sallustii sit, orationem in oppositis et epithetis variare; sed quae affert exempla, veluti *pars-alii*, et Iug. I, 1. ac LXIII, 7. prorsus aliena sunt. Quivis

ptarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus 3
vos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere,

autem latine doctus intelliget *per ignaviam* non *pro oblecto* esse posse, quo significentur ii, qui ignavi sint, sed *adverbii* potestate, qui perpetuus usus est, ad *captarem*, eoque etiam ad Catilinam ipsum referri. Cf. infra §. 9. *nonne emori per virtutem praestat, quam vitam per dedecus amittere*, ubi vide Cortium rectissime iudicantem. c. XII, 5. *ignavissumi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere.* XLII, 1. *inconsulte ac veluti per dementiam agere.* Historr. I. Fr. 15, 2. Gerl. *utrumque per iniuriam malunt quam optumo iure liberi agere.* Iug. II, 4. *dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt.* ibid. IV, 2. *ne per insolentiam quis existumet* etc. LXXXV, 1. *per ignaviam et superbiam aetatem agere.* ibid. §. 35. *quum tute per mollitiem agas.* Liv. I, 5, 2. *ut nudi iuvenes per lusum atque lasciviam currerent.* XXIX, 9, 12. *quae per libidinem et avaritiam foeda exempla in socios ediderat.* v. Drakenborch. ad XXX, 29, 3. et Heusing. ad Cic. Off. I, 37, 13. Vides nunc *per ignaviam*, quod, si Sallustii mentem respicis, ad Catilinae socios spectare debet, linguae usu nonnisi ad ipsius Catilinae agendi rationem posse referri; vides etiam, quod Cortius iam monuit, verbis *virtus fidesque nostra* diserte haec opponi *per ignaviam aut vana ingenia*; vides denique, si scribas *per ignava*, non modo oppositionem, quam auctor de industria quaesivit, maxime concinnam fieri, verum etiam sententiam talem existere, qualem locus flagitat. Quare noli dubitare, quin auctoris manus a nobis restituta sit.

§. 3. *multis et magnis tempestatibus*] *Tempestates* h. l. sunt pericula, res adversae, rerum discrimina. Cf. Goerenz. ad Legg. III, 11, 25. De provv. Cons. c. 8, 18. *omnem enim illam tempestatem Caesare impulsore esse excitatam.* Metaphora unde ducta sit, facile patet; quare Cortio non assentiendum, qui *tempestas* vocis, quae haud raro pro *tempore* ponitur, eandem ac huius vocabuli vim esse censet, qua significat *periculum resque asperas.* De ea potestate dixit Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 7. p. 28. Heusing. ad Off. I, 13, 1. Matthias ad or. p. l. Manil. 1, 1. et Car. Beier. ad Off. II, 1, 4. et ad I, 23, 81. — De copula post *multis* vide ad Iug. CII, 10. — *Ausus est* rescripsimus cum Gerlach. ex omnibus codd.; Cortius pro more suo *est*, quod Inc. 1. inter versus habet, Heuss. ante *ausus*, deleverat.

simul quia vobis eadem quae mihi bona malaque
4 esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle,
5 ea demum firma amicitia est. Sed ego quae mente

eadem quae mihi — esse intellexi] In Naz. Commel. et Vat. 4. *quae* abest; Fabric. 2. *quia eadem vobis atque mihi*, et Incert. 2. *eadem illa quae m.* Inde Cortius Sallustianum esse contendit *eadem mihi*, magnopere sibi placens, quod Crispum Graecismo ditavit, qualis est apud Lucret. III, 1052. et Ovid. Amor. I, 4, 1. ubi v. Heins. cf. Vechner. Hellenol. p. 296-7. ibique Hensing. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84, 12. p. 487. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, 122. Qui vero criticam via et ratione exercere didicerit, merito intemperanti hac inusitatas structuras inferendi libidine abstinebit. Praeterea *esse* post *malaque* revocavimus, quod Cortius, quum in tribus codd. abesset, in tribus locum mutaret, expunxit, Gerlachio et Herzogio novissime obsequentibus. Alia enim videtur ratio huius loci ac reliquorum, quos Cortius laudavit, velut supra §. 3. *quia vos cognovi fortis fidosque mihi.* XIX, 1. *quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat.* XXXII, 2. *quorum cognoverat promptam audaciam.* XXXVII, 6. *quod ex gregariis militibus alios Senatores videbant.* Iug. XXXVI, 3. *fuere qui Albinum haud ignarum consili regis existumarent.* In his enim accusativus, infinitivo abiecto, quasi formam vulgaris praedicati induit, eoque fit, ut *esse*, quo posito constructio plena ac plane integra fit, non magnopere desideretur. Ex eodem genere est, quod Goerenzius in Iahnii Annall. Philoll. et Paedag. I, 2. p. 312. apud Cic. Off. II, 22, 78. censet scribendum: *qui vero se populares volunt;* et de Orat. II, 60, 246. *qui se volt dicacem;* de Finn. V, 5, 13. *Strato physicum se voluit.* Sed ista ratio plane mutatur, si obiectum non accusativo sed dativo casu positum est, neque putaverim, si recte dicitur *puto te divitem*, etiam dici posse, *puto tibi divitias.* Ceterum cf. quae diximus ad c. I, 3.

§. 4. *atque idem nolle*] Recte Gerlachius alterum *idem* recepit, quod Cortius omiserat, quia in cod. Commel. Fabr. Riv. Rem. Guelf. 5. 9. et Regio abest. Hac enim pronominis anaphora vim sententiae mirifice augeri nemo non videt. Cf. Iug. XXXI, 14. *quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit*, Gerlachius tamen, licet in textu pronomen repetierit, in Commentt. p. 81. utram scripturam veram esse dicat se ambiguum haerere profitetur. — §. 5. *Agitavi* Sallustius consulto dixit, non *agitaverim*, quoniam id agit, ut suis de consiliorum vere initorum fide

agitavi, omnes iam antea divorsi audistis. Ceterum 6
mihi in dies magis animus accenditur, quum considero quae condicio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi

persuadeat. V. quae de hoc indicativi usu bene monuit Ramshornius Gramm. Lat. §. 174. 2. not. 3. p. 498. coll. quae annotavimus ad c. LIII, 2. et ad Iug. IV, 4. Oppido autem fallitur Gerlachius, cum nostro loco comparans Cat. XXVII, 4. Iug. LIV, 1. LXIII, 1. quibus locis indicativus inde repetendus est, quod auctor in constructione obliqua alterius orationi suam sententiam immiscuit, quod dicendi genus illustravimus ad c. XIV, 7. —

§. 6. *quae condicio vitae futura sit*] *Condicio*, quae scribendi ratio melior est quam *conditio*, exstat in Vat. A. cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. T. I, 1. p. 250. Pro *futura* Müllerus edidit *futurae*, ut dicit ex *optimis libris;* sed hoc scribae mendum in *uno* tantum Bas. 3. reperitur, neque ulla ex parte tolerari potest, quum multo gravius sit, Catilinam de condicione vitae omnino sollicitum esse, quam de statu *vitae futurae*, quam timebat potius, summa necessitudine circumventus, quam qualis esset compertum habebat. Accedit quod in ista scriptura *sit* vocabulo *futurae* non convenit; nam si vere praesens est, non potest cum notione futuri coniungi; sin autem vim futuri habet, duo futura iuxta posita inepte se habent.

nosmet ipsi] Ita in solo cod. Vatic. A. ap. Gerl. Vol. II. Fasc. I. p. 18. Reliqui omnes *nosmet ipsos*. Receptam a nobis lectionem, iam olim a Rivio coniectura propositam, Cortius quoque probavit, eo inclinans, ut ubique fere, ubi *ipse* cum pronomine personali coniunctum sit, illud nominativo ponendum censeat. Idem antiquiorum interpretum varias de horum pronominum usu sententias attulit, ut Graevii ad Cic. Off. III, 15. Gronovii ad Liv. II, 19, 5. Dukeri ad Flor. III, 18, 7.; sed neque hi, neque Ruhnkenius ad Ter. Andr. III, 2, 15. rem conficiunt, neque aliquid egit Langius ad h. l., qui mirum in modum, de rebus grammaticis disserens, titubat. Meliora et certiora praecepit Car. Beierus ad Cic. Off. I, 32, 115. praeeuntibus Gernhardo ad Off. I, 38, 137. et Bremio ad Cic. de Fato, c. 11. et ad Nep. Pausan. IV, 3., quibus adde Gernhardum ad Cic. Lael. c. 1, 5. et Moebium ad Caes. B. G. VII, 52. coll. Herzog. ad Caes. B. G. V, 37. *Ipse* enim nominativo ponitur, si enunciationis subiectum, quo significatur is, qui aliquam rem facit, ita extollitur, ut alteri, qui eandem rem facere potuisse videatur sed non fecerit, opponatur: eundem vero casum habet atque pronomen personale,

7 vindicamus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles volgus

si verbi actio sive praedicatum ita ad *obiectum* enunciationis pertinere dicitur, ut id cuivis alii opponatur. Catilina igitur dicit: nos *ipsi* nobis libertatis *auctores* esse debemus, *in aliis nulla spes.* Iug. LXXXV, 31. *ipsa se virtus satis ostendit.* XVIII, 7. *semet ipsi Numidas apellavere.* XLI, 9. *quoad semet ipsa praecipitavit.* Liv. III, 56, 3. *a cuius (sc. Appii) crudelitate vosmet ipsi armis vindicatis*, qui locus cum nostro maxime congruit. Cic. in Catil. I, 8, 19. *tu te ipse in custodiam dedisti.* ibid. *qui se ipse iam dignum custodia iudicaverit.* Alterius generis haec sunt: Cic. de Off. I, 9, 6. *nisi nosmet ipsos valde amabimus.* de N. D. II, 3, 10. *tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos devoverent*, quem locum Beierus cum multis aliis laudavit ad Off. I, 32, 115. Cf. plura afferentem Ramshorn. Gramm. Lat. §. 178, 2, d. p. 335. et Zumpt. §. 84, 4. p. 483. Aliter Herzogio visum. Is enim vim sententiae inesse dicit in verbis *vindicamus in libertatem* [illegible] quoad sensum sufficiat simplex *vos*; sed *numeri* caussa, [illegible] vero propter *oppositionem*, pleniorem formam *nosmet* ab auctore fuisse positam, cui per attractionis vim *ipse* quasi sua sponte eodem casu adhaereat. Si quid tamen video, in *ipsi* pronomine hoc inest: nisi *omni virium nostrarum contentione id agimus*, ut nos in libertatem vindicemus.

§. 7. *potentium*] Hoc vocabulum, quod Cortius eiecit, cum Gerlachio codicum auctoritate restituimus; in omnibus enim libris legitur, nisi quod in aliquot Putschii et Fabr. 1. atque Eccard. est *potentiam*, ex aperto librariorum errore, qui tamen Müllero adeo elegans visus est, ut sibi temperare non posset, quin in textum reciperet, non curans, ineptam ita fieri verborum cumulationem, et plane soloecum esse *in potentiam alicuius concedere.* Quamquam autem verum est, quod Cortius dicit, *paucos* saepe eo sensu poni, ut ii significentur, qui praeter ius fasque in republica imperio potiti sint. (Cf. XXX, 4. XXXIX, 1. Iug. III, 4. XXXI, 19. XLI, 7. Fragm. Historr. III, 22, 6.), tamen inde non consectarium est, *potentes* non addi posse. Igitur Cortius magis temerarius quam prudentior fuit, qui, quod poterat abesse, revera eiecerit. — *Dicionem* pro vulgato

fuimus sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus si respublica valeret formidini essemus. Ita- 8
que omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi illi volunt; nobis reliquere peri-
cula, repulsas, iudicia, egestatem. Quae quousque 9

ditionem expressimus ex Vat. A. v. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 250.

tetrarchae] Hi, Cortio iam notante, plerumque simul cum regibus nominantur; Noster Fragm. Historr IV, 26. *tetrarchas regesque territos animi firmavit.* Cic. p. Mil. 28, 76. *omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas.* in Vatin. 12, 29. *fecerisne foedera tribunus plebis cum civitatibus, cum regibus, cum tetrarchis.* Vell. II, 51, 1. *regum, tetrarcharum simulque dynastarum copiis.* Hor. Sat. I, 3, 12. *reges atque tetrarchas.* Ita nominabantur, qui regia quidem erant dignitate et potestate, sed regio nomine uti non poterant, neque a Romanis pro regibus habebantur. v. Ernesti in Clav. Cic. h. v. et Heindorf. ad Horatii l. l. qui recte monuit, etymi vim, quo regnum in quattuor partes divisum significatur, usu abolitam esse. — *Populi, nationes;* v. ad c. X, 1. — Pro *his* Vat. A. *iis;* sed v. ad c. II, 4. — *Nobiles atque ignobiles*, quam scripturam plerique codd. tenent, Müllerus in deterius mutavit, *atque* particula, quae in solo Leid. A. deest, deleta, ut *ignobiles* ad praedicatum referatur, hoc sensu: tanquam ignobiles atque volgus contempti sumus. Quod quod dicit inter coniuratos tum nullos ignobiles fuisse, id nihili est, ut Gerlachius recte vidit; Catilina enim ut sociorum animos summo paucorum odio impleret, omnium omnino civium, coniuratorum et extra coniurationem, nobilium aeque atque ignobilium, eandem condicionem docet esse miseram, ut contemnantur et potentibus ludibrio sint. *Volgus* igitur h. l. invidiae et contemptus notionem habet, ut apud Iustin. XLI, 1, 4. *Parthi veluti vulgus sine nomine praeda victorum fuere*, quod secus est in locis ab Herzogio collatis, Tacit. Historr. I, 46, p. m. et Nep. Alcib. VIII, 1. ubi v. Bremius; ibi enim, multitudinis notione praevalente, significantur *gregarii milites.* — *Obnoxius* illustravimus ad c. XLVIII, 5. — *Aut ubi illi volunt*, v. ad c. V, 2.

§. 8. *nobis reliquere pericula, repulsas*] Hunc verborum ordinem tuentur omnes Bass. Bern. 1. 2. omnes Leidd. plurimi Cortii libri et cod. Vatic. In reliquorum librorum discrepantia hoc tamen constat, quod *nobis* primum locum obtinet, poscente oppositionis ra-

tandem patiemini, fortissumi viri? nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dede-
10 cus amittere? Verum enimvero, pro deum atque hominum fidem! victoria in manu nobis est, viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantummodo incepto opus est, cetera
11 res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile

tione; quare Cortius male egit recepta scriptura librorum Rivii et Guelf. 5. 9. quibus postea accesserunt Pariss. et Bern. 3. *repulsas nobis reliquere, pericula.* Quae autem Gerlachium caussa moverit, ut ex uno cod. Tur. 2. *repulsas* ante *pericula* poneret, equidem non perspicio. Ceterum utriusque enunciationis ratio talis est, ut non verba verbis respondeant, sed ut sententiae tantum sibi opponantur, de qua re diximus ad c. XIV, 2.

§. 9. *inhonestam*] Non intelligit vitam turpem et flagitiis contaminatam, sed *non honestatam honore*, uti dixit c. XXXV, 3. Haud dissimiliter Propert. II, 20, 58. *exitus hic nobis non inhonestus erit*, i. e. inglorius. Pariter noster vocabulo *honestus* utitur pro *honorificus*, ut Iug. XIV, 24. *utinam emori fortunis meis honestus exitus esset.* LXV, 5. *ille honestissima suffragatione consulatus petebatur.* III, 1. *neque illi, quibus per fraudem is fuit, eo tuti aut magis honesti sint*, ubi Cortius comparavit Cic. Epp. ad Famm. II, 15. a. m. et XI, 3, extr. cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 96.

§. 10. *victoria in manu nobis est*] Ita, iubentibus paene omnibus libris mscrr., cum Gerlachio edidimus; multo deterior Cortii ordo *victoria nobis in manu*, quod est in quinque codd. et apud Priscian. XVIII, 29. p. 260. Ed. Kr. Cum vi autem *in manu* praemittitur. Dictionem *in manibus esse* illustravit Herzog. ad Caes. B. G. II, 19. — *Consenuerunt*, i. e. debilitata et fracta sunt, quem translatum verbi usum Cortius multis exemplis docuit, velut Liv. XXXV, 12, 3. *ne cunctando senescerent consilia.* XXIII, 43, 10. *Populi Romani obterit senescentem maiestatem.* I, 22, 2. *senescere civitatem otio ratus.* VI, 23. Cic. p. Cluent. c. 3. Noster Fragm. Historr. I. n. 30. cf. Bremius ad Nep. Alcib. 5, 3. Plin. Epp. VI, 16, 6.

§. 11. *ingenium inest*] *Inest* ex Naz. Guelf. 5. et Bas. 2. Gruterum et Gerlachium secuti recepimus; in plurimis codd. legi-

ingenium inest, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quum tabulas, signa, toreumata emunt, nova di- 12
ruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine

tus est, quod Cortius, quia in aliis locum mutat, in paucis autem plane abest, eiecit. Neque tamen in constituenda scriptura cum Grutero aurium iudicio multum tribuimus, sed iis potius movemur, quae ad c. XVII, 2. de *inesse* verbi usu diximus; cf. c. LI, 42. *virtus atque sapientia maior in illis fuit.* — *Superare* est *abunde esse*; v. Cortius ad Iug. LXIV, 1. *cuiquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant.* Liv. III, 17, 4. *velut quum otium superat, senator sententiam dicit.* Cic. de Or. II, 19. Ovid. Met. VII, 103. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 102. Eodem sensu etiam *superesse* dicitur, de quo v. Passovium ad Tac. Germ. c. 6. p. 92. — *Exstruendo* omnes codd. tenent. Gruterus tamen coniiciebat *excludendo*, Gronovius *extrudendo*, quod Cortius reiecit, ratione parum valida usus, vulgatam utrumque comprehendere. Non minus autem erraret, qui *mare exstruere* idem esse autumaret quod supra c. XIII, 1. *maria construere*, ubi v. Nostro enim loco intelliguntur aedificia in mari, molibus iactis exaedificata, quomodo etiam Schellerus in Lex. Ampl. p. 3621. interpretatur. Sententia enim non modo praepositione *ex* variatur, qua fit, ut *exstruere* significet erigere, sistere, tollere, quod alienum est a verbo *construere*, sed etiam singulari numero *mare* vocis. Ceterum Cortius recte vidit, structurae rationem esse eandem, ac *navigare* verbi, apud Virg. Aen. I, 71. *gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor.* Cic. de Finn. II, 34, 112. *quum Xerxes Hellesponto iuncto, Athone perfosso, mare ambulavisset, terram navigasset.* De hoc verborum intransitivorum usu cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 71, 1. n. 1. p. 308. et Ramshorn. Gram. Lat. §. 132. p. 234. — *Continuare* Gerlachius minus recte intransitive explicat *contiguas habere;* melius Cortius *domos domibus astruere* vel *adiicere.* Pariter Livius IX, 34, 2. *nec ante continuando abstitit magistratu.* XXXIV, 4, 9. *ingens cupido agros continuandi.* — *Postremo,*

13 divitias vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid relicui habemus praeter miseram ani-
14 mam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optatis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt! Fortuna omnia ea
15 victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quam oratio
16 mea vos hortentur. Vel imperatore vel milite me

v. ad c. XIV, 6. — *Vexare*, hoc sensu positum, explicavimus ad c. V, 8.; perperam igitur Müllerus a moribus belli tractam translationem contendit.

§. 13. *res, spes*] Frequenter coniunguntur haec vocabula, quum futura rerum condicio praesenti opponitur. c. XXI, 1. *neque r e s neque s p e s bona ulla.* Cic. p. Coel. 32, 78. *hominem sine r e, sine fide, sine s p e.* Quintil. IX, 3. *non enim tam s p e s laudanda quam r e s.* Cort. — Praeterea idem vidit, *spem*, quae vox indefinitae est potestatis, h. l. timorem instantium malorum significare; *spes* enim aeque ac *sperare* de incertis futuri eventis, sive bonis sive malis, quae exspectantur, dicitur. Cf. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 14, 21. p. 442. Ed. B. Vechner. Hellenolex. p. 509. ibique Heusing. Sall. Iug. LXXXVIII, 1. *Metellus, contra spem suam, laetissumis animis excipitur.* v. Moebius ad Caes. de B. G. I, 3, extr. et ad Cic. or. p. Rosc. Am. c. 4. 10. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 4, 10.

§. 14. *quin*] Huius particulae cum indicativo iunctae vim, quippe qua utantur qui acriter instant et cum vehementia excitant, melius Gerlachio ad h. l. explicavit Zumptius Gramm. Lat. §. 78, 6. d. not. 2. et Ramshornius Gramm. Lat. §. 174, 1. n. 4. p. 494. cf. Gell. XVII, 13, init. Exempla congessit Cortius; Liv. I, 57, 7. *quin conscendimus equos*, ad quem locum v. Drakenb. qui septemdecim alios Livii locos attulit. Plin. Epp. VII, 9, 16. *quin ergo pugillares resumis et aliquid scribis.* Vell. II, 7, 2. *quin tu hoc potius facis.* Iustin. II, 12, 7. v. Herzog. ad Caes. B. G. V, 53. — *Omnia ea.* Pronomen *ea*, quod in duobus codd. deest, in aliis autem locum mutat, ut Cortius adeo eiiceret, cum Gerlachio auctoritate codd. Bas. 1. 2. 4. Tur. 1. Pariss. Bern. 4, revocavimus. Sententia,

utimini; neque animus neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una Consul agam, 17
nisi forte me animus fallit, et vos servire magis quam imperare parati estis."

XXI. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, tametsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulare plerique, uti proponeret quae condicio belli foret, quae praemia

enim non generalis est, sed ad antecedentia verba spectat; quibus quum Catilina coniurationis bona ostendisset et quasi conspicienda exhibuisset, incitatior oratio omnibus ea capiunda propius admovet, praemia virtutis proposita dicens. *Ponere* autem et *proponere* proprie usurpari de praemiis constituendis observavit Ruhnken. ad Ter. Hecyr. IV, 2, 8. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 17, 1. et interpp. ad Phaedr. I, 14, 9. Heusing. ad Off. III, 22, 2. ibique Beier. quem vide etiam ad I, 12, 38. — Paullo post perspicuitatis caussa comma, quod post *magis* erat, post *magnifica* retraximus, ne cuiquam dubium sit, quin *magis* ad *hortentur* pertineat. — *Mea vos* Cortius sine codd. omisit.

§. 17. *vobiscum una*] *Una*, quod praeter Guelf. 5. 12. et Fabric. 2. omnes libri tenent, Cortius parum consulto delevit. *Una* enim, quae vox coniunctionem loci, facti et condicionis indicat, haud raro ad vim augendam praepositioni *cum* additur; cf. Iug. XIV, 8. *pater et avus una vobiscum expulere Syphacem.* Cat. LII, 10. *id agitur, cuius haec cunque modi videntur, nostra, an nobiscum una, hostium futura sint.* Ter. Eun. III, 5, 66. *consilium volo capere una tecum.* Quin Plautus adeo *simul*, quo temporis coniunctio significatur, addidit, Pseudol. I, 4, 16. *herum eccum video huc una Simonem simul cum suo vicino Calliphone incedere.* cf. etiam Ruhnken. ad Ter. Heaut. V, 1, 34. Plaut. Mostell. IV, 3, 43. et Noltenii Lex. Antibarb. p. 1174. Ed. alt. — De ironica formulae *nisi forte* vi, quippe qua significetur id, quod contra dici possit, absurdum esse, v. Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 29, 82. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 2, 3. p. 394. — *Et vos.* Habes iterum et explicativum, de quo diximus ad c. XIX, 2. Geminus plane locus est Iug. XXXI, 20. *nisi forte nondum etiam vos dominationis*

armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent.
2 Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert.
3 Praeterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consili sui participes; petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum;

eorum satietas tenet, et illa quam haec tempora magis placent. Cf. Tacit. Hist. III, 10. *nam plurium accursu versa fortuna, et acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat*, quem locum bene explicatum dedit G. L. Walchius Emendd. Livv. p. 68.

XXI. §. 1. *quid ubique opis*] I. e. quid opis aut spei, et *ubi id* haberet. v. ad c. XLVII, 1. — *Tametsi videbatur* — *tamen postulare*, v. ad c. XVI, 2. — *Fert.* Müllerus explicat *consequitur et reportat*, quod displicet, si ad bellum refertur. Non magis commendatur Cortii explicatio, qui *ferre* ad analogiam verbi *cupere* revocat, quod plane absonum est. *Ferre* saepissime idem est quod *proferre;* quae autem proferuntur, *coniuncta* sunt cum illa re, quae ea protulit. Quoniam autem latissime patet coniunctionis ratio, *ferre* modo significat habere, modo cum aliq. re coniunctum esse, convenire alicui rei, pati alq. rem, v. Donat. ad Ter. Andr. II, 6, 12. cf. id. Heaut. II, 1, 3. *affines esse rerum, quas fert adulescentia.* Andr. V, 1, 13. *incepi, dum res tetulit; nunc non fert.* Sall. Cat. LVIII, 6. *si maxume animus ferat.* Usum hunc bene illustravit Schellerus in Lex. Ampl. p. 3801.

§. 3. *Praeterea esse cet.*] Quinque libri addunt *dicebat*, quod ex interpolatione accessisse recte ostendit Cortius. Nam usitato modo constructio in accusativum cum inf. transit, quia dicendi verbum in praegresso *polliceri* continetur, ut c. XL, 4. in *orare*, c. XXXI, 7. et XLIV, 1. in *postulant*, c. XLVII, 1. in *aperit*, c. XLIII, 3. in *querebantur.* cf. Periz. ad Sanct. Min. IV, 5, 7. p. 222. Bremius ad Nep. Agesil. VI, 2. Walch. Emendd. Livv. p. 268. Moebius ad Caes. B. G. I, 30. — *P. Sittius Nucerinus* cognomen accepit ab *Nuceria*, Campaniae urbe, ex qua oriundus erat. Plura de eo

cum eo se Consulem initium agendi facturum. Ad 4
hoc maledictis increpat omnis bonos, suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, compluris periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris 5
videt, cohortatus ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate qui dicerent, Ca-

tradit Cicero in oratione p. Sulla, c. XX, 56. ex quo simul cognoscimus, patrem eius bello Italico singulari exstitisse in rempublicam fide. Hic autem Sittius Romae accusatus, profugit paullo ante quam Catilinae coniuratio erumperet; collectisque ex Italia et Hispania copiis in Africam traiecit, ibique quum bellum esset inter regulos, modo huic, modo illi auxilio fuit, semper vincentibus iis, quibus iste se adiunxisset. Haec aperte tradit Appian. de B. C. IV, 55. tectius Cicero l. l. Cort. — *C. Antonius* cognomine *Hibrida*, v. Plin. H. N. VIII, 53, 79. Fuit celeberrimi illius M. Antonii oratoris filius, Antonii Triumviri patruus, et Ciceronis in consulatu Collega, qui in eum, quippe profligatum hominem et morum perditorum, plus iusto videtur officiosus fuisse. Cf. Ernestius in Clav. Cic. — *Necessitudines* explic. c. XVII, 5.

cum eo se consulem] Hanc omnium fere codd. lectionem Gerlachium secuti reduximus; quam si Cortius paullo accuratius considerasset, non procudisset ineptam coniecturam *eo consulem*, *eo* explicans *propterea*, *consulem* autem referens ad Antonium, quo auctoris sententia prorsus pervertitur. Sed neque Langius plane ab errore cavit, alteram nonnullorum codicum scripturam *cum eo consule se*, aut *cum eo se consule*, eandem sententiam praebere censens ac vulgatam, quae non solum differt, sed multo praestantior est. Tota enim Catilinae oratio docet eum maximum coniurationis perficiendae praesidium in eo putasse, ut *ipse* consulatum obtineret. cf. ultima h. c. verba; Antonii consulis partes, etsi non contemnit, tamen in eo consilio secundarias habet. Quare recta ratio ostendit eum, ut sibi primas tribueret, Antonium tantummodo socium significaret, dicere debuisse *cum eo se consulem*, rem autem plane in-

tilinam oratione habita quum ad ius iurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse;

verti, si scribatur *cum eo consule se*, vel ut est in aliis libris, deterius ad verborum ordinem, *c. eo se cons.* Eodem fere modo Gerlachius vulgatam defendit, sed Aug. Schlegelius a vero prorsus aberravit, qui in Seebodii Bibl. Crit. a. 1819. T. II. p. 720. legendum censet *cum eo consule.* — Pro *increpat*, quod tantummodo exstat in Guelff. 3. 5. 6. 11. Bas. 3. aliquot Palatt. Bern. 2. et Tur. 2., reliqui tenent *increpabat*, quod haud dubie librariorum est, quos Sallustii mos, variis in narrando temporibus utendi, fugit. v. ad c. XX, 2.

XXII. §. 1, *popularis*] Permulti codices exhibent *populares conscios*, duo *pop. socios*, utrumque ex interpolatione. Nam *popularis* paullo rariore significatione valet *socium;* cf. infra c. XXIV, 1. *quod factum primo popularis coniurationis concusserat.* Ter. Phorm. I, 1. 1. *amicus summus meus et popularis Geta*, ubi v. Donat. et Eugraph. Apposite etiam Donatus ad Adelph. II, 1, 1. haec annotat: „popularitas in omnis rei consortium sumitur." Cort.

adigeret] Ita Cortius e coniectura edidit, quam postea codd. Leid. A. C. et Oxon. confirmarunt. Plurimi tamen libri exhibent *adiceret*, decem *addiceret.* Illud Gerlachius recepit, scribendi tantum ratione ab *adigeret* diversum censens. Sed quamquam certum est, priscis temporibus c etiam *g* litterae vices sustinuisse, v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 232 sqq., tamen nullum vestigium *adicere* verbi pro *adigere* exstat, neque satis recte Romani ita scribere potuisse videntur, ne *adigere* cum *adiicere*, quod antique *adicere* scribebatur, confunderetur. Quum autem *adigere ad iusiurandum* in formulam solemnem abierit, recte Cortius iudicavit perversam librorum scripturam non ferendam esse. Cf. Davis. ad Caes. B. G. VII, 67. 1. *omnibus ad iusiurandum adactis.* Plura collegit Langius ad h. l. velut Caes. de B. C. I, 76. *ipse idem iusiurandum adigit Afranium.* II, 28. *provinciam omnem iusiurandum adigebat.* Iustin. VIII, 4. Senec. Ep. XCVI. Alia dabit Schellerus in Lex. Ampl. p. 232. Ceterum notandum in hac constructione *ad* praepositionem haud raro omitti, v. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 67., et Bremius ad Nep. Attic. XXII, 1. pariter ut in formula *adigere aliquem arbitrum*, de qua egit Car. Beier. ad Cic. Off. III, 16, 66.

inde quum post exsecrationem omnes degustavissent, 2
sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo, dictitare, fecisse, quo

§. 2. *inde*] Gerlachius explicat *ex quo*, ad sanguinem vino permixtum referens; sed ipse sensit *degustare* verbum, quod legitime accusativum adiunctum habet, ita contra dicendi usum construi, neque multum profecisse putandus est, ad Graecismum confugiens, ἀπογεύεσθαι verbi structura comparata. Multo certe simplicius *degustare* aut absolute intelliges, aut *sanguinem* supplebis, quo simul assequeris, ut utraque enunciatio, Gerlachii interpretatione male ἀσύνδετος facta, *inde* copulâ satis bene cohaereat. *Inde* autem pro *deinde* haud infrequens est; v. Drakenborch. ad Liv. XLII, 56, 6. et Spalding. ad Quintil. Proëm. §. 4. Mire Servius ad Virg. Aen. II, 2. per aphaeresim ex *deinde* ortum dicit, quum quivis videat loci significationem, ut in *ubi*, *ibi*, aliis, ad tempus esse translatam. — *Post exsecrationem* i. e. postquam se ipsos omnesque qui coniurationem prodituri essent, exsecraverant, diras imprecati.

atque eo, dictitare, fecisse.] Vehementer discrepant libri mss.; nam pro *dictitare*, quod multi habent, reperitur *dictam rem*, *dictas res*, *dictante*, *dictare*, *dictitavere*, quae omnia, quoniam non scribendi errore, sed librariorum ingenio debentur, eo ducunt, aliquod vocabulum scriptum fuisse, quod vel constructione, vel significatione difficultatem obiiceret. Omnes autem editores recte in eo consentiunt, *dictitare*, ut ex quo relicua fluxerint, a Sallustii manu esse; sed in explicando hoc infinitivo in contraria abeunt, quamquam Cortius rectam rationem praeiverat, cui mala quadam fortuna accidere solet, ut quae inepta moliatur cupidissime ab interpretibus arripiantur, sana vero ac via et ratione inventa surdis auribus praecipiat. *Dictitare* igitur, id quod Cortius vidit, ad eos pertinet, de quibus auctor initio cap. loquitur, et significat *ita illi dictitant*. Plane autem necessarium fuisse, ut hoc iterum inculcaretur, auctoris consilium in dira ista re tradenda indicat; Sallustius enim, veritatis amantissimus et studiosissimus, omni modo cavere vult, ne id quod h. l. narrat pro sua sententia animique persuasione habeatur; quare statim initio praemittit *fuere qui dicerent*, narrationi ipsi interserit *dictitare*, et in fine capitis, his non contentus, addit *nobis ea res pro magnitudine non comperta est*. Recte etiam Cortius monuit, *dictitare* non simpliciter idem valere quod *dicere*, sed *rationem*

inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris
3 conscii. Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab his, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris

afferre, sive ut Nepos loquitur *caussam interserere*, cf. Nep. Lysandr. I, 4. *nam quum hanc caussam Lacedaemonii dictitassent sibi esse belli.* Vellei. II, 60, 2. *maluit avunculo et Caesari de se, quam vitrico credere, dictitans*, etc. Liv. I, 49, 1. *Socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum perisse dictitans.* Tacit. Ann. I, 72, in. *quanto plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans.* Infinitivus autem historicus, pro verbo finito positus, neminem offendere potest, qui reputaverit quantam Sallustius licentiam in ista structura sibi sumpserit; cf. c. XXI, 4. *increpat omnis bonos; suorum unumquemque laudare; admonebat alium egestatis* cet. Iug. XXXII, 3. *fuere qui elephantos traderent; alii perfugas vendere; pars praedas agebant.* Adde quae diximus ad c. XVI, 2. Perperam vero Langius cum Manutio et Wassio *dictitare* ad Catilinam refert, explicans *atque id eo se fecisse dictitare*, sive, *dictitasse se hoc eam ob caussam fecisse*, quod neque res ipsa neque grammatica verborum ratio patitur; quam ut ille expediret, mirifice statuit *dictitare* h. l. praeteritum esse, idque probasse sibi visus est, corrupto Ciceronis loco allato ex Acadd. II, 22, 70. quem Goerenzius pridem recte constituerat. Sed plane absonum est, quod ad nostram rationem refellendam contendit, si verbum *dictitare* ad famae auctores pertineret, Sallustio scribendum fuisse *dictitarent*, ut modus et tempus superioribus congrueret!

magis fidi] Hic verborum ordo fuit ante Cortium, Havercampio etiam probatus. Inversum ordinem XII tenent codd. quos Gerl. secutus est. Sed v. ad c. XXXIII, 5. — *Alius alii conscii.* Dativus, quo socii conscientiae, non res quas complectitur conscientia intelliguntur, haud dubie ad Graecae constructionis exemplum revocandus est, pariter ut *idem* c. dativo coniunctum, de quo diximus ad c. XX, 3.; cf. Curt. VI, 10, 20. *si conscius Dymno tanti sceleris fuissem.* Ter. Heaut. I, 1, 69. *ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii.* Tacit. Ann. I, 43, in. *occidissem nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius.*

§. 3. *ficta et haec et multa*] Ita Gerlachius recte edidit ex Bas. 1. Erl. Tur. 1. Leid. K. L. Cortius utrumque *et* deleverat,

eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro 4 magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus

falso opinatus *praeterea* copulae vim habere, eiusque sententiam Gerlachius, iudicii incertus, in Commentt. p. 89. parum abest quin amplectatur. Sed huius particulae geminatae ea potestas est, ut duo vocabula non tam copulet, aut eadem cogitatione comprehendat, quam seiunget et seorsim collocet, quo fit, ut utrumque paullo maiori vi efferatur, quam si simplici copula contineretur. Cf. c. XXI, 3. *hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum.* Quoniam igitur quae hic memorantur opprobria aliis opponuntur, rectius duplici *et* inter ea distinguitur. Patet autem duplex *et* idem plane esse quod *non solum — sed etiam*, quod Goerenzius monuit ad Acadd. I, 6, 23. II, 35, 113. et ad Finn. IV, 28, 80. Ad eandem caussam revocandus est geminatae particulae usus in rebus contrariis comparandis, de quo dixit Beier. ad Cic. Off. I, 2, 4. — Pro *ab his*, Gerlachius ex octo codd. scripsit *ab iis*; sed v. ad Cat. c. II, 4.

XXIII. §. 1. *in ea coniuratione*] Ita legitur apud Non. IV, 202. et in omnibus codd. exceptis Guelf. 5. Rem. 2. et Fabric. 2. qui habent *conventione.* Hoc merito a multis, etiam Gerlachio, spretum, non modo quia a codicibus parum commendatur, sed etiam propter sensum, qui neutiquam, quod Kunhardtus statuit, idem est. Apertum est enim auctorem, nonnullis interiectis, ad maiorem illam Catilinae coniurationem, de qua se dicturum professus erat, nunc redire, quod ostendit etiam *sed* particula, quae assumendi vim habet, quasi dicas *ut ad rem redeamus*; cf. Goerenz. ad Legg. II, 23, 58. et ad Finn. IV, 16, 45. Sensus est igitur: ex *coniuratis* ipsis inventus est qui Catilinae consilia detegeret. Igitur non dubium est, quin *conventio* a scribis invectum sit, qui ad concilium a Catilina habitum respici putarent, quibusque in memoria haerebat ex c. XVII, 2. *eo convenere*, ex c. XX, 1. *ubi eos convenisse videt*, et ex c. XXI, 5, *conventum dimisit.* Irrito autem conatu Cortius huic interpolationi praesidium quaerit ex Varrone, de L. L. V, 9. ubi nihil est, quod ad h. l. pertineat.

coopertus; quem Censores senatu probri gratia
2 moverant. Huic homini non minor vanitas inerat quam audacia; neque reticere quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere

coopertus] *Cooperti* dicuntur qui aliqua re gravi et molesta vehementer premuntur; Cortius comparavit Iug. XIV, 11. *me coopertum miseriis effecit.* Cic. in Verr. I, 4, 9. *tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertum.* Cato apud Gell. II, 17. *fenoribus coopertus.* Praeterea Gerlachius ex Schelleri Lex. ampliore p. 2372. desumpsit haec, Liv. XXXIX, 15, 14. *hi cooperti stupris suis alienisque.* Horat. Sat. II, 1, 68. *famosis Lupus coopertus versibus.* Tacitus Annall. III, 69. (non 3, 63, ut Gerl. ex Cortio vitiose descripsit) eodem sensu simplex *opertus* usurpavit. — *Flagitiis atque facinoribus* v. ad c. XIV, 1.

senatu probri gratia moverant] *Moverant*, quod tantummodo in uno Rivii, Rostoch. Vin. 1. et Tur. 1. exstat, praeeunte Dahlio et Bipontt. recepimus; reliqui codd. *amoverant*, quod Gerlachius praetulit ob auctoritatem librorum, et ob priscum dicendi usum, quo *amovere* pro *movere* frequentatum sit. Neutra ratio sufficit ad eam lectionem commendandam, cui illud maxime obstat, quod Romani *formula solemni* dixerunt *Senatu* aliquem *movere*, v. Brisson. de formm. p. 254., nunquam *amovere*, qui usus ipsum Cortium non latuit. Caussam depravationis in promptu est fuisse ultimam praegressae vocis litteram male geminatam, quae res multas corruptelas genuit.

§. 2. *inerat*] Hoc verbum Cortius delevit, quia in uno cod. Sen. 1. deest. Vindicavimus ad c. XVII, 2. Bipontt. et Langius *inerat* post *audacia* collocavere, quod librorum fide caret, nisi quod in Barb. 5. ita scriptum est. — *Suamet ipse.* Ita bona pars codicum; totidem fere *suamet ipsa*, quod ferri nequit, quia in hac structura *ipse* semper a verbo pendet, nunquam pronomini possessivo accommodatur. Perperam igitur Cortius idem dicendi genus h. l. esse censet, quod ad c. XX, 5. illustravimus. Reliqui codd. fluctuant inter *sua et ipsa*, *sua et ipse*, *sua ipse*, *sua ipse met*, quod mirum esse non potest, quum librariis ignotum esset *met* encliticam etiam possessivis adhaerescere. Quid? quod Ger. I. Vossius in Aristarcho de hoc usu ambigit; ita enim ille, de Annal. IV, 9. p. 212. „*met* vulgo persuasum est non aliis apponi, quam tribus his, *ego, tu, sui*; sed scrupulum iniicit locus Plauti Curcul. V, 2, 29. *tanquam*

neque facere quicquam pensi habebat. Erat 3
ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui quum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians

met genium meum. Ita *met meum* κατ' ἀναστροφὴν ponetur pro *meummet*; verum in plerisque Mss. reperitur: *tanquam me, et genium meum.* Quae sine dubio genuina est lectio." Recte ita quidem de Plauti loco; sed de encliticae usu parum accurate. *Met* enim, pronominibus possessivis additum, eorum vim intendit, planeque respondet vernaculo *eigen*, quod eodem consilio possessivis adiicere solemus; rarius quidem apud probatos auctores reperitur, Sallustius tamen aliquoties ita locutus est, velut Iug. VIII, extr. *suamet ipsum pecunia praecipitem casurum.* XXXI, 6. *suomet ipsi more praecipites eant.* LXXXV, 24. *meamet facta mihi dicere liceat.* Fragm. Historr. I. n. 15, 25. *populum suimet sanguinis mercede circumveniundum.* ib. II. n. 42. *pars magna suismet aut proxumorum telis obtruncabantur.* Cf. Goerenz. ad Legg. I, 3, 8. qui ex suis codd. eandem voculam in Tuscull. I, 43, 103. restituit: *neque quicquam meimet relicturum.* In Legibus tamen l. l. *illumet*, quod Goerenzius ex Turnebi coniectura intulit, non ferendum est; nam demonstrativis *met* syllaba nunquam additur.

prorsus] Vocem explicavimus ad XV, 5. — *Neque dicere neque facere quicquam pensi habebat* Gerlachius ita interpretatur: *nihil non facere et dicere dubitabat*, quod *non* particulà illatà mirum quantum a vero sensu recedit, qui potius hic est: ad omnia, etiam pessima atque profligatissima et dicenda et facienda promptus paratusque erat. Ceterum *facere* et *dicere* frequenter coniungitur, ad universam agendi rationem alicuius complectendam. Usum Cortius exemplis illustravit, velut Iug. LXIV, 5. *Marius neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret.* Liv. XXVI, 15, 4. *quis neque quid facerent, neque quid dicerent, quicquam umquam pensi fuisset.* Vellei. Pat. II, 45, 1. *Clodius, qui neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum.* ubi v. Burmann. et ad Petron. Sat. XCIX. Suet. Caes. c. 76, init. — *Consuetudo* substantivum a *consuescere* verbo usu paullo diversum fuisse Cortius recte observavit; *consuescere* enim tantummodo de re obscoena dicitur, v. Ruhnk. ad Ter. Adelph. IV, 5, 32. *consuetudo* etiam de honesto consortio. Quare *stupri* genitivus, ubi de re turpi sermo est, pleonasmo caret. Cf. Iustin. VIII,

maria montisque polliceri coepit, minari inter-
dum ferro, nisi obnoxia foret, postremo ferocius
4 agitare quam solitus erat. At Fulvia, insolen-

6, 6. Suet. Calig. c. 24, init. Curt. IV, 10, 31. Eutrop. VI, 17. — Post *coepit* Gerlachius, obsequente Herzogio, *et* addidit, ut *minari* a *coepit* pendeat. Cortius in suis codd. copulam non videtur invenisse, neque a Sallustio profectam iudico, licet decem Leidd. et octo Gerlachii habeant. Nam quum librarii *minari*, qui infinitivus historicus est pariter atque *agitare*, pro vulgari infinitivo haberent, nihil magis erat in proclivi, quam ut orationi melius nectendae copulam interponerent. — Ceterum *agitare* neque accusativo *rem* vel se indiget, neque h. l. respondet vernaculo *betreiben*, ut Herzogius statuit, sed pariter ut *agere* absolute positum latissime patet, omnemque vitae rationem et conditionem comprehendit, verborumque *esse*, *se gerere*, *vivere*, *commorari* potestatem pro cuiusque loci ratione sustinet. V. Telleri indic. h. v. p. 292. Hertel. ad Tac. Agric. c. 18, in. — *Postremo*, i. e. ut paucis dicam; v. ad c. XIV, 6.

§. 4. *occultum habuit*] Cave cum Cortio, Langio et Gerlachio putes esse *occultavit*. Verum quidem est, *habere* c. participio perf. passivi interdum adhiberi perfecto activi cricumscribendo, sed huius dictionis ea vis est, ut significetur eam actionem, quae participio inest, plene quidem absolutam esse, sed talem eventum habere, qui respectu subiecti duret, quum perfectum activi tantummodo rem factam simpliciter enunciet. Liv. XXVI, 11. *multo auro argentoque id (templum) exornatum habebant.* XXXIX, 15, 3. *necdum omnia, in quae coniuraverunt, edita facinora habent.* Cic. p. L. Manil. 7. *Romani in Asia pecunias magnas collocatas habent.* Ter. Hecyr. V, 1, 26. *segregatum (sc. me) habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.* Sensus discrimen maximam partem assecuti sunt Zumpt. Gramm. Lat. §. 81, 1, 3. p. 452. Ern. Weberus Exercitatt. Styli Lat. Tom. I. p. 65. et Herzogius ad Caes. B. G. I, 15. VII, 29, extr.; sed Ruhnkenius ad Ter. Hecyr. IV, 2, 6. aeque ac Cortius ad h. l. omnia miscet, exemplis sine delectu et ratione congestis. Ab his autem, quos attuli locis, bene vidit Zumptius distinguendos esse eos, ubi *habere* verbum propria tenendi vel continendi aut retinendi vi positum est, veluti Cic. Epp. ad Att. VI, 2. *Senatum inclusum in curia habuerunt*, i. e. continuerunt. Cuius generis noster quoque locus est, nam *occultum habuit* est: *retinuit occultans.* Huc autem plane non pertinent ea exempla, quae Langius cum Cortio attulit, ubi *habere* cum adiectivo, aut tali participio, quod propria pote-

tiae Curi caussa cognita, tale periculum rei-publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione quae quoque modo

state abiecta adiectivi naturam induit, coniunctum est, ut apud Cic. Epp. ad Famm. VII, 3. *sollicitum te habebat cogitatio.* Sall. Iug. X, 1. *neque ea res falsum me habuit.* Tac. Ann. II, 57. *cunctaque prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant.* ib. II, 65. *nihil aeque Tiberium anxium habebat.* Patet enim *habere* propter notionem *possidendi*, continuatam quandam animi condicionen vel statum indicare, qui qualis sit *adiectivo* cum obiecto coniuncto significatur.

quae quoque modo] Ita scriptum est in Palatt. Gruteri, Guelf. 5. Sen. 1. Vin. 1. Fabr. 1. Erl. Par. C. m. pr. Leidd. A. D. F.; in aliis libris est *quae et quomodo*, in uno *quae quoquo modo*, in aliis denique *quae quomodo*, ex qua scripturae varietate apparet, quam exhibuimus lectionem, eam esse, unde relicuae fluxerint; nam *et quomodo* est ex interpolatione ortum; *quoquo modo*, et *quae quomodo*, utrumque scribendi errore natum est, particula *que* aut in *quo* mutata aut, quod saepe accidit similibus syllabis vel praegressis vel sequentibus, omissa; v. ad c. III, 5. Probavit Cortius receptam a nobis lectionem, sed perverse ita interpretatus est: *quae audierat et quo modo ea audierat*, scil. *parari*, modus enim non potest nisi ad *auditam* rem, neque vero ad paratam et institutam referri. Quod quamquam sensit Müllerus, tamen Fulviam censet *modum*, quo Catilinae coniurationem ex Curio cognoverit, quum ipsi turpe fuerit, evulgare non potuisse; quare ex coniectura edidit *quaeque modo audierat*, ut *quaeque* sit *quaecunque*, *modo* autem *paullo ante*. Sed his, quae merito audaciora dixeris, non est opus, quum vulgata, recte interpretata, optime habeat, siquidem paene necessarium videtur, non solum rem ipsam, sed etiam modum rei narratae, quo fidem relationi faceret, a Fulvia esse indicatum; ad modum autem non pertinebat narrare, sibi cum Curio stupri consuetudinem esse, itaque se rem audivisse, sed sufficiebat dicere, nobilem aliquem virum insolentius sese gerendo et res magnas iactando magni alicuius facinoris suspicionem ipsi movisse, eoque, rogitante ipsa et instante, adductum esse, ut ipsi fateretur nefariam a compluribus parari coniurationem, viri tamen, a quo hoc audiverit, nomen sibi adhuc reticendum esse, id quod significatur verbis *sublato auctore*, ut plerique recte ceperunt. Aug. tamen Schlegelius in Seebodii Bibl. Crit. Hildesh. a. 1819. T. II. p. 721

5 audierat compluribus narravit. Ea res imprimis
studia hominum accendit ad consulatum mandan-
6 dum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque
nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consula-
tum credebant, si eum quamvis egregius homo

auctorem ad Catilinam refert, infelicissime idem in toto hoc loco explicando versatus. Herzogius, *quoque* ducens a *quisque*, pro *quicunque* positum censet, interpretatus: auf diese und jene Weise; sed obstare videtur, quod modus non varius fuit, sed unus; quippe a solo Curio rem acceperat. Ceterum *quoque* pro *et quo* positum bene a Cortio exemplis illustratum est; Iug. XXX, 1. *postquam res in Africa gestas quoque modo actae forent fama divulgavit.* Quintil. X, 7. *deinde quid quoque loco quaerant, scient.* Sall. Cat. XXI, 1. *quid ubique opis aut spei haberent.* XXVII, 1. *quem ubique opportunum fore credebat.* Cf. Gernhard. ad Cic. Lael. c, 23, 88. De *que* particula, interrogativo addita, cf. ad XIV, 1. de duabus autem interrogationibus iunctis v. ad c. XLVII, 1.

§. 6. *credebant*] Ita plurimi exhibent codd.; *credebat*, quod pauci tenent, a librariis profectum est, qui non caperent nomen nobilitatis ita poni posse, ut primo omnes in unum comprehendantur, quae numeri enallage apud probatos pedestris orationis scriptores sola est legitima; nam pluralis verbi numerus iuxta subst. collectivum positus poetarum licentiae tribuendus est. Cf. Tacit. Ann. II, 24. *ut quis ex longinquo advenerat, miracula narrabant.* Liv. V, 44, 4. *quae effuso agmine adventat, gens est, cui natura corpora magna magis quam firma dederit; eo in certamen omne plus terroris quam virium ferunt.* Cf. Ruddimanni Institt T. II. p. 342. Drakenb. ad Liv. I, 3, 2. Consimilis generis sunt quae Ruhnkenius attulit ad Ter. Eun. I, 2, 88. et ad Rutil. Lup. I, 18. p. 47. et Heusinger. ad Cic. Off. I, 34, 3.

quamvis egregius] i. e. vel maxime egregius. Particulae *quamvis* adiectivis iunctae vim non plane assecutus est Drakenborch. ad Liv. I, 4, 4. *posse quamvis languida mergi aqua infantes*, cum Burmanno ad Phaedr. I, 28, 1. interpretatus *admodum*, *valde*; quos viros sequitur Ruhnkenius ad Ter. Adelph. II, 4, 15. laudato etiam Graevio ad Cic. de Amic. c. 26, 97. *quamquam ista assentatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest*, qui tamen locus alienus est. Paullo aliter Bremius ad Nep. Datam. IV, 3. (*facilius se imprudentem parva manu oppressurum, quam paratum quamvis*

novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

XXIV. Igitur comitiis habitis, Consules declarantur M. Tullius et C. Antonius, quod factum primo popularis coniurationis concusserat. Neque 2

magno exercitu,) *quamvis* positivo vim superlativi tribuere statuit, idem praecipiente Car. Beiero ad Cic. Off. I, 25, 86., et ad II, 20, 69. quod tum demum recte se habebit, si addas, hanc superlativi vim non ab eius, qui loquatur, iudicio pendere, sed referri ad iudicium audientis vel legentis, ita ut propria verbi *velle* potestas servetur. Quamobrem *velle* etiam flectitur, prout alterius personae ratio postulat, cf. Matthias ad Cic. pro Rosc. Am. 16, 47. p. Coel. 26, 63. *illa, nisi a viris honestissimis ac plenissimis dignitatis, quam velit sit potens, nunquam impetravisset.* in Verr. V, 5, 11. *expectate facinus quam vultis improbum; vincam tamen exspectationem omnium.* V. Ramshorn. Gr. Lat. p. 597. — De *homine novo* vide sis facete disputantem Carol. Beierum ad Cic. Off. I, 39, 138. coll. Iug. LXIII, 6. — *Post fuere*, quod omnes coniunctim scripserunt, in duo vocabula divisimus, *esse ante* dictionis analogia ita postulante, de qua dicendi ratione v. ad c. LIII, 3. Verum vidit etiam Schellerus in Lex. ampl. p. 8198.

XXIV. §. 1. *comitiis habitis*] Frustra Cortius et Herzogius in his verbis explicandis a vulgari ratione discedunt. Nam ut alienum est, quod ille sensum esse dicit *dum com. habentur*, sive *comitiis, quae tum habita sunt*, ita iusta ratione caret, quod hic verba non pro ablativis absoll., sed pro ablatt. temporis haberi vult, quae structura dicendi usu non firmatur. Nam apud Livium XXXI, 7, 1. *habitis* plurimorum codd. auctoritate delendum est, in iis autem locis, quae Drakenborch. ad VI, 4, 7. congessit, eandem atque nostri loci potestatem habet, ac simpliciter significat *quum comit. habita essent.* Nondum enim absolutis et ad finem perductis comitiis, non poterant declarari creati consules.

concusserat] Plusquamperfectum, quod omnes codd. tenent, aliquid offensionis habet, quum aut perfectum aoristum requiratur, aut, si plusquamperfectum admittere velis, altero tempore opus esse videatur, ad quod plusqpf. referatur. Sed tamen in tanto codicum consensu audacius videtur perfectum ex coniectura ponere, quum plusquamperfectum ferri possit, si statuas relativum membrum, ad aliud tempus spectans, omissum esse, siquidem auctor perturbationi,

tamen Catilinae furor minuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quemdam portare, qui postea
3 princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines ascivisse dicitur, mulieres

Cicerone Consule designato ortae, tacite coniurationis exsequendae studium opponit. Plenior igitur sententia haec Sallustii menti videtur obversata fuisse: quum Cicero summa bonorum omnium alacritate Consul declaratus esset, Catilina nihilo minus nefaria consilia acerrime *persequebatur*, quamquam ea res initio populares coniurationis *concusserat*. Aliam plusquamperfecti explicandi rationem Gerlachius iniit, haec annotans: consilio hoc tempus auctor posuit, ut declararet, *alia postea accessisse, quae mentes eorum perturbarent.* Sed quominus probemus obstat *prima* vocis potestas, quam Gerlachius cum *primum* confudit, haud dubie germanice interpretatus *zuerst*, quum potius sit *anfänglich;* v. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 15, extr. Consimili modo plusquamperfectum positum est Cat. XXXVI, 5. *ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat*, ubi haud dubie cogitavit serius tempus, quo de irrito utriusque senatusconsulti eventu iam iudicari poterat. ib. XVIII, 6. *ea re cognita, rursus in Nonas Februarius consilium caedis transtulerant.* L, 4. ubi v. Iug. LXXIII, 3. *plebes, litteris cognitis, volenti animo de ambobus acceperant; Mario generis humilitas favorem addiderat;* respicitur enim ad factum posterius eventumque, quem Marii dimissio habuit, ea tamen re non diserte addita. Cf. Heusinger. Praef. ad Cic. Off. p. LX. Tacit. Ann. II, 52, med.

§. 2. *minuebatur*] Acidalius ad Vell. I, 8. Tom. II. p. 584. Ed. Ruhnk. legendum censet *minuebat;* quod quamquam defendi posse videtur analogia eorum verborum, de quibus diximus ad c. VI, 7., tamen omni, quantum constat, librorum auctoritate destituitur. — *Arma parare* Gerlachius recte statuit proprio sensu esse intelligendum; quominus enim ita capias, ut sit *bellum excitare*, Sallustiana obstat consuetudo dicendi. Aliter Tacitus, apud quem *arma* saepissime dicuntur pro *bello;* v. Rupertius ad Ann. I, 2, init. — Pro *sumptam mutuam* viginti septem codices praebent *sumptam mutuo;*

etiam aliquot, quae primo ingentis sumptus stupro corporis toleraverant, post, ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina credebat posse 4
servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi, vel interficere.

sed vulgata, quam plurimi in iisque optimi libri, velut Bas. 1. Fabric. 1. Teg. Leid. L. Naz. Commel. alii tenent, haud sollicitanda, quum pateat minus usitato adiectivo vulgatius adverbium a scribis fuisse substitutum. Cortius comparavit Liv. XXXV, 49, 10. *videretis regem, mutuas pecunias fenore in stipendium quaerentem.* Similiter Plautus Asin. I, 3, 95. *si viginti minus mutuas non potero, certum est, sumere fenore.* Alia habet Schellerus in Lex. ampl. p. 6573, unde hoc ipsum desumpsit Gerlachius.

Manlium] Ita optimorum librorum auctoritate cum Cortio et Gerlachio edidimus. Alii, etiam Dio XXXVII, 30. tenent *Mallium.* — *Princeps*, Cortio bene observante, h. l. non est ordine sed tempore primus, non dux, apud quem summum imperium, sed qui belli initium fecit; coll. Caes. B. G. VII, 2, 1. *Carnutes principes se ex omnibus bellum facturos pollicentur.* v. Herzog. ad B. G. I, 12. I, 41. Bremi. ad Nep. Hamil. 3, 3. Cic. Philipp. VII, 9, in. de Or. III, 32. Alio sensu dicitur *princeps ad aliq. rem*, quo *primaria caussa* vel *primarius auctor* alic. rei significatur, ut observavit Goerenz. in Iahnii Annall. Philolog. et Paedag. a. 1826. I, 2. p. 302.

§. 3. *ascivisse*] Ita solus, quantum constat, Barber. 5.; v. ad c. XLVII, 1. Relicui omnes *adsciv.* — *Sibi* non legitur in Reg. Erl. Fabr. 2. et Guelf. 3. m. pr. ac locum mutat in Guelf. 7., quod Cortio satis caussae fuit, ut pronomen, quod sane abesse potest, eiiceret. — *Ingentis* servatum in Guelf. 5. relicui *ingentes.* — *Sumptus tolerare* Gerlachius non satis accurate explicat *sufficere sumptibus*; magis a vero Cortii recedit ratio, qui sic interpretatur: magnos sumptus fecerant, quos tamen stupro corporis *facile perferre* potuerant. Sensus potius est: ingentes sumptus fecerant, quibus ferendis fuerant quidem pares, *sed vix fuerant, et nonnisi pessimarum artium contentione.* Difficultatis enim notionem in hoc verbo inesse exempla omnia, accurate spectata, docent, monuitque iam Ruhnken. ad Ter. Adelph. V, 3, 23. — *Quaestui modum fecerat* i. e. finem attulerat. Commode Cortius contulit Cic. Verr. II, 48, 118.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat.
2 Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis

modum aliquem et finem orationi nostrae faciamus. Vell. II, 47, 3. *ambitus neque finis reperiebatur, neque modus.* — *Se* ante *Catilina* abest in Guelf. 4.; sed v. quae de eius positu diximus ad c. I, 1. — *Viros* i. e. maritos; v. Ruhnk. ad Ter. Hecyr. IV, 1, 9. Serv. ad Virg. Aen. IV, 192.

XXV. §. 1. *virilis audaciae*] Huius loci memor fuit Ruhnken. ad Vell. I, 1, 3. ubi Electra dicitur *virilis animi femina;* coll. eodem II, 74, 3. *Fulvia nihil muliebre praeter corpus gerens.* In sequentibus cum Gerlachio ex omnibus codicibus restituimus voces *praeterea*, *atque* et *fuit*, quas omnes pro consueta temeritate deleverat. — *Psallere et saltare* haud dubie vera lectio est, licet libri magnopere varient, tum omissa copula, tum additis verbis *canere* vel *cantare,* tum ordine quo haec se excipiunt multum diverso, ex quo recte colligas, librariorum glossemata hic haberi. Receptam lectionem tuentur octo Leidd. in iisque L., omnes Bass. Tur. 1. 2. Bern. 1. 3. Copula tamen abest apud Macrob. Saturn. III, 14. et in nonnullis codd., quod Gerlachius in Commentt. p. 93. probat, nos non item. Ceterum constructio huius loci ita comparata est, ut primum ablativi, tum infinitivi, denique accus. pariter pendeant a verbo *docta;* quod Dahlius non satis intelligens, *psallere* putavit *et saltare* esse infinitivos historicos, *multa alia* autem ita esse dictum, ut suppleatur *inerant illi.* Sed *inesse*, quod positum male se haberet, (v. ad c. XVII, 2.) multo minus suppleri potest. Quodsi autem *multa alia* aptum est a verbo *docta*, sequitur, interpositos infinitivos non alia constructione positos esse posse; alioquin enim tertium membrum a primo plane seiunctum foret. *Doctus* autem c. ablat. coniunctum legitur apud Ciceronem Bruto c. XLV, 168. et XLVI, 169. Martial. X, 76.; infinitivum imprimis apud poetas adiunctum habet, v. c. Hor. Carm. IV, 13, 7. III, 6, 38. Ovid. Met. V, 55. Vechner. Hellenol. p. 304.; de accusativo conferendus est Bentl. ad Hor. Carm. III, 8, 5. Liv. VI, 32. XXV, 37. Noster Fragm. Historr. I, n. 40. — *Sunt* post *luxuriae* vocabulum in quattuor codd. locum mutat; eo Gerlachius eiecit; nobis expellendi non satis idonea caussa videtur.

§. 3. *pudicitia fuit*] Pro *fuit* in permultis codd. probante Put-

atque Latinis docta, psallere et saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia 3 quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae

schio legitur *fuere*, quod ceteri editores merito aspernati sunt. Apparet librarios singularem mutasse in pluralem, nescios, si praedicatum substantivo continetur, verbum *esse* et ad subiectum et ad praedicatum referri posse, ita ut insigniori plerumque vobaculo, rarius propiori sese accommodet. Rem Cortius tetigit quidem, sed non plane perspexit, alienis etiam exemplis huc tractis. Cf. Iug. XVIII, 11. *possidere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia appellatur.* Ovid. Art. Am. III, 222. *quas geritis vestes sordida lana fuit.* cf. Walchius Emendd. Livv. p. 130. Liv. XXV, 5, 11. et Zumptius Gramm. Lat. §. 69, 2, 3. p. 297.

discerneres] Hanc omnium fere librorum scripturam cum Gerlachio revocavimus. Cortius enim, mutandi libidine impulsus, Gronovio obsecutus erat, qui Obss. III, 13. p. 417. *decerneres* scribendum esse contenderat, quod probum foret, si libri praeberent, sed sine libris non temere est admittendum. Magnopere autem errat Gerlachius, in Commentt. T. II. P. I. p. 94. *de* et *di* syllabas prisco sermone eiusdem fuisse potestatis statuens, quae sententia, quoniam levissima tantum veritatis specie, non recta ratione nititur, parum, puto, cuiquam probabitur. Nam quod ille *delectus* et *dilectus* confert, ad c. XXXVI, 3. monuimus alterum ne latinum quidem esse; *diffluere* autem et *defluere* quomodo differant, dicemus ad Iug. I, 4. Quodsi *discernere* et *decernere* interdum ita posita leguntur, ut alterum pro altero dictum videri possit, tantum abest, ut consectarium sit, *de* et *di* syllabas eandem vim habere, ut accurate spectanti propriam utrumque potestatem retinere appareat. Quum enim *de* praepositio cum verbis coniuncta vim simplicis augeat, (ut *deposcere*, *demirari*, *depopulari*, *deamare*, *deierare*, *devincere*, v. Ruhnken. ad Ter. Eun. II, 3, 39. Bremius ad Nep. Milt. II, 2.) *decernere* significat aliquam rem in suas partes dividendo accurateque examinando plene iudicare, unde factum, ut idem fere sit ac *statuere* vel *constituere*. *Discernere* vero est, rem aliquam in duas partes seiungere, discrimineque quod inter utrumque intercedit explorato, iudicio in alterutram inclinare. Cf. Caes. B. C. I, 35, 3. *intelligere se, divisum esse populum R. in partes duas, neque sui iudicii, neque suarum esse virium, discernere, utra pars iustiorem habeat caussam.*

minus parceret haud facile discerneres; lubidine sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur.
4 Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque
5 inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius

Tacit. Ann. V, 6. *miserius sit, ob amicitiam accusari, an amicum accusare, haud discreverim.* Apparet igitur *decernere* latius patere quam *discernere*, et quamvis saepe utrumque de eadem re dici possit, tamen cogitandi modum multum esse diversum.

lubidine sic accensa] Cum Cortio plerique ex recentioribus, etiam Gerlachius, exhibuerunt *lubido sic accensa*, quam scripturam praebet Guelf. 1. 5. Sen. 1. Fabr. 1. Tur. 1. et Rostoch. Sed in tanto relicuorum librórum consensu haud probabile est nominativum a Sallustio esse profectum, praesertim quum in ista scriptura aliud orationi illatum subiectum structurae perpetuitatem, a nomine *Semproniae* pendentis, incommode tollat. Praeterea glossa, quam iidem codices habent, *lubido eius sic erat accensa*, magis ad nostram, quam ad Cortianam scripturam spectare videtur; nominativus enim si positus fuisset, vix erat, quod explicaretur. *Incensa* autem non coniungendum cum *lubidine*, sed primo casu capiendum de *Sempronia*, falliturque Langius, utramque structuram aeque commodam censens. Per se quidem nihil obstat, quominus *incendi* non solum *homines*, sed etiam *perturbationes animi* dicantur, cf. Cic. Acadd. II, 28, 89. *nonne ibidem incitato furore?* sc. *clamat*, de quo loco vid. Wapkens. Lectt. p. 38. Sall. Iug. VI, 3. *studia Numidarum in Iugurtham accensa.* Liv. XXIX, 19, 10. *accensis studiis pro Scipione;* sed nostro loco propterea praestat *incensa* ad Semproniam referre, quia grammaticum subiectum ea voce continetur, quo ad facilitatem orationis aegre caremus. Si vero *fuit* additum esset, non repugnarem, si quis *lubidine accensa* coniungere vellet, quoniam tum subiectum *verbo* significaretur.

§. 4. *ingenium eius haud absurdum*] Hunc locum tractavit Mich. Heusingerus ad Vechneri Hellenol. p. 303-4., ita tamen, ut structuram plane perverteret. Semicolo enim post *absurdum* in comma mutato, infinitivum *posse* aptum esse vult ab voce *absurdum;* quae autem affert ad istam constructionem defendendam exempla, pariter vitiosa interpunctione affecit, sic emendanda Tacit. Ann. XIII, 45, med. *Sermo (Sabinae Poppaeae) comis, nec absurdum in-*

haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis, Catilina nihilominus in proxumum annum consulatum petebat,

genium; modestiam praeferre et lascivia uti; rarus in publicum egressus, idque velata parte oris. Ab his Taciti et Sallustii locis, quae sibi ad amussim respondent, plane diversus est alter Taciti locus Historr. III, 62, med. *Valens procax moribus, neque absurdus ingenio, famam urbanitatis per lasciviam petere.* Ceterum Cortius *mollis* bene interpretatur *voluptarius*, i. e. ad rem veneream tecte illiciens. Hoc sensu *mollis* et *delicatus* saepe dici observavit Car. Beier. ad Cic. Off. I, 30, 106. *quam sit turpe, diffluere luxuria, et molliter ac delicate vivere.* Macrob. Sat. II, 1. *puella supra naturam mollior.* Cf. locos a Gerlachio ascriptos, Cic. de Finn. I, 11, 37. Tibull. III, 4, 76. *Procax* autem dicitur qui plane effusa est impudentia et petulantia; meretrices igitur proprie *procaces* dictae, a *procando* i. e. postulando, de qua vocis vi cf. Non. I, n. 89. et Ruhnken. ad Ter. Heaut. II, 1, 15. Cic. p. Coel. 20, 49. *si ita sese gereret, ut non solum meretrix, sed etiam procax videatur.* Ovid. Amm. II, 2, 13. — *Prorsus* Gerlachius perperam interpretatur *omnino;* non enim pertinet ad *multae* sed ad *inerat.* V. ad c. XV, 4.

XXVI. §. 1. *His rebus comparatis*] Haec varie interpretati sunt editores. Cortius enim et Dahlius explicant: *quamquam tot auxilia, quae ad consilium exsequendum sufficerent, paraverat, tamen etiam consulatum petebat.* Aliter Langius: *quamquam tanta undique coniurationis subsidia comparaverat, quae petitioni eius adversa potius, quam secunda esse debebant, nihilominus tamen* etc. Kunhardtus sic: *quamvis ea comparaverat, quae ad hostilem incursationem pertinebant, tamen cons. petebat, quasi civitatis salutem curans.* Similiter Gerlachius: *quamvis Catilinae consilia ad vim spectare videbantur, tamen et cons. petiit, ut magistratus potestate gauderet.* Omnes falsi videntur; *nihilominus* enim non potest ad verba *his reb. comp.* spectare, quae, quum ad cap. XXIV, 2. referantur, non concedendi, sed temporis particula solvenda sunt. *Nihilominus* potius ad sententiam non verbis expressam, sed cogitatione supplendam referendum esse, docent verba *in proxumum annum;*

sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate
2 Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed
omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque
illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant;
3 namque a principio consulatus sui, multa pollicendo
per Fulviam, effecerat, ut Q. Curius, de quo
paullo ante memoravi, consilia Catilinae sibi pro-
4 deret; ad hoc collegam suum Antonium pactione

sensus enim haud dubie hic est: quum has res (arma, pecuniam, socios) comparasset, Catilina, *quamquam superiore anno, (Ciceronis competitor) repulsam tulerat*, nihilominus in proxumum an. cons. petebat. Ita demum constat *nihilominus* particulae vis, qua significatur aliquid, quod alicui rei impedimentum afferre videbatur, quominus illa fieret non obstitisse; paratae enim coniurationis opes, de quibus interpretes cogitarunt, non poterant Catilinam de petendo consulatu deterrere; infelix autem prioris petitionis successus quamquam merito deterrere eum debebat, tamen pro audacia sua et impudentia non dubitavit petere.

§. 2. *dolus aut astutiae*] Non quo in fraudem induceret, sed ut depelleret fraudem. *Dolus* enim, quod interpretes iam annotarunt, mediae significationis est vocabulum, etiam pro *sollertia* positum, teste Gellio XII, 9. et Ulpiano Digg. IV, 3. qui scite ita disputat: „veteres dolum etiam bonum dicebant et pro sollertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve aliquis machinetur.“ Comma post *dolus*, quod in plerisque omnibus editionibus est, cum Gerlachio delevimus, quia substantiva arcte cohaerent. Nam *aut* particula, semel posita, non semper excludit alterum vocabulum, sed etiam rebus non genere sed specie diversis coniungendis adhibetur; cf. Heusing. ad Cic. Off. III, 13, 3. *quaero, num id iniuste aut improbe fecerit?* Noster Catil. c. XIII, 3. *non famem aut sitim, neque frigus opperiri*, ubi librarii, huius usus ignari, in multis codd. scripserunt *non famem, non sitim.* Consimili modo turbatum est in Caes. B. G. I, 13, 6. quem locum codd. ita exhibent: *ut magis virtute quam dolo contenderent, aut insidiis niterentur.* Recte vero a Davisio et Oudendorpio *contenderent* eiectum est, quo nativa Caesaris simplicitas magnopere obscurabatur. Cf. Catil. LI, 4. et Gernhard. ad Cic. Lael. c. 18, 65.

provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas Consuli in campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte tentaverat aspera foedaque evenerant.

§. 3. *multa pollicendo per Fulviam*] Revocavimus antiquam interpunctionem, qua commate post *Fulviam* distinguitur. Parum consulto Bipontini scripserant: *multa pollicendo, per F.* etc., quod propterea valde offendit, quia *polliceri* nimis nude positum non satis commode intelligitur, quo pertineat. — *Pactione provinciae.* Cicero enim Macedoniam, meliorem provinciam, Antonio sine sorte concessit, ipse Galliam sibi sumpsit, quam tamen mox in concione deposuit, ut ipse testatur oratione in Pis. c. 2, 5. et Epp. ad Famm. V, 2. ante med. Plutarch. Cic. c. 12. Cort.

§. 5. *quas Consuli fecerat*] In permultis codd. est *Consulibus*, quod Cortius recepit, relicuis editoribus fere omnibus singularem tuentibus. Qui pluralem probant, Sallustium putant respexisse ad Ciceronis testimonium, qui orat. in Catil. I, 5, 11. dicit, Catilinam comitiis consularibus non modo ipsum, sed etiam competitores suos interficere voluisse. Sed, ut hoc verum sit, Sallustius certe eius rei non meminit, ac de Cicerone solo loquitur, quod non modo ex huius capitis contextu, sed etiam ex cap. XXVII, 2. et XXXII, 1. patet. Praeterea competitores non modo Consules, sed ne disignati quidem dici poterant, siquidem ante comitia habita nondum designati erant. Quominus autem Antonius simul cum Cicerone intelligatur, obstat quod Sall. dixerat, Catilinam sperasse se Antonio ex voluntate usurum.

aspera foedaque evenerant] Vulgaris ratio *aspere foedeque* postularet, itaque aliquos, etiam invitis libris, scripsisse Cortius testis est. Sed ubi verbum ita cum substantivo est coniunctum, ut et subiectum vocabulo apposito, et praedicatum adverbio accuratius definiri possit, Latini subtilitate quadam dicendi, a nostro idiomate aliena, adiectivum ponunt, ubi ex recentiorum linguarum usu potius verbum adverbio addito definiri solet. Adiectivum autem ad sub-

XXVII. Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique oppor-

stantivum relatum quum appositionis instar sit, plerumque postponitur, quamquam etiam exempla sunt, ubi praepositum invenitur. Iug. LXIII, 1, *cuncta prospera eventura.* Plaut. Trinum. I, 2, 3. *ut nobis haec habitatio Bona, fausta, felix, fortunataque eveniat.* Sall. Cat. LII, 29. *bene consulendo prospere omnia cedunt.* c. XX, 2. *nequicquam opportuna res cecidisset*, ubi v. Cort. cf. W. Ern. Weberi Exercitatt. Styli Lat. T. I. p. 117, sqq. Drakenb. ad Liv. I, 50, 2. et Gronov. ad III, 50, 6. Alia dabit Walchius Emendd. Livv. p. 235. et Vechner. Hellenol. p. 215.

XXVII. §. 1. *C. Manlium Faesulas*] Is C. Manlius quia iam c. XXIV, 2. Faesulis esse memoratur, statuendum est, intra anni tempus, quod Sallustius his capitibus comprehendit, Romam eum reversum iterumque ab Catilina Faesulas missum esse. Perizonii enim sententia, qui Animadverss. historr. p. 171. Ed. Harl. iudicat, superius quidem tempus (c. XXIV, 2.) intelligi, sed ideo Manlii mentionem a Sallustio iterum hic fieri, quoniam universe quas in terras Catilina socios miserit, indicare voluerit, nullo modo ferri potest; contextus enim docet, quae hic gesta memorantur, statim post comitia anni u. c. 691. facta esse, quibus D. Iun. Silanus et L. Licin. Murena consules designati sunt, illam vero pecuniam Faesulas ad Manlium missam haud multo post comitia anni 690., quibus Cicero et Antonius conss. designati sunt, eo portatam. — *Quem ubique*, i. e. *quem et ubi* sc. *cum;* cf. ad c. XXIII, 4. et ad XLVII, 1. Sed Herzogius repugnat, *ubique* interpretatus *irgendwo*, *ü b e r a l l w o*, quod nobis non persuasit. Nam quod relativam vim particulae tribuit, id neque vocis ratio, neque loquendi usus, neque loci sententia comprobat, nisi forte statuit *quem ubique* dictum esse pro *ubi quemque*; aliter enim *quem* neque relativi neque interrogativi potestate cum *ubique* conciliari potest. *Ubicunque* autem quivis videt h. l. poni non posse, quia semper ad aliam enunciationem refertur, v. ad c. XXXIX, 6. et Ramshorn. Gramm. Lat. §. 165. I, 1. not. p. 405.; inde consequitur, *ubique* non posse idem esse atque *ubicunque*, ut Herzogius contendit. — Post *opportunum* restituimus cum Langio et Gerlachio *sibi fore*, quod Cortius deleverat, quia in Guelf. 12. *fore* abest, deinde

tunum sibi fore credebat. Interea Romae multa 2
simul moliri, Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari uti

quia in Guelf. 10. *ei* pro *sibi* legitur, denique quia *sibi* in nonnullis aliis locum mutat. Sed *fore* satis firmatur codd. auctoritate; *sibi* autem, quod minus praesidii a libris mss. habere videtur, sine sententiae detrimento abesse non potest, quia tum *opportunus* quo pertineat non satis recte potest intelligi.

§. 2. *cum telo esse*] Formula ex legibus XII Tabb. petita, quibus, ut lege Cornelia, istud prohibitum erat; Cat. XLIX, 5. *qui cum telis erant.* L, 2. Cic. p. Mil. c. 4, 11. *ipsa lex esse cum telo hominis occidendi caussa vetat.* ib. 24, 66. *inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret.* Cic. in Catil. I, 6, 15. *te stetisse in comitio cum telo.* Eadem ratione dicebant *esse cum imperio, cum toga,* cf. Cic. Epp. ad Famm. I, 1. V, 9. Sall. Fragm. Historr. I, 19, §. 7. Cort. Eiusdem generis est, *cum ferro esse, cum ferro invadere in aliquem*, quod Zumptius Gramm. Lat. §. 74, 11, 2. p. 363. recte explicavit; perperam vero Bremius ad Nep. Alcib. X, 4. de hominum armatorum coniunctione accipit. — *Item alios iubere* sc. *cum telo esse.* Ab hac simplici construendi ratione, quam Cortius recte indicaverat, temere discessit Müllerus, *item* explicans *similiter facere*, *idem facere*, i. e. *eandem rem.* Nam *item* particula, qua voluit obiectum verbi *iubere* significari, tantummodo praedicatis connectendis adhibetur, ita, ut modo *etiam*, modo *pariter*, modo *praeterea* vel *ad hoc* valeat; cf. Ern. Weberi Exercitatt. Styli Lat. T. I. p. 257. Ita apud Nostrum statim post §. 4. *se Manlium praemisisse ad eam multitudinem*, — *item alios (sc. praemisisse) in alia loca opportuna.* c. XLII, 3. *complures Metellus in vincula coniecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena*, i. e. *pariter.* Iug. XCIX, 1. *de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis signa canere*, i. e. vigiles signa canere, *ad hoc* tubicines signa canere. ib. C, 4. *ipse armatus intentusque, item milites cogebat*, i. e. *etiam* m. cog. sc. intentos esse. Ter. Heaut. III, 1, 8. *si ex capite sis meo natus, item ut aiunt Minervam esse ex Iove*, i. e. ut aiunt *etiam* Min. etc. *Item* semper ad praedicatum sive *verbum* spectare, neque obiecti loco esse, quod a verbo pendeat, clarissime docet locus Caesaris B. G. I, 3, 5. *Orgetorix persuadet Castico, ut regnum in civitate sua*

semper intenti paratique essent, dies noctisque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari.
3 Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes con-
4 vocat per M. Porcium Laecam, ibique multa de ignavia eorum questus, docet se Manlium praemi-

occuparet; *Itemque Dumnorigi — ut idem conaretur persuadet*. Perspicuitatis enim caussa auctor repetiit verbum, quod abesse poterat; persuadendi autem obiectum quum *item* particulà non contineatur, *idem* pronomen addidit.

§. 3. *multa agitanti*] Bene Müllerus coniecit, hic strictim tangi Catilinae consilium et Praeneste occupandi, quod Cicero refert orat. in Catil. I, 3, 8. et Capuam, de qua re dicit oratione pro Sext. 4, 9 sq. — *Intempesta nocte* Kunhardtus mirifice interpretatur *procellosa*, quod non modo analogiae repugnat, sed etiam constanti usui dicendi. Veterum explicationes huius vocabuli tum Ger. I. Vossius exhibuit, Etymol. p. 513., tum Cortius ad h. l.; ex iis Macrobius vocis potestatem optime perspexisse videtur, qui Saturn. I, 3. T. I. p. 209. Ed. Bip. *intempestum* tradit esse quasi *intempestivum*, noctemque intempestam dici, quia non habeat idoneum tempus rebus agendis. Eandem explicationem prius prodiderat Aelius apud Varronem, de L. L. V, 2. quem Macrobius secutus esse videtur. Non multum etiam differt Servii sententia, qui ad Virg. Aen. III, 587. haec annotavit: „nox intempesta dicta est media, tanquam inactuosa." Intelligitur ex his *intempestum* non otiosum esse noctis epitheton, sed eo significari *provectam*, *multam*, *concubiam noctem*, quae vulgo media nox dicitur. Parum igitur commendationis habet Festi interpretatio, qui dicit: intempestam noctem dicimus pro *incertiore tempore*, quia non tam facile noctis horae quam diei possunt intelligi. Ceterum cf. etiam Drakenhorch. ad Liv. XXXVII, 14, 3.

§. 4. *per M. Porcium Laecam*] Offendit viros doctos, quod, quum Cicero aperte dicat coniuratos apud Laecam fuisse, (cf. p. Sulla c. 18, 52. et in Catil. I, 4, 9.) Sallustiusque ipse idem haud obscure verbo *ibique* significet, *per Laecam convocati* dicantur, primum quia indignum plane sit, Laecam quasi Catilinae apparitorem fuisse, tum, quod perspicuitati isto modo non satis sit prospectum, quia coniuratos revera apud Laecam fuisse constet. Sed reputan-

sisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suis consiliis multum officere.

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus ce-

tibus coniurationis tantum *principes*, et ad consilia Catilinae gravissima audienda fuisse convocatos, mirum videri nequit, homini non infimae dignitatis convocandi negotium a duce esse datum, tantumque abest, ut istud Laecae dedecori fuerit, ut summam coniuratorum cautionem et consilia celandi studium prodat. His iam concidit Palmerii coniectura, *penes* pro *per* scribendum esse suspicantis, ne dicam convocare aliquem *penes* aliquem non magis latinum esse, quam *venire penes aliquem.* Cf. quae de huius praepos. potestate scite monuit Ern. Weberus in Exercitatt. Styli Lat. T. I. p. 33. et Herzog. ad Caes. B. G. VII, 21. — *Ibique* pro *et apud eum* illustravimus ad c. V, 2. Si quis tamen interpretari velit *in eoque conventu*, non repugno, coll. Liv. XXV, 10, 7-8. — Statim post, *multa* neutiquam idem valet atque *multum*, ut Cortio visum; neque verum est, quod is, Servium ad Aen. V, 869. secutus, tradit, nomen pro adverbio esse positum; nam et substantivi et pluralis numeri potestas retinetur. Nimirum *multa* singulas querelae partes vanasque querendi caussas continet, *multum* vero, quo non nisi modus indicatur, sensu non differt a *vehementer* aut *valde.* Pluralis numeri haec sunt exempla: Cic. Epp. ad Famm. III, 3, in. *multa nos quidem questi sumus.* ib. VI, 7, in. *multa deos venerati sint.* Sall. Cat. XLV, 4. *Volturcius multa Pomptinum obtestatus.* Nep. Epamin. VI, 1. *quum in oratione sua multa invectus esset in Thebanos;* ad quem l. v. Bremius, qui tamen vim pluralis non plane assecutus est. Id. Timol. V, 3. *quum Demaenetus nonnulla inveheretur in Timoleonta.*

quam — paraverat] Orationem obliquam coniunctivum postulare iam omnes fere interpretes observarunt, quamquam unus Langius recte vidit, mutatae structurae caussam in eo quaerendam esse, quod auctor sententiam interiectam, quae a mente eius, quem loquentem inducit, apta esse debebat, ut suam exhibuit, suam ipsius personam quasi nihil sentiens in locum alterius substituens, quod haud raro factum videmus. Diximus iam de ea re ad c. XIV, 7.

teris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius Senator constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de im-
2 proviso domi suae imparatum confodere. Curius ubi intellegit quantum periculi Consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui paraba-
3 tur, enunciat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus
4 frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria

Addimus c. XXII, 3. *nonnulli ficta haec existumabant ab his, qui* c r e d e b a n t. XXX, 6. *si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta* e r a t. Uberius rem exposuit G. L. Walchius Emendd. Livv. p. 191 sqq. cui addas Zumpt. Gr. Lat. §. 78, 7. h. p. 406. Quod autem Gerlachius ad h. l. in Comment. Vol. II. P. I. p. 98. contendit, in huiusmodi exemplis indicativum pro coniunctivo positum eo excusari, quod periphrasi inserviat, id recta ratione prorsus caret.

XXVIII. §. 1. *ea nocte paullo post*] Scilicet *post intempestam noctem*, i. e. primo mane. Illud enim tempus salutationum erat. Herodian. VII, 6, 18. salutantes quidam *πρὸ ἡμέρας ἀνακεχωρήκεσαν*. Cic. Epp. ad Attic. I, 18. *quum bene completa domus est tempore matutino*, ad Famm. VII, 28, med. IX, 20, fin. Virg. Georg. II, 461-2. Cort. — *Intellegit* scripsi ex codd. optimae notae, Bas. 1. Fabric. 1. Sen. 1. Guelf. 5. Tur. 1. Bern. 1. Erl. Teg. Quod Müllerus exhibuit *intelligit* minus Sallustianum est. Satis multi tamen libri exhibent *intellexit*, quod Herzogius pro genuino habet; sed eius rationes leviores sunt, quam quibus optimorum codd. auctoritas cedat.

§. 2. *impendeat*] Ita Bas. 1. 4. Fabr. 1. Leid. L. Teg. Nazar. Commel. Tur. 1. Bern. 1. et aliquot Cortii et Leidd. libri; in reliquis multiplici librariorum lapsu reperitur *impenderat*, *impendebat*, *impendisset*, et *impendat*, quod Cortius, quamquam in textu *impendeat* exhibuit, in notis parum consulte pro genuina scriptura habet. Gerlachio vero in Comment. Vol. II. P. I. p. 100. *impendebat* genuinum videtur, ut constructio sit eius generis, quod tetigimus ad c. XXVII, 4, extr. — *Ciceroni*, quae vox in Guelf. 5. abest, Cortius

plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil relicui fecerant.

XXIX. Ea quum Ciceroni nunciarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis

eoque auctore etiam Hottingerus et Kunhardtus deleverunt, tum quod paullo ante et *Ciceronis* et *Consulis* mentio facta sit, tum quod per se intelligatur, nulli alii quam Ciceroni datum fuisse enunciatum. Sed Schlegelius in Bibl. Crit. rei schol. Hildesh. a. 1819. T. II. p. 722. bene ostendit, iterato Ciceronis nomine ad perspicuitatem opus esse. Curius enim non amplius, ut antea fecerat, audita in conventu apud Laecam sine certo consilio *Fulviae* narravit, sed, a Cicerone praemio inductus, ut omnia ei proderet, (cf. c. XXVI, 3.) *Ciceroni ipsi* dolum enunciandum putavit; quae eius industria haud obscure vocabulo *propere* indicatur. Cf. Cic. orat. in Catil. I, 4, extr.

§. 4. *in Etruria plebem*] De Etruriae plebe, quia a Marii partibus steterat, a Sulla vexata maleque habita cf. Flor. III, 21, 22. Cic. Epp. ad Attic. I, 19. *Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat, in sua possessione retinebam.* — *Sullae dominatione* Gerlachius perperam interpretatur *Sulla dominante*, i. e. eo tempore, quo Sulla imperabat. Sed non tam tempus, quam caussam egestatis significari iam Cortius vidit, qui verissime explicat *per tyrannidem Sullae*; v. ad c. XXXI, 3. — De *Sullanis colonis* v. Cicer. orat. in Catil. II, 9, 20. — *Lubido* Gerlachius pessime capit pro *licentia, agendique intemperantia*, quam notissimam vocis significationem, etiamsi in h. l. caderet, nihil opus erat septem exemplis illustrari. Alteram autem obtinere vocabuli vim, qua effrenatas cupidines significat, luce clarius docet additum *luxuria*, universaque loci sententia cum Cic. in Cat. II, 9, 20. collati.

XXIX. §. 1. *Ea quum C. nunciarentur*] Müllerus pronomine *ea* comprehendi censet omnia quae inde a cap. XXVI. dicta sint.

privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manli quantus aut quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad Senatum refert, iam

Sed tantummodo ad Manlii conatum belli in Etruria excitandi respici, (XXVII, 4. XXVIII, 4.) apparet ex verbis *ancipiti malo permotus*, quod duplex malum recte interpretantur periculum reipublicae et intra urbem a coniuratis et extra moenia a Manlii exercitu imminens. De vi *anceps* vocis v. Bremium ad Nep. Themist. III, 3. coll. Iug. LXVII, 2. *neque caveri anceps malum posse.* Caes. B. C. III, 72, 2. *non illi ancipitem terrorem intra extraque munitiones clausisse falsse cogitabant.* Cic. p. l. Man. c. 4, 9. *ut, quum duobus in locis disiunctissimis a binis hostium copiis bellum gereretur, vos ancipiti contentione districti de imperio dimicaretis.*

rem ad Senatum refert — exagitatam] Offensionem praebet ratio, qua hae sententiae ad se referuntur; patet enim, *vulgatae* verba non aliter capi posse, nisi ut *Senatui* opponatur *volgus*, quum tamen sensus loci postulet, ut oppositio ad *refert* verbum pertineat, quod verba *iam antea* recte intellecta docent. Nimirum *referre* proprium vocabulum erat, ubi Senatui aliquid vel proponebatur vel nunciabatur, de quo senatusconsultum fieret, idque consulibus modo licebat, raro tribunis et praetoribus; cf. Ernestium in Clav. Cic. v. *referre*, et ad Suet. Caes. c. XX. et XXIII. coll. Sall. Cat. XLVIII, 6. et Bremio ad Nep. Hannib. XII, 1.; prius vero quam aliqua res ad Senatum relata esset, nihil poterat decerni, etiamsi senatores illam rem non ignorarent, cuius rei luculentum exemplum praebet locus Catil. modo laudatus; cf. c. L, 3. et Caes. B. C. I, 1, 1. Apparet autem Sallustium hoc dicere voluisse, Ciceronis demum relatione factum esse, ut senatus decretum fieret, quamquam singulis senatoribus volgi rumore iam de Catilinae inceptis constaret. Quae quum ita sint, vix mihi temperare potui, quin Cortii coniecturam *exagitatum* in textum reciperem, qua optime sibi haec opponuntur: *rem ad S. refert, iam antea volgi rumoribus exagitatum*, i. e. senatui, *qui iam antea* de coniuratione volgi rumoribus *acceperat*, eoque commotus et consternatus fuerat, tum *consulari auctoritate rem nunciavit;* quae sententia neutiquam eo infirmatur, quod Herzogius obiicit, Senatum exagitari, i. e. attentum fieri, terreri ac perturbari non potuisse, quum multi Senatores coniurationis participes fuerint. Quasi de his, ac non de relicuo numero cogitandum sit. Aliquantum vero praesidii coniecturae stabi-

antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod 2 plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit darent operam Consules, ne quid respublica detri-

liendae accedit ex Havercampii cod. M. in quo habetur: *iam antea excitatum volgi rumoribus exagitatum*, ubi luce clarius est, *excitatum* explicationem esse verbi *exagitatum*, quae alieno loco in textum irrepserit. In vulgata etiam hoc displicet, quod *rem exagitatam* non videtur aliter intelligi posse, nisi ut sit *rem celebratam* vel *multum tractatam*, quod cum propria *exagitare* verbi significatione non bene coit, qua valet vehementer agitando commovere, vexare atque irritare. Cf. Ernesti. ad Tacit. Ann. IV, 12, med. Sall. Cat. XIV, 3. XXXVIII, 1. XLVIII, 5. Iug. XXXIV, 2. LXXIII, 5. Fragm. Histt. I, 19, 7. Cic. de Orat. III, 16, 59. Epp. ad Attic. I, 13. Idem etiam Gerlachius videtur sensisse; sed quod coll. Cicerone p. Cluent. c. 36, 101. et p. Sulla c. 21, 60. probare vult, *exagitatam* esse i. q. *tractatam*, *excussam*, miror eum non vidisse, hos locos eandem atque ceteros explicationem non solum admittere, sed etiam poscere.

§. 2. *quod plerumque — solet*] Satis multi codd. *fieri solet*, aut inverso ordine *solet fieri*, quod ipsum idoneo documento foret, infinitivum a librariis additum esse, etiamsi in optimis codd. velut in Bas. 1. Fabr. 1. Tur. 1. Teg. Leid. L. Commel. Nazar., aliis, non abesset. Tamen Cortio non est assentiendum, qui, ut constructionem expleat, ex sequenti verbo *decrevit* huc trahendum censet *decernere* vel *decerni*, quae ratio plane absona est, licet Langio etiam probatur. *Solere* enim, quod satis notum est, in sententiis interiectis haud raro absolute ponitur, vel neutro relativi, vel *ut* particulâ additâ, itaque positum significat *ut consuetudo*, sive *ut mos est*, cf. Cic. p. Cluent. 59, 161. *quum quaedam in collibus, ut solet, controversia pastorum esset orta.* Sall. Cat. XXX, 2. *simul, id quod in tali re solet, prodigia nunciabant.* Iug. XV, 5. *veritus, quod in tali re solet, ne* etc. ib. XXV, 3. *bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum.* LXVI, 2. *volgus, uti plerumque solet, discordiosum erat.* Fragm. Historr. I, 65. *nullo, ut in terrore solet, discrimine.* ibid. III, 2. III, 15. Liv. I, 28, 2. *paratis omnibus, ut assolet, vocari ad concionem exercitum iubet.* Tac. Ann. I, 24, extr. *non laetae, ut assolet.* III, 1, extr.

decrevit, darent op.] Frustra in dimidia fere codicum parte *ut* ante *darent* insertum legitur, quam particulam verbis *praecipiendi*

8 menti caperet. Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis so-

ac similibus, quibus voluntas indicatur, saepenumero non addi observavit Cortius; coniunctivum tamen in his exemplis modi optativi vim habere recte monuit Ramshornius Gramm. Lat. §. 193. I, 4. not. 1. p. 607. cf. Iug. XXXV, 4. *Bomilcari imperat, pretio insidiatores Massivae paret.* LXXV, 5. *finitumis imperat, quam plurimum quisque aquae portarent.* XXVIII, 1. *his praecepit, omnis mortalis pecunia aggrediantur.* XXXV, 2. *huic persuadet, regnum Numidiae petat.* LVI, 2. Cat. XXXII, 2. ubi v. Alia praebet Drakenborch. ad Liv. I, 17, 11.

§. 3. *Ea potestas per Sen. — maxuma permittitur*] Hunc locum interpretes varie tentarunt. Primum Gruterus vulgarem distinctionem mutavit, semicolo post *maxuma* rectrato, ut *permittitur* ad sequentia tantum pertineat, in prioribus *est* suppleatur. Non multum diversa est Glareani ratio, qui ex coniectura scribendum putavit *eâ potestate — maxumâ, permittitur exerc. parare* etc. Quae si iure horridiora dixeris, quia dativus in tali verborum constructione valde incommodus est et paene soloecus, non magis tamen Cortii sententia ferri potest. Is enim mira iudicii perversitate *ea* pro ablativo habet, ex praegresso *decrevit* verbo supplens *decretione* vel *sententia* aut *formula*, eodem artificio, quo c. XVIII, 1. *de qua* scripsit, ex *coniuravere* supplens *coniuratione*. Praeterea *permittitur* semicolo plane seiunxit a sequentibus, et tamen, licet haec pro nova enunciatione haberi velit, *permittitur* verbum ex antegressis repetere iubet, quod fieri posse vix quisquam concedet, priore enunciatione interpunctionis finibus circumscripta. Langius vero et Gerlachius, quae post *permittitur* leguntur a praegressis non disiungi posse sentientes, infinitivos *parare*, *gerere*, etc. pro gerundiis positos censent; nempe non assecuti sunt, non nisi eo modo, quo ostendimus ad c. XXX, 4., gerundium cum infinitivo commutari posse, nostroque loco *maxuma*, quod praedicatum est, obstare, quominus *parare*, etc. a *potestas* voce apta esse queant. Simplicissima autem eaque unice vera constructionis expediendae ratio est, ut statuamus, infinitivos ad illustrandam *maxuma* vocem praegressis adhaerescere eo sententiarum nexu, ut commode *nempe* vel similis particula suppleri possit. Cf. LII, 13. *Bene et composite C. Caesar de vita et morte disseruit; credo, falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca tetra, in-*

cios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum Consuli ius est.

culta, foeda atque formidolosa habere. ibid. §. 21. *alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium* etc. V. Ramshornii Gramm. Lat. §. 187. p. 561.

aliter sine populi iussu] Aliter i. q. *alioquin*; cf. c. XLIV, 1. *aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse.* Cic. Off. I, 39, 6. *aliter ampla domus dedecori saepe domino fit.* ubi v. Hensing. qui laudat Off. II, 12, 3. et 6. Lael. c. 20. Nep. Them. 7, extr. — *Populi iussu*, nam populus proprie *iubet* quod Senatus *censuit.* Liv. XXXI, 7, 14. *ite in suffragium, et quae patres censuerunt, vos iubete.* Cic. p. Balbo, 17, 38. cf. Drakenb. ad Liv. III, 30, 6. III, 55, 3. et Gell. NN. AA. X, 20. Cort. — *nulli earum rerum Consuli.* Codd. fluctuant inter *nulli* et *nullius*, quae res editoribus magnae fraudi fuit. Quum enim Rivius primus *nulli* pro antiquo genitivo habuisset, Cortius cupide id arripuit, credulisque facile persuasit omnibus, parum scilicet curantibus, femininam huius pronominis formam in genitivo ac dativo non in ī sed in ae terminari, id quod discere poterant ex Prisciano VI, 7, 35. p. 243. Ed. Krehl. et XIII, 3, 11. p. 565. coll. Voss. de Analog. I, 2. Tom. I. p. 379. et IV, 6. Tom. II. p. 202. Quod Cortius autem dicit, *nulli earum rerum*, si genus pronominis spectes, eodem modo dictum esse, ut illud Horatii Epp. I, 17, 21. *vilia rerum*, quoniam nimis absurdum est, nolumus pluribus exagitare. Huc accedit, quod ne legitima quidem genitivi forma, sive *nullae*, sive *nullius* cum Müllero scribitur, ferri potest, quia tum in sententia generali non *Consuli*, sed *Consulibus* scribendum foret, ut apud Tacit. Annall. III, 58, in. *frustra vulgatum, dictitans, non licere Dialibus egredi Italia.* Inde patet, necessario coniungendum esse *nulli Consuli*, quamvis verborum collocatio editores quominus id facerent deterruit; v. Dahl. p. 170. Sed haud raro fit, ut quae arcte cohaereant vocabulis nonnullis interpositis disiungantur, cf. c. VIII, 5. *sua ab aliis benefacta laudari malebant.* XXXVII, 9. *praeterea quorum victoria Sullae parentes proscripti.* Cic. de Or. II, 86, 353. *Simonides dicitur, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse.* de Off. I, 37, 133. *in omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re quid deceat exquirimus.* ib. I, 38, 136. *Sed quo modo in omni vita rectissi-*

XXX. Post paucos dies L. Saenius senator in Senatu litteras recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine, ante diem VI Kalendas Novembris.
2 Simul, id quod in tali re solet,

me praecipitur ut perturbationes fugiamus, ubi v. Beier. Gerlachius quamquam solus ex intpp. vidit, *nulli* non posse feminino genere positum esse, tamen utrum pro genitivo an pro dativo habeat se prorsus dubium haerere profitetur; si tamen dativus sit, *nulli* pro *non* positum esse, ut apud Cicer. Epp. ad Attic. XV, 22, med. *Sextus ab armis nullus discedit*, quo iudicio nihil sane inconsultius viro docto excidit; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84, 7. p. 480. Quibus neque haec, neque nostra satisfaciunt, in eorum gratiam Langii annotationem iuvat transscribere. „Ceterum *nulli* accipere pro dativo et coniungere cum *Consuli*, usus loquendi vix patitur. Vulgatam vero constructionem firmat Cic. ad Diverss. XXII, 4. (sic.) *quum ille earum rerum nulli paruisset.* Si quis vero contendere vellet, *ius nulli earum* dictum esse pro: *ius ad nullam earum rerum* (Plaut. Cas. II, 2, 22.) aut pro: *ius de nulla earum rerum* (Liv. II, 29.) is huiusmodi dativi exemplum apud veteres vix invenerit."

XXX. §. 1. *ante diem VI. Kal. Novembris*] Vin. 2. Inc. 2. Ecc. Guelf. 11, 12, Bas. 1. 4. habent *Kalendarum Novembrium*, quod Gruterus etiam in textum recepit, contra loquendi usum. Nusquam enim genitivus reperitur, nisi apud Priscianum XVIII, 25, 218. p. 209. Ed. Kr. Ciceronis testimonium (in Cat. I, 3, 7.) de eadem re, quam Sall. hic tradit, afferentem. Sed Prisciano in ea re non magna fides habenda videtur, quem deceptum arbitror imperitorum grammaticorum ad illum Ciceronis locum annotatione, scribendi compendium *Kal. Nov.* male in genitivum solventium. Nam hoc uno tantum loco istam constructionem niti, neque tamen Priscianum eius auctorem esse, colligitur ex ipsis quibus utitur verbis: *nostri accusativo et ablativo, inveniuntur tamen et genitivo usi; Cic. in I. Invectivarum; cuius testes sunt commentatorum probatissimi.*' Quod Cortius autem putat Gruteri scripturam explicari posse *diem VI. ante diem Kalendarum*, magnopere errat, quia isto modo duplex *ante* infertur. Formulae constructionem bene expedivit Zumpt. Gramm. Lat. p. 568. Ed. IV. — Statim post in multis edd. male interpungitur *simul id, quod* cet. pro *simul, id quod*. V. ad Iug. LVI, 1.

alii portenta atque prodigia nunciabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur Senati decreto 3
Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque loca missi; hi utrique ad urbem 4

§. 3. *Senati decreto*] Codd. quidem omnes *Senatus*, sed *Senati*, quod Cat. LIII, 1. in Guelf. 8. 10. et 12. intactum remansit, scribendum esse docet Nonius VIII, n. 10. et 50. Hanc genitivi formam Sallustio usitatam esse testatur etiam Donatus ad Ter. Andr. II, 2, 28. et ad Hecyr. III, 2, 21.; item Priscian. VI, 14, 73. p. 268. Ed. Kr. cf. Quintil. Institt. I, 6, 27. ubi v. Spalding. et Voss. de Analog. II, 17. p. 761-2. — *Q. Marcius Rex* a. u. 686. cum L. Caecil. Metello Consul fuit, ac Proconsul in Cilicia bellum contra piratas gessit. Virum fortem imprimis bellique ac rei militaris peritum vocat Cicero orat. in Pisonem, c. 23, 54. *Q. Metellus Creticus*, anno praecedente cum Q. Hortensio Consul, intra triennium Cretam Proconsul subegit; Liv. Epit. XCVIII. Vell. Pat. II, 34, 1. Flor. III, 7. Cort.

circumque loca] Codd. maximo consensu tenent *circumque ea loca;* nihilominus cum Cortio pronomen eiecimus, quo sententia absurda fit. Absurdum enim est, *ea loca* Apuliam significare, quum Apulus ager universe comprehendatur, neque singulae eius partes, vel oppida, vel regiones, nominatae sint. Interpolationis caussa haec fuit, quod librarios fugit, *circum* et *circa*, quae non modo praepositiones sed etiam adverbia sunt, absolute poni, et integrae enunciationis instar esse, relativo et verbo *esse* explendae, quo nihil tritius est apud Livium; cf. Duker. ad I, 4, 6. Gronov. ad IX, 11. *saltus duo sunt, montibus c i r c a perpetuis inter se iuncti.* XXIV, 3, 3. *templum sanctum omnibus c i r c a populis.* ibid. c. 41, 6. *Scipio profectus ad loca circa visenda.* I, 17, 4. *multarum circa civitatium irritatis animis,* ubi v. Drakenborch. *Loca* igitur ab *in* praepositione pendet, non a *circum.*

§. 4. *hi utrique ad urbem Imperatores erant*] *Utrique* contra vulgarem morem, quamquam non sine exemplo, de duobus dictum. Deflexisse autem Romanos sine indonea caussa putaverim; quominus enim dicas, quum plurali numero multi in unum comprehensi significentur, exercitus notionem ad duces esse translatam, quod interdum fieri monuit Bremius ad Nep. Hannib. c. 4, 2., multi loci obstant, qui nonnisi singularis numeri sensum admittunt. Ex

Imperatores erant impediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat; sed Praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum

quo genere haec sunt Cortii: Cat. V, 7. *quae utraque his artibus auxerat.* Liv. XLII, 54, 7. *Elatiam et Gonnum recepit. Utraque oppida in faucibus sunt.* Tacit. Ann. XVI, 11. *pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens.* id. in dial. de oratorr. c. 2, in. *venerunt ad eum M. Aper et Iul. Secundus, quos ego utrosque studiose audiebam.* Nep. Timol. II, 2. *quod utrorumque Dionysiorum opibus Corinthii saepe adiuti fuerant*, ubi v. Bremius, et Fr. Guenther. ad Dat. c. XI, 2. Ramshorn. in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. 1826. I, 2. p. 369. qui laudat Cic. in Verr. IV, 14, 34. p. Ligar. 12, 36. Tacit. Ann. XV, 55, extr. XVI, 7, med. Plura dabit Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 53, 4. *utraeque (Ariovisti uxores) in ea fuga perierunt.* Sunt tamen in exemplis ab eo laudatis, quae legitimo more explicari debeant. — *Hi utrique* cum Gerlachio exhibuimus ex Teg. Leid. L. et Serv. ad Virg. Aen. I, 94. In aliis est *ii utriq.* vel simpliciter *utrique*, quo res non aeque vivida et quasi praesens describitur. Multi etiam addunt *nam*, scilicet qui putarunt caussali nexu hanc enunciationem cum antegressis contineri, quae potius parenthesis vim obtinet. — *Ad urbem* esse dicuntur, qui, rebus in provincia gestis imperioque deposito, urbem nondum intraverant, exspectantes donec triumphus ipsis decerneretur. Senec. de Beneff. V, 15, extr. *qui ne triumphaturi quidem intrare urbem iniussu Senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros praeberetur*, (v. Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. III, 8. et Herzog. ad Caes. B. G. VI, 1. coll. Lipsio ad Tac. Annall. III, 19.) Senatus autem dabatur vel ad Apollinis, v. Liv. XXXVII, 58, 3. XXXIX, 4, 1. vel ad Bellonae, Liv. XXXVIII, 44, 9. XXVI, 21, 1. Praeterea etiam dicebantur *ad urbem* esse, qui aut ex provincia cum potestate redirent, aut in provinciam profecturi essent. Cf. Cic in Verr. II, 6, 17. *simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae, et ad urbem, antequam proficisceretur, quaerere ipse secum coepit*; ad quem locum v. Asconius, itemque ad Cic. Act. I. in Verr. 15, 45.

omnia, honesta atque inhonesta] *Omnia* non coniungendum cum sequentibus, ut intpp. fecerunt, sed substantive capiendum, ut

Picenum, hisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc, si quis 6
indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta erat, praemium decrevere servo liberta-

quae sequuntur appositionis vim habeant. Eadem sententia bis usus est Sallustius, Iug. LXXX, 5. *quis omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat.* et XXXI, 12. *quis honesta atque inhonesta, omnia quaestui sunt.* Imitatur Tacitus Annall. II, 38. post med. *quibus omnia, honesta atque inhonesta, laudare mos est.* Cum his, quae Cortio debentur, aliqua tantum ex parte conveniunt loci ab eodem laudati, Cat. XI, 7. et XII, 2. — *Vendere* non pendet a substant. *mos*, sed a verbis *quibus mos erat*, i. e. *qui solebant.* Simplicissimam hanc infinitivi rationem non assecutus est Bremius ad Nep. Lysand. III, 1., Zumptius Gramm. Lat. §. 89, 5. not. p. 434., haud dubie Heindorfium secutus ad Hor. Sat II, 4, 1., et Herzogius ad Caes. B. G. VII, 26. et VII, 71., infinitivum pro gerundii genitivo positum censentes, eamque structuram a Graecorum dicendi usu repetentes. Verum vidit Ramshornius Gramm. Lat. §. 168, A. not 1. p. 423. et Rosenheynius in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826. II, 1. p. 48.; quippe infinitivus nunquam a solo substantivo aptus est, sed a *substantivo et verbo*, quae coniuncta vim simplicis verbi habent, cui obiecti loco legitime subiicitur infinitivus. Ita *consilium cepit* idem est atque *decrevit*, *animus est* i. q. *vult*, *copia est* i. q. *potest*, *cupido incessit* i. q. *cupivit*, et quae sunt huius generis alia, a quibus genitivi ratio est alienissima. — *Q. Pompeius Rufus* non multum notus; contra *Q. Metellus Celer* multis Ciceronis testimoniis clarus; cf. Epp. ad Famm. V, 2. ad Attic. II, 1. I, 18. p. Sext. 62, 130. in Catil. II, 12, 26. p. Coel. 24, 59. Cort. —

§. 6. *Ad hoc, si quis indicavisset* cet.] Et codd. et editores turbarunt h. l. In libris enim mss. est *praemium decrevere*, *praemia decr.*, *praemia*, verbo *decrevere* versui superscripto, *decrevere praemia*, denique *praemia constituere ei dare*, quae scripturae discrepantia Cortium permovit, ut *verbum* plane eiiceret, ex verbis *Senati decreto*, quae est perversa eius sive de brevitate Sallustii, sive de licentia Latini sermonis opinio, huc trahens *decrevere*, indeque orationem aptans. Quod quum nemo nisi monitus, ac ne sic quidem, intelligere possit, Bipontini, perspicuitati consulturi, et postea Langius et Müllerus e coniectura scripserunt: *ad hoc de-*

tem et sestertia centum, libero impunitatem eius
7 rei et sestertia ducenta; itemque decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro cuiusque opibus; Romae per totam urbem vigiliae haberentur, hisque minores magistratus praeessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas, atque

crevere cet., quod pariter ferri nequit, quum *decrevere* locum habeat et ex lubidine datum, nullo codice adiuvante, et quem ne grammatica quidem ratio permittat. Nam *decrevere* initio periodi collocatum, praesertim enunciatione condicionali sequente, non potest nisi ita intelligi, ut aut sequatur infinitivus, aut coniunctivus cum *ut* particula; quam constructionem quum unusquisque exspectet, perquam ingrato sensu animus afficitur, quum post tantum intervallum *accusativum* adiunctum videt. His incommodis omnibus medetur quam in textu expressimus scriptura codd. Inc. 1. Bas. 2. Tur. 2. Fabr. 2. Sen. 1. Ac. Ecc. Erl. Leid. I. N., quae quin vera sit non potest dubitari, tum propter structurae legitimam rationem et simplicitatem, tum propter interpolationem Guelf. 6. *constituere ei dare*, quae satis certo documento est, primitus *decrevere*, quam vocem explicare volebat librarius, in textu fuisse. Idem verbum initio §. 7. repetitum Cortius uncis inclusit, Bipp., Langius et Müllerus eiecerunt. Quodnisi omnes codd. constanter tenerent, facile concederem, quum constructio mutata ei rei non obstet; v. F. A. Wolf. ad Tacit. Ann. I, 15, extr. Sed ab codicum auctoritate recedere religio nobis fuit, praesertim quum *item* particulae verbum addi posse doceat Caesaris locus, B. G. I, 3, 5. supra ad c. XXVII, 2. ascriptus.

sestertia centum] Ita Bas. 1. Vin. 1. Guelf. 5. *sextertia cent.* Guelf. 3. 6. 7. 9. 10. Inc. 1. 2. Struv. Sen. 1. Bas. 3. Ecc. *Sestertia ducenta* optimi codd.; in nonnullis vel *sestertia ducenta milia* vel *duc. mil. sest.*, vel *sestertiorum CC. milia* ex interpolatione eorum, qui significare vellent singula sestertia continere millenos sestertios. — In fine capitis cum Gerl. pro *iisque* scripsimus *hisque*, quod est in cod. Erl. Bas. 1. Tur. 2. Bern. 3. idem §. 5. restituimus ex sat multis codd. — *Minores magistratus*, intelliguntur praecipue *Triumviri nocturni*, *Aediles* et *Tribuni plebis*.

immutata urbis facies erat; ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit; festinare, trepidare; neque 2
loco nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus 3
reipublicae magnitudine belli timor insolitus incesse-

v. Nitschii Antiqq. Romm. T. II. p. 1090. Ed. III. cf. etiam Lipsium ad Taciti Annall. III, 29, in. Urbem vigiliis munitam fuisse memorat etiam Cicero in Catil. I, 1, 1.

XXXI. §. 1. *facies erat*] In cod. Ecc. Bodl. Erl. Med. 6. et Paris. *erat* abest, Cortiusque et Bipontini deleverunt, Gerlachio in Commentt., Voll. II. P. I., p. 103. probante, quamquam in contextu retinuit. Sed quoniam civitatis status qui tunc temporis erat describitur, imperfecto opus est, quod non aeque ut *est* omittitur. *Permota* autem et *immutata* h. l. non participiorum, sed adiectivorum vim habent; alioquin plusquamperfectum haberetur, ab hoc loco plane alienum. — *Ex summa laetitia*, i. e. quum summa laet. antecessisset, sive simpliciter *post s. l.* Vide ad c. IV, 1. — *Omnis* in aliquot codd. incolume permansit, velut in Guelf. 4. 5. 6. 7. 9. 11. 12. Acad. Fabric. 2., librariis, qui ubique antiquiorem accusativi pluralis formam studiose deleverunt, constructione falsa deceptis, quippe qui *omnis tristitia* coniungerent, *invasit* autem absolute positum putarent; v. ad c. I, 1. — Comma post *loco* sustulimus, quia *cuiquam* ad utrumque substantivum pertinet. Ceterum haec sententia iisdem fere verbis iterum legitur Iug. LXXII, 2.

§. 3. *reipublicae magnitudine*] Ita plerique tenent libri; sed in Inc. 1. Acad. Ecc. Bas. 2. Leid. N. legitur *reip. pro magn.*, in Bern. 1. *reip. prae magnit.* Praepositiones librariorum industriae deberi bene iudicavit Cortius; perverse tamen idem, in vulgata non acquiescens, novam coniectando proposuit scripturam *quibus in reip. magnitudine.* Qua recte spreta, Dahlius ac Langius in alium errorem inciderunt, ellipsin *pro* praepositionis statuentes, quam nullam esse omnes sciunt, qui et de casuum et de praepositionum vi et potestate recte iudicare didicerunt. Ex ablativi igitur notione patet, *reip. magnitudine* non esse i. q. *pro reip. m.*, sed vi caussali, quae ablativi propria est, significari *propter reip. magnitudinem.*

rat, afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriae-
4 que diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem

Cf. Iug. XXXVII, 4. *quamquam et saevitia temporis et opportunitate loci neque capi neque obsideri poterat.* LXIV, 6. *quod diuturnitate belli res familiaris corruperant.* XLII, 2. *Gracchis cupidine victoriae haud satis moderatus animus fuit.* v. Goerenz. ad Cic. Legg. I, 15, 43. et III, 9, 22. Bremium ad Nep. Con. c. 3, 1. et Aug. Matthiam ad Cic. p. Mur. 10, 23. Si quis vero hunc ablativi usum *Sallustio* maxime proprium putet, is vix alium scriptorem Latinum legisse videatur. — Statim post Cortius verbum *incesserat*, quod in omnibus codd. est, pro consueta libidine eiecit. In uno cod. Barber. 5. legitur *accesserat*, quod ipsum, sive interpolatione, sive scribendi lapsu ortum est, ostendit Sallustium verbum non omisisse, sed *incesserat* scripsisse. Tertius casus verbo additus, quod plerumque aut absolute (v. ad c. X, 6.) aut cum accusativo construitur, ne te offendat, cf. Tacit. Ann. III, 36, 1. *incedebat enim deterrimo cuique licentia.* Liv. IV, 57, extr. *cura Patribus incessit.* Caes. B. C. III, 74, 1. *exercitui Caesaris omni tantus incessit dolor.* Curt. VII, 11, 4. *cupido deinde incessit animo naturam quoque fatigandi.* Cic. Epp. ad Famm. XVI, 12, in. *mirus invaserat furor improbis.* cf. Mich. Heusing. ad Vechneri Hellenol. p. 342. — *Insolitus* sensu pendet a verbis *reip. magnitudine*; nam quum propter ingentem imperii Romani ambitum bella in remotissimis terris gererentur, nihil miseriarum, quas bellum fert, ad urbem pertinere poterat; unde mulieribus belli timor non multum cognitus, eoque tum insolitus fuit. Herzogius parum perspicue, ut nobis quidem videtur, huius loci sensum ita explicat: die Grösse, der Umfang des Staats und alles dessen, was den römischen Namen angesehn und geehrt machte, liess die weiblichen Gemüther eine um so grössere Gefahr fürchten, die sie bisher nicht gekannt hatten, weil seit Sullas Zeit Ruhe geherrscht hatte. — *Omnia pavere* Müllerus mire interpretatur *ultima timere*, quasi *pavere* verbum transitivum, *omnia* accusativus obiecti sit. Rectius statuas hoc casu *pavere* accuratius definiri, et indicari, circa quam rem pavor versetur, eodem plane sensu, ut Livius V, 42. dixit *pavere ad omnia.* cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 71, 1. not. 1. p. 309. et Ramshorn. §. 132, 2. p. 233.

§. 4. *lege Plautia*] Cicero *Plotiam* dicit, sed omnes Sall.

illa movebat, tametsi praesidia parabantur, et ipse
lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo. Postre- 5
mo dissimulandi caussa et ut sui expurgandi,
sicuti iurgio lacessitus foret, in Senatum venit. Tum 6

codd. syllabam primam *au* diphthongo scriptam exhibent. Cf. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 61. Haec lex *de vi* a. u. 665. a M. Plautio Silvano tribuno plebis lata fuit, ut de capite eius quaereretur, qui vim fecisset. Cf. Coel. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 8, init. or. p. Coel. c. 29, 70. Ernest. Clav. Cic. et Sigon. de Iudic. II, 33. — *Erat* post *interrogatus*, a Cortio auctoritate duorum codd. eiectum, restituimus. — De *L. Paullo* cf. Cic. in Vatin. 10, 25. p. Mil. 9, 24. Epp. ad Famm. XV, 12. et 13.

§. 5. *et ut sui expurgandi*] In magna scripturae discrepantia haec quam expressimus nobis maxime probabilis visa est. Libri bene multi exhibent *aut sui exp.*, alii *ac sui exp.*, pauci *vel sui* et *quasi sui exp.*, aliquot *et ut sui*, nonnulli denique *ut sui exp.* Quae quamquam magnopere differunt, tamen non opus est, ut ad Cortii coniecturam *atque sui exp.* confugiamus, argutius quam verius excogitatam. Ut autem Gerlachii scripturae *aut sui*, vel Langii *quasi sui* praeferendum ducamus *et ut sui*, tribus caussis commovemur. Primum Catilinae non ea mens fuit, ut re vera se expurgaret aut se crederet expurgare posse, quippe qui simularet tantummodo animum expurgandi cupidum, iure igitur exspectes ab accurato auctore hoc significari. Sed *quasi* particulà positâ non intelligitur, quomodo tanta scripturae diversitas exsistere potuerit, quum et sensus clarus sit et relicuae lectiones mirum quantum ab ea voce recedant. Quae difficultates omnes evanescunt, si Sallustium statuis scripsisse *et ut sui*. Apparet enim *quasi* non alius nisi *ut* particulae esse interpretationem, isto sensu locoque librariis obscurae; alii, proclivi vel ingenii vel calami lapsu, *et* vocula deleta inde fecerunt *ut sui*, *aut sui*, *vel sui*, *ac sui*, fortasse eo quoque commoti, ne *ut* et *sicuti* continuo sese exciperent. Sed particularum earundem repetitionem veteres non ubique vitarunt, v. Goerenz. ad Legg. I, 2, 7. ad Acadd. II, 16, 49. ad Finn. I, 18, 61. Matthias ad orat. p. Rosc. Am. 45, 130. Wopkens. Lectt. Tull. p. 38 sqq. *Ut* pro *quasi* habes apud Cic. de Orat. I, 50, 218. *neque ea ut sua possedisse*, *sed ut aliena libasse*; similia sunt, quae Ruhnken. ad Ter. Eun. I, 2, 37. attulit. Phorm. II, 3, 62. *itidem ut cognata si sit.* Cic. de Off. I, 14, 42. *in eadem sunt iniustitia*, *ut si in suam rem aliena convertant.* Nep. Datam. III, 2. Praeterea Herzogius contulit Nep. Dion.

IX, 2. Datam. XI, 3. quem virum laetor eodem prorsus modo ac nos in h. l. emendando versatum esse. *Sicuti* pro *quasi* eodem modo legitur Catil. c. XXVIII, 1. et XXXVIII, 3.

sui expurgandi] *Expurgandi* cave pro participio fut. pass. habeas propter genitivum pronominis; gerundium enim esse docent ii loci, ubi vel pluralis pronominis aut substantivi numerus, vel femininum singularis cum genitivo in *di* exeunte coniuncta sunt; cf. Plaut. Truc. II, 4, 19. *quoniam tui (Phronesii meretricis) videndi est copia.* Ovid. Heroid. XX, 74. *copia placandi sit modo parva (Cydippae) tui.* Ter. Hec. III, 3, 12. *ego eius (Philumenae) videndi cupidus recta consequor.* Pronominis plurali numero positi haec sunt exempla: Caes. B. G. III, 6, 1. *neque sui colligendi hostibus facultatem relinquunt.* ib. V, 38, 2. *Ambiorix hortatur Nervios, ne sui liberandi occasionem dimittant.* ib. VI, 37, 2. *ut mercatores recipiendi sui non haberent facultatem.* Cic. de Divin. II, 17, 39. *doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse.* de N. D. II, 48, 124. *tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam.* or. in Catil. I, 3, 7. *quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum caussa profugerunt.* Caes. B. G. IV, 13, 5. *in castra venerunt, sui purgandi caussa.* Eiusdem generis ea sunt exempla, ubi substantivi genitivus *pluralis* cum gerundii genitivo coniunctus est, ut Ter. Heaut. Prol. v. 29. *novarum (comoediarum) qui spectandi faciunt copiam.* Cic. Verr. II, 31, 77. *homines, quibus ne reiiciundi quidem amplius quam trium iudicum praeclarae Corneliae leges faciunt potestatem.* ib. IV, 47, 104. *earum autem rerum nullam sibi iste neque infitiandi rationem, neque defendendi facultatem reliquit.* Sueton. Aug. c. 98. *permissa iocandi licentia diripiendique pomorum.* Lucret. V, 1224. *poenarum solvundi tempus.* Gell. IV, 15, in. *elegantia orationis Sallustii, verborumque fingendi et novandi studium.* His inter se collatis non difficile est ad videndum, eandem ubique gerundii esse rationem; quae tamen qualis sit, non inter omnes constat. Zumptius enim (Gramm. Lat. §. 82, 2. not. 1. p. 465 sq.) utrum gerundii an participii fut. pass. genitivum in his exemplis haberi dicat prorsus nescit, remque ita expedivisse sibi visus est, ut Romanos ipsos quid esset *sui* nesciisse contendat, in iis vero locis, ubi genitivus substantivi plur. est, ad archaismum vel ad anacoluthiam confugiat. Quam levem explicationem merito vituperat Ramshornius in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. 1827. II, 1. p. 45 sq.; sed quae ipse de *sui* pronomine praecipit, suam Gramm. secutus §. 158, 3. p. 338., nemini, opinor, satisfacient; v. notata ad Catil. XXXIII, 2. De plurali autem substantivorum genitivo cum gerundio coniuncto paullo obscurius disputat; quantum tamen ex

eius Gramm. §. 169, 2. Not. 8. p. 442. coniicere licet, Goerenzii doctrinam suam fecit, qui ad Acadd. II, 41, 128. hanc structuram ita censet explicandam, ut genitivus pluralis ab altero nomine pendeat, ad gerundium vero *is* pronominis accusativus suppleatur, v. c. Cic. de Invent. II, 2, 5. *ex magna copia nobis fuit exemplorum eligendi potestas*, i. e. potestas exemplorum, eligendi ea. id. Philipp. V, 3, 6. *agitur, utrum Antonio facultas detur agrorum suis latronibus condonandi*, i. e. facultas agrorum, condonandi eos. Haec quamquam veritatis speciem habent, tamen rectae explicationis laus debetur Godofredo Stallbaumio, qui ad Ruddimanni Institt. T. II. p. 246 sq. prudenter monuit, huius dicendi usus rationem in eo sitam esse, quod gerundium et substantivum, a quo pendeat, tam arcte coniungi debeant, ut *in unam notionem veluti coalescant;* unde fieri, ut qui addatur alter genitivus ab eodem nomine substantivo, sed eo iam cum gerundio copulato, pendere cogitandus sit. Itaque in Lucretii verbis non construendum est *poenarum tempus*, *solvendi eas*, sed *solvendi tempus* (Lösungszeit) *poenarum*, et apud Gellium l. l. perperam coniungas *verborum studium*, *fingendi ea et novandi*, quum potius construendum sit *fingendi et novandi studium* (Bildungs- und Neuerungssucht) *verborum*. Quae explicatio ut in omnia huius generis exempla cadit, ita sola valet de iis locis, quibus *sui* pronomen vel plurali vel singulari numero cum gerundii genitivo coniunctum reperitur. Nam quemadmodum, ut hoc utar, dicitur *alicui facultatem* vel *copiam dare alicuius*, ita nihil obstat, quominus dicatur *alicui irridendi facultatem dare alicuius*, vel, ubi de eadem persona agitur, *sui*. Pariter, ut dicitur *tui copia est*, et *videndi copia est*, ita vocabulis *videndi copia* in unam notionem copulatis recte subiicitur genitivus *tui*, nulla generis ratione habita. Ita apud Caes. B. G. V, 38, 2. *sui liberandi occasionem dimittunt*, non est: occasionem *sui* (i. e. se) *liberandi*, sed *liberandi occasionem* (Befreiungsgelegenheit) *sui*. Analogia igitur docente etiam *caussa* vox cum genitivo gerundii coniuncta alterum pronominis genitivum asciscere potest, neque obstat, quod vulgo dicitur *mea*, *tua*, *sua caussa*, si modo tenueris, hanc vocem substantivi naturam non deponere, eoque, si cum gerundio in unam notionem coalescat, possessivum aspernari. Cum Sallustii loco personae pronominis respectu prorsus convenit Ciceronianus Epp. ad Famm. II, 4, extr. *hoc non feci inflammandi tui caussa*. In his autem indicandis non quomodo Germanice converti soleant et debeant substantiva spectandum est, sed quae eorum propria apud Latinos sit natura et potestas.

iurgio] *Iurgium* de iis dicitur, qui data opera et consulto *maledictis* se et *contumeliis* afficiunt. Cic. p. Coel. 13, 30. *omnia sunt*

M. Tullius Consul, sive praesentiam eius timens,
sive ira commotus orationem habuit luculentam at-
que utilem reipublicae, quam postea scriptam edi-
7 dit. Sed ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus

alia, non crimina, sed maledicta iurgii petulantis magis, quam publicae quaestionis. id. Lael. 21, 78. *cavendum vero, ne in graves inimicitias convertant se amicitiae, e quibus iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur.* Vell. II, 33, 2. Catilina autem, impudentia insignis, quasi non reus esset de vi, in Senatum veniebat, isto modo illius rei famam atque invidiam facillime minui diluique posse ratus.

§. 6. *orationem luculentam*] Mirifice Cortius, Dahl., Lang. et Müllerus *luculentam* explicant: *lucidam quoad sensum, apertam, liberam*, coll. Cic. in Cat. I, 4, 8. *non agam obscure.* Quasi vero ita dicere, ut possit intelligi, non cuiusvis oratoris sit? Simpliciter cape, ut poscit constans dicendi usus, eximiam, praestantem, i. e. tum vi et gravitate sententiarum, tum verborum ornatu insignem. Non assentior igitur Herzogio, qui hoc vocabulo malignum Sallustii in Ciceronem animum prodi censet, quia ieiuna laus insit, praesertim propter addita verba *utilem reipubl.* — *Sive ira*, omnes codd. excepto Senat. 1. ex quo Cortius *seu* edidit. — Verba *quam postea scriptam edidit* male suspicaces Gruterus et Cortius pro suppositis habent; Dahlius vero recte vidit propterea a Sallustio addita esse, ut se excusaret, quod eam orationem non ut Caesaris, Catonis, aliorum, retulerit.

§. 7. *ubi ille assedit*] Stantes enim dicebant, uti iudicum erat sedere; cf. c. LIII, 1. *postquam Cato assedit.* Cic. p. Rabir. 5, 11. p. Rosc. Am. 1, 1.; 22, 60. Cort. Adde Ernestii Clav. Cic. v. *stare* et *sedere.* — *Ut erat paratus*, i. e. *pro* dissimulatione sua, ad quam semper erat paratus. *Ut* enim cum *esse* verbo et nomine coniunctum adhibetur ad aliquam caussam indicandam, in rei alicuius natura sitam, vel rei alicui propriam, quod haud raro etiam *pro* praepositione indicatur. Cf. Iug. VII, 4. *Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, in tantam claritudinem pervenerat.* Aug. Matthias ad Cic. orat. p. Rosc. Amer. 12, 33. *ut erat furiosus.* p. Mur. 25, 51. *ut semper fuit apertissimus.* in Pison. 25, 59. *dices enim, ut es homo facetus: quid est Caesar?* Tacit. Ann, I, 41, extr. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 3.

postulare, Patr. Conscr.] Codd. magnopere turbant; plurimi po-

ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, Patres Conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, ita ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne

stulare a patribus Conscriptis, alii *post. patribus Conscr.*, alii *postulare coepit patres*, *postulare patres coepit*, *postulare patribus centum*, *post. patribus C.* Quae nunc in textu est scriptura Gruteri coniecturae debetur, quam Cortius recte vidit firmari iis codd., in quibus vel *coepit* vel *centum* vel *C.* exaratum est. Quum enim *postulare Patr. C.* scriptum esset, librarii pro suo ingenio C. litteram interpretati sunt *coepit*, unde *postulare* penderet, quod verbum iterum eos permovit, ut *Patr.* solverent in *a Patribus*, quae constructio plerisque notior erat. — Haec via certior videtur ea, quam Herzogius iniit, *a Patribus Conscr.* praeferendum censens, quia h. l. *personam*, a qua aliquid petatur, aegre abesse concedas.

ea familia ortum, ita vitam instituisse] Ita plerique codd.; alii se addunt post *familia* et post *ita*, quo in tali orationis nexu, ubi quale enunciationis subiectum habeatur ex praegresso verbo facile intelligitur, non opus esse Cortius bene observavit. Egit de ea re Zumptius quoque Gramm. Lat. §. 80, 7. not. 2. p. 438. Adde Wopkens. Lectt. Tull. p. 9. et pag. 53. Goerenz. ad Acadd. II, 10, 32. Wolf. ad Suet. Caes. c. 70. Drakenb. ad Liv. I, 23, 5. ubi plus triginta exempla collegit. Ruhnken. ad Rut. Lup. I, 11. p. 41. A. Matthiam ad Cic. p. Rosc. Amer. 22, 61. et Carol. Beier. ad Cic. Off. III, 26, 98. — Praeterea libri deteriores inferunt *dicebat* propter sequentem accus. c. infinit. Sed v. ad c. XXI, 3.

omnia bona in spe haberet] Inconsulte Wassius *bona* cum *spe* coniungit, quod et sententia et verborum collocatio prohibet. *In spe habere* idem est quod *sperare*; cf. Cic. Epp. ad Attic. XI,19, med. *quod nulla equidem habeo in spe.* — *Existumarent* in longe plurimis codd. est; relicui, quamquam in his satis boni, *aestumarent*, quod huic loco minus convenit; v. ad c. VIII, 2. coll. LVIII, 18. — *In populum Romanum* Gruteri coniectura est; codd. omnes tenent *in plebem Romanam*, quod in Catilinae ore hic valde displicet, quem, de suis maiorumque meritis immodice gloriantem, consentaneum videtur, non tam plebis quam populi Romani, quippe augustioris, beneficiis a se aucti, mentionem fecisse. Codicibus autem quantum in talibus tribuendum sit, docet cap. XXXIV, 1., ubi pro tritissima formula *Senatum Populumque Rom.* omnes libri habent *Senatum*

existumarent, sibi patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in populum Romanum essent, perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romae.
8 Ad haec maledicta alia quum adderet, obstrepere

Populi Romani, vel c. XLII, 3. ubi multi scribendi compendia *ex S. C.* (i. e. ex Senati consulto) interpretati sunt *ex sociis Catilinae*. Vulgata unde originem duxerit, in promptu est; librarii enim scribendi compendium P. R. maluerunt explere *plebem Rom.* quam *popul. Rom.*, reputantes Catilinam omninoque omnes, qui rerum novarum cupidi essent, plebem sibi devincire, cf. Catil. XXXVIII, 1., et contra, plebem Catilinae magnopere studuisse, c. XXXVII, 1.; sed illi obliti sunt, Catilinam, animum probum simulantem, loqui quae e re sua essent.

inquilinus civis urbis Romae] *Inquilinus* est qui in alieno habitat, nullo possidendi iure. Contumeliose igitur Cicero vocatur *civis inquilinus*, quippe qui non Romae, sed in patris villa prope Arpinum natus esset. Idem convicium Cicero tangit orat. pro Sulla. c. 7, 22. *facetus esse voluisti, quum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti.* Apparet autem Catilinam *inquilinum* opponere *patricio homini*, gentis nobilitate claro, ita ut *homo novus* re quidem idem sit, sed verbis minus acerbum. — §. 8. *Ad haec maledicta* plurimi exhibent codd.; sed Fabr. 1. Sen. 1. Rem. 1. 2. Vin. Bas. 1. 2. 3. Erl. Teg. Guelf. 1. 2. 5. Rivii mss. et Leidd. I. L. M. N. *ad hoc* habent, quod Gerlachius in textu expressit. Receptam a nobis lectionem Gruterus quoque habet et Langius, qui tamen cur ita scribendum sit nescit. Neque aliquid ex Cortii annotatis ad c. XLIV, 6. proficias, exempla tantummodo ex variis scriptoribus colligentis, quae sat multa apud ipsum sunt Sallustium; ita enim locutus est Cat. XIV, 3. XVII, 4. XXI, 3. XXVI, 4. XXX, 6. XXXI, 3. XXXVII, 10. XLIV, 6. LIII, 3. Iug. VI, 1. XXXI, 28. XLIX, 4. LXVII, 1. CXI, 2. et alibi; quibus locis comparatis, invenies Sallustium his vocibus uti ad novam rem et a prioribus diversam afferendam, similibus autem rebus coniungendis eas nunquam adhiberi. Nostro autem loco, quum quae praecesserunt aeque maledicta sint ac quae sequuntur, quippe quibus alius tantum modus conviciorum contineatur, luce clarius est, coniungendum esse *ad haec maledicta*, quo simul id consequimur, ut *alia* maiore vi pronunciari possit.

omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille 9
furibundus: quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.

XXXII. Dein se ex curia domum proripuit.

§. 8. *parricidam*] I. e. nefarium ac scelestum. Hoc enim vocabulo Latini saepissime ita utuntur, ut, deposita originis potestate, qua eum significat, qui *patrem* occidit, (cf. Cic. or. Philipp. II, 18, 31.) omnino eum indicet, qui quodvis scelus commisit non minus atrox et nefandum, quam est patrem occidisse; cf. c. XIV, 3. *omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis.* LI, 25. *quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit.* LII, 31. *vos de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini?* Fragm. inc. 17, 3. *si parricida vostri sum.* Tacit. Historr. I, 85, extr. *hostem et parricidam Vitellium vocantes.* Cf. Drakenb. ad Liv. III, 50, 5. et Aug. Matthias ad Cic. orat. in Catil. I, 12, 29.

§. 9. *circumventus*] *Circumveniri* dicuntur, qui improborum malis artibus insidiisque capti urgentur et opprimuntur; cf. Cat. XVI, 3. *insontes sicuti sontes circumvenire.* XXXIV, 2. *se falsis criminibus circumventum fortunae cedere.* Cic. Off. II, 14, 18. *ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur.* Tacit. Ann. I, 13, med. *omnes variis criminibus struente Tiberio circumventi sunt*, ubi v. Ernest. — *Incendium meum ruina restinguam.* Eadem fere Cicero refert orat. p. Mur. 25, 51. *quum Catoni respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua sed ruina restincturum;* unde patet *incend. meum* esse *perniciem, interitum, qui mihi paratur. Ruina* autem *restinguere* petitum est ab incendiis, ubi ignis diruendis integris domibus flammaque nondum correptis sedatur. Male vero in nonnullis codd. additur *vestra*, quod propterea incommodum est, quia Catilina translata locutione usus, timoris faciendi caussa, quorsum ea valeret non ipse indicat, sed aliis divinandum relinquit.

XXXII. §. 1. *Dein*] Novem Gerlachii codd. habent *deinde*; Cortius de suis nihil monuit, sed vulgatam formam praebuisse videntur. Quare a maiore codd. parte nobis standum putamus. Cf. ad XL, 6. XLV, 4. LIX, 1. Neque tamen probare possumus, quod Herzogius *dein* particulae *adverbii* vim tribuit, interpretatus *cito, nullá morá*, cui vernaculum *sofort* respondeat. Quin potius *continuandi* in narrando potestatem pariter atque *deinde* habere cense-

Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiae Consuli procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factum credens exercitum augere, ac prius quam legiones scribe-

mus, eo tantum discrimine, ut hoc in *enumerando* solum obtineat. — *Secum ipse* Gerlachius hic et c. LII, 3. mutavit in *ipse secum*, quod valde displicet, quamquam aliquot codd. ita exhibeant, quorum tamen hic exigua auctoritas est, quum omnino libri mss. valde discrepent, aliis *ipse* omittentibus, aliis alio loco ostendentibus. Primariam autem vim inesse in *secum* voce constructio docet, usu loquendi firmata, cf. Iug. VI, 2. XIII, 5. CVIII, 3.; recte igitur *ipse*, magis ex abundantia quam oppositionis quaerendae caussa additum, postponitur. Cf. Iug. CXIII, 1. *Haec Maurus secum ipse diu volvens*, ubi Gerl. nihil mutavit.

quod neque insidiae Consuli procedebant] Dativum plerique interpretes, etiam Gerlachius, aptum esse dicunt ab omisso participio *paratae* vel *structae*, quod ellipsium genus valde importunum est. Herzogius *Consuli* a praegresso nomine ducere videtur, interpretatus *insidiae in Consulem*; sed dativus nunquam potest a substantivo aptus esse, nisi aut a verbali, (v. Zumptii Gramm. Lat. §. 84. A. 10. p. 477. Voss. de Constr. c. VIII. p. 33. Gronov. ad Liv. XXIII, 35, 7.) aut a nomine cum verbo coniuncto, cuius generis noster quoque locus est, quamquam Sallustius paullo negligentior magis obscurum aliquem animi sensum, quam dicendi usum secutus deprehenditur. Nam quum vulgo dativus *procedere* verbo additus *commodi* potestate cum significet, qui felici successu utitur, v. Drakenb. ad Liv. II, 44, 2., ambiguitatis vitio vix carent verba. Sed in promptu est Sallustium respectu eius, qui struxerit insidias, verbo absolute esse usum; quo fit, ut cum voce *insidiae* coniunctum *incommodi* potestate ad eum referri possit, cui struantur insidiae. Pariter hoc ipso cap. §. 2. *insidias Consuli maturent* ita dictum est, ut dativus pendeat a verbis *insid. matur.*; nam si *res mala* maturatur respectu alicuius, maturatur certe in eius incommodum. Etiam apud Caes. B. G. V, 20. *Trinobantibus Caesar imperat obsides XL, frumentumque exercitui*, dativus non pendet a *frumentum* voce, ut Herzogius vult, sed ab *imperat*; neque enim obest, quod alteri dativo, quo significantur ii, quibus imperata facienda sunt, alter additur, quo ii notentur, in quorum commodum aliquid imperatur. Eodem modo, ut dativi ratio a verbo repetatur, omnia

rentur antecapere quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quo- 2
rum cognoverat promptam audaciam, mandat, qui-

exempla explicanda sunt, quae Ramshornius Gramm. Lat. §. 116. A. I, 1. p. 198. attulit; non assentimur enim Viro Docto, *esse* verbi participium sive Graecum ὢν supplenti, velut in hoc Livii III, 37, 5. *id modo plebes agitabat, quonam modo tribuniciam potestatem, munimentum libertati repararent.* Vult ille *quae esset munimentum libertati;* sed nihil impedit, quominus etiam *repararent* ad interposita verba trahas, modo discedas a perversa recentiorum interpunctione, ea, quae cogitatione in unum comprehendenda sunt, in minutas particulas dissecantium, interno nexu carentes. Ceterum cf. etiam notata ad c. XIX, 1. et ad XXXIX, 3.

optumum factum credens] Plerique codd. *factu; factum* est in Ac. Guelf. 8. 10. septem Leidd. Erl. Bas. 3. Tur. 2. Eodem modo locutus est Cat. LV, 1. LVII, 5. Iug. CVII, 5. Erraverit tamen, qui putet, partic. perf. passivi in tali structura non differre a supino, id quod plerique omnes statuere videntur, etiam Ramshornius Gramm. Lat. p. 452. Participio enim, quod rem perfectam significat, tantummodo singulare aliquid notatur; supinum autem, quo generalis continetur verbi notio, universe rem agendam exprimit et latius patet; v. Bentl. ad Ter. Andr. I, 5, 1. *hocinest factu humanum aut inceptu?* quod germanice ita convertas: ist das menschlich so *zu handeln?* participium vero, quod alii praeferunt, hunc sensum habebit: ist das menschlich *gehandelt?* cf. Cic. Off. I, 3, 7. *honestumne factu sit an turpe dubitant id, quod in deliberationem cadit.* Eandem sententiam Horatius, ut poeta, ad singulam rem revocavit Sat. I, 4, 124. *sive vetabat, an* h o c *inhonestum et inutile factum necne sit, addubites,* ubi Heindorf. parum accurate. Eadem ratio est exemplorum Sallustianorum, ubi, quae adhuc peragenda sunt, quasi iam facta in unum comprehenduntur, quo artificio et Graeci et Romani haud parum perspicuitatis et elegantiae orationi conciliant.

antecapere quae bello usui forent] In magna scripturae varietate editorum alii alia sequuntur. Plurimi enim codd. tenent *multa antecapere;* Fabric. 1. *multo praevenire antecapere ea;* Fabr. 2. *multo praevenire et antec. ea;* Tur. 2. *multa loca antec.;* Leid. M. *multa antec. loca;* Guelf. 9. *multa praevenire antec. ea;* Guelf. 1.

bus rebus possent opes factionis confirment, insidias Consuli maturent, caedem, incendia, aliaque belli facinora parent; sese propediem cum magno exer-
3 citu ad urbem accessurum. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit, cum mandatis huiuscemodi.

XXXIII. Deos hominesque testamur, Impera-

2. Heuss. Vin. 2. Tur. 1. Bern. 8. Leid. E. G. H. L. N. *multa antec. ea;* Leid. I. *multa praevenire cupere ea.* Locum interpolatum esse unicuique patebit, quamquam de interpolationis caussa non omnes consentiunt. Cortius *multa* additum censet ab iis, qui vocem vellent adesse, ad quam relativum pertineret, pariter ut alii *ea* addiderint; quae posterior ratio vera est, prior non item. Patet enim scribas verbum *antecapere* explicuisse verbis *multo praevenire;* inde alii fecerunt *multa praevenire;* tum *multa* solum in textum irrepsit, cui nonnulli addiderunt *loca*, alii etiam *ea*, propter sequens relativum. Ita iam in promptu est *multa*, quod Gerlachius recepit, non genuinum esse; sed sententia etiam id abesse flagitat. Quid enim est, quod Catilina *multa* tantum, quae bello usui forent, antecapere vult, *alia* aeque utilia non vult? quem consentaneum erat, quaecunque sibi opportuna forent, in usum suum convertere studuisse. Infeliciter etiam Müllerus: *multo ante caperc;* in qua scriptura *multo ante* valde importunum est, tum propter antegressum *prius*, tum quia Catilinae parum intererat opportunitates *multo ante* occupare, si modo *antecaperet; capere* vero nude positum in tali sententia plane contra dicendi usum est. In lectione a nobis recepta *prius antecapere* non debet offendere, siquidem verbis cum *prae, ante* et *re* compositis haud raro *prius*, *ante* et *rursus* additur. Cf. supra ad c. XVIII, 6. Gronov. ad Liv. XXI, 32, 7. *quamquam fama prius praecepta res erat.* Drakenb. ad I, 3, 4. Mich. Heusing. ad Vechner. Hellenol. p. 163. Bremi ad Nep. Datam. c. VI, 1. — Ante pronomen *quibus* nonnulli codd. inserunt *ut*, quod recte abesse docuimus ad c. XXIX, 2.; adde XXXIII, 5. XLI, 5. cf. Drakenborch. ad Liv. X, 41, 8. et ad XLIV, 2, 5. — *Legatos*, quod in nullo codd. deest, quodque Cortius pro sua lubidine eiecerat, praeeunte Gerlachio restituimus.

XXXIII. §. 1. *aliis faceremus*] Cortius ex solo Guelf. 3. *homini f.*, quod recentiores recte respuerunt omnes. A codicum

tor, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus

auctoritate si discedas, *homini* Gerlachio defendi posse videtur loco Cic. Epp. ad Famm. IV, 4. med. *dixit se Senatui roganti de Marcello ne hominis quidem caussa negaturum;* sed ibi *homo* non aliam vim nisi *is* pronominis habet, de qua dixit Bremius ad Nep. Datam. X, 3. Eumen. IV, 4. Nostro autem loco requiritur indefinitius vocabulum, vel *quisquam*, vel, quo auctor usus est, *alius*. Quare videat Gerlachius, ne *homini* parum prudenter reiecerit, monendo „quae apud alios scriptores occurrant, Sallustio non obtrudenda esse." — *Feneratores*, sicut *fenus*, rectius scribitur quam *foeneratores*, *foenus*. Descendit enim vocabulum ab antiquo *feo*, i. e. gigno, unde etiam *fecundus*, *fetus* et *effetus*, v. ad c. LIII, 5. Gell. XVI, 12. Ruhnk. ad Ter. Phorm. II, 1, 71. Conf. Leop. Schneideri Gramm. Lat. T. I, 1 p. 79. — Pro *patriae* multi codd. exhibent *patria*, propter sequentes ablativos; sed duplicem vocabuli *expers* in eadem enunciatione structuram in Sallustio non esse sollicitandam Cortius recte monuit, comparatis locis c. XXV, 2. *docta litteris, multa alia.* Iug. LXXXIV, 2. *plerosque militiae, paucos fama cognitos accire.* v. Bremius ad Nep. Dat. III, 1. *hominem maximi corporis, terribilique facie.* Cic. Off. I, 28, 6. *reverentia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum.* Vellei. II, 41, 1. *hic forma excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus*, ubi Ruhnkenius cum ed. Bas. et Acidalio parum accurate ablativum praestare dicit.

lege uti] I. e. legis praesidio uti, lege ab iniuriis et saevitia feneratorum se defendere. Quum enim inde a primis reipublicae temporibus plebs fenoris onere nimis premeretur, plures leges latae sunt, quibus feneratores coercerentur. Duodecim enim tabulis, ut refert Tacit. Ann. VI, 16., sanctum erat, ne quis unciario fenore amplius exerceret, quam legem M. Duilius, L. Maenius, tribuni pl., repetiisse videntur, teste Livio VII, 16, 1. cf. ibid. c. 27, 2. *T. Manlio Torquato, C. Plautio Coss. semunciarium tantum ex*

habere; tanta saevitia feneratorum atque Praetoris
2 fuit. Saepe maiores vostrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae opitulati sunt, ac novis-

unciario fenus factum. id. XXXV, 7, 1. *quum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset.* Sed parum has aliasque, quas v. apud Sigon. de antiq. iure civ. Rom. II, c. 11., ad istud malum valuisse ex civitate tollendum, tum ex earum apparet multitudine, tum ex crebra et invidiosa feneratorum commemoratione; v. Beier. ad Cic. de Off. I, 42, 150. et ad II, 25, 89. Quam perdita istorum fuerit avaritia, quippe qui centesimis, quas ipsas *sanguinolentas* vocat Seneca de Beneff. VII, 10., non contenti, binas, ternas, adeoque quinas, capiti detractas, exigerent, docet Horat. Sat. I, 2, 14. ubi v. Heindorf. cf. Ernesti in Opuscc. philoll. et critt. p. 10. Ed. Lugd. De aeris alieni illis temporibus magnitudine v. Cic. de Off. II, 24, 84. ibique Beier. — *Liberum corpus* se non habere conqueruntur, quia qui solvendo impares erant creditoribus servire debebant; v. Liv. VI, 34, 1. *quum iam ex re nihil dari posset, fama et corpore, iudicati et addicti, creditoribus satisfaciebant.* cf. Legg. XII Tabb. apud Gell. XX, 1. Tom. II. p. 290. Ed. Bip. Quae misera debitorum condicio quamquam varie mitigabatur, v. Liv. VIII, 28, extr., mansit tamen aliquamdiu, ut nexi essent, aut in vincula truderentur. Quintil. Declam. III. Valer. Max. IV, 8, 3. Cort. — *Praetoris* sc. *urbani*, qui iudiciis praeerat, civibusque ius dicebat; cf. Ernesti in Clav. Cic. h. v. Eum divitibus haud raro favisse, aere autem alieno inique pressis minus fortasse quam debebat auxilii tulisse, non est quod mireris; magna enim pecuniosorum apud omnes ordines gratia! cf. Cic. de Off. III, 14, 2.

§. 2. *maiores vostrum*] Omnes fere codd. tenent *maiores nostri;* quinque tantummodo *mai. vestri;* sed *vostrum* scribendum esse patet ex Gellio XX, 6. Quae ibi tamen Apollinaris Sulpicius, Gellii praeceptor, de usu genitivi pluralis *vestrum* et *vestri* disputat, duobus insignia sunt erroribus. Primus est, quod nostro loco *vestri*, quod alii maluerunt, pro genitivo habet, quum aperte nomin. plur. sit. Tum omnino falsum est, quod contendit *nostri* et *vestri* genitivos esse pluralis numeri, quamquam haec opinio, ab eo inde tempore propagata, ne nunc quidem, ut iam pridem debebat, explosa est, sed omnes, etiam praestantissimas Zumptii (§. 35. p. 112.) et Ramshornii (§. 46. p. 73. et §. 158, 3. p. 338.) grammaticas obsidet. Isti enim genitivi non pluralis, sed singularis numeri sunt, descenduntque a neutro pronominum possessivorum, ex

sume memoria nostra propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebes aut dominandi 3

qua diversa origine sensus discrimen inter *nostri* et *nostrum*, *vestri* et *vestrum* clare patet. Intelligitur enim, in partitione hunc genitivum singularis numeri non poni posse, semperque dicendum esse *nemo nostrum*, *multi vestrum*, *primus nostrum* etc., contra bene se habere *memor nostri*, i. e. eius quod nostrum est, sive condicionis nostrae; vel *miserere nostri*, *odium vestri*, similia, ubi etiam personalia pronomina poni possunt, sed hoc discrimine, ut pluralis personas ipsas significet, singularis id quod personarum est; cf. Fragm. inc. 17, 3, *si parricida vostri sum.*

omnibus bonis] *Boni* Cortio sunt *divites*, quod h. l. non satis commodum est, licet Sallustius ipse probare videatur, Fragm. Historr. I. n. 9. *boni et mali cives appellati, non ab merita in rempublicam, sed uti quisque locupletissimus et iniuria validior.* Rectius intelliguntur optimates, qui rei publicae favent; nam ex verbis *maiores vostrum* intelligitur in tota epistola Manlium se atque suos patriciis opponere. De hoc vocis *bonus* usu cf. Bremi. ad Nep. Attic. XXII, 2. Car. Beier. ad Cic. Off. II, 16, 57. Goerenz. ad Acadd. II, 23, 72. et imprimis Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 22. extr. Gerlachius tamen h. l. *bonis* honestos cives probatisque moribus intelligi putat, ob seqq. §. 4. *nemo b o n u s vitam nisi cum anima amittit.* Sed huius loci prorsus alia ratio est. — *Argentum aere solutum est.* Multi libri habent *aere communi,* quam scripturam Dahlius scite monet ab iis profectam esse, qui aerarium intelligendum putarent. Manlius vero respicit Mariana tempora, quibus Valer. Flaccus, in Marii sept. Consulis locum suffectus, a. u. 668., a. Chr. n. 86., legem tulit, quo creditoribus quadrans solveretur, v. Vell. Paterc. II, 23, 2. *Aes* autem et *argentum* h. l. non metallorum genera significat, sed nummos sive monetam ex istis metallis cusam; aere igitur quum asses fierent, argento sestertii, patet Sallustium dicere, sestertium asse solutum esse. Quod ne cum Velleio non congruere videatur, tenendum est, sestertium inde a bello Punico secundo non ut antea duobus constitisse assibus et semisse, sed quattuor continuisse asses; cf. Plin. H. N. XXXIII, 13. *Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore asses unciales facti, placuitque d e n a r i u m s e d e c i m a s s i b u s p e r m u t a r i, s e s t e r t i u m q u a t e r n i s.* ubi v. intpp. et Ruperti ad Tacit. Ann. I, 17.

studio permota, aut superbia magistratuum, armata
4 a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum caussa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit.
5 Te atque Senatum obtestamur, consulatis miseris civibus, legis praesidium, quod iniquitas Praetoris eripuit, restituatis, neve eam nobis necessitudinem imponatis, ut quaeramus quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus.

Ita quod Sallustius dicit *aes pro argento*, i. e. assem pro sestertio, a Velleio *quadrans capitis* vocatur.

§. 3. *a patribus secessit.*] Eandem rem tangit Iug. XXXI, 17. et Fragm. Historr. I, 8. quibus locis plebs bis secessisse dicitur. Incertum tamen, easdem h. l. et Fragm. Hist. III, 22, 1. secessiones spectet, an plures, quas interpretes laudarunt, intelligat. — *Armata* cum verbo *secessit* coniungendum esse Cortius recte vidit, quum antea, etiam apud Havercampium, ad praegressa traheretur. Eodem modo positum est et in Sallustii locis laudatis, et apud Liv. III, 50, 15. ac Flor. I, 23. — §. 5. *eam nobis necessitudinem* cum Gerlachio exhibuimus; Cortius *nobis* trium codicum ope expulerat, cum magno numeri, aliquo etiam sententiae detrimento.— Statim post revocavimus vulgatum verborum ordinem *maxume ulti*, quae Cortius ex uno Vin. I., cui tamen postea tres alii accesserunt, transposuerat, collato c. XXII, 3. et LI, 23. ubi pariter paucissimis codd. adiuvantibus verborum ordinem invexit in pedestris orationis scriptore haud probandum. Alia ratio videtur verborum *post paullo*, de quibus dixit ad Iug. CVI, 3.; quippe *paullo* in hac structura appositionis vim obtinet; cf. Ramshorn. §. 197. I, 2, b. p. 627. Plurima verborum *post paullo* exempla congessit Drakenb. ad Liv. XX, 60, 16. Caes. B. C. I, 20, 4. Noster Cat. XVIII, 3. Iug. LXXI, 5. LXXIV, 1.

XXXIV. §. 1. *respondit*] Cortius hoc verbum, quod in Guelf. 11. et Arondel. abest, eiecit. Sed Herzogius scite observavit, ubi ita interrogetur, ut responsum *petatur*, id abesse non posse; contra in familiari sermone, in disputando atque disceptando eo

XXXIV. Ad haec Q. Marcius respondit: Si quid ab Senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia Senatum Populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere plerisque 2
Consularibus, praeterea optumo cuique litteras mittit: Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci; non quo sibi tanti

vocabulo non magnopere opus esse. Vanis igitur suspicionibus indulsit Gerlachius, *respondit* pro interpolatione habens, quam rem arguat R littera, eius loco in Flor. 6. exarata, quippe qua scriba *Q. Marcii* cognomen significare voluerit, aliis postea pro compendio *respondit* verbi habentibus. — *Vellent* plerique omnes tenent codd.; octo *velint*, quod multis fortasse maiore fide dignum videatur, vulgaribus de temporibus verbi praeceptis praesens antecedente imperfecto damnantibus. Sed ut praesens historicum saepenumero excipit imperfectum, sensu magis quam forma verbi eam rem commendante, (v. Möbius ad Caes. B. G. I, 3. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 9, 25. Zumpt. Gramm. Lat. §. 76, 8. not. p. 378; adde Sall. Cat XLIV, 3. XLVII, 3. Iug. XLVI, 4. XCVII, 1. CVII, 1.) ita contra dicendi quadam licentia, imperfecto praegresso, ad praesens relabitur oratio, imprimis ubi animus paullo commotior est. Cf. c. XXXII, 2. *mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias Consuli maturent.* Tacit. Ann. I, 19, init. *Blaesus multa dicendi arte: non per seditionem desideria militum ad Caesarem ferenda ait; si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur vim meditentur?* Cic. de Off. I, 11, 11. *Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento*, ubi v. Car. Beier. Vide etiam ad Catil. c. XLI, 5.

§. 2. *Massiliam in exilium*] Eandem rem, sed ut vulgi rumoribus debitam, refert Cicero orat. in Catil. II, 6, 4. et c. 7, 16. De *Massilia*, Galliae Narbonensis urbe a Phocaeensibus condita

sceleris conscius esset, sed uti respublica quieta
8 foret, neve ex sua contentione seditio oriretur. Ab
his longe divorsas litteras Q. Catulus in Senatu

(v. Thucyd. I, 13.), quae humanitate, litterarum studiis legibusque clara fuit, cf. Cic. p. Flacco c. 26, 63. Iustin. XLIII, 4, 5. coll. Moebio ad Caes. B. G. I, 1. — *Non quo sibi.* Sic plerique libri mss.; sed quattuor codd. *non quod sibi*, consueta harum vocum permutatione. Dictionis originem ac vim eruere conati sunt Perizon. ad Sanct. Min. IV, 12. p. 387 sq. et Cort. ad h. l., quorum ille rem satis explicatam putavit, si teneatur *eo* supplendum esse, hic, ista ellipsi non admissa, *quo* statuit per se et vi sexti casus significare *propter quod*, i. e. *quia.* Quibus haec iure obscuriora parumque accurate disputata videbuntur, eos meliora docebit Aug. Matthias ad Cic. orat. p. Rosc. Am. c. 48, 141. qui recte praecipit, *non quo* originem duxisse ab iis enunciationibus, in quibus *non eo — quod* fuerit. Deinde, quum *quod* pro relativo habitum esset, ad Graecorum morem per attractionem praecedenti *eo* est accommodatum, isque casus postea ibi quoque obtinuit, ubi *eo* neque praecessit neque cogitatione supplendum fuit. Inde consequitur et Zumptium errasse, qui Gramm. Lat. §. 78, 6. c. p. 399. docet, in formula *non quo* relativi ablativum significare *ut eo*, et Ramshornium, qui Gramm. Lat. §. 186, V. p. 560. sensus discrimen statuit inter *non quo* et *non quod* cum coniunctivo coniunctum; quam hic enim vult differentiam, ea indicativo nititur, quo vera affertur caussa, ut Matthias l. l. monuit. Recte igitur Beierus apud Cic. de Off. III, 22, extr. edidit: *eoque magis quod illa ordinum coniunctio ad salutem reipubl. pertinebat;* Heusingerus enim, Cortii praecepto ad h. l. seductus, *quo illa* scripserat. Ceterum Cortius nostro loco ita ingenio indulsit, ut etiam *esset* sine codd. eiiceret, fidelibus asseclis obsequentibus, nobis non item. Gerlachius in Commentt. Vol. II. P. I. p. 109. Cortio assentitur, permotus turpi calami lapsu, quo cod. Med. 6., *fuit* pro *esset* exhibens, inquinatus est.

neve ex sua cont.] Cortius, quocum iterum nobis pugnandum est, vim *neve* particulae plane neglexit, explicans *et non* sive *aut non*, quum ubique in consilio significando, praegressis *ut*, *ne*, *ut ne* particulis et negativa sententia sequente, prohibendi vocula *et ne*, i. e. *neve* opus sit. Non probamus autem Zumptii sententiam, qui Gramm. Lat. §. 78, 6, b. not. 1. pag. 398. ea ferenda censet exempla, ubi *neque* aut *nec* illatum est, pro *neve* aut *neu*; quae omnia, quum sine dubio scribarum errori debeantur, corrigenda iudicamus cum

recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat; earum exemplum infra scriptum est.

XXXV. L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua

Car. Beiero ad Cic. Off. I, 26, 91. et II, 21, 73. Codicum quam exigua in ista re fides sit perspicitur ex variis lectt. ap. Gerl. ad Iug. VIII, 2. Usus particulae quo magis pateat cf. Cat. LI, 43. Historr. Fr. I, 15, §. 4. Iug. X, 3. CII, 5. Liv. XXIX, 2, 13. Tacit. Ann. I, 42, init. I, 44, in. Huschke ad Tibull. I, 2, 36. et Herzog. ad Caes. B. G. VII, 47. — §. 3. *Q. Catulus*, vir magnae dignitatis atque auctoritatis, a. u. 676. cum M. Lepido Cons. Cui quantum Cicero tribuerit patet ex orat. p. l. Man. 20, 59. in Pis. 3, 6. Vell. II, 32. et 49. cf. Ernesti Clav. et Car. Beier. ad Off. I, 22, 76. — In fine capitis *est* retraximus, a Cortio inani suspicione eiectum.

XXXV. §. 1. *Q. Catulo*] Vulgo additur *S.* i. e. *salutem*, sed huius vocis signum plane abest ab omnibus Leidd. Bas. 1. Sen. Inc. 2. Guelf. 3. 4. 12. Rem. 1. 2. et Palat. 9. 10. Ceteri vel *salutem* vel *S.* adiunctum habent, praeter Erl. Teg. Tur. 1. 2. et vetustiores Palatt. in quibus est *S. Q. Catulo;* in Vatic. A. autem legitur *salutem dicit Q. Catulo*, ex qua diversitate recte coniicias eam vocem vel litteram insititiam esse. Cum Gerlachio igitur delevimus. — Verborum sequentium vulgata scriptura, quam etiam codd. plerique tenent, est: *grata mihi magnis in meis peric.*, quam Gruterus iam habuit suspectam, nondum tamen medicina inventa. Aliquid offensionis in verbis esse, senserunt etiam Rupertus et Dahlius, sed inepta excusatione utuntur, quoniam Catilinae ipsius verba habeantur, exagitato eius animo tribuendum esse, si verbis minus perspicuis utatur; quo iudicio nihil infelicius et indignius Sallustio, tam polito et eleganti scriptore, excogitari poterat. Quam recepimus scripturam maxima parte Cortii coniecturae debetur, a nobis tamen gravioribus argumentis firmatae. Vulgata primum eo displicet, quod *fides* tria praedicata habet, *egregia*, *re cognita*, *grata mihi*, *fiducia* vero plane nude positum est, quo omnis orationis concinnitas tollitur; tum *in* offendit, adiectivo postpositum, non substantivo sed pronomine subsequente; denique verba *grata mihi*, cum praegressis collata, mirum quantum languent. Quibus incommodis omnibus medetur scriptura in textum recepta, unde simul depravationis origo intelligitur; *mihi* enim ortum est ex *grata m i n.* Eo factum, ut *in*, quod adhuc in Guelf. 6. deest, obscuratum, ab aliis, qui necessarium ducerent, alieno loco

fides re cognita gratam in magnis meis periculis
2 fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare; satisfactionem ex nulla conscientia de culpa propo-

ante *meis* insereretur. Ad hoc geminae scripturae vestigium apparet in Vatic. A., qui *in magnis* habet. Quam commode autem in hac sententia *gratam* referatur ad *fiduciam*, quivis facile sentiet. Gerlachius tamen, qui Rupertum et Dahlium sequitur, nullo pacto se profitetur intelligere, cur *fiducia grata* dici possit, quippe quae *iniucunda* fuisse nequeat. *Meis*, quod Cortius nimio brevitatis studio abiecerat, codicibus iubentibus recipere non dubitavimus; *mihi* vero, quo Müllerus Cortianam emendationem a se receptam auxit, quomodo ferri possit equidem non assequor.

§. 2. *defensionem in novo consilio* cet.] *Defensionem* notione non differre ait Kunhardtus a *satisfactione*, quod ei non concedimus. In promptu enim est, quod Cortius recte vidit in Excursu p. 401., haec sibi opponi vocabula, adversandi particula *sed* omissa. Cf. Cat. XVIII, 8. LVIII, 14. Goerenz. ad Finn. II, 34, 114. Liv. XXII, 58, 3. et Drakenb. ad I, 25, 3. Catilina enim, callido consilio Q. Catuli amicitiam simulans, *defensione*, qua maleficii accusati aut arcessiti ad iudices utuntur, sibi non opus esse iactat, quia neque ipse culpae sibi conscius sit, neque ab amico noxius putetur; nihilominus tamen *satisfactione* i. e. *excusatione* in novo consilio sibi opus videri, quo Catulo brevi rationem redderet inceptorum, neve temere aut pessima caussa Roma excessisse videretur. *Novum* autem *consilium* non cum Gerlachio intelligo de coniuratione inita, sed de profectione ad Manlii exercitum, quod statim post callide miserorum patrocinium appellat, et poterat id novum videri iis, qui illum invidia Consulis Roma excessisse Massiliamque profectum putarent. Scite autem Langius observat, verba *parare* et *proponere* suis accommodata esse substantivis, ita, ut illud ad maiorem defensionis operam, hoc ad satisfactionis leviorem caussam spectet. Müllerus a vero prorsus aberravit, coniungere iubens *satisfactionem de culpa*, quod neque verborum ordo neque sententia permittit; sed non putavit V. D. dici posse *conscientia de culpa* pro *consc. culpae*, ut dicitur *conscius de alq. re*, Cic. Epp. ad Attic. II, 24, p. m. *his de rebus conscium esse Pisonem*. Eiusdem generis est *suspicio de alq.* Cic. Epp. ad Famm. XIII, 24, med. Consimilia mutatae structurae exempla praebet Ruddimann. Instt. P. II. p. 72. VII. not. 8. Ceterum Herzogius *conscientiam* haud recte interpre-

nere decrevi, quam mediusfidius veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu 3
laboris industriaeque meae privatus gradum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam

tatur *Mitwissenschaft*, intelligens de societate sceleris cum aliis inita, quum sensus potius sit, *quia mihi nullius apud animum meum culpae conscius sum.* Eo concidit, opinor, Herzogii sententia, alium prorsus genitivi atque *de* praepositionis h. l. sensum esse. — *Ex*, quod caussam significat, illustravimus ad c. XII, 2. Ceterum Kunhardti mirificos ad h. l. errores exagitare longum est.

quam mediusfidius veram] De hoc loco Gronovius Obss. III, 2. p. 338. ita: „Servius ad Virg. Aen. IV, 204. ostendit, olim lectum fuisse: *quae mediusfidius vera licet mecum recognoscas.* Quod mihi multo magis Sallustianum sonare videtur; imprimis illud, *satisfactionem, quae vera.* Sic enim in Iug. XLI, 1. *otio et abundantia earum rerum, quae prima mortalis ducunt.*" Sed Servius haec memoriter laudavit, propter unum *mediusfidius*, quare nihil ei tribuendum est. Male idem *medius* interpretatur *testem*, quod plane absurdum est; rectius veteres, velut Varro de L. L. IV, 10. et Festus, viderunt *fidius* positum esse pro *filius*, ut sensus formulae sit *me Dius* (Διὸς, Iovis) *filius iuvet*; cf. Ger. I. Voss. in Etymol. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 68, 4. p. 292. Iovis autem filius quia Hercules hic intelligitur, *mediusfidius* idem est quod *mehercules*, sive, quod Ciceroni Or. 47, 157. magis probatur, *mehercule.* Huius dictionis analogia suadet, ut uno vocabulo scribatur *mediusfidius*, quod etiam Vossius probat. In eo tamen fallitur, quod *me* non accusativum pronominis putat, sed pro Graecorum μά habet; ellipticam structuram Langius agnoscit quidem, sed perperam supplet *perdat.* Denique non negligendum est, alios, quibus Cortius et Gerlachius accedunt, *fidius* ducere a *fide*, ut sit πίστιος, *Dius* vero i. q. Deus. Cui sententiae qui maxime favere videtur locus, non favet, Plaut. Asin. I, 1, 8. *per Dium Fidium quaeris;* comicus enim iocum quaerit dictione perverse utendo. A nostra sententia etiam Conr. Leop. Schneiderus Gramm. Lat. T. I. P. I. p. 256. stare videtur. — *Licet cognoscas* non est, ut Müllerus vult, *velim cognoscas*, sed potius *cognoscere poteris si volueris.* Eodem modo intelligendus Ciceronis locus Epp. ad Famm. XVI, 21, 4. *firmo id constantique animo facias licet.* — Pro *cognoscas* nonnulli codd. *agnoscas*, de qua permutatione v. ad c. XLVII, 3.

§. 3. *gradum dignitatis*] Quod vulgo editur, *statum dignita-*

pro mea consuetudine suscepi; non quia aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quum et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret, sed quod non di-

tis, licet omnibus firmetur codd., tamen a Cortio ita in dubium vocatum est, ut locum emendandum censuerimus. *Status* enim *dignitatis,* Cortio acute observante, non dicitur, nisi de dignitate, quam quis habet, neque vero de ea, quam exspectat quaeve ei debetur. Affert ille Cic. Epp. ad Famm. IV, 9. p. m. *fortuna tua laudatur, quod tenueris et statum et famam dignitatis tuae;* cui addimus Epp. ad Attic. I, 20, p. init. *neque de statu nobis nostrae dignitatis est recedendum*, ubi non est negligendum, in altero verbum esse *tenere*, in altero *non recedere*. Relicta tamen quam bene ingressus erat via, vulgatam defendere conatur, quum antea coniecisset scribendum esse: *quod fructum laboris industriaeque meae non obtinebam.* Quod nos coniecimus neque longe recedit a vulgata, et magnam habet a dicendi usu commendationem; cfr. Cic. Off. III, 26, 8. *tenere consularis dignitatis gradum.* p. Cluent. c. 55, 150. *quum altiorem gradum dignitatis esset consecutus.* p. Mur. c. 27, 55. *qui unum ascendere gradum dignitatis conatus est.* p. Sext. 22, 49. *me hoc honoris gradu sine dolore caruisse.* Cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 48. Catilinam patet intelligere repulsas consulatus; quo etiam spectant sequentia *non dignos* etc., quibus Ciceronem notat. — *Non quin* unice verum, quia duplex negatio requiritur; libri tamen plurimi *non quia*, alii *non quod.* Cf. Cic. Epp. ad Famm. IV, 7, 1. Zumpt. Gramm. §. 78, 6, c. 2. p. 400.

aes alienum meis nominibus] *Nomen*, quod vulgo aut debitum significat aut debitorem, v. Ernest. Clav. Cic., h. l. ita positum videtur, ut significet *nominis in tabulas relationem;* ablativi autem, vim quam dicunt instrumenti obtinentes, ita referuntur ad verba *aes alienum*, ut, si explicatius dicere velis, supplendum sit *factum* sive *contractum;* idem voluerunt, qui *sumptum* ex glossa in textum intulerunt, quod duodetriginta codd. ap. Gerlach. tenent. Ad sequentia *aes alienum* cogitatione repetendum esse vix est quod moneatur. — *Quum et alienis*, quod Gerlachius edidit, nobis quoque in maxima codd. inconstantia probabile visum; ita est in Vatic. A. Teg. Bas. 2. Palat. 4. 8. 9. Bern. 1. Tur. 1.; alii pro *et* habent *etiam*, *ex*, *es;* in aliis *quum* abest, *et* servatur; contra alii *quum* retinent, *et* ignorant; alii denique aut ante *quum* aut sine eo *sed*

gnos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. Hoc 4 nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus. Plura quum 5

ostendunt. Quibus omnibus inter se collatis, patet, opinor, scribis et in hac enunciationum coniunctione mutandi errandique caussam exstitisse. *Et* pro *etiam*, apud Ciceronem certe, recte poni posse, auctore L. Valla, multi negant, v. c. Heusing. ad Cic. de Off. I, 38, 3. Goerenz. ad Legg. I, 7, 23. et II, 12, 29. cf. ad Acadd. I, 7, 26. et Aug. Matthias in Wolfii Annall. Litter. III. p. 5. Sed Wolfius ad Cic. de N. D. I, 5, 12. in Annall. II. p. 362. hunc usum, finibus tamen coercitum, vindicavit; cuius ex laudatis exemplis patet, familiari imprimis sermoni et pro *etiam* esse concedendum, levioremque quandam vim in hac particula quam in *etiam* inesse. Videtur autem haec *et* particulae potestas ab elliptica dicendi ratione repetenda, altero membro omisso; velut nostro loco suppleveris *quum et meis et al. nom.* Iug. XXV, 5. *hi, quod in invidia res erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere*, i. e. *et ipsi properantes, et ab Num. obs.* Liv. I, 12, 3. *Romulus, et ipse turba fugientium actus, Iupiter, inquit* etc. quae sic videntur solvenda: *R. quum et alii, et ipse ageretur.* Cic. Epp. ad Attic. VII, 26, extr. *nunc pueri certe in Formiano videntur hiematuri; num et ego, nescio; cogita: num et illi et ego.* de N. D. I, 39, 109. *quoniam nascuntur in terra, nascantur et in aqua*, i. e. *et ibi et in aq.*, ad quem locum v. Creuzerum, multa tamen miscentem; cf. etiam Zumpt. Gramm. Lat. §. 67. p. 274. et Car. Beierus ad Cic. de Off. I, 40, 142., qui tamen non satisfecerunt O. M. Müllero ad Cic. p. Sext. 59, 126. Quippe delectatur V. D. doctrina sua ad Cic. de Or. I, 46, 202. proposita, acquiescitque in Moseri iudicio, caute, ut ait, ad Cic. de N. D. III, 19. p. 576. Vallae praeceptum retinentis. — *Quum* valet *quum tamen*; cf. Cic. de Finn. 1, 2, 4. *hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas Latinas legant.* Nep. Eum. c. 10, 3. *hunc Antigonus, quum ei fuisset infestissimus, conservasset.* id. Phoc. c. 1, 2. *Phocio fuit semper pauper, quum divitissimus esse posset.* Cf. Scheller. Lex. ampl. p. 2537. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 59.

honore honestatos] Eodem modo Plautus Capt. II, 2, 106. *quum me tanto honore honestas.* Cic. orat. in Catil. IV, 10, 20. *tantam*

scribere vellem, nunciatum est vim mihi parari.
6 Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado; eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto.

XXXVI. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Arretino, dum vicinita-

laudem, quanta vos me honestatis, nemo est assecutus. Sall. Iug. X, 2. *me regnumque gloria honoravisti.* — Post *alienatum* cum Gerlachio ex codd. Bass. Bernn. Leidd. et Palatt. addidimus *esse*; quod Cortius, quamquam in omnibus suis, ut videtur, invenit, nulla de caussa expulit. — *Alienatum* non ita capiendum, ut Cort. et Gerl. fecerunt, ut suppleatur *ab honore*. Rectius Herzogius absolute positum censet, interpretatus *repulsum, neglectum, reiectum*; *alienare* enim de quovis neglectu et contemptu dicitur, v. Ruhnken. ad Ter. Heaut. V, 2, 26. — §. 4. *Pro meo casu* i. e. pro mea condicione aspera sive calamitate; cf. XL, 2. *dolens huius casum*, ubi Cortius haec laudat: Iug. XIV, 22. *laetandum magis quam dolendum puto casum tuum.* XXIII, 2. *eos miserando casum suum confirmat.* Liv. XXXIX, 11, 7. *mulier miserari casum adolescentis coepit.* Tacit. Ann. I, 39. — Ante *commendo* Langius, Gruterum secutus, *tibi* ex paucissimis codd. intulit; sed *commendo* quo pertineat verbis sequentibus *tuae fidei* satis clarum fit; eodem modo Caesar B. C. III, 57. *quem ab illo traditum et commendatum in s u o r u m necessariorum numero habere instituerat.* — *Haveto* in omnibus libris aspiratur; cf. Quintil. I, 6, 21. et Conr. Leop. Schneider. Gramm. T. I. P. I. p. 185.

XXXVI §. 1. *apud C. Flaminium*] Edd. omnes addunt *Flammam*, quod in uno Naz. legitur; relicuis omnibus hoc nomen ignorantibus, Gerlachius eiecit, quod factum valde probamus. Ita minus etiam probabile fit, hunc Flaminium eum esse, de quo Cicero mentionem iniicit Epp. ad Attic. XIV, 16. et ad Famm. XVI, 24., quam multorum sententiam ut nihil plane adiuvat, ita infirmat temporum ratio, siquidem utraque epistola post Caesaris mortem scripta est. — *Arretino*, quod tantummodo Guelf. 1, Tur. 1. 2. Vin. 2. Med. 9. Ven. 4. et nonnulli Popmae libri tenent, unice verum est; plerique omnes *Reatino*, librariorum lapsu. Roma enim in Etruriam proficiscentibus Reate in Sabinorum terra situm a dextra iacet, neque probabile est Catilinam Faesulas properantem

tem, antea sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis imperi insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt, Sena- 2
tus Catilinam et Manlium hostis iudicat; ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium

a recta via devertisse. Praeterea *vicinitas sollicitata armisque exornata* non potest alia nisi Arretii in Etruria esse. — *Cum fascibus*, v. Appian. B. C. II, 3. Plut. vit. Cic. c. 16. — *Comperta sunt* omnes habent codd.; Cortius tamen *sunt* omisit.

§. 2. *hostis iudicat*] I. e. *perduelles;* apposite Cortius affert Cic. de Off. I, 12, 1. *illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur;* quibuscum plane consentiunt, quae Varro L. L. IV, 1. tradit. — *Sine fraude*, h. e. sine damno, quod saepenumero poenâ constat; fraus enim et active dicitur de decipiendi fallendique studio, et passive de eo, quod fraude commissa vel ei qui fecit, vel qui passus est, accidit, i.e. incommodum sive detrimentum. Cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. V, 4, 8. *in fraudem illicis.* Quare formulae *sine fraude* duplex sensus esse potest, aut *sincere, vere*, ut apud Caes. B. C. II, 22, 1. *Massilienses sese dedere sine fraude constituunt*, aut *sine damno*, Liv. I, 24, 5. *quod sine fraude mea populique Romani fiat facio.* XXVI, 12, 5. *qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset.*

praeter — condemnatis] *Condemnatis* neque cum Dahlio referes ad verba *diem statuit*, neque cum Prisciano XVII, 21, 161. p. 85. Ed. Kr. pro *condemnatos* dictum putabis. Dudum enim interpretes viderunt pendere a verbo *licet*, *praeter* autem adverbium esse, pro *praeterquam* positum. Iustin. XIII, 5. *omnium civitatium exules, praeter caedis damnati, restituebantur.* cf. Aug. Matthias ad Cic. p. l. Man. c. 23, 67. *videbat populum R. non locupletari, praeter paucos.* Heusing. ad Off. II, 2, 3. *nec quicquam aliud est philosophia, praeter studium sapientiae.* Drakenb. ad Liv. V, 53, 13. et Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 5, 3., ex cuius exemplis apparet hanc particulam imprimis relativo sequente fuisse positam, v. c. Cic. Epp. ad Attic. V, 3. *nullas adhuc (litteras) acceperam, praeter quae mihi binae in Trebulano redditae sunt.* In his Ruddimannus Instt. Tom. II. p. 20. parum accurate *is* pronom. cum repetito substantivo supplendum putat. Neque assentior Herzogio,

3 condemnatis. Praeterea decernit, uti Consules de-
lectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam
4 persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit. Ea
tempestate mihi imperium populi Romani multo
maxume miserabile visum est; cui quum ad occasum

qui iis locis, ubi *praeter* eum *quod* pronomine coniunctum legitur, praepositionis vi positum censet, velut apud Caesarem l. l. *frumentum omne, praeter quod secum portaturi erant, comburunt.* Nam quae caussa sit, cur relativi neutrum singul. aliam constructionis legem habeat atque relicuae huius pronominis formae, nullo pacto potest intelligi, quum praesertim *quod* non a praepositione, sed a verbo pendeat. Sed patet Virum Doct. analogiam non esse secutum, pari casus primi et quarti forma deceptum.

§. 3. *delectum*] Ita scripsimus, codd. omnibus, uno excepto, iubentibus, non *dilectum*, quod Cortius ex ingenio dedit, auctoritate nisus virorum doctt. qui abunde docuerint, veteres istam formam alteri praetulisse. Eadem fere Oudendorpius affert ad Caes B. G. VI, 1, 1., ubi Herzogius parum dextre *dilectus* formae patrocinium suscepit, assentientem tamen nactus Hertelium ad Tac. Agric. c. 7.; addi possunt, quos Gesnerus laudat in Thes. L. L., Burmannus ad Ovid. Met. X, 324. et Drakenb. ad Sil. VII, 43. Sed quicquid dicitur ad *dilectum* defendendum, nobis ista forma non solum propter exiguam librorum fidem, sed etiam propter vim *di* syllabae magnopere suspecta est, habemusque assentientem virum acutissimum, Car. Beierum ad Cic. de Off. I, 41, 149. cui accedit Gernhardus ad Cic. Lael. c. 16, 56. et §. 62. et ad Off. I, 2, 6. Luculenter in eandem sententiam nuper disputavit Ioan. Goerlitzius in scriptione scholastica, Witebergae a. 1827. edita, p. 9. sq., qui, ut *diligere* non *eligendi* notione dictum esse demonstraret, non solum comparavit Auct. ad Herenn. IV, 21, extr. *deligere oportet quem velis diligere*, sed bene etiam monuit, si vera esset illa quam in *diligendo* inesse volunt vis, etiam *dilexit* et inde ductas formas pro *delegit* dictas debere reperiri, quae nusquam exstant. Quam ob rem *dilectus* pro *delectu* nullo modo dici potest, ac ne Latinum quidem vocabulum est, quum nullus exstet locus, ubi de *amore* intelligendum sit. Cf. etiam notata ad c. XXV, 3. — *Maturare* sequente infinitivo est *festinare;* planius etiam infinitivum in verbum finitum mutaveris, pro *maturare* adverbio *celeriter* posito. Tacit. Historr. V, 18, extr. *debellatum eo die foret, si Romana*

ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, affluerent, fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus Senati decretis ex tanta multitudine neque

classis sequi maturasset, i. e celeriter secuta esset. Sall. Iug. LXXIX, 5. *duo fratres maturavere iter pergere.* XXXVI, 1. *Albinus commeatum — maturat in Africam portare.* Cort. Cf. notata ad c. XVIII, 8. Caes. B. G. I, 7, 1. ubi Herzogius comparavit Cic. Epp. ad Attic. IV, 1.

§. 4. *visum est*] Verbum substantivum, a Cortio eiectum, qui parum etiam abfuit, quin *mihi* deleret, restituimus, libris ita iubentibus omnibus. — *Parerent* recte tuetur Gerlachius; Cortius ex quattuor tantummodo codd. scripsit *paterent*, quod cur h. l. ferri nequeat, iam diximus ad c. X, 1. Qui Cortium sequuntur, iis fraudi fuit, non attendisse ad praegressum *armis domita*, quae res neglecta aeque criticos atque interpretes saepe a recta via deduxit; v. ad c. II, 8. — Verba *ad occasum ab ortu solis* ut non naturali ordine posita notat Quintil. IX, 4, 23. Eodem tamen modo, monente Cortio, locutus est Mela III, 5. *aliquamdiu ad occasum ab oriente currens.* et Seneca Epp. LXXXIX, p. med. *amnes usque ad ostium a fonte vestri sunt.* Comparari etiam possunt ii loci, ubi pro vulgato *dies noctesque* dicitur *noctes et dies*, velut Cic. de Orat. I, 61, 260. v. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 1, 76. — *Cui*, quod vel pueri vident cum *parerent* coniungendum esse, Langius pessime refert ad *fuere*, quod h. l. idem significat ac *reperti sunt, exstiterunt.* Eiusdem structurae locum habes Iug. LXIV, 1. ubi criticus nihil mutavit. — *Quum* sequente *tamen* particula idem valet quod *quamquam;* cf. c. III, 5. Iug. VI, 1. Heusing. ad Cic. Off. III, 2, 1. Goerenz. ad Legg. I, 8, 24. Sed interdum *tamen* etiam omitti idem docet ad Cic. de Finn. II, 27, 88. et ad V, 26, 76. Bremius ad Nep. Arist. III, 2. ad Eum. V, 2. — *Otium* de *pace* dicitur, indeque nata omnium securitate, v. Bremius ad Nep. Timol. II, 2. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. II, 17, med. *si auditum erit, o t i u m esse in Syria.* ib. XII, 1, init.

perditum irent] Constructio apud Sallustium satis frequens, qua conatus studiumque aut voluntas aliq. faciendi significatur; cf. Cat. LII, 12. *bonos omnis perditum eant.* Iug. XXXI, 27. *ne ignoscendo malis bonos perditum eatis.* LXXXV, 42. *bonorum prae-*

praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat; tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

mia ereptum eunt. Liv. XXVIII, 41, 2. *qui te in Italia retineret, materiam gloriae tuae isse ereptum videri posset.* ibid. §. 9. *alienas ire oppugnatum.* In aliis locis, ubi additum est verbum, quo consilium indicatur, ista locutione studium rei significatur non iam praesentis, sed mox agendae vel aggrediendae; cf. Sall. Iug. LXVIII, 1. *cum maxuma cura ultum ire iniurias f e s t i n a t.* Liv. XXXIX, 10, 4. *vitricus ergo tuus pudicitiam, famam, spem vitamque tuam perditum ire hoc facto p r o p e r a t.* Curt. X, 8. *Meleagri temeritatem armis ultum ire d e c r e v e r a n t.* Quin Sallustius eodem sensu *properare* c. sup. coniunxit, Fragm. Histor. III, 22, 16. *ultro licentiam in vos auctum atque adiutum properatis.* Non est igitur assentiendum Zumptio, qui Gramm. Lat. §. 88, 2. not. p. 469. supinum et verbum *ire* nihil aliud esse dicit, nisi eius verbi, unde ductum est supinum, circumscriptionem, quod magis ad germanicam interpretationem, quam ad dictionis vim et naturam spectat. Aliud eum docere poterat, quem ipse laudavit, G. I. Vossius, de Analog. III, 17. p. 81. ita disserens: „nec tamen dissimulare possum, in huiusmodi circumlocutione etiam inesse notionem *futuri.* Quum dico *ire perditum* indico quid fiat, et quid futurum; nempe hoc agi, ut perditio alicuius *consequatur.*"

§. 5. *duobus Senati decretis*] Haec verba non ablativos esse instrumenti, sed absolutos, integrae enunciationis vim obtinentes, intelligitur ex voce *praemio;* vernacula convertas *bei zwei Senatsbeschlüssen,* cf. ad c. XXXIX, 3. — Ad verba *inductus patefecerat* Müllerus Cortium secutus pronomen *aliquis* supplere iubet, quod prorsus contra usum est Latini sermonis. In negativa enim sententia non *aliquis* sed *quisquam* ponitur, quod recte observavit Heindorfius ad Hor. Sat. I, 4, 35. probante Aug. Matthia ad Cic. orat. p. Rosc. Am. 12, 33. cf. Car. Beier. ad Cic. Off. T. I. Excurs. XI. p. 338. et ad II, 8, 28. Eo autem deterius Mülleri iudicium videri debet, quum *quisquam* re vera assit, et ad utrumque enunciationis membrum pertineat. — De ratione plusquamperfecti diximus ad c. XXIV, 1. — *Morbi, uti tabes* haud cunctati scripsimus pro *morbi a t q u e uti tabes,* quod omnes fere codd. tenent. Copula tamen abest in tribus Wassii, duobus Gruteri, uno Rivii,

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. 2

Venet. 4. et Barber. 4. quod sufficit in re, ubi etiam sine codd. auctor corrigendus foret; v. ad c. X, 6. Gerlachius, iusto timidior, *atque* uncis tantummodo inclusit; in Commentariis tamen p. 112. delendum censet.

XXXVII. §. 1. *qui conscii coni. fuerant*] Cod. Guelf. 3. Incert. 2. Leid. K. Bas. 3. et Bern. 2. pro *fuerant* exhibent *erant*, Leid. H. *fuerunt*; relicui omnes et Leidenses et Cortiani, quantum ex Cortii nota coniicere licet, *fuerant* tuentur. Gerlachius vero scripturae varietatem ita enotavit, quasi in plerisque, praeter memoratis, verbum substantivum abesset, ipseque eiecit, Cortium in ea re secutus. Nobis ista omissione vis facta videtur Sallustio, qui verbum substantivum, nisi praesenti positum, non solet abiicere, praesertim relativo antecedente. Plusquamperfectum autem, pro quo imperfectum exspectaveris, ita explicandum videtur, ut eius verbi tempus praesens non de re plena actione intelligatur, sed inchoandam modo rem significet, quo fit, ut plusqf., quod rei initium iam praeteritum indicat, quum alia res adhuc duret, sensu non diversum sit a vulgari imperfecto. Velut nostro loco *qui consc. coni. fuerant* idem est quod qui ad coniuratos se *contulerant*, vel *coniurare inceperant*, i. e. qui coniurati erant. Iug. XXVI, 3. *Iugurtha omnis promiscue, uti quisque obvius fuerat, interfecit*; i. e. uti obvius *processerat* vel *factus erat*, i. e. obv. erat. Vell. Pat. II, 3, 2. *Gracchus — vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit; potuerat* est *facultatem adeptus erat*, i. e. poterat. Cic. orat. p. Rosc. Am. c. 23, 65. *nemo putabat quemquam esse, qui, quum omnia divina iura polluisset, somnum statim capere potuisset.* Similia, sed de solo *esse* verbo, quippe cuius praeteritum a φύω descendat, tradit Heusing. ad Cic. de Off. III, 21, 4, perperam tamen tales locos admiscens, ubi *fuerat* cum participio perf. pass. coniunctum est. Eum sequitur etiam Bremius ad Nep. Themist. 8, 3. coll. Attic. 7, 1. et Alcib. 6, 3.

§. 2. *Id adeo*] Vim *adeo* particulae varie explicant; Cortius enim, auctoribus Servio ad Virg. Georg. I, 24. et Donato ad Ter. Eun. I, 2, 124. pro expletiva particula habet, sensu carente, quam futilem sententiam etiam Ruhnkenius ad Ter. l. l. amplectitur;

5 Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam sicuti in sentinam confluxerant.
6 Deinde multi memores Sul-

V, 8, 3. Drakenb. ad Liv. XLV, 19, 6. cf. Cic. Off. III, 1, 1. Noster Cat. LVIII, 16. Curt. III, 11, 5. et 9.

praeceps ierat] Hoc quid sit interpretes non videntur assecuti esse. Kunhardtus interpretatur *temere, sine consilio et ratione in partes Catilinae transierat;* Dahlius *ad miseram condicionem redacta erat;* Langius, qui utrumque vituperat, de *caussis cur Catilinae faverit* intelligendum censet. Sed si quid video *praeceps ierat* de corruptis perditisque plebis moribus dicitur; nam *praecipitem ire* vel *dari* et propria et translata significatione idem est atque pessumdari; cf. c. XXV, 4. *luxuria atque inopia praeceps abierat*, ubi Cortius recte explicat: in pravum abstracta erat. Iug. LXIII, 6. *postea ambitione praeceps datus erat;* i. e. modestia, qua excelluerat, deposita, ambitione pessimus et profligatissimus factus est. Ex his exemplis simul intelligitur unice verum esse *praec. ierat*, quod tantummodo Inc. 1. Tur. 1. Vatic. 2. et Bern. 2. in marg. m. sec. tenent; reliquorum scripturam *praec. erat*, dicendi usui repugnantem, recepit Gerlachius. Dictio pariter corrupta fuit apud Liv. II, 27, 3. ubi v. Gronov. et Drakenborch. *Praeceps* non nisi cum verbo motus, neque quietis coniungi posse, patet etiam ex dictione *praecipitem agere* vel *agi;* Cat. XXX, 8. Drak. ad Liv. XXX, 14, 10. Hoc non satis consideravit Herzogius, neque sententiarum nexum perspexit, *plebes praeceps erat* interpretatus: das Volk war tief gesunken, i. e. *es befand sich in einem gesunkenen Zustand.* In promptu est enim, Sallustium non *statum* plebis *qui esset* exponere, sed quibus rebus effectum sit, ut ad eum statum *perveniret.* Neque eius explicationem adiuvant laudata exempla Iug. VI, 3. Curt. VI, 9, 11., quippe quae et ipsa propriam *praeceps* vocis vim, qua significat aliquid *aliquo ferri*, retinent.

§. 5. *Primum*] Vocabulo *primum* non respondere *item* et *postremo*, sed *deinde* recte monuerunt Kunhardtus et Müllerus; quippe quum plura plebis urbanae genera essent, primum, quod vitae turpitudine erat insigne, pluribus describit. *Postremo* igitur comprehendendi colligendique vim habet, de qua diximus ad c. XIV, 6. cf. Bremi. ad Nep. Pelop. IV, 3.; *hi* autem, cum vi positum

lam victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea 7 iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam

varia perditorum genera complectitur et quasi praesentes animo denuo inculcat. In plerisque codd. est *ii*, sed *hi* tenent cod. Teg. B. 1. 4. Tur. 1. Gerlachius autem sibi non constitit, hos codd. h. l. deserens, quos in eadem plane orationis conformatione c. XIV, 3. secutus erat. — *Praestare* de re mala raro dici observavit Gerlachius, conferens *excellere* eodem sensu usurpatum a Cic. de Legg. I, 19, 51. *qui singulis vitiis excellunt.* — *Flagitium aut facinus*, v. ad c. XIV, 1. — *In sentinam* longe plurimi exhibent codices; aliquot ex interpolatione addunt *aqua*, quo sententia sane aqua diluitur. Sentina autem non solum dicitur, quicquid spurcitiei in ima navi residet, sed etiam ipse sordium locus, quae vocabuli, quamquam translata, vis hic obtinet; alterâ significatione adhibuit Cicero Epp. ad Attic. I, 19, ante med. *sentinam urbis exhauriri posse arbitrabar*; et orat. in Catil. I, 5, 12. *exhaurietur ex urbe sentina reipublicae*, ubi v. Matthias. Nostro loco similis, sed non plane cum eo congruus est alter Ciceronis Epp. ad Famm. IX, 15, med. *sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus; nunc autem vix est in sentina locus.* Translatam vocis usum tangit etiam Quintil. VIII, 6, 15.

§. 6. *Sullanae victoriae* cet.] Cf. c. XI, extr. XXVIII, 4. LI, 34. *neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit.* Fragm. Historr. I, 15, §. 21. Cic. Parad. VI, 2. cf. etiam Beierum ad Cic. de Off. II, 8, 27. — *Aetatem agerent*, i. e. q. *vitam agerent*, ut Bas. 3. ex glossa habet, sive *viverent;* cf. c. IV, 1. XXXIX, 2. LI, 12. LVIII, 13. Iug. II, 4. IV, 3. Similiter Hor. Sat. I, 5, 101. *agere aevum*, ubi v. Heindorf. — *Foret* ac *sperabat*, praeeunte Langio, Müllero et Gerlachio reduximus, quum Cortius *forent* et *sperabant* edidisset, illud ex Incerto 1. et Guelf. 10., hoc et uno Guelf. 10. cui postea accesserunt Bern. 3. Tur. 1. Bas. 4. Non est enim necessarium, ut Cort. statuere videtur, pronomen *quisque* semper pluralem praedicati adiunctum habere, quod fieri posse ostendimus ad c. VI, 2. et VII, 1.; hoc autem loco codicum auctoritatem sequimur, quos illi scribae ideo deseruere, quia verba ad praegressum *multi* referenda putarunt, quae Sallustius a proximo numero singulari apta esse voluit.

5 Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam sicuti in
6 sentinam confluxerant. Deinde multi memores Sul-

V, 8, 3. Drakenb. ad Liv. XLV, 19, 6. cf. Cic. Off. III, 1, 1. Noster Cat. LVIII, 16. Curt. III, 11, 5. et 9.

praeceps ierat] Hoc quid sit interpretes non videntur assecuti esse. Kunhardtus interpretatur *temere, sine consilio et ratione in partes Catilinae transierat;* Dahlius *ad miseram condicionem redacta erat;* Langius, qui utrumque vituperat, de *caussis cur Catilinae faverit* intelligendum censet. Sed si quid video *praeceps ierat* de corruptis perditisque plebis moribus dicitur; nam *praecipitem ire* vel *dari* et propria et translata significatione idem est atque pessumdari; cf. c. XXV, 4. *luxuria atque inopia praeceps abierat*, ubi Cortius recte explicat: in pravum abstracta erat. Iug. LXIII, 6. *postea ambitione praeceps datus erat;* i. e. modestia, qua excelluerat, deposita, ambitione pessimus et profligatissimus factus est. Ex his exemplis simul intelligitur unice verum esse *praec. ierat*, quod tantummodo Inc. 1. Tur. 1. Vatic. 2. et Bern. 2. in marg. m. sec. tenent; reliquorum scripturam *praec. erat*, dicendi usui repugnantem, recepit Gerlachius. Dictio pariter corrupta fuit apud Liv. II, 27, 3. ubi v. Gronov. et Drakenborch. *Praeceps* non nisi cum verbo motus, neque quietis coniungi posse, patet etiam ex dictione *praecipitem agere* vel *agi;* Cat. XXX, 8. Drak. ad Liv. XXX, 14, 10. Hoc non satis consideravit Herzogius, neque sententiarum nexum perspexit, *plebes praeceps erat* interpretatus: das Volk war tief gesunken, i. e. *es befand sich in einem gesunkenen Zustand*. In promptu est enim, Sallustium non *statum* plebis *qui esset* exponere, sed quibus rebus effectum sit, ut ad eum statum *perveniret*. Neque eius explicationem adiuvant laudata exempla Iug. VI, 3. Curt. VI, 9, 11., quippe quae et ipsa propriam *praeceps* vocis vim, qua significat aliquid *aliquo ferri*, retinent.

§. 5. *Primum*] Vocabulo *primum* non respondere *item* et *postremo*, sed *deinde* recte monuerunt Kunhardtus et Müllerus; quippe quum plura plebis urbanae genera essent, primum, quod vitae turpitudine erat insigne, pluribus describit. *Postremo* igitur comprehendendi colligendique vim habet, de qua diximus ad c. XIV, 6. cf. Bremi. ad Nep. Pelop. IV, 3.; *hi* autem, cum vi positum

lanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea 7
iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam

varia perditorum genera complectitur et quasi praesentes animo denuo inculcat. In plerisque codd. est *ii*, sed *hi* tenent cod. Teg. B. 1. 4. Tur. 1. Gerlachius autem sibi non constitit, hos codd. h. l. deserens, quos in eadem plane orationis conformatione c. XIV, 3. secutus erat. — *Praestare* de re mala raro dici observavit Gerlachius, conferens *excellere* eodem sensu usurpatum a Cic. de Legg. I, 19, 51. *qui singulis vitiis excellunt.* — *Flagitium aut facinus*, v. ad c. XIV, 1. — *In sentinam* longe plurimi exhibent codices; aliquot ex interpolatione addunt *aqua*, quo sententia sane aqua diluitur. Sentina autem non solum dicitur, quicquid spurcitiei in ima navi residet, sed etiam ipse sordium locus, quae vocabuli, quamquam translata, vis hic obtinet; alterâ significatione adhibuit Cicero Epp. ad Attic. I, 19, ante med. *sentinam urbis exhauriri posse arbitrabar*; et orat. in Catil. I, 5, 12. *exhaurietur ex urbe sentina reipublicae*, ubi v. Matthias. Nostro loco similis, sed non plane cum eo congruus est alter Ciceronis Epp. ad Famm. IX, 15, med. *sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus; nunc autem vix est in sentina locus.* Translatam vocis usum tangit etiam Quintil. VIII, 6, 15.

§. 6. *Sullanae victoriae* cet.] Cf. c. XI, extr. XXVIII, 4. LI, 34. *neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit.* Fragm. Historr. I, 15, §. 21. Cic. Parad. VI, 2. cf. etiam Beierum ad Cic. de Off. II, 8, 27. — *Aetatem agerent*, i. e. q. *vitam agerent*, ut Bas. 3. ex glossa habet, sive *viverent*; cf. c. IV, 1. XXXIX, 2. LI, 12. LVIII, 13. Iug. II, 4. IV, 3. Similiter Hor. Sat. I, 5, 101. *agere aevum*, ubi v. Heindorf. — *Foret* ac *sperabat*, praeeunte Langio, Müllero et Gerlachio reduximus, quum Cortius *forent* et *sperabant* edidisset, illud ex Incerto 1. et Guelf. 10., hoc et uno Guelf. 10. cui postea accesserunt Bern. 3. Tur. 1. Bas. 4. Non est enim necessarium, ut Cort. statuere videtur, pronomen *quisque* semper pluralem praedicati adiunctum habere, quod fieri posse ostendimus ad c. VI, 2. et VII, 1.; hoc autem loco codicum auctoritatem sequimur, quos illi scribae ideo deseruere, quia verba ad praegressum *multi* referenda putarunt, quae Sallustius a proximo numero singulari apta esse voluit.

toleraverat; privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat; eos atque alios omnis malum publicum alebat.
8 Quo minus mirandum est homines egentis, malis moribus, maxuma spe reipublicae iuxta ac sibi consuluisse.
9 Praeterea quorum victoria Sullae parentes

§. 7. *excita*] Aliquot codd. exhibent *excitata*, sed frequentativum Nostro aliisque interdum minus placet quam rarius primitivum; supra c. XV, 3. *mentem excitam.* Iug. LXXII, 2. *somno excitus.* Curt. III, 2, 12. *haec excita sedibus suis moles.* Tacit. Histor. II, 97. *auxilia e Germania excivit.* Ann. I, 51, in. *excivit ea caedes Bructeros.* Vell. II, 61. *veteranos excivit paternos.* Cort. — *Praetulerat*, quod omnes codd. tenent, Cortius, Dahlio et Müllero probantibus, in pluralem mutavit, consuetudine, ut ait, Sallustii ita iubente propter vocem *iuventus*; quod cur nos non moveat, diximus ad paragr. antecedentem. Praeterea *toleraverat* et *excita*, quibus ille non censet impediri numerum pluralem, nobis sane obstare videntur. Neque pronomine *eos* constructio excusari potest; quamquam eo ad vocem *iuventus* respicitur. Omnes enim interpretes fugit *iuventus* esse nominativum absolutum, periodi initio eodem modo ut duarum antecedentium conformato, verbo tamen sequente, quod non nominativum sed accusativum regit. Constructionis igitur expediendae caussa Sallustius pronomen et quidem plurali numero, sensum spectans, intulit, cuius h. l. non est logica, sed mere grammatica vis, quod propterea monendum, ne quis huius loci eandem putet esse rationem ac §. 6. et XIV, 3. ubi *hic* non *is* scribendum esse diximus. De nominativo absol. cf. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 3, 11. *ceterae philosophorum disciplinae omnino alia magis alia, — eas non modo nihil adiuvare arbitror.* ibid. II, 33, 107. *signum, tabula, locus amoenus, ludi venatio, — sed ea, quae dixi, ad corpusne referes?* Liv. XXXVIII, 44, 5. *signa aliaque ornamenta, quae quererentur ex aedibus sacris sublata esse, de iis placere ad collegium Pontificum referri.* Adeas, cui haec exempla debentur, Ramshornium Gramm. Lat. §. 206. B. 6. p. 703. et cf. Aug. Matthiam de Anacoll. apud Cic. in Wolfii Annall. III. p. 20.

malum publicum] Hoc quid sit, de eo non constat inter editores. Cortius enim intelligit reipublicae damna ex turbis et coniuratione; Dahlius et Müllerus capiunt de insania largitionum, rei-

proscripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspecta-
bant. Ad hoc quicumque aliarum atque Senati 10
partium erant, conturbari rempublicam quam minus
valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post 11
annos in civitatem reverterat.

publicae morbo. Quae sententia quominus probari possit, primum hoc obstat, quod iuventus, quae paullo ante largitionibus *excita* dicitur, non simul dici potest hoc malo *ali;* tum, quod apertum est Sallustium his verbis plebis *studium coniurationis* significare voluisse, cuius rei caussa tota haec disputatio ab eo suscepta est. *Alebat* autem non est victum quaestumque praebebat, ut supra §. 3., sed potius *iis victum promittebat vel ostendebat.* — §. 8. *Quo,* quod Cortius perperam pro *ideo* dictum putat, illustravimus ad c. I, 3. — Post *mirandum* addidimus *est*, codicibus ita iubentibus omnibus, praeter Guelf. 8. et 9. quos Cort. et Gerl. secuti sunt. — *Iuxta* i. e. *pariter male;* cf. ad c. II, 8. — De ordine verborum sequentium v. ad c. XXIX, 3. Incommoda interpunctione, qua vulgo *victoriá Sullae* circumscribitur, seductus Gerlachius pro ablativo absoluto habet, qui simpliciter ablat. instrumenti est. In eundem errorem V. D. iam c. XXVIII, 4. inciderat.

§. 9. *ius libertatis imminutum*] Bene hoc Cortius interpretatur: qui ita tractabantur, quasi non cives, non ingenui, nullis denique legibus muniti essent. Cf. Vell. II, 28, 3. *nec tantum in eos, qui contra arma tulerant, sed et in multos insontes saevitum. Adiectum etiam, ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi etiam petendorum honorum iure prohiberentur; simulque, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et iura perderent.* Plutarch. Sulla c. 31. ὃ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν γὰρ προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνούς. Sueton. Caes. c. 41, med. *admisit ad honores et proscriptorum liberos*, ubi v. Ernesti. Plut. vit. Caes. c. 37. Eandem rem Cicero tangere videtur orat. in Pison. c. 2, 4.

§. 11. *Id malum*] Hoc intelligendum esse de turbis tribuniciis omnes concedunt; sed de temporibus ambigitur. Alii enim, velut Valla et novissime Langius, ab eo tempore rationem ducendam putant, quo Sulla tribuniciam potestatem imminuit, i. e. ab a. u.

XXXVIII. Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso Consulibus tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes, summam potestatem na-

c. 673. sive a. Chr. n. 81. ut *multos post annos* sit post octodecim annos. Alii Gracchorum seditiones intelligunt, a quibus sexaginta aut adeo septuaginta anni usque ad Catilinae coniurationem praeterlapsi erant. Quod spatium quamquam rectius *multi anni* vocari posse videtur, tamen priorem explicationem veriorem esse verba sequentia docent, quibus de restituta tribunicia potestate dicitur. Nihil tamen obstat, quominus etiam de temporibus ante Sullae legem cogitetur, siquidem hac effectum est, ut turbae tribuniciae plane silerent, quae sane Gracchorum tempore longe maximae fuerant. De Sullae lege cf. Goerenz. ad Cic. Legg. III, 9, 22. Vell. II, 30, 4. Caes. B. C. I, 5, 1. Ernesti ad Sueton. Caes. 5. Nostrum Fragm. Histt. III, 22, 1. et Nitsch. Antiqq. Romm. T. II. p. 1089.

XXXVIII. §. 1. *tribunicia potestas restituta*] Id factum anno a. Chr. n. 70. u. c. 684. cf. Ciceronis et Velleii locos, capite XXXVII. extremo laudatos; adde Caes. B. C. I, 7, 4., qui tamen Pompeii factum pro suis rationibus interpretatur. Cic. Act. I. in Verr. c. 15, 44-45. Verbum substantivum post *restituta*, quod Cortius, quum in Fabr. 2. et Bas. 2. deesset, eiecit, cum Gerlachio retinuimus. — *Adulescentes* exhibent Bas. 1. Bern. 1. Quo sensu autem vocabulum intelligendum sit, Sallustius ipse significavit addito: *quibus aetas animusque ferox erat.* Adulescentium autem nomine appellari etiam viros, florentem aetatem ingressos, cognoscas ex Cic. de Off. I, 34, 1. ubi v. Heusing. et Beier. coll. Heusing. ad II, 13, 13. et II, 14, 19. Orat. c. 30, 107. Bremi ad Nep. Eum. 1, 4. Ern. Weberi Exercitatt. Styli Lat. T. I. p. 278. cf. infra c. XLIX, 2.

summam potestatem nacti] Haec Cortius, ridiculis de caussis pro spuriis habita, uncinis inclusit, Dahlio factum probante. Tantum autem abest, ut haec verba glossam oleant, ut ad sententiae integritatem plane necessaria sint. Nisi enim addantur, non perspicitur homines adulescentes tribunos intelligi, quod auctor voluit, quum nude positi potius quilibet adulescentes intelligendi essent, qui non ipsi tribuni, sed tribunorum ope plebem exagitarent. Ita plane concidunt malae Cortii suspiciones, ductae illae a loco verborum, quippe quae post *ferox erat* collocanda fuisse censet, tum a levissima trium codd. discrepantia, denique a vocum *potestas* et *summa* vicinitate in antegressis et sequentibus. Gruteri multo perversius iudicium, qui locum ita mutatum voluit: *restit. est; quibus*

cti, quibus aetas animusque ferox erat, coepere Senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi

aet. anim. f. erat, summam pot. nacti, coepere, laudasse satis sit, refellere nihil attinet.

potestatem] Quod in cod. Incert. 1. est *potentiam* Cortius merito quidem reiecit, sed tamen vulgata eo, quod contendit sollemne esse de tribunis *summam potestatem* dicere, parum firmatur. Monendum potius erat, *potestatem* ita differre a *potentia*, ut illa legitime parata, legibus concessa, institutisque reipubl. permissa sit, quam magistratus ordine creati civitatis auctoritate habeant, eaque pro iure suo utantur, haec vero non legibus permissa, sed proprio marte variisque artibus, velut largitionibus, gratia, eloquentia, factione aut armis parata teneatur; cf. Ern. Weberi Exercitatt. Styli Lat. T. I. p. 65., Car. Beier. ad Off. I, 25, 86., Herzog. ad Caes. B. G. I, 18. Bremius ad Nep. Cat. 2, 2. *tum non p o t e n t i a, sed i u r e respubl. administrabatur;* quin etiam potestate potentia comparari potest, si quis illa, a civitate sibi tradita, in suam privati utilitatem abutatur. Discrimen constanter servatum exempla declarant. Cat. XXIX, 3. *ea p o t e s t a s m a g i s t r a t u i maxuma.* Eadem vis obtinet in formula *potestatem alicuius rei facere*, Cat. XLVIII, 6. *Potentia* quid sit, ex hoc ipso cap. §. 3. perspicitur; ita loquitur de Pompeii et Crassi potentia, Cat. XVII, 7. XIX, 2. XLVIII, 5.; *paucorum potentiam* saepe insectatur; ut XXXIX, 1. LVIII, 11. Iug. III, 4. v. ad Catil. XX, 7.

summam potestatem] Ita tribunatum dicit, non quo vere maxima in civitate Rom. fuerit, sed quod tribuni eius ope summa quaeque audere et moliri poterant. Cf. Freinshem. ad Flor. III, 17, 8. Alio igitur sensu Tacitus Ann. III, 56, in. tribuniciam potestatem *summi fastigii vocabulum* dicit, cuius rei caussam ipse affert. — *Exagitare* (de quo verbo diximus ad c. XXIX, 1.) h. l. valet *concitare*, quod otio et quieti maxime est contrarium; cf. c. LI, 32. Flor. I, 8, 7. Tacit. Ann. III, 27. Cort. — Pro *pollicitando* octo codd. habent *pollicendo;* illud Cortius eo defensum putavit, quod ad Cat. II, 1. remittit, ubi docuit Sallustium frequentativis libenter uti pro simplicibus. Quod quamquam recte observatum est, tamen huius loci alia ratio videtur. Servata enim frequentativi potestate *pollicitando* de repetito plebem capiendi studio perpetuoque eius corrumpendae conatu intelligendum censemus, quod sententiae auctoris optime convenit.

2 clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, Senati specie pro sua
3 magnitudine. Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicumque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo Senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque po-

§. 2. *summa ope nitebatur*] Dictio Sallustio et Livio familiaris; cf. Cat. I, 1. *summa ope niti decet.* Iug. XIV, 20. *quos ego audio maxuma ope niti.* XXV, 2. *sed ab isdem summa ope enisum.* Liv. IV, 43, 5. *et consules et patres summa ope adnisi sunt.* Cf. IX, 26, 12. XXII, 34, 3. XXIV, 4, 3. XXXVIII, 45, 2. ibid. c. 50, 2. Cort.

§. 3. *verum absolvam*] *Verum* in cod. Ecc. abest, in quattuor ante *paucis* legitur, et in tribus aliis in *vera* abiit; quapropter Cortius eiecit, non assecutus aliam esse huius loci ac c. IV, 3. rationem, *verum*que consilio additum esse. Sallustius enim, vitiosa partium studia ac contentiones non sine animi indignatione referens, cum quadam acerbitate insignique brevitate uno isto vocabulo hoc videtur dicere velle: ut paucis id quod rei indignitate haud verum videri possit, et tamen verum est, absolvam. — *Sicuti* explicatum c. XXXI, 5. — Pro *per illa tempora* satis multi codd. exhibent *post illa temp.*, quod a Müllero et Gerlachio receptum valde improbamus. Vix enim est quod moneamus, aliud plane, quam Sallustius intelligit, tempus ita significari; qui quum aperte de annis intra Pompeii et Ciceronis consulatum loquatur, illiusque temporis factiones notet, quod res ipsa admonebat, prorsus absurde seriorum temporum mentionem faceret, prioribus quae, huc pertinebant, omissis. Non nego tamen etiam de insequentibus cogitari posse, siquidem fines nulli indicati sunt, quamquam initium satis certum est. Corruptelam autem inde ortam censeo, quod scribae *per* compendio scriptum pro *post* habuerunt, quod in tali re iis multo notius erat. — *Quo* cave ad *maxuma* referas, aut superlativum pro comparativo positum autumes. Paullo enim rariore significatu *quo*, comparativo non sequente, positum pro *ut eo*, vel *ut ea re*; patet igitur *quo* h. l. referendum esse ad praegressa verba *rempublicam agitavere.* Cf. Cic. de Legg. II, 26, 65. *sublata erat (Athenis)*

tentia certabant; neque illis modestia neque modus 4
contentionis erat, utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est, plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit. Hi ma- 2
gistratus, provincias aliaque omnia tenere; ipsi innoxii,

celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Ter. Heaut. I, 1, 75. *pro se quisque sedulo faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.* Auct. B. Hisp. c. 2, 2. *nunciabatur, captos tabellarios, qui a Cn. Pompeio dispositi essent, quo certiorem Cn. Pompeium de Caesaris adventu facerent.* — Pro *certabant* aliquot codd. *certabat;* sed vide ad c. VII, 1. Recte Gerlachius huius loci rationem diversam esse statuit a superiore exemplo c. XXXVIII, 6.; nam quia *simulantes* pluralis notionem, iam *alii* voce illatam, servat, quisque nullam vim habet ad singularem commendandum. — §. 4. *Illis*, quod Cortius sine ulla codicum ope expulit, in suum locum reduximus. — *Neque modestia neque modus erat* illustratum ad c. XI, 4. — *Victoriam exercebant* i. e. victoria intemperanter et inique utebantur; *exercere* enim tali sensu est nimio atque iniquo studio aliquam rem tractare, cf. Iug. XVI, 2. *Opimius acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat.* Liv. XXIII, 2, 1. *licentia plebis sine modo libertatem exercentis.* Cort.

XXXIX. §. 1. *bellum maritimum*] Ad hoc bellum, contra piratas gestum, notissimum est Pompeium, A. Gabinio legem ferente, anno a. Chr. n. 67. u. c. 687. missum esse, idque intra quadraginta dierum spatium confecisse; cf. Flor. III, 6. ibique Freinshem. Vell. II, 31, 2.; 32, 4-5. Cic. p. lege Man. c. 11, 31-36. Dio Cass. XXXVI, p. 10. Haud multo post belli Mithridatici dux factus est, quod debellavit anno a. Chr. n. 63.; v. ll. modo allatos. — Post *imminutae* quattuordecim codd. addunt *sunt;* sed quia plurimi, in iisque praestantissimi, verbum non habent, non videtur ab auctore scriptum esse. — *Paucorum potentia;* cf. ad c. XX, 7. et XXXVIII, 1.

§. 2. *innoxii*] Passiva vocabuli potestate eos significari, quibus noceri non possit, quique adeo securi sint, recte monuit Cortius.

florentes, sine metu aetatem agere, ceteros iudi-

Plura eiusdem generis adiectiva supra attulimus ad c. X, 5.; vocabuli *innoxius* exempla Cortio debentur haec: Columella V, 9. *ut sit innoxius ab iniuria pecorum.* Lucan. IX, 892. *gens unica terras incolit a saevo serpentum innoxia morsu.* Curt. IX, 4, 11. *leviora (navigia) quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt.* Herzogius laudavit Tacit. Histt. IV, 20, init. *si nemo obsisteret, innoxium iter fore.*

ceteros iudiciis terrere, qui etc.] *Ceteros* tantummodo exstat in Fabr. 2. Arondel. Teg. et Vatic. 3.; reliqui *ceterosque* tenent, quod Gerlachius et Herzogius recepere. Ille tamen in Commentt. T. II. P. I. p. 115. recte iudicavit copulam abiiciendam esse, oppositionis ratione ita postulante. Non copulari enim, sed opponi sibi periodi membra et sententia docet, et geminus locus a Cortio laudatus Catil. LI, 39. *iuxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere.* — Tum in libris mss. *quo* legitur, quae scriptura facit, ut nihil hoc loco cogitari possit obscurius. Primum quaeritur, qui sint *ceteri*; tum, quo pertineat *tractarent;* num ad *paucos illos potentes*, an ad *ceteros*; denique quae caussa fuerit, cur ceteros iudiciis terrerent. Ciacconius et Cortius ita interpretantur: *terrebant (pauci potentes) tribunos plebis, ne plebem in nobiles exagitarent.* Sed *ceteros*, quod semper eiusdem generis homines significat, non potest ad tribunos pertinere, quia in antecedentibus de nobilibus sermo fuit; tum, si tribunos significaret, non intelligitur, quid sibi velint verba *in magistratu;* denique verborum *placidius tractare* non est contrarium *exagitare* sive *incendere*, sed *duriter habere*, *premere.* Kunhardtus *ceteros* ad *patricios* (sc. paucos potentes illos) referens, sed perversa de caussa, quia *ceteris plebs* opponatur, hunc sensum esse dicit: *quo plebem placidius tractantes suam firmarent augerentque potestatem, ceteros patricii generis homines iudiciis terrebant.* Sed quorsum hoc? Num quia hi plebem acerbius tractaverant? Sed de eo nihil dictum est. Sed ut hoc concedamus, nonne mireris mitem repente optimatium animum, quos Sallustius paullo ante dixerat imminuisse plebis libertatem, quibusque magis conducebat plebem coerceri ac libertate sua privari, quam placide tractari. Tum quid sibi volunt verba *in magistratu*? quum auctor modo dixisset, eos magistratus tenere. Postremo si verba *quo plebem — pl. tract.* ad paucos illos

ciis terrere, qui plebem in magistratu placi-

pertinere voluisset Sallustius, nisi omnia me fallunt, dixisset *quo ipsi plebem* etc. Dahlius autem, *ceteros* ad tribunos referens relicua sic convertit: *damit sie nicht während ihrer Amtsführung den gemeinen Mann zu gelinde behandelten;* sed quivis videt, *quo* pro *ne* habitum non magis ferri posse, quam *post* pro *ante*, *omnes* pro *nemo*, et quae sunt his similia. Novissime Gerlachius loco ita succurrendum putavit, ut *tractare* explicet *trahere* i. e. *vexare*, *placidius* vero passive sit *securius*, hoc sensu: pauci nobiles ceteros maximeque plebis defensores iudiciis terrebant, ut ipsis *securis* (placidius) plebem *vexare* liceret. Sed praeterquam quod hac explicatione difficultates non tolluntur, insolens verborum *tractare* et *placidius* sensus valde displicet. Non magis ferri potest, quod Herzogius censet aut comparativam sententiarum rationem esse, hoc sensu: *quo placidius ceteri nonnulli plebem tractarent, eo magis iudiciis terrebant*, aut *quo* pro *quod* sive *quoniam* esse positum; neutra enim explicatio cum loquendi usu potest conciliari. In tanta difficultate locus nobis sanatus videtur, *quo* in *qui* mutato. *Ceteros* intelligimus *patricios*, minus potentes aliasque rationes et partes in republ. sequentes; caussa autem, cur hi a paucis potentibus iudiciis terrerentur, haec fuit, quod plebem *in magistratu* (i. e. quum magistratu fungerentur) placidius tractarent, i. e. quod plebem minus, quam illis utile videbatur, coercerent, adeoque eius iura libertatemque defenderent; *iudiciis terrere* est lites intendere, negotia facessere, quod illi facile poterant per summam ipsorum potentiam. Qui significentur quamquam non satis patet, tamen probabile est Crassum, Hortensium, Lucullum, Metellum Creticum, Q. Catulum, Caesarem nonnullosque alios notari. Sensus igitur est: pauci illi potentes, ut ipsi summam rerum firmiter retinerent, nolebant alios apud plebem aliquid posse, eoque ceteros patricios, qui plebis gratiam, placidius tractando, quaerere viderentur, iudiciis vexabant, eosque a studio plebis sibi conciliandae deterrere conabantur. Depravatio inde orta, quod librariis in proclivi fuit *qui* compendio scriptum propter sequentem comparativum in *quo* mutare, quod etiam Livio XL, 26, 5. accidit. Ex relativi autem siglo male intellecto veterum libros saepe vitia traxisse et documento est locus Catil. XVIII, 1. et testantur Walch. Emendd. Livv. p. 46. ac Schwarzius ad Plin. Panegyr. p. 437. et 585.

3 dius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos

§. 3. *dubiis rebus novandi*] Plurimi codd. exhibent *novandis; novandi*, quomodo Gruterus scribendum coniecerat, in duobus codd. reperit Wassius, primitusque habuit Guelf. 7. 9. confirmante etiam Guelf. 11. in quo est *renovandi*. *Novandis* a Cortio, cui perversa omnia placent, receptum esse, non est quod mireris, et quoniam nimis absurda sunt, quae ad hanc scripturam stabiliendam protulit, non digna videntur quae refellantur. Haud melius rem egerunt novissimi soloecismi defensores, Langius et Müllerus, ad auctoritatem Servii, quae fortasse nusquam exstat, et Donati ad Ter. Adelph. I, 2, 13. et IV, 5, 37. confugientes, qua omnia alia potius quam Sallustii verba firmari possunt. Praeterea Müllerus ad dativum, quem a substantivo aptum putat, defendendum contulit Tac. Ann. III, 40. *egregium resumendae libertati tempus*, et ib. III, 1. *paucos dies componendo animo insumit*, ubi quivis videt dativum pendere ab *egregium* et *insumit*. In eodem errore, quod obiter moneo, versatur Herzogius ad Caes. B. G. III, 15. *quum ei rei nullum reperiretur auxilium*; et II, 20. *his difficultatibus duae res erant subsidio*; quibus locis, inter se ipsos dissimilibus, tertium admiscuit alieni generis, Liv. XXVII, 5. *fidissimum annonae subsidium*; nam *annonae* genitivus est. Non minus falsa, quam dativi constructio, nullo modo excusanda, est dictio *res dubias novare*; rempublicam enim turbare eiusque statum immutare Romanis semper est *res* vel *aliquid novare*, vel *novare* absolute, nunquam *res dubias novare*, quod Herzogius parum consideravit; cf. Cat. LV, 1. *ne quid eo spatio novaretur*. Liv. XXIV, 23, 6. *tanquam novandi res aliquam occasionem quaerentes*. I, 52, 1. *collaudatis qui Turnum novantem res merita poena affecissent*. Curt. VII, 6, 14. *coercendo eos, qui novaverant res*. id. IV, 1, 3. *Aegyptii, vana gens, novandis quam gerendis aptior rebus*; Tacit. Ann. IV, 18, fin. *neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset*. Addi possunt ii loci, quibus de *rebus novis*, non de *dubiis rebus novis* dicitur, ut Cat. XXVIII, 4. XXXVII, 1. Iug. XIX, 1. LXXVII, 1. Vulgatae insolentiam sentiens Müllerus comparavit Tacit. Histt. II, 51. (diligens editor e Schelleri Lex. p. 6840. bona fide descripsit vitiosum numerum I, 51.) *novata seditio*; Liv. XXVI, 19, 2. *ut ardorem cum qui resederat excitaret rursus novaretque*. Cic. Act. I. in Verr. 4, 11. *quum scelus suum illud pristinum renovavit*; sed monendus est V. D. *novare* in his exemplis esse *iterare*, sive

eorum arrexit. Quodsi primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset, profecto magna 4

denuo incipere. In promptu est autem, omnes hos errores evitatos fuisse, si editores animadvertissent, *dubiis rebus* ablativos esse absolutos, adiectivo participii locum obtinente, de qua constructione diximus ad c. XI, 4. coll. c. XLVII, 1. et Fragm. Historr. III, 2. *uti solet rebus perditis.* Cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. II, 13. p. 122. *nam qui, secundis rebus, libenter assentiuntur,* quod recte explicat: quum res secundae sunt. Tacit. Ann. II, 62, med. *Catualda, dubiis rebus eius, ultionem ausus.* Histt. I, 31, in. *cetera cohors, ut turbidis rebus evenit, parat signa.* id. Ann. I, 50, extr. *stratis etiamtum per cubilia, nullo metu.* I, 4, in. *nullâ in praesens formidine.* Superest ut moneatur, nostro loco Sallustium simpliciter dixisse *novandi*, non *res novandi*, quoniam praecessit *rebus; novandis* autem ortum ex littera prima sequentis vocabuli male duplicata. — *Oblata est;* ita omnes, uno excepto, codd.; Cortius *est* delevit.

vetus certamen] I. e. pristinum, iam antiquitus exercitum. — *Eorum* per synesin refertur ad antegressum *plebem*; cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. p. 47. *quum praetereuntes prostratam familiam viderent, et ab his rem gestam audirent.* Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 29, 9. *quattuor menses obsidionem Same sustinuit; quum ex paucis quotidie aliqui eorum caderent* cet.; et ad XXXV, 26, 9. *cetera classis praetoria nave amissa quantum quaeque remis valuit, fugerunt.* Beier. et Heusing. ad Cic. Off. I, 34, 3. Drakenborch. ad Liv. XXX, 42, 16. Matthias ad Cic. or. in Cat. II, 10, 21. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 77. Sall. Cat. XVII, 7. Iug. XIV, 5-6. Herzogius tamen *eorum* ad *ceteros* refert, ut ii intelligantur animis ad certamen arrectis esse, qui antea a paucis potentibus repressi essent. Quae loci obscurioris explicatio quamquam non plane certa est, tamen non temere negligenda videtur.

arrexit] Hoc plurimi codd. tuentur; aliquot tamen *erexit*, quod huic loco minus convenit. Translato enim sensu *erigitur* id, quod, quum antea afflictum et quasi abiectum iaceret, rursus attollitur et vires resumit. Cf. Cic. Brut. c. 3, 12. *post Cannensem illam calamitatem populus se Rom. erexit.* Epp. ad Q. Fr. I, 1, init. *te rogo, ne contrahas aut demittas animum, contraque erigas.* p. Cluent. c. 21, 58. *erigebat animum iam demissum et oppressum.* Contra animus *arrigitur (ad* aliquam rem *regitur)*, si re aliqua ita commovetur et excitatur, ut eam non negligat, sed *ad*

clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Ca-

eam se advertat; velut nostro loco rerum novandarum spes caussa fuit, cur de certamine, olim exercito, denuo cogitarent (der alte Kampf wurde ihr Augenmerk). Cf. Iug. LXVIII, 4. *praedam benigne ostentat*; *ita animis eorum arrectis* cet. LXXXIV, 4. *eos arrexerat*, i. e. attentos et alacres reddiderat. LXXXVI, 1. XCIII, 7. Tacit. Annall. III, 11. *arrecta omni civitate*, *quanta fides amicis Germanici*, *quae fiducia reo*, i. e. omni civ. in id intenta, etc. Ceterum *erigendi* notio maximam partem etiam in *arrigere* inest, siquidem is, qui ad aliquam rem est attentus, non potest deiecto demissoque animo esse.

§. 4. *Quodsi*] Editi omnes *quod si;* sed v. ad c. II, 3. Quae sequuntur inde a verbis *neque illis* caussali nexu cum prioribus cohaerent; plene igitur dicendum erat *neque enim illis* etc. Sed saepe inter enunciationes caussali vinculo cohaerentes particula caussalis omittitur; v. XVII, 7. coll. Catil. II, 1. VI, 7. *eo modo* etc. VII, 5. *virtus omnia* etc. XLIII, 4. LII, 4. *capta urbe* etc. Iug. I, 4. *suam quisque* etc. VIII, 1. *in ipso* etc. ibid. §. 2. *scrilose a paucis emi.* XVIII, 6. *mare magnum.* XXXVIII, 2. *ita delicta* etc. LXIII, 6. *etiamtum alios* etc. — Pro *forent* quia in uno *sunt* legitur, Cortio id satis caussae visum cur eiiceret. Gerlachio et nobis non item. — *Exsanguis* translate significat *invalidum;* cf. Cic. p. Sext. 10, 24. *hominibus enervatis atque exsanguibus, qui per se pungere neminem potuissent.* Iustin. XXXI, 3, 1. *Nabidem subegit, et graviter fractum velut exsanguem reliquit.* Cort. — Ceterum sensus est, Catilinam cum suis, etiamsi initio victor fuisset, tamen haud diu potentiam ita paratam retenturum fuisse; alios enim potentiores, quique plebe melius uti scirent, mox imperio eum privaturos fuisse, cum magna reipublicae calamitate. In spe autem tam incerta et fallaci, *tamen* fuisse qui ad Catilinam proficiscerentur.

§. 5-6. *complures*] Codd. Guelf. 9. et 10. *quam plures*, quod damnavimus ad c. XIX, 2. — *Fuere qui profecti sunt*, eo modo dictum est, quem explicavimus ad c. XVII, 2. Cf. LII, 21. *alia fuere, quae illos magnos fecere.* Iug. CII 1. *legati a Boccho*

tilinam initio profecti sunt; in his erat A. Fulvius, Senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit. Isdem temporibus Romae Lentulus, 6
sicuti Catilina praeceperat, quoscunque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se

veniunt, qui ab Mario petivere. v. F. A. Wolf. ad Tacit. Ann. I, 53, init. Cum his conferenda sunt, quae ad c. XIX, 4. de indicativi usu diximus; patet enim res sic enunciari, ut non a praegressa sententia aut alicuius cogitatione pendeant, sed simpliciter ut factas proponi; v. Cic. p. Sext. 45, 96. *duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in republ. atque in ea se excellentius gerere studuerunt.* — *In his erat*, omnes tenent codd., excepto Acad., quem Cortius et Gerlachius male secuti sunt; legitimum est enim in tali sententia imperfectum, quod non aeque ut praesens omitti solet. — Antiquiorem formam *isdem* sat multi codd. tuentur, eamque firmant etiam ii, in quibus *hisdem* legitur. — *Moribus aut fortuna;* v. ad c. XXXI, 3. — *Per se* pro *ipse* oppositionis caussa dixit, sicut Suet. Caes. c. 56, med. *et quae per alios erant gesta, et quae per se.* Cic. de pet. Cons. c. 8, init. *quos per te, quos per communes amicos poteris sumere.* p. Arch. poet. c. 10, 26. *quid? a Q. Metello Pio neque per se, neque per Lucullos impetrasset?* — *Cuiusque modi* unice verum est; *cuiuscunque*, quod pars codd. tenet, ferri nequit, propter relativam vim, quae aliam adhuc enunciationem poscit, v. Zumptii Gramm. Lat. §. 34, 2, 2. p. 110. — *Non solum — sed*, omisso *etiam*, quo sensu dicatur illustravimus ad c. XVIII, 7. Cf. Tac. Ann. I, 60, in. *conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae gentes.* — *Bello* in plurimis positum est post *modo*, in aliis post *foret*, in aliis ante *modo*, in aliis ante *foret*, unde Cortius coniecit, hoc vocabulum malae scribarum industriae deberi, qui e cap. XXXII, 1. huc transtulerint. Quod ut perverse ab eo excogitatum est, ita perversius etiam est demonstratum. Vulgata defenditur particula *modo*, qua significatur id quod enunciatur non in universum dictum esse, sed ad certam rem revocari; sensus igitur est: omnes homines sollicitabat, qui, *etsi nulli alii rei, bello tamen* usui essent. Nihil autem agit Tellerus p. 203. „ob constantiam Sallustii in eo loquendi modo" *bello* retinendum censens; alia enim nostri loci ratio est, atque c. XXXII, 2. Iug. XXVII, 5. XXXVI, 1. et LIV, 6.

aut per alios sollicitabat, neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli, existumans publice privatimque aere alieno oppressos, praeter-

XL. §. 1. *P. Umbreno*] Eum libertinum hominem vocat Cicero orat. in Catil. III, 6, 14. Ibidem c. 9, 22. *Allobroges* dicit *homines Gallos, ex civitate male pacata, quam gentem unam restare, quae populo Romano bellum facere et posse et non nolle videretur.* Cf. Caes. B. G. I, 6, 3. *Allobrogibus sese persuasuros, quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur.* Cf. Nostrum c. LII, 24. — Pro *si possit* in codd. Incert. 1. 2. Vin. 1. Remens. utroque m. pr. et Bas. 3. 4. legitur *si posset*, quod Cortius valde sibi probari in notis ostendit, quamquam vulgatam in textu retinuit. Sed alia est huius loci atque c. XXXIV, 1. ratio; praesenti enim, quod a verbis *negotium dat* pendet, iam praegresso, non potest ad imperfectum rediri, eoque relicto iterum praesens inferri. Ceterum in sequentibus constructio paullulum mutatur, post participium *quod* particula illata, cuius rei caussa in periodi fine pronomen *eos* additum est. Inconsulto autem Cortius ad pronomen defendendum comparat h. c. §. 6. *eos pollicitos dimittit*, qui locus non magis cum nostro convenit, quam Cic. Epp. ad Famm. I, 9, 69. Senec. ad Marc. c. 25. et Caes. B. G. I, 12, 3.

§. 2. *negotiatus erat*] *Negotiari* dicebantur Ciceronis tempore cives Romani, qui non Romae, sed in provinciis pecunias mutuas dabant provincialibus ac fenus exercebant. Eam rem luculenter exposuit Ernestius in Opuscc. philoll. et critt. p. 1-20. et in Clav. Cic. v. *negotiator.* cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 7, 4. Matthias ad Cic. p. l. Man. c. 7, 18. Beier. ad Off. III, 14, 58. — *Erat* Cortius ex uno cod. Inc. 1. omisit. — *Civitatium* legitur in cod. Bas. 1. Fabric. 1. et Nazar. m. pr., in reliquis est *civitatum;* receptam formam in hoc vocabulo nonnullisque aliis non raram esse observavit iam Priscian. VII, 16, 77. p. 344. Kr. v. Ruddimann. Institt. T. I. p. 93. Stallb. Drakenb. ad Liv. I, 45, 5. et ad IX, 31, 14. XXXIII, 20, 11. XLI, 22, 7. Zumpt. Gramm. Lat. §. 15, 6. p. 56. coll. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 1, 1. et Herzog. ad Caes. B. G. IV, 3. qui

ea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, 2
quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat, atque eos noverat; itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum, requirere coepit, quem exitum tantis

tamen, aurium iudicio nimium fisus, huius formae sonum horridum iudicat. Cortium sine libris hanc vocem eiicientem interpretes merito non audierunt; quod enim dicit, *in Gallia* ad Allobrogum solum terram pertinere, Allobroges autem *unam* tantum fuisse *civitatem*, eoque principes *civitatium* dici non potuisse, pluralem vero a scribis additum, quia apud Caesarem, Ciceronem, Livium saepenumero *principes civitatum* legissent, id, si quid aliud, cum libidine magis, quam recto iudicio pronunciatum est. Vulgata, qua neque sola *Allobrogum civitas* neque *omnis Gallia* significatur, sed utraque ita comprehenditur, ut et de Allobrogibus et de cetera *Gallia* cogitari possit, eundem fere sensum habet ac si auctor dixisset *plurimarum civitatium principibus notus erat;* sed vocabulum *plerique* ad principes retulit, quoniam genitivo plurali, haud dubie ob soni asperitatem, caret.

percontatus] Cortius variare dicit codd. inter *percunctatus*, *perconctatus* et *percontatus*, idque Gerlachius repetiit, non enotatis suorum librorum lectionibus. Uterque in textum recepit *percunctatus*, quod nobis minus probatur; assentimur enim Verrio apud Festum h. v. et Donato ad Ter. Hecyr. I, 2, 2. verbum ab usu nautico ducentibus, quia navigantes *conto* pertentant et cognoscant aquae altitudinem. Quae ratio, quam etiam Herzogius sequitur ad Caes. B. G. V, 13., multo certe simplicior est altera, quam Festus amplectitur, *percunctor* scribendum censens, quia is, qui curiose aliquid interroget *per cuncta visat*, aut, ut Donatus refert, quia *a cunctis perquirat*. Quivis enim videt in ista explicatione notionem *cunctorum* aeque incommodam esse, atque ellipsin verbi, facile vero a *conto* fieri *contari*, ut a *rima rimari*, ab *aqua aquari*, et huius generis alia. — Ceterum Gerlachius *percontatus*, quod participium est, perperam pro verbo finito habet, *est* omissum censens. — *Casum*, i. e. calamitatem; v. ad c. XXXV, 4.

3 malis sperarent. Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare Senatum, quod in eo auxili nihil esset; miseriis suis remedium mortem exspectare: At ego, inquit, vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effu-
4 giatis. Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare, uti sui misereretur;

§. 3. *Postquam illos videt*] Nonnulli codd. inverso ordine *p. vid. illos*, quo numerus multo deterior fit; *illos* enim, in quo nulla plane vis inest, rectius orationi inseritur, quam in initio commatis collocatur, cf. ad c. I, 1. — Tum pro *videt* Fabr. 1. Guelf. 9. et Vin. 1. tenent *vidit*, dubium, scribendi errore, an quia librarios *postquam* praesenti coniunctum offenderet. Sed apud Sallustium ista structura non infrequens est; cf. Iug. XV, 5. *postquam videt.* XXXVIII, 4. *quae postquam instruit.* VI, 2. LII, 6. XX, 1. LXI, 1. Cat. LVII, 5. LX, 7. — *Videt*, i. q. cognoscit, accipit, audit, cf. Liv. XXXIV, 31, 13. *nunc tyrannum me vocari video.* Cic. p. Arch. p. 8, 18. *quoties ego hunc vidi magnum numerum versuum dicere ex tempore?* — *Miseriis suis* Zumptius Gramm. Lat. §. 84. A. 10. p. 477. a nomine *remedium* pendere statuit, a qua sententia etiam Herzogius ad h. l. non abhorrere videtur. Sed id recte fieri posse ad c. XXXII, 1. negavimus; quippe etiam h. l. et §. 2. tertius casus a verbo aptus est, id quod Cortius iam senserat. Cf. ad c. XXXIX, 3. Plura eiusdem structurae exempla praebet Ruhnk. ad Rutil. Lup. I, 10. p. 38. et ad Ter. Andr. III, 3, 17. et imprimis Drakenborch. ad Liv. III, 46, 2. v. Bremi. ad Nep. Paus. IV, 5. — *Exspectare* ita positum, ut supplendum sit *se*, de qua ellipsi vide ad c. XXXI, 7. Accusativus c. inf. autem pendet a *dicendi* verbo, in *queri* latente; cf. ad c. XXI, 3. Bremius ad Nep. Timoth. III, 4. — *Tanta ista mala*, hoc ordine, legitur tantummodo in Commel. Palat. Bas. 1. 2. Inc. 1. 2. Vin. Fabric. Sen. 1. Leid. M. N. et aliquot Guelff.; reliqui exhibent *t. mala ista*, quod editores Cortio praeeunte merito respuerunt. Apparet enim pronomen referri ad vocem *tanta*, a qua ubi seiungitur, vis eius plane evanescit; cf. XLVIII, 9. *tantum illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.*

§. 4. *difficile esse, quod non*] *Esse* Cortius eiecit, unius cod. Guelf. 12. auctoritate. Tum *quod non* cum Gerlachio revocavimus,

nihil tam asperum neque tam difficile esse, quod
non cupidissume facturi essent, dum ea res civita-
tem aere alieno liberaret. Ille eos in domum 5
D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat, neque
aliena consili, propter Semproniam; nam tum Bru-
tus ab Roma aberat; praeterea Gabinium accersit, 6
quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo praesente

pro quo inde a Rivio ex uno cod. Veneto in omnes edd. *quin* irrepserat, quae scribae male seduli correctio non debebat relicuorum codd. omnium auctoritate potior haberi. — *Civitatem* i. e. totam gentem, de qua vocis vi dixit Davis. ad Caes. B. G. I, 2, 2. cf. cap. seq. §. 4. — *Ea res* quomodo ad praegressum *quod* referatur, ostendimus ad c. XVIII, 8.

§. 5. *in domum D. Bruti*] Is Consul fuit a. u. 677. laudatus a Cicerone, Bruto c. 47, 175. *D. Brutus, homo et Graecis doctus litteris et Latinis.* Quam inter Sallustium et Ciceronem, orat. in Catil. III, 6, 14., discrepantiam esse statuit Dahlius, nulla est; nam quod Cicero ibi dicit, *ad Gabinium legatos esse perductos*, id non est *in Gabinii domum;* sequentibus autem Sallustii verbis inspectis, apparet, utrumque scriptorem in Gabinio, cuius imprimis auctoritate Umbrenus Allobroges movere vellet, plane consentire. — *Neque aliena consili* Cortius recte interpretatur *opportuna consilio;* constructio c. genitivo paullo rarior habetur etiam apud Cic. de Finn. I, 4, 11. *quis alienum putet eius esse dignitatis.* Cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 8. not. p. 360. Herzogio non assentimur, *non aliena* interpretanti *conscia*, *coniurationis particeps*, cui explicationi obstant verba *nam tum Brutus ab Roma aberat*, qua certe re eius domus non conscia fiebat, antea consilii expers, sed illud efficiebatur, *ut Catilina ea commode ad consilia aperiunda uti posset*, Sempronia facile concedente propter coniurationis conscientiam.

ab Roma] Ita exhibent Bas. 1. Leid. A. B. C. G. H. et Prisc. XV, 2, 9. p. 618. Kr. relicui praepositionem abiiciunt. Quod Malaspina inter dictionem *venire Roma* et *venire ab Roma* statuit discrimen, ut illud interiorem locum indicet, hoc exteriorem, id plerisque locis nullum esse recte iudicat Ger. I. Vossius de Constr. c. 46. p. 495. quocum consentit Ruddimann. Institt. II. p. 281. Ubi *ab* praepositio eam quam Malaspina vult vim obtineat, dicemus ad Iug. LXI, 1.; hic cf. locos a Cortio laudatos, Liv. XLII, 18, 5. *le-*

coniurationem aperit; nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset; deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.

gati eo ab Roma venerunt. Cic. Epp. ad Famm. XV, 4. *qui circiter Idus Sextil. ab Epheso profectus erat.* Caes. B. C. I, 11, 4. *Itaque ab Arimino M. Antonium Arretium mittit*, ubi v. Davis. Curt. V, 6, 19. *posteaquam a Persepoli profectus erat.* Adde Perizon. ad Sanct. Min. IV, 6, 2. p. 235. Ed. Bau. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 71, 8, 1. p. 317. Quod Herzogius autem ad h. l. et ad c. XXX, 1. censet praepositione addita vel abeundi vel distantiae notionem augeri, subtilius videtur neque ullo exemplo potest comprobari. Quocirca praepositionem ad abundantiam aliquam dicendi refero.

§. 6. *accersit*] Gerlachium secuti sumus, qui pro *arcessit*, quod quinque tantum codd. tenent, relicuorum auctoritate *accersit* edere non dubitavit, quamquam plerique omnes vocabulum damnant, tanquam analogiae repugnans et ab insciis librariis profectum. Cf. Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. VII, 23. Ger. I. Vossius Etymol. p. 40. Graevius ad Suet. Tiber. c. 52. Gesnerus Thes. L. L. I. p. 47. Ernestius ad Tac. Histt. I, 14. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 5, 64. Ramshorn. in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1827. II, 1. p. 39. Dubitationem tamen Vossio et Manutio movent Grammaticorum praecepta, velut Charisii p. 227. et Diomedis p. 375. qui significationis discrimen statuunt; eodem pertinet Velii Longi p. 2232. sententia, differentiam ab aliis excogitatam negantis. Recte igitur Manutius l. l.: „Grammaticos de verbo *accersere* non somniasse credibile est, sed veteres libros vidisse, in quibus ita scriptum esset." Luce est enim clarius, non finxisse Grammaticos *accersere* verbum, sed temere tantum pro duobus vocabulis habuisse, quod re ipsa unum modo verbum est. Verissime enim Conr. Leop. Schneiderus Gramm. Lat. I, 1. p. 257. iudicat, *accerso* idem esse atque *arcesso*, *r* littera transposita, *c* autem, ut vulgaris ratio postulat, geminata. Primitiva autem forma *arcesso* non orta est ex *arceo*, ut Herzog. ad Caes. B. G. I, 31. opinatur, sed ex *ar* i. e. *ad*, et *cio*, unde factum *cesso*, ut ex facio, facesso lacio lacesso. v. Prisc. I, 8, 45. p. 43. Kr. quo loco Gesnerus haud recte utitur, ut demonstret, Prisciano *arcessere* tantum probari. Utramque formam eadem significatione agnoscit Gifanius ad Lucret. p. 308. ac nuper *accerso* defendendum suscepit Zumptius in Iahnii Annall. Philol. et Paedag.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consili caperent. In altera parte aes 2 alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae; at in altera maiores opes, tuta consilia,

a. 1827. II, 3. Append. p. 3. Quae quum ita sint, temerarium foret, tantum codd. consensum negligere; cf. LII, 24. LX, 4.

coniurationem aperit] I. e. indicat, narrat, prodit, qua vi vocabulum saepe legitur. Cf. c. XLI, 5. XLV, 1. XLVII, 1. cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. IV, 1, 8. Bremius ad Nep. Dio. VIII, 1. et Passov. ad Tac. Germ. c. 1. p. 85. — Pro *amplior esset* decem codd. ostendunt *inesset*, quod Cortius damnat, quia inconcinnum sit. Nobis propterea potius reiiciendum videtur, quia *inesse* verbum plane incommodum est, ubi de *excitando* animo dicitur, v. quae diximus ad c. XVII, 2. — *Deinde* omnes a Gerlachio collati libri habent; tutius igitur videbatur hos sequi, quam vulgatum *dein* retinere, quod parum constat an codicum fide nitatur; cf. ad c. XLV, 4. Quam saepe autem utraque particulae forma a scribis permutata fuerit, cognosci potest ex Drakenborchii nota ad Liv. III, 3, 6. — *Pollicitos operam suam;* cf. Cic. orat. in Catil. III, 2, 4. *legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi caussa esse sollicitatos.* ibid. 4, 9. *Galli dixerunt, ita sibi esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent.* — *Domum*, quod in tribus abest, Cortius eiecit; nos, quid codices praebeant magis, quam quid praebere possint spectantes, reduximus. Librariis omittendi caussa haud dubie haec fuit, quod pro *patria* positum censerent.

XLI. §. 1. *in incerto*] Adiectivi neutrum cum praepositione haud raro pro simplici adiectivo vel adverbio poni, supra monuimus ad c. VIII, 1. Formulae *in incerto esse* vel *habere* Cortius haec attulit exempla: Auct. de B. Alex. 16, 2. *omnia victoribus erant futura in incerto.* Tacit. Ann. XV, 17. *quando in incerto habeantur Parthorum conatus.* Sall. Iug. XLVI, 8. *ut absens an praesens perniciosior esset, in incerto haberetur.* Eodem modo dictum *in aperto esse*, Iug. V, 3. ubi v. Cort. *in dubio esse*, Catil. LII, 6. ubi v.

§. 2. *in altera parte — at in altera*] His verbis indicari, quae Allobroges et ad ineundam coniurationem incitaverint, et ad aperiendam moverint, ab interpretibus recte monitum est; in eo tamen errant, quod Allobrogum rationes populi Romani rationibus opponi putant, quum legati potius suae civitatis commoda cum privatis

3 pro incerta spe certa praemia. Haec illis volven-
4 tibus tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt.

ipsorum commodis comparent, dubitantes, utrum universae gentis Allobrogum saluti prospicerent, bellum movendo, an sibi ipsis tantum, coniuratione detegenda, consulerent. Patet igitur *maiores opes* non cum Dahlio et Langio interpretandas esse *vires reipublicae*, *ad obsistendum coniuratis maiores*, sed maiorem potentiam et auctoritatem, legatis eo futuram. *Tuta* etiam erant *consilia* sc. *sua*, quippe qui ita nihil plane periclitarentur, contra coniuratione probata in summum omnium rerum discrimen adduci possent. Quare absurda videntur quae Kunhardtus annotavit: „nam si quis indicasset de coniuratione, cum videbant a maxima civium parte strenue defensum iri contra illos, quibus aliena mens erat.“ — *Certa praemia* intelligi a legatis ea, quae c. XXX, 6. a Senatu proposita dicebantur, mihi parum probabile est, quoniam c. L, 1. de praemiis Allobrogibus a Senatu decretis dicitur; Kunhardtus tamen pro certo affirmat.. Verior Herzogii sententia est, qui interpretatur *commoda*, coll. Caes. B. G. I, 43. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 35.

§. 3. *Haec illis volventibus*] In grammatica horum verborum ratione explicanda frustra se torsit Herzogius. Negat enim has enunciationes ita cohaerere, ut priore caussa contineatur posterioris, quae enunciationum ratio propria est ablativorum absolutorum, ut scite monuit Godofr. Stallbaumius ad Ruddimanni Institt. T. II. p. 296. not. 1. et Ramshorn. Gramm. Lat. §. 171. II. B. p. 462. Quocirca eo inclinat V. D., ut *illis volv.* pro dativis habeat graeco more positis, quibus significetur, quatenus aliquis re ipsa, quae agitur, sive lenius, sive gravius afficiatur. Quae ut prorsus nequeo intelligere, ita mihi certum est, ablativos absoll. hic haberi, legitime caussali vinculo, quamquam paullo obscurius, cum sequenti sententia cohaerentes. Quoniam enim omnis vincendi condicio rebus dubiis, incertis ac ancipitibus nititur, neque unquam vinci potest, nisi ubi res in dubio ambiguoque sunt, patet sensum hunc esse: eo, quod illi haec volvebant (i. e. quod quid sequerentur dubii haerebant) tandem effectum est, ut fortuna reipubl. vinceret, h. e. quum illi haec volverent, tandem fort. reip. vicit.

§. 4. *cuius patrocinio* etc.] Ad hunc locum illustrandum apprime pertinet Cic. de Off. I, 11, 35. *tantopere apud nostros iustitia*

5 Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis praecepit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, uti eos quam maxume manifestos habeant.

culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum, ubi v. Car. Beier. coll. Appian. de B. C. II. p. 430. *οἱ δ' Ἀλλόβριγες ἐνδοιάσαντες, ἐκοινώσαντο Φαβίῳ Σάγγᾳ, ὃς ἦν τῶν Ἀλλοβρίγων προστάτης, ὥσπερ ἁπάσαις πόλεσιν ἔστι τις ἐν Ῥώμῃ προστάτης.* Cf. Cort. ad h. l. et Rupert. ad Tacit. Ann. III, 55, med.

§. 5. *consilio cognito*] Infelicissimâ coniecturâ Cortius *consilio*, quia in aliquot libris mss. locum mutat, expunxit, *cognito* interpretatus *re cognita*, maleque huc trahens Latinorum usum, quo participii neutrum ablativo casu absolute ponitur, sequente accusativo c. inf. aut alia enunciatione integra, de qua constructione bene exposuit Zumptius Gramm. Lat. §. 81, 8. p. 458. Cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. VII, 52, 2. Drakenborch. ad Liv. I, 41, 6. et ad XXVIII, 36, 12. Walch. Emendatt. Livv. p. 207. In hac autem structura, ubi nihil sequitur, quod a *cognito* pendeat, necessarium est participio addi substantivum; neque tamen *consilium* idem significat atque *res*, quae perversa opinio Cortium in errorem induxit, sed propria potestate intelligendum de *legatorum consilio coniurationis aperiendae*. Gerlachius de consilio Allobrogum sollicitandorum capit, quod sententiarum nexus non permittit.

praecepit, ut simulent] Praeteritum *praecepit* plurimi libri tuentur; pauci tantum *praecipit* exhibent, quod fortasse propter sequens praesens magis placeat; sed vide, ne hoc ipsum librariis caussa fuerit, cur praeteritum mutandum censerent. Quod enim in aliis scriptoribus non ferendum sit, ut perfectum aoristum excipiat praesens, id historico concedendum videtur, imprimis Sallustio, cui praesens historicum, sequente praesente vel imperfecto, pro perfecto, sequente imperfecto adeo frequens est, ut non mirum sit, eum inversa ratione etiam perfecto aoristo praesens subiungere, cogitatione e praeterito tempore in praesens transgressa, quo vividior res describatur. Quantum vero Noster in temporibus, quibus praeteritae res significari possunt, coniungendis audeat, ostendimus ad c. XXXIV, 1. Consimile est exemplum Iug. XXVIII, 1. *his* p r a e c e p i t, *omnis mortalis pecunia* a g g r e d i a n t u r, ubi non negligendum, quod Gerlachius notare omisit, quosdam codd. ac-

XLII. Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio,
2 Apulia motus erat. Namque illi, quos antea Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam

quandis temporibus exhibere *praecipit*, alios vero *aggrederentur*. ib. CXI, 1. *regi patefecit: quod polliceatur, Senatum non in gratiam habiturum.* Liberioris etiam structurae est Iug. XIII, 6. *legatos Romam mittit, quis praecepit, uti amicos muneribus expleant.* Similiter Plautus Mil. Glor. II, 1, 53. *dedi mercatori (sc. tabellas) qui ad illum deferat, ut is huc veniret*, ad quem l. v. Fr. Lindemannus p. 51. — *Ut* post *praecepit* omnes codd. tuentur, praeter Vatic. 4. et unum Guelf. quem Cortius secutus est. Particulam omitti posse ostendimus ad c. XXIX, 2., sed invitis codicibus nihil est novandum. — *Manifestos habeant* non explicaverim cum Cortio: certo scirent, qui essent, sed *manifesto teneant*, i. e. talia coniurationis initae documenta sibi praeberi curent, ut coniuratis nulla negandi aut evadendi copia sit.

XLII. §. 1. *Isdem*] Ita, non *iisdem*, plurimi codd. exhibent, ceteri *hisdem;* cf. ad c. XXXIX, 6. XLIX, 1. — *Bruttio* est in Guelf. 1. 5. Bas. 1. Inc. Senat. 1. 2. Vin. 1. Heus. et plerisque Leidd., ceteri habent *Brucia*, *Brutia*, *Bruttia*, quam nominis formam serioribus demum temporibus obtinuisse Cortius recte monuit; *agro* autem etiam ad *Bruttio* pertinet. — Qui libri pro *antea* exhibent *paullo ante*, velut Vin. 1. Inc. 1. Fabr. 1. 2. Bas. 2 3. Teg. Tur. 1. Bern. 2. non sunt audiendi, siquidem hoc scribis, quod saepissime legerant, paene inscientibus videtur excidisse. Recte vero Cortius locum *antea* adverbii, quod vulgo post *Catilina* legebatur, mutavit, plurimis optimisque codd. ita iubentibus. Ceterum auctor respicit ad c. XXVII, 1.

§. 2. *cuncta simul agebant*] Haec quamquam in omnibus codd. leguntur, tamen a Cortio vexata sunt. Negat enim *cuncta simul* commodum sensum praebere, eoque, quum videret *simul* in Sen. 2. locum mutare, in edd. antiqq. autem abesse, utrumque

cuncta simul agebant; nocturnis consiliis, armorum
atque telorum portationibus, festinando, agitando
omnia plus timoris quam periculi effecerant. Ex 3
eo numero complures Q. Metellus Celer Praetor

vocabulum delevit. Quae temeraria ratio quamquam nemini non improbabitur, non magis tamen ferri potest Kunhardti vulgatam defendentis sententia: „non quaedam negotia *consulto*, quaedam vero *temere*, sed *cuncta simul inconsulte* egerunt.“ Rectius alii, quos Cortius sprevit, locum sic expediunt: „cuncta *simul* agebant, ut dementes; nam prudentibus omnia sunt divisa temporibus.“ Nimiâ igitur properantia non exspectabant, donec singula, quae sibi utilia putarent, deinceps perfecissent, sed festinando, turbando, omnia miscendo, dementium similes, facinoris agitati suspectos sese faciebant. Simul intelligitur, *motum* non esse, ut omnes interpp., etiam Gerlachius et Herzogius, volunt, *motum bellicum*, *seditionem*, *tumultum*, sed pavorem atque terrorem sive turbatam civium quietem, qualem auctor c. XXXI, 2. Romae fuisse dixerat. De seditione hic non dici sequentia docent, quibus plus timoris quam periculi, sc. in agro Piceno, Bruttio et Apulia, excitatum fuisse narratur. Neque illud, quod motui sedando complures Catilinae socii in vincula coniecti sunt, ad comprimendas gentes rebellantes spectat, sed eo potius factum videtur, ut pavore liberarentur, quo dementibus coniuratorum consiliis omnia completa erant. Praeterea *agere*, quod Cortius edidit, in nullo cod. est, sed in nonnullis demum edd. comparuit; accedente autem quodammodo cod. Guelf. 12. qui habet *agerebant*, fidenter ille pro imperfecto infinitivum recepit.

nocturnis consiliis] Exspectes fortasse *conciliis*, ex Gronovii praecepto, qui ad Liv. XLIV, 2, 5. docet, *concilium* significare congressum secretum, coitionem sive coetum conspirantium clanculum; sed *consilium*, quo indicatur consultantium sive deliberantium conventus, recte habet. Cf. Ernestius Clav. Cic. h. v. et Bremius ad Nep. Epamin. III, 5. Cortius ad Iug. LXII, 5. et Herzog. ad Caes. B. G. I, 18. coll. I, 40. III, 3.

ex Senati consulto, caussa cognita, in vincula coniecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

XLIII. At Romae Lentulus cum ceteris, qui

§. 3. *ex Senati consulto*] Aliquot codd. inepte *ex sociis caussa cognita*, alii *ex sociis Catilinae c. cog.*, nimirum ex scribendi compendio S. C. Praeterea Bas. 2. Fabric. 1. 2. Eccard. Guelf. 1. Vin. 1. Sen. 2. Tur. 1. Flor. 1. *consultu*, quam formam Cortius recepit, non satis commodis exemplis usus, ubi pro substantivis vulgaris formae verbalia in *us* desinentia posita sunt. Non attendit enim ad Latinorum usum, qui haec substantiva verbalia in tali sententia semper sine praepositione ponunt, cf. Tac. Ann. I, 27. *provisu periculi.* ib. I, 60. *missu Germanici.* Liv. XXX, 37, 6. *arbitratu Scipionis.* XXXVIII, 11, 6. *arbitratu consulis.* Cic. de Amic. I, 3. *quas exposui meo arbitratu*, cuius vocabuli plura exempla attulit Goerenzius, editionis Gernhardianae censor, in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826. T. I, 2. p. 295. ibid. §. 4. *itaque feci, ut prodessem multis tuo rogatu.* p. Coel. 12, 28. *datur concessu omnium huic aliquis ludus aetati.* Brut. 21, 84. *ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse.* Liv. XXV, 6, 1. *hi permissu Lentuli ad Marcellum miserunt.* id. III, 52, 2. *consultu collegae*, ubi Gronovius laudat Plaut. Trinumm. I, 2, 130. *inconsultu meo*, et Plin. H. N. III, 20, extr. *interdictum id vetere consultu Patrum.* Nostro igitur loco quum praepositio assit, consectarium est *consulto* scribendum esse. Gerlachio tamen *ex Senati consultu* satis recte se habere videtur, et tantummodo ob exiguum codd. numerum eam lectionem reiecit.

caussa cognita] Haec in nonnullis antiquioribus edd. nulla interpunctione a praegressis seiuncta sunt, quasi caussa *ex Senatus consulto* cognita fuerit, quam suo iure Praetor et poterat et debebat cognoscere. — *Ulteriore* Cortii coniecturae debetur, quam postea cod. Tur. 1. confirmavit; omnes enim codd., illo excepto, exhibent *citeriore*, quod falsum esse intelligitur ex Cic. or. p. L. Mur. c. 41, 89. *an se in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Transalpina lugentem, maerentem, exulem videat? in ea porro provincia quo animo C. Murenam, fratrem suum, adspiciet?* In citeriore autem Gallia Q. Metellum fuisse patet ex Cic. or. in Catil. II, 12, 26. *Q. Metellus, quem ego in agrum Gallicanum Picenumque praemisi.* cf. Sall. Catil.

principes coniurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerant, uti, quum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis concione habita quereretur de

XXX, 5. et Dio Cass. XXXVII. p. 45., ad quem locum v. Abr. Iac. Penzel in Germanica Dionis interpretatione p. 181 sq.

legatus] Legati praesidibus provinciarum addebantur, ut eorum opera et consilio uterentur, v. Varro de L. L. V, 16. (p. 90. Ed. Spengel.) Sed praeses absens legatos cum plena iurisdictione praeficiebat, ut Pompeius absens per legatos duas Hispanias administravit, Caes. B. C. I, 85, 8. Mittebantur etiam ab Senatu legati, qui provincias regerent, Cic. in Vatin. c. 15, 36. *quis legatos unquam audivit sine Senatus consulto?* et quidem ita, ut sine alio praeside ipsi iurisdictionem et res bellicas administrarent, Cic. de provv. conss. c. 3, 5. *atque hanc Macedoniam — etiam sine imperio per legatos tuebamur*. CORT. — Adde Herteliuın ad Tacit. Agric. c. 7, extr.

XLIII. §. 1. *ut videbantur*] Ita est in antiquissimis codd. Nazar. et Commel., tum in Guelf. 8. 10. Bas. 3. et Rostoch. ap. Dahl.; ceteri *videbatur* tenent. Quod cur scribae mallent, hoc sine dubio in caussa fuit, quod in talibus enunciationibus, quae sola *ut* particula et *videri* verbo constant, *videri* plerumque absolute ponitur, neque ad subiectum refertur; simile tamen est quod Cortius attulit exemplum Cic. Epp. ad Famm. XVI, 4. *teque, ut mihi visus est, diligit.* — *Constituerant* est in cod. Nazar. Commel. Guelf. 1. 5. Inc. 1. Fabr. 1. Tur. 1. Bern. 1. 2. 3., ceteri singularem habent. Utrumque probum est, sed recepta lectio tum propter codd. qui eam tenent praestantiam, tum quia scribarum captum excedere videtur, alteri praeferenda; cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 69, 5, 3. p. 303. Sall. Iug. CI, 5. *Bocchus cum peditibus Romanorum aciem invadunt.* Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XXI, 60, 7. *ipse dux cum aliquot principibus capiuntur.* XXVI, 46, 8. *in quam Mago cum omnibus armatis refugerant.* Ruhnken. ad Ter. Heaut. III, 1, 64. Bremi. ad Nep. Phoc. 2, 2. Bentlei. ad Hor. Sat. I, 7, 20. Heindorf. ad I, 10, 85.

uti, quum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset] Haec Cortius ex coniectura ita mutavit, ut *quum* particulam et vocabulum *exercitu* eiiceret, hac usus ratione, Catilinam *exercitum,* qui ita dici potuerit non habuisse; confirmari autem coniectu-

actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo Consuli imponeret; eo signo proxuma nocte cetera multitudo coniurationis suum quisque nego-

ram codd. Guelff. 5. 6. 11. (etiam Ven. 1. Vat. 3. 6. Barber. 3. 4. 5. Flor. 1.) in quibus *quum* abest, et Guelf. 11. ac Med. 2., in quibus *cum exercitu* non legitur. Praeterea lib. Bonon. a Gerl. collat. plane ut voluit Cortius: *uti Catil. in agrum Faesul. cum venisset*, voce *exercitu* m. sec. margini ascripta. Sed istis codd. in tanto reliquorum consensu nihil tribuendum est; nam prius *cum* sine dubio compendio scriptum propter sequens *C* evanuit, *cum exercitu* autem negligentia librarii omissum videtur. Quod Cortius autem dicit, inconditam illam multitudinem, quam Catilina collegerit, *exercitus* nomine notari non posse, argutius quam verius dictum est. Quis enim iubet de iusto exercitu cogitare? Ne quis tamen scrupulus resideat, cf. Cic. p. Mur. 37, 78. *non usque eo Catilina rempubl. despexit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur*; et paullo post §. 79. *nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinae, quam isti, qui illum exercitum deseruisse dicuntur.* Gerlachius Cortii coniecturam, quam textu edendo spreverat, in Commentt. Vol. II. P. I. p. 120., codicum Italorum auctoritate permotus, unice veram iudicat.

belliquc gravissumi invidiam] Aliqua codd. pars *gravissimam*, ex male intellecto scribendi compendio *graviss.*; quo enim intelligatur, quae sit invidiae ratio et caussa, *belli* vocabulum non nude poni potest, sed epitheto eget. — *Optumo Consuli* Müllerus ita dictum putat, ut soleune quidem sit Consulis praedicatum, sed eiusmodi, ut ne inimicus quidem ieiunius dicere possit, ipso Cicerone indice Epp. ad Attic. XII, 21, a. med. Sed cur Cicero iniquius de Bruto iudicaverit, Wielandius in Interpretatione Epp. vernacula Tom. V. p. 487. optime exposuit. Erraverit igitur, qui omnium locorum eandem esse rationem putet; non magis enim quam Ciceroniana verba ad Sallustium pertinet Plinii locus, in Traiani laudem ita dicentis Panegyr. c. 2, 7. *quid tam civile, tam senatorium, quam illud additum a nobis optimi cognomen?* Sallustium autem Ciceronis laudi non obtrectare clarissime patet ex cap. XXIII, 6. quo loco recte intellecto, nemo, opinor, ieiunam laudem in vocabulo *optumus* inveniet. — Post verba *eo signo* aliquot libri mss. *dato* inserunt, quod additum est ab iis, qui vim ablativi, qua caussam et originem significat, ignorarent. Iis accensendus est etiam Langius, qui *dato* in textu quidem non exhibuit, sed cogitatione sup-

tium exsequeretur. Sed ea divisa hoc modo dice- 2 bantur, Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent,

plere iubet. Ceterum comma delevimus, ne quis dubitet, quin ablativi cum verbo coniungendi sint. — Statim post Langius male coniunxit *multitudo coniurationis*, quem genitivum ad *negotium* pertinere non difficile est ad videndum. Praeterea sat multi codd. perverse exhibent *suum quaeque*, quasi plures multitudines fuerint. Defendit tamen Herzogius, adeoque *quisque* ne ferri quidem posse iudicat, parumque abest, quin etiam *exsequerentur*, quod Guelf. 2. m. pr. habet, probet. Sed *cetera multitudine* non possunt significari *coniuratorum varii coetus*, quum *cetera* ad *singulos* coniurationis populares spectet, quae est propria huius vocis potestas, ut diximus ad c. III, 5.; rectissime igitur, quum res ad singulos revocetur, additur *quisque*, hoc fere sensu: ex *cetera* multitudine coniurationis *suum quisque* negotium exsequeretur. Singularis autem numerus h. l. non a *multitudo* pendet, sed a pronomine, ut apud Cic. de Off. I, 41, 8. *ut enim pictores, et ii qui signa fabricantur, et vero etiam poetae suum quisque opus a vulgo considerari vult;* quamquam pluralis si fide librorum nititur aeque legitimus est, v. ad c. VI, 2. VII, 1. coll. c. XXXVII, 6. Inconsulte igitur multi cum Cortio *exsequerentur* contra codd. ediderunt.

§. 2. *Statilius et Gabinius*] Plerique Gruteri et Cortii codd., omnes Bass. et undecim Italici copulam non habent, quam Cortius eiecit, Gerlachius autem eiicere voluit, typographo non obsequente. Sed ad copulae omissionem defendendam vereor ut huc trahi possint, quae a VV. DD. de ea re passim sunt notata. Primum enim distinguendum videtur inter nomina appellativa et propria; illa sine copula interdum poni monuit Ruhnken. ad Vell. II, 20, 2. et Drakenborch. ad Liv. I, 59, 1. ac V, 10, 9. talisque asyndeti ea omnino vis videtur esse, ut maior quaedam gravitas orationi concilietur, altero nomine quasi per gradationem adiecto; v. ad c. XV, 1. coll. Liv. XLV, 22, 1. *poenas, ignominias omnes iam patimur.* Noster Cat. XX, 15. *res, pericula magis quam oratio hortentur.* In nominibus vero propriis ἀσυνδέτως ponendis tria videntur observanda esse; nam uno tantum singularum personarum nomine posito copula non potest omitti, nisi tres personae deinceps memorantur; duobus autem positis copula tunc tantum recte abesse potest, si nomini etiam praenomen additum est, unde sollennis haec ellipsis in consulum nominibus, cf. Drakenborch. ad Liv. II, 17, 1.

quo tumultu facilior aditus ad Consulem ceterosque, quibus insidiae parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret eumque vi aggrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Ca-
3 tilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia socio-

et ad XXXI, 13, 2. Gernhard. ad Cic. Lael. c. 27, 101.; denique non negligendum, plerumque casibus obliquis, rarius nominativo nomina propria sine copula reperiri. Quaedam huc pertinentia, sed sine delectu, exhibuit Heineckius Animadverss. ad Iuvenal. p. 38 sqq. Patet autem, et copulam nostro loco casu fuisse oblitteratam, quae res eum etiam errorem peperit, ut scribae nonnulli *Statilius Gabinius* pro uno nomine habentes *incenderet* scriberent.

ceterosque] Ita cum Gerlachio rescripsimus; in Guelf. enim 3. et Bas. 2. *que* abest, quos Cortius perperam secutus erat. Vere enim Goerenzius ad Cic. de Legg. III, 9, 21. observavit, adiectivis *relicui*, *ceteri*, *alii*, *multi*, et similibus tunc tantum copulam non addi, si collectiva vi ponantur, i. e. si plurium rerum incepta enumeratione quae memoranda restant tali vocabulo comprehenduntur. Cf. Cic. de N. D. III, 14, 37. *ali autem solem, lunam, relicua astra aquis.* Tusc. IV, 31, 66. *sint sane ista bona quae putantur, honores, divitiae, voluptates, cetera.* cf. eundem Goerenz. ad Finn. III, 15, 51. et quae supra ad c. XV, 1. attulimus. Nostro igitur loco, ubi Sallustius non instituerat plures enumerare, *ceteros* colligendi potestatem non potest habere, sed copula cum antegresso vocabulo arcte coniungendum est. — In praecedentibus mutavimus etiam interpunctionem, colo in comma mutato; nam quae sequuntur verba *ut* particulà prioribus adiuncta sunt, neque maiore interpunctione ita possunt seiungi, ut praegressa integram enunciationem efficiant. — Pro *cumque vi* Cortius ex uno Inc. 2. scripsit *cum vi.*

alius autem alium] Gerlachius haec, colo post *aggrederetur* posito, a praegressis seiunxit; sed quoniam verba pendent a praecedentibus, Cortium secuti sumus, qui rectius commate interpun-

rum; illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto in tali periculo opus esse, seque, si pauci adiuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promptus erat; maxu- 4
mum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo,

xit. — *Filii familiarum*, quod etiam *filii familias* dici poterat, et usu loquendi et grammatica ratione defenditur. Sensit iam Varro de L. L. VII, 38. p. 98. Steph. (VIII, 38. p. 446. Ed. Spengel.) *si analogias sequi vellent, plures patres familias dicere non debuerunt, sed, ut Sisenna scribit, patres familiarum.* Cf. Priscian. VI, 1, 6. p. 222. Ed. Kr. Casaub. ad Sueton. Calig. c. 26. Tom. III. p. 93. Ed. Wolf. Eodem modo Noster dixit Catil. LI, 9. *matres familiarum*, quibus locis Cortius addidit Tacit. Ann. III, 8. XI, 13. — *Pars erat*, ad unum omnes codd. tenent, etiam Priscian. l. l. Nihilominus Cortius *erat* eiicere ausus est. — *Perculsis.* Consueta in h. v. diversitate in Guelf. 10. Inc. 2. Sen. 2. Struv. Bern. 2. legitur *percussis*; recepta lectio cur praestet diximus ad c. VI, 4.

§. 4. *promptus erat*] Ita cum Gerlachio, omnibus codd. ita iubentibus, edidimus; non diffitemur tamen, magis nobis placere Cortii aliorumque rationem, qui verbo *erat* eiecto utrumque membrum in unam enunciationem contraxerunt. In vulgata enim duae enunciationes nullâ particulâ iunctae propter abruptam orationem nescio quid languidi habent, quae, si *erat* abest, concinne ita coeunt, ut quae praecedant verba sequentium caussam contineant. Nihil tamen novandum visum est, quum etiam vulgata ferri possit. *Promptus* autem dicitur, qui ad aliquid audendum est paratus, ut recte monuit Hertel. ad Tac. Agric. c 3, med., praeeunte Ruhnkenio ad Vell. II, 75, 1. Idem alteram vocis vim, qua ingenii quaedam praestantia significatur, illustravit. — *Vehemens* Cortius explicat *mente quasi magna, sed impotenti,* vocabulum ducens a *ve* particula et *mens*, v. eum ad c. XLI, 5., in quo haud dubie A. Gellium V, 12. secutus est. V. etiam Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 187-188. Sed non dubium est, quin rectius vim vocabuli assecuti sint, qui a *veho* descendere statuunt; *vehemens* igitur

Cethego, Statilio, item Cassio, postulant ius iurandum, quod signatum ad civis perferant; aliter haud
2 facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant, Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex urbe profi-
3 ciscitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam

est qui mente movetur valde et agitatur, nec abludit, quod talem Germani *fahrig* vel *auffahrend* dicunt.

XLIV. §. 1-4. *aliter*] Hanc vocem significare *alioquin* dictum est ad c. XXIX, 3.; de totius enunciationis structurae ratione v. ad c. XXI, 3. — *Cum his* Cortius tanquam spuria uncis inclusit, quia in Guelf. 5. et 9. desunt; sed casu potius vel incuria scribarum ibi non leguntur, et ad perspicuitatem orationis necessaria sunt. — *Scriptum est* omnes codd. tenent; Cortius tamen, pariter ut c. XXXIV, 3. *est* delevit.

§. 5. *Quis sim*] Inc. 1. Fabr. 2. Struv. B. 1. 3. Sen. 1. 2. Heuss. Vin. 1. Leid. I. L. Tur. 1. m. pr. Tur. 2. plures Glareani, Italici et Palatini m. pr. exhibent *qui sim*, quomodo etiam apud Ciceronem, qui eandem epistolam affert, editum est. Hanc formam Müllerus et Gerlachius receperunt, a Cortio vero nonnullisque aliis *quis* editum est, quamquam cur ita scribendum sit non viderunt. Non certiora petas a Drakenborchio ad Liv. I, 7, 9. et ad VI, 32, 5., qui utrumque permiscue dici putat; neque Zumptius Gramm. Lat. §. 35. p. 116. verum assecutus est, *qui* censens pro *quis* poni, cacophoniae vitandae caussa, si sequens vocabulum littera *s* incipiat, quam sententiam recte vituperat Iahnius ad Hor. Sat. 1, 4, 41. Tenendum est autem, *qui* interrogativi potestatem plane differre a *quis* pronomine, utrumque autem et substantive et adiective poni posse. *Quis* enim pronomine utitur, qui nihil scire cupit praeter nomen, quo aliquam personam ab aliis dignoscere possit; *qui* interrogativum adhibet is, qui cognoscere vult, quo ingenio quibusque moribus, quave condicione, omnino *qualis* aliquis sit. Ita recte se habet *qui* apud Cicer. Divinat. in Q. Caecil. c. 12, 37. *qui sis, et quid facere possis, considera;* ibidemque c. 6, 20. *nescimus qui sis* verum est, ut patet ex sequentibus: *sine nos per eum nostras fortunas defendere, cuius fides est nobis cognita.* p. Rosc. Comoed. c. 6, 17. *qui sit, qui socium fraudarit, consideremus,* quibus verbis subiicit integritatis et innocentiae Roscii laudem. Philipp. II,

Crotoniensem mittit, uti Allobroges prius quam domum pergerent cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Volturcio litteras ad 4
Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est. „Quis sim, ex eo quem ad te misi cognosces. Fac 5
cogites in quanta calamitate sis, et memineris te virum

36, 90. *qui tu vir, et quantus fuisses?* Liv. I, 41, 3. *qui sis, non unde natus sis, reputa*, ubi male aliquot codd. *quis sis*. Aliter statuendum videtur de Livii loco I, 7, 9. *rogitat, qui vir esset?* nam quae sequuntur verba *ubi nomen patremque ac patriam accepit* evincunt verum esse *quis vir*, quod Voss. 1. et Leid. 2. tenet. Cf. Cic. de Orat. III, 34, 137. *quis doctior illis temporibus fuisse traditur, quam Pisistratus?* ibid. §. 139. *quis Dionem doctrinis omnibus expolivit? non Plato?* Non est igitur dubium, quin nostro loco pariter ut apud Cic. in Catil. III, 5, 12. scribendum sit *quis sim;* non enim alium finem verba habent, quam ut *nomen* tegatur. Cf. Iahnium ad Hor. Sat. I, 4, 41. et ad Virg. Ecl. I, 18. Eodem modo apud Nepotem Themist. c. 8, 6. corrigendum est: *domino navis quis sit aperit;* sensus est enim, aperit se esse *Themistoclem;* neque Herzogius ad Caes. B. G. II, 4, 1. dubitare debebat, *quae* a *qui* pronomine, an a *quis* ducendum esset, quum de *nomine* civitatium quaeri recte vidisset, in ceteris tamen parum accurate de his pronominibus praecipiens. Obiter notandum est, Zumptium aeque atque Drakenborchium ad Liv. VI, 32, 5. interrogativa pronomina *qui* et *quis* mirifice confudisse cum indefinitis eiusdem formae, quae quidem ipsa inter se ita differunt, ut *quis* substantive, *qui* adiective ponatur, cf. Drakenborch. ad Liv. III, 10, 7., quamquam multi etiam sunt loci, ubi *qui* substantivam potestatem habet, v. Car. Beier. ad Cic. Off. I, 7, 21. et Bentl. ad Hor. Sat. I, 6, 79. Cum *qui* infinito autem conferri potest *aliqui*, de quo v. Goerenz. ad Acadd. II, 26, 86. et Beier. ad Off. I, 31, 1. et ad III, 7, 1. Ceterum, ut revertamur ad Sallustii locum, recte iudicavit Matthias ad Cic. Catil. III, 5, 12. inutilem quaestionem esse, utrum Sallustii an Ciceronis epistola verior sit, quoniam veteres et oratores et historici in talibus, de verbis minus solliciti, rem modo respiciebant.

te virum esse] Cortius *esse* delevit, quod in Fabr. 1. 2. Struv. Vin. 2. et Eccard. ante *virum* legitur; Müllerus vero hunc ipsum ordinem in textum recepit. Neutrum probamus, quamquam Cortii

esse; consideres quid tuae rationes postulent; au-
6 xilium petas ab omnibus, etiam ab infimis." Ad
hoc mandata verbis dat: quum ab Senatu ho-
stis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet?
In urbe parata esse quae iusserit; ne cunctetur ipse
propius accedere.

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte

scriptura peior etiam Mülleriana videtur. — §. 6. Pro *ad hoc* in nonnullis codd. legitur *ad haec*, quod contra dicendi usum esse diximus ad c. XXXI, 8. ubi quae esset verborum *ad hoc* potestas explicavimus. — *Quo consilio servitia repudiet?* cf. Cic. or. in Catil. III, 4, 8. *Volturcius dixit, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras, ut servorum praesidio uteretur.*

XLV. §. 1. *L. Valerio Flacco*] Idem est, quem Cicero, repetundarum accusatum, defendit, ex qua oratione huc inprimis pertinet cap. XL. et XLI., ubi Flacci opera in deprehendendis Gallorum legatis maximopere laudatur. — De *Pomptino* (cuius nomen in aliis codd. corrupte scribitur *Promptinus*, in aliis *Pontinius*, in aliis aliter) v. Cic. de provv. consull. c. 13, 32. ubi Allobroges praeliis fregisse et domuisse narratur. Ciceronis idem legatus fuit in Cilicia, cf. Epp. ad Famm. III, 3, extr. v. etiam Ernesti in Clav. Cic. — *Mulvio* in longe plurimis optimisque libris legitur; alii corrupte *Mulvo*, *Milvo*, *Milvio*, sed receptam scripturam, notante Cortio, etiam probant Victor. ad Cic. Epp. ad Attic. XIII, 33. Bentl. ad Hor. Sat. II, 7, 36. Iac. Gronov. ad Tac. Ann. XIII, 47. Duker. ad Flor. III, 23, 6. Graev. ad Cic. in Catil. III, 2, 5. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 25. Graece etiam *Μούλβιος* scribitur; hodiernum autem nomen est *ponte Molle*. Erat extra urbem haud procul a via Flaminia, qua in Etruriam ibatur; cf. Tacit. Ann. l. l.

§. 2. *ita agant permittit. Illi, homines militares*] Locus varie vexatus. In aliis enim libris scribitur *ita agant permittit illis. Hom.* cet., in aliis *ita agant. Permittit illis homines* cet.; receptam a nobis scripturam habet Guelf. 8. et 11. m. pr. Fabric. 1. m. sec. Rostoch. Turic. 1. m. p. et plures Wassii; in Bas. 2. autem pronomen plane abest. Eum secutus est Cortius, negans *illi* a Sallustio esse, quoniam nomen Praetorum circumscribatur verbis *homines militares*. Sed illi magistratus tam nude his verbis nullo modo

qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus L. Valerio Flacco et C. Pomptino Praetoribus imperat, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur, cetera uti facto opus sit ita agant permittit. Illi, homines militares, 2
sine tumultu praesidiis collocatis, sicuti praeceptum

vocari possunt. Eundem fere errorem erravit Müllerus, gravius tamen in eo lapsus, quod ad praecedentia *illis* addit, pronomen censens cum vi enunciati exitum obtinere; quod quam ineptum sit, ipse prodidit explicando: „non ipse *imperat*, sed illis *potestatem facit*, ut agant quod opus videatur." Maiore audacia, sed eodem orationis incommodo Bipontini Carrionem secuti ediderunt *ita agant. Homines* cet., omisso verbo et pronomine. Sed inter omnes haud scio an plurimum erraverint, qui cum Grutero locum ita constituerunt: *ita agant. Permittit illis homines militares; sine* cet.; nam primum *homines militares* non dici possunt pro *militibus*, tum ridiculum est, Praetoribus a Consule milites *permissos* dici, quibus suo iure uti poterant, denique tota oratio ista ratione mirum quantum ingrata exsistit et hiulca. Quam nos cum Wassio, Tellero, Dahlio et Gerlachio exhibuimus scripturam, non dubium est, quin unice vera sit, quamquam Gerlachius in Commentt. p. 121. *illi* tantummodo ferri posse censet, ac potius abesse mavult, non improbata tamen etiam Mülleri ratione, qui *illis* ad *permittit* retulit. Sed *ille* pronomen legitimum locum obtinet initio sequentis periodi, ubi oratio ita mutatur, ut, quod antea obiectum fuerat, statim subiectum fiat; cf. Cat. LIX, 5. Iug. CIII, 3. XXV, 6. LVIII, 5. Caes. B. G. VI, 8, 6. B. C. III, 62, 1. neque multum dissimiles sunt loci, ubi adversandi particula pronomen praecedit, velut Iug. XX, 5. LVI, 2., vel ubi relativum adiunctum habet, ut Iug. XII, 3. Flacco et Pomptino isto modo significatis, recte additur *homines militares;* nam quod per se non poterat de Praetoribus dici, iam oppositionis vi commode ad eorum ingenium illustrandum pertinet. Commate enim post *illi* posito, quae sequuntur significant *utpote qui h. m. essent. Homines* autem *militares*, quod Cortius bene monuit, sunt rei militaris periti, magnum militiae usum habentes, cf. c. LIX, 6. Hertel. ad Tac. Agric. c. 41, in. Liv. XXIV, 23, 10. *iuvenes mili-*

3 erat occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venerunt, et simul utrimque clamor exortus est, Galli, cito cognito consilio,
4 sine mora Praetoribus se tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine

tares et militibus assueti crimina serebant. id. XXXV, 26, 10. *nihil ea res animum militaris viri et multos experti casus imminuit.* Tales autem fuisse Praetores et patet ex locis supra laudatis et ex Cic. orat. in Catil. III, 2, 5. ubi fortissimos viros eos appellat, quamquam libenter concedimus Gerlachio ad c. LI, 16. (Commentt. p. 132.) *forti* non unice de bellica gloria dici.

obsidunt] In aliquot libris est *obsident*, sensu incommodo; hoc est enim *obsessum tenent*, vulgatum autem significat *occupant*, quod solum nexui sententiarum convenit. Perperam Cortius et Gerlachius haec verba cum iis comparant, quae, quum secundae sint coniugationis, apud antiquiores interdum etiam tertiam sequebantur, velut *conniveo* et *connivo*, *ferveo* et *fervo*, *strideo* et *strido*, alia, de quibus dixit Priscian. IX, 8, 42. p. 459 sq. Ed. Kr. *Obsidĕre* enim et *obsidēre* non forma tantum, sed etiam significatione differunt, ita quidem, ut illud inchoativum sit, hoc plene institutam actionem significet. Müllerus quo consilio notaverit, et ab antiquioribus et ab Virg. Aen. VII, 334. adhibitum esse *obsidĕre* verbum, non intelligitur. Neutiquam enim *obsidunt* antique dictum pro *obsident*, ut etiam Gerlachio videtur, sed posterius a scribis invectum est, qui quo sensu alterum diceretur non intelligerent.

§. 3. *venerunt*] Hanc perfecti formam plurimi codd. exhibent, haud pauci tamen *venere;* illud verum duximus, quoniam in paucis est *veniunt*, in uno *pervenerant*, ad quae facilior lapsus erat, si *venerunt* quam si *venere* scriptum fuit. — *Et* ante *simul* in Acad. Bas. 3. et tribus Guelf. abest, ac fateor, si absit, concinniorem mihi et vividiorem orationem videri. Tamen vulgata etiam ferri potest, ita ut aut *postquam* particula repetatur, aut, quod mihi magis placet, *simul* pro *simulatque* capiatur, qua vi haud raro legitur. Cf. Drakenborch. ad Liv. VI, 1, 6. qui multa congessit, simulque monuit, frequenter hanc particulam ab indoctis librariis male habitam. Adde Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. VI, 18. Vechner. Hellenol p. 141 sq. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 3, 9. id. ad Acadd. II, 16, 51. et ad Finn. III, 6, 21.

defendit; deinde, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens, velut hostibus sese Praetoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis omnia propere

utrimque] Possis hoc ad eos qui pontem obsidebant et ad legatorum comitatum referre; tamen haud scio an melior sit glossatoris cuiusdam explicatio *ex utraque parte pontis*, collato Cicerone in Catil. III, 2, 5. *in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset.* — *Cito* Putschius delevit, neque comparuit vocabulum in Guelf. 3. Bern. 1. et Eichhof. Cortius inde, Grutero primum suspicionem movente, corruptelam odoratus, coniecit a Sallustio scriptum fuisse *scito consilio*, quod explicat *quum scirent consilium*, sive *gnari consilii*, ita ut *cognito* glossa sit rarioris participii, qua in textum illata *scito* in *cito* abierit. Ipsi tamen coniectura displicuisse videtur, siquidem eo inclinat, ut potius *cito* deletum velit. Bipontini obsecuti sunt, quod magnopere improbamus. Ex Ciceronis enim or. in Catil. III, 2, 6. constat, Gallos nesciisse insidias abeuntibus in ponte fieri; consentaneum tamen est, *primo statim impetu et concursu* eos sensisse, non tam ipsos, quippe quibus cum Consule bene conveniret, quam Volturcium cum ceteris peti; quod ubi primum intellexerunt, nihil cunctabantur sese tradere. Recte igitur Langius monuit, verba *sine mora* ad praegressum *cito*, tanquam ad caussam, referri. — In sequentibus Cortius pro more suo hallucinatur, *est* post *desertus*, et *erat* post *notus* sine codd. deleri cupiens. — *Deinde* scripsimus, non *dein*, omnibus Cortii et Gerlachii libris praeter Vatic. 1. ita exhibentibus; cf. ad c. XL, 6. Pariter *velut* plurimorum codd. auctoritate nititur, non *veluti*, quod Cortius aliique habent. — *Multa obtestatus* i. e. *multis variisque caussis* ad Pomptinum conciliandum usus; quod Bas. 2. exhibet *multum obt.* significaret *vehementer obt.* v. ad c. XXVII, 4.

dedit] Guelf. 11. habet *tradidit*, 4. 10. Erl. Leid. F. H. *tradit;* quae discrepantia ostendit, scribas neque sensum neque tempus verbi recte intellexisse. Praesens esse non cum Herzogio coniecerim ex antecedentium enunciationum analogia, *permittit*, — *obsidunt*, — *se tradunt*, sed potius propter *defendit* — *diffidens* et *declarantur*, quamquam ne ista quidem ratio plane certa est. Sed verborum

2 per nuncios Consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere; nam laetabatur, intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse; porro autem anxius erat, dubitans, in maxumo scelere tantis civibus depre-

dare et *dedere* discrimen evincit, posterius huic loco maxime convenire; nam *de* praepositio cum verbis coniuncta quum simplicis vim augeat atque intendat, ut demonstravimus ad c. XXV, 3., *dedere* significat se plane totumque in alicuius potestatem committere; cf. Bremium ad Nep. Them. I, 3. qui isto loco rectius quam ad Lysandr. I, 2. de verborum discrimine iudicavit. Patet igitur, si quis *vitae diffidens* alicui se summittat, eum multo rectius se *dedere* quam *se dare* dici; cf. Bentlei. ad Hor. Carm. III, 5, 33. Aliis locis *dedere* usurpatur de iis, qui summo studio aliquam rem sequuntur, ut in ea toti sint; cf. Car. Beierum ad Cic. de Off. I, 21, 71. *qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt.*

XLVI. §. 2. *intellegens — dubitans*] Utrumque participium, quamquam ne in uno quidem codice abest, Cortius tanquam manifestam glossam eiecit; quod autem Tellerus refert, tribus codd. Hisp. ab Infante Gabriele collatis Cortii coniecturam confirmari, fateor me horum librorum fidei et Infantis operae in iis inspiciendis collocatae parum tribuere; v. ad c. I, 7. Equidem cur VV. DD. his participiis tantopere offensi sint, non perspicio, nisi forte perversum de Sallustii brevitate iudicium eos ut a vero aberrarent impulit. Noluerim tamen cum Langio eo vulgatam defendere, ut dicam „melius quidem haec participia omitti; sed quoniam Sallustio is mos sit, ut omittat quod alii ponant, ponat vero quod illi omittant, in vulgata esse acquiescendum.“ Ita potius censeo, qui incorrupto sensu neque praeiudicata sententia verba legerit, eum neque Cortianam emendationem meliorem habiturum, neque vulgatam deteriorem, sed intellecturum, utramque structuram cogitandi ratione diversam esse, ita tamen, ut participiis additis nihil languidi aut inepti orationi inferatur. Nihili est igitur, quod Gerlachius dicit, propter insolitum dicendi genus librarios vel rhetores h. l. participia addidisse.

opus esset] Cortius *esset* abegit, quia in septem codd. pro eo *sit* legitur, quae nobis in tanto reliquorum librorum consensu eiiciendi caussa non satis idonea videtur. Praesens enim casu vel negligentia scribarum ortum esse potuit, aut etiam consilio in im-

hensis, quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad sese 3 iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Coeparium quemdam Terracinensem, qui

perfecti locum ab aliquo substitutum est, qui praegressum *dubitans* non recte caperet. Ceterum in summa verborum perspicuitate non assequor, quid Cortius sibi voluerit, *quid* explicans *quo facto*, et conferens Plaut. Pseud. I, 3, 2. et IV, 7, 70. *quid mihi auctor es?* — *Perdundae reipublicae* Cortius et Gerlachius pro genitivo habent, coll. Cat. VI, 7., sed ut ibi ex verbis *conservandae libertatis* intelligitur *augendae reip.* genitivum esse, ita h. l. ex *oneri* apparet *perd. reip.* tertium esse casum. — *Fore* Cortius unius Guelf. 10. fide expulit. — *Credebat* Bipp. Gruteri et Palmerii auctoritate deleverunt, sed libri mss. ad unum omnes retinent. Haec autem enunciatio ad praecedentem ita refertur, ut particula *nam* supplenda sit, de qua ellipsi diximus ad c. XVII, 7. et XXXIX, 4.

§. 3. *itemque Coeparium quemdam Terracinensem*] *Itemque* in omnibus est codd. exceptis Guelf. 1. Ac. 1. 2. Tur. 1. et Bern. 3. In Remensi 1. autem legitur *itemque Q. Coep.*, unde Cortius coniicit *que*, utpote ex nominis siglo ortum, delendum, scribendumque esse *item Q. Coep.* Nobis plane contra videtur, et eiecto praenominis signo scripsimus *itemque Coep.*, codicibus magis addicentibus, quibus vereor ne Gerlachius, qui utrumque delevit, parum tribuerit. Cf. c. XLVII, 3. — *Quemdam* non plures quam novem codd. tenent; sed relicui pronomen haud dubie eo omiserunt, quia putarunt *Terracinensem* pertinere ad nomen viri proprium, cui pronomen male interiiceretur. — *Terracinensem*, non Tarraconensem, cum Cortio et Gerlachio scripsimus, quoniam omnes fere libri, quantumvis in hoc nomine discrepantes, tamen prima syllaba *e* litteram habent; cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 26. Pro *parabat* Guelf. 12. offert *properabat*, scriba ignorante *parare* reflexivo sensu esse *se parare*; v. quae in universum de hoc usu notavimus ad c. VI, 7. coll. Cat. XVIII, 5. *Catilina et Autronius parabant consules interficere.* Iug. XIII, 3. *Adherbal parabat armis contendere.* LXI, 3. *insidias tendere parat.* Eadem de verbo *comparare* monuit Gronovius ad Liv. XXXVIII, 12, 6. et Bremius ad Nep. Thrasyb. II, 2. laudato Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 19.

in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat.
4 Ceteri sine mora veniunt; Coeparius, paullo ante domo egressus, cognito indicio ex urbe profugerat.
5 Consul Lentulum, quod Praetor erat, ipse manu tenens [in Senatum] perducit, relicuos cum custodi-
6 bus in aedem Concordiae venire iubet. Eo Sena-

§. 4. *ex urbe*] Haec verba Cortius, quoniam in Bas. 1. tantummodo inter versus comparent, et in Fabr. 1. serius sed ab eadem manu addita sunt, delevit, levissimam caussam adiiciens, ea Sallustium, brevitatis scilicet studiosissimum, molesta tautologia onerare, qui modo dixerit *domo egressus* et paullo post XLVII, 4. *is paullo ante ex fuga retractus.* Sed quivis videt, aliud esse domo egredi, aliud ex urbe profugere, neque ea quae serius dicantur ad praegressa ita referri posse, ut haec sic demum intelligantur. Quare verba neutiquam sunt sollicitanda.

§. 5. *manu tenens (in Senatum) perducit*] Quae uncinis inclusimus verba in omnibus quidem Cortii, Havercampii et Gerlachii libris leguntur, sed in aliquot Rivii et Wassii non exstant. Praeter horum auctoritatem Cortium imprimis verborum idem significantium cumulus, *in Senatum*, *in aedem Concordiae*, *eo*, *eodem*, permovit, ut verba delenda censeret. Nobis quod de cumulo verborum dicit futile videtur, quamquam de re ipsa consentimus. Quid enim est, quod Consul Lentulum *in Senatum* perduxisse dicitur, qui *nondum convenerat?* Porro quid est, quod auctor *Senatum* distinguit ab *aede Concordiae*, quum tamen in hac ipsa aede habitus esse dicatur? An talem locorum oppositionem, quam nullam esse posse sequentia indicant, ne dicam a tam eximio scriptore, sed ab sano homine factam esse credibile est? Tamen oppositionem quaesivit Sallustius; sed non tam ineptam, ut Senatus et aedis Concordiae, sed verba *Lentulum ipse manu tenens perd.* opposuit sequentibus *relicuos cum custodibus v. i.*, quod planissime ostendunt verba *quod Praetor erat.* Utrosque autem in Concordiae templum esse adductos res ipsa docet, neque obstat, quod verba *in aedem Concord.* in medio enunciationis posterioris collocata sunt; *perducit* enim, licet absolute positum, sequentibus tamen definitur, quo pertineat. Cf. Curt. III, 3, 4. *quod Alexandrum in Persico habitu perductum vidisset.* Iustin. II, 13, 8. *ille perculsus nuncio tradit ducibus milites perducendos.* ibid. XII, 5, 10. *interea unus ex amicis Darii vinctus perducitur;* de quibus locis, a Gronovio ad Liv. XXX, 12, 2. allatis,

tum advocat, magnaque frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis introducit; Flaccum Praetorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, eodem afferre iubet.

XLVII. Volturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de caussa consili

Cortius recte indicavit, „etiamsi diversae notiones in iis concurrant, id tamen commune eos habere, quod *terminus ad quem non exprimatur.*" Nostro autem loco accurate inspecto, patet verba *in aedem Concord.* non aliter collocari potuisse, quin periodi concinnitas plane periret. Quodsi iam quaeris, unde verba *in Senatum* orta sint, perfacile est ad videndum, ea antiquam glossam esse scribae, *perducit* absolute positum non intelligentis et pro captu suo constructionem explentis. Müllerus quid lucratus sit, ad repugnantias, quibus vulgata laborat, tollendas coniiciendo *in senaculum*, acutiores videant. Nam quod plures partes templi fuisse dicit, quarum in unam Consul Lentulum perduxerit, in alteram relicuos venire iusserit, id rem non expedit.

Concordiae] Id templum ab F. Camillo aedificatum, (v. Plutarch. Cam. p. 151. E.) foro imminebat, recte notante Cortio. Cf. Matthias ad Cic. or. in Cat. III, 3, 7. — Ablativorum *magnaque frequentia* eadem ratio est apud Suet. Aug. c. 97, init. *quum lustrum in campo Martio m a g n a populi f r e q u e n t i a conderet.* Cf. ad c. XLVII, 1. — §. 6. *Volturcium cum legatis introducit.* Cic. or. in Cat. III, 4, 8. *introduxi Volturc. s i n e Gallis;* et §. 9. *introducti autem Galli* cet. Haec quamquam verbis diversa sunt, re tamen nullam equidem discrepantiam video, siquidem ex sequentibus Sallustii verbis patet, Volturcium seorsum a Gallis esse interrogatum; igitur *cum* praepositio nullam temporis et loci coniunctionem significat, sed simpliciter pro *et* posita est; cf. ad c. XLIII, 1. — *Introducit* verbum ostendit, Gallos et Volturcium donec interrogarentur in aedis parte substitisse, a consultandi loco seiuncta; senatus enim eo loco habebatur, quae, quoniam Dei Deaeve simulacrum continebat, *cella* vocatur; cf. Drakenborch. ad Liv. V, 50, 6. qui plurima contulit. *Cellam Concordiae* memorat Cic. Philipp. II, 8, 19. et III, 12, 31., quibus locis Ernestius in Clav. Cic. cellam minus accurate pro *templo* positam censet.

XLVII. §. 1. *quid aut qua de caussa consili habuisset*] Duarum interrogationum in eadem enunciatione coniunctio scribis non

habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia uti gesta erant aperit, docetque se paucis

admodum nota fuit, unde multae in deterioribus codd. inveniuntur lectionis discrepantiae, quas enumerare nolumus, vulgata integra et satis firmata. In eiusmodi enim enunciationibus posterior interrogatio levi quadam attractione ad priorem ita refertur, ut si utramque disiungere velis demonstrativum in altero membro sit supplendum, quod Cortius bene vidit in Excursu VI. p. 402. Noster igitur locus sic est solvendus: quid consili, aut qua de caussa *id* habuisset. V. ad XXIII, 4. et ad XXVII, 1. Liv. XXXVI, 2, 1. *his in Senatu decretis, quae c u i u s provincia foret*, i. e. quae prov. et *cuius ea* foret. Id. XXX, 42, 18. *Ceterorum (legatorum) miserabilior oratio fuit, commemorantium: ex q u a n t i s opibus q u o recidissent Carthaginiensium res.* Cf. Matthias ad Cic. or. in Catil. IV, 9, 19. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 201. et Bremius ad Nep. Timol. II, 2.

fide publica] Aliquot codd. post *publica*, alii post *fide* addunt *data*, quod meram glossam esse ostendit tum varius eius locus, tum plurimorum librorum, in quibus abest, consensus. Perperam autem Cortius, Langius et Gerlachius *data*, quod libris damnatur, ad structuram expediendam suppleri volunt. Praeterquam enim, quod neque loquendi usu, neque alio indicio cognoscitur, *data* cogitatione assumendum esse, *fide publica* ablativi forent absoluti nullo modo ferendi, planeque diversi ab iis, quos explicavimus ad c. XI, 4. et XXXIX, 3. Nostro autem loco ablatt. non sunt instar enunciationis integrae, sed ad verbum pertinent, ita ut modus *dicendi* indicetur, quasi dictum foret *cum fide publica*; cf. ad c. XLVI, 6. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 11. p. 363. Fides autem publica est promissio civitatis auctoritate facta, aliquem impunem atque securum fore. Cf. c. XLVIII, 4. Iug. XXXII, 1. et 5. XXXV, 7.

docetque se] Verbum cum copula in Bas. 1. abesse testatur Cortius; Gerlachius, cui in ea re maior fides, de libro Basileensi tacet, sed in Bern. 3. se monet utramque vocem non invenisse. Utut est, Cortius male *docetque* expunxit, inepta ratione usus, verbo *aperit* hoc iam contineri. Quamquam autem negari nequit, id fieri posse, tamen *docetque* non plane otiosum est, siquidem hoc verbo addito oratio ita variatur, ut *aperit* rem universe comprehendat, ac verbo *docetque* ad eam accuratius exponendam transeatur. — Porro nulla caussa est, cur cum Cortio *se*, quod in solo Acad. et Guelf. 10.

ante diebus a Gabinio et Coepario socium ascitum nihil amplius scire quam legatos; tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium

abest, eiiciamus; quin adeo perspicuitatis caussa necessarium est pronomen, neque eius ellipsis iis videtur excusari posse, quae monuimus ad c. XXXI, 7. — *Ascitum*, quod nonnulli codd. praebent, rectius scribitur quam *adscitum*, ut in omnibus est editis libris; v. Priscian. II, 1, 7. p. 59. Kr. *d* litteram ante *s* aliâ adiunctâ litterâ abiici docentem, et cf. Passov. ad Tac. Germ. c. 2. Hertel. ad Agric. c. 9. et Fr. Lindemann. ad Ruhnkenii Elog. Hemsterh. p. 3. et 4. Haud recte igitur Goerenz. ad Finn. V, 18, 49. *astiterit*, quod nonnulli codd. praebent, aspernatus videtur. Quod in novem codd. legitur *accitum*, scribendi error videtur, nam sensus plane ineptus est; Müllerus tamen in textum recepit.

nihil amplius scire quam legatos] Haec verba Cortius, *legatos* demonstrans esse accusativum subiecti, ita cepit, ut sensus sit: sibi de coniuratione non plura cognita esse quam legatis. Inepta sane Volturcii confessio! qui non amplius dissimularet de coniuratione, sed omnia ex rerum veritate aperiret. An non ineptum est, quod se nihil aliud quam legatos scire dicit, qui quid illi vel scirent vel nescirent nullo pacto cognitum habere posset? Tum quid est, quod, quum *de se ipso* interrogatus esset, de aliis respondet, qui neque simul interrogati essent, neque in eadem caussa versarentur? Ad hoc ex c. XL, 6. et XLIV, 1. patet, legatos multo plura quam Volturcium scivisse. Quocirca non dubium est, quin sensus sit: *se, praeterquam quod legatos sciat coniurationis participes esse, nullum plane ex coniuratis nosse*, quae explicatio non modo praegressis verbis *se p a u c i s a n t e d i e b u s socium ascitum*, sed etiam sequentibus *t a n t u m m o d o a u d i r e solitum Autronium, Sullam, m u l t o s praeterea in ea coniuratione esse*, egregie confirmatur. *Nihil* autem etiam de *personis* dictum non insolens est, cf. Cic. Epp. ad Famm. IV, 4. a. med. *v i c t o r, quo n i h i l moderatius.* XIV, 3, extr. *ita tibi persuadeas, mihi t e carius n i h i l esse.* Nep. Alcib. I, 1. *constat n i h i l e o fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus.* Loci autem Sallustiani rectius explicati laus Herzogio debetur.

solitum] Hoc cum vernaculo *pflegen* comparatum aliquid insolentiae h. l. habere videtur; sed tenendum est, *solere* verbum interdum ita poni, ut non sit *morem habere*, sed ut repetitam eius verbi quod inde pendet actionem significet, adeoque vim adverbiorum *saepe* vel *frequenter* obtineat; cf. statim post §. 2. *sermonibus, quos*

Sullam, L. Vargunteium, multos praeterea in ea
2 coniuratione esse. Eadem Galli fatentur, ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris

ille habere solitus erat. Iug. IV, 5. *audivi, praeclaros viros solitos ita dicere.* CVIII, 3. *Bocchum cum animo suo volvere solitum, Iugurtham Romanis, an illi Sullam traderet.* Tacit. Ann. I, 73, extr. *Cassium solitum interesse ludis.* Cic. Epp. ad Famm. II, 17. p. med. *Bibulum solitum dicere.*

in ea coniuratione esse] Haec Herzogius ita intelligi vult, ut *coniuratio* actionis potestatem, quae in *coniurare* verbo inest, retineat, quasi auctor dixisset *multos praeterea coniurando occupatos esse.* Sed *coniuratio* non solum significat coniurandi actionem, sed etiam coniuratorum factam societatem; quare sensus est *multos praeterea in coniuratis esse.* Alieni autem sunt generis quae ille affert Cic. Epp. ad Famm. X, 4, extr. *in exspectatione esse.* ib. XIV, 3, *in spe esse;* quippe non vidit substantiva verbalia tantummodo ad subiectum relata activam vim habere, obiecti autem ratione habita passivam significationem recipere. Ita v. c. *obsidio* subiective significat *obsidendi actionem*, obiective vel ea quae ad obsidendum pertinent, vel statum obsessorum, cf. Liv. XXIII, 37, 1. *Sempronius in obsidione erat.* Eiusdem generis sunt *scriptio*, *confusio*, *accusatio*, *defensio*, *laudatio*, alia plurima, quae subiective intellecta actionis notionem, quae in verbo inest, retinent, obiective cogitata rem verbi actione effectam significant.

§. 2. *coarguunt*] Perperam Cortius *con* praepositionem ad *litteras* refert, ut verbum proprio sensu significet *litteris et simul etiam sermonibus eum convincunt.* Vere Herzogius monuit *coarguere* ubique esse *graviter arguere*, coll. Nep. Epam. VI, 4. Cic. p. Sulla 15, 44. Tacit. Ann. XIII, 20. Liv. XXVI, 27, 9. — Statim post *ille* et *erat* vocabula a Cortio eiecta reduximus; nam quod in tribus codd. mutato ordine legitur *sol. erat hab.*, in tribus aliis autem *ille* abest, id neutiquam argumento est, ista verba, quod Cortius vult, insiticia esse. — Tum ex *esse* verbo, quod Cortius sine omni librorum praesidio delevit, ad antecedentia supplendum est *fuisse;* haud raro enim, ubi diversa eiusdem verbi tempora ponenda sunt, prius omittitur et ex posteriore assumendum; cf. Tacit. Germ.

Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe

2, extr. *quoniam qui nunc Tungri, tunc Germani vocati sint.* ibid. c. 36. *ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes et stulti vocantur.* Annall. I, 55, extr. *quae apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.* II, 70. p. med. *si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat*, ubi v. Ernesti. Huc etiam pertinet locus ex Sall. Fragm. inc. 17, 4. *qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt.* Cf. Hertel. ad Tac. Agric. c. 44, extr. Caes. B. G. I, 11, 4. — *Foret* post *fatum* Gerlachius omittendum censet, quia in Venet. 1. deest, et in Ven. 2. *fatatum erat* legitur. Sed ea caussa non satis idonea est.

urbis potiri] Hoc plurimi exhibent codices; septem tamen *urbe* praebent, scilicet scribis minus frequenti structura offensis; sed cf. quae Cortius ad h. l. laudat, Iug. VIII, 1. XXV, 10. LXXIV, 3. Caes. B. G. I, 3, 8. Tacit. Ann. IV, 3. VI, 45. — *Ab incenso Capitolio.* Lactant. III, 17. *Capitolium, quod est Romanae urbis et religionis caput summum, non semel sed saepius fulmine ictum conflagravit.* Hic autem illud innuitur incendium, quo Scipione et Norbano Coss. a. u. 671. conflagravit, Plin. H. N. III, 13. Tac. Histt. III, 72. Restaurare illud conatus est L. Sulla, perfecit autem Q. Catulus a. u. 676. Lactant. de Ira Dei c. XXII. Plin. H. N. XIX, 1. Cort. — Pro *haruspices* plures libri vitiose habent *auruspices*, alii consueta in hoc vocabulo diversitate *aruspices*; quod quamquam Vossius in Etymol. p. 47. unice verum iudicat, Conr. vero Schneiderus Gramm. Lat. I, 1, p. 186. aeque probum censet atque aspiratam formam, nobis tamen *haruspex* verior scriptura videtur, sive cum Petro Frandsenio, de Haruspicc. p. 12., secundum Donati auctoritatem ad Ter. Phorm. IV, 4, 28. vocabulum ab *haruga* ducas, quod etiam Cortius ad h. l. amplectitur, sive cum Herzogio a Graeco ἱεροσκόπος descendere statuas, quae ratio probabilior videtur. — *Respondere* autem proprium verbum esse de haruspicum monitis, et docuit Frandsenius l. l. p. 36. et notissimum est Ciceronis oratione de haruspp. respp. Cf. Brisson. de Formm. p. 115.

ex prodigiis haruspices respondissent bello civili
3 cruentum fore. Igitur perlectis litteris, quum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus, itemque ceteri in li-
4 beris custodiis haberentur. Itaque Lentulus P. Len-

§. 3. *cognovissent*] Quod Müllerus praecipit, *cognoscere* proprium esse verbum, ubi qui impresserit confirmet signum esse suum, mihi non plane verum videtur. Nam quicquid *verum*, *notum nostrumque esse profitemur*, *agnoscimus* potius quam cognoscimus, quod scite observavit Gernhardus ad Cic. Lael. 1, 5. et ad c. 27, 100., prius idem fere praecipientibus Noltenio in Lex. Antibarb. p. 807. Ed. a. 1744. et Ruhnkenio ad Vell. II, 95, 3., quibus addi potest Bremius ad Nep. Agesil. I, 4. Sed recte Gernhardus monuit latius patere *cognoscere* quam alterum, idque comprehendere; *cognoscuntur* igitur omnino omnia, quae *accurate spectata plene intelliguntur*, eoque fit, ut saepe *cognoscere* ferri possit, ubi proprie *agnoscere* ponendum erat. Paullo aliter Goerenzius ad Cic. de Finn. II, 26, 82. et ad Acadd. II, 1, 1. coll. II, 27, 86. verba distinguit, Cortium secutus, qui ad Cic. Epp. ad Famm. XI, 22. *cognoscere* interpretatur *re et experimentis* discere, quod Bremius quoque ad Nep. Eumen. VIII, 2. amplectitur. Eodem verbo in eadem re Cicero bis utitur, or. in Cat. III, 5, 10. *Statilius cognovit signum et manum suam*, et ibid. §. 12. *Lentulus signum suum et manum cognovit*. cf. Nostrum Catil. LXI, 8. *fuere item, qui inimicos suos cognoscerent*. Liv. II, 40, 4. *familiarium quidam, qui insignem moestitia inter ceteras cognoverat Veturiam*, ubi v. Drakenb.

Senatus decernit] Sedecim codd. *decrevit*, propter sequens *haberentur*; alii tempora aequarunt *habeantur* inferentes, sed v. ad c. XXXIV, 1. — *Abdicato magistratu*, quod ante Cortium vulgatum erat, et plurimis codd. firmatur, praeeunte Tellero, Langio, Müllero et Gerlachio restituimus, quum Cortius *abdicatus magistratu*, quod pars codd. tenet, scripsisset. Putabat enim, quoniam dicatur *abdicare se magistratu*, non dici posse *abdicato magistratu*; recte quidem, nisi etiam probum esset *abdicare magistratum*. V. Drakenborch. ad Liv. II, 28, 9. *convolavere minimus quisque Patrum, abdicare consulatum iubentes*. V, 49, 9. *eaque caussa fuit non abdicandae post triumphum dictaturae*. VI, 18, 4. *vinculorum suorum invidiam dictator abdicando dicta-*

tulo Spintheri, qui tum Aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Coeparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio Senatori traduntur.

turam fugisset. VI, 39, 1. *inter priorem dictaturam abdicatam novamque a Manlio initam.* Ac nisi accusativum *abdicare* admitteret, Cicero non potuisset eo absolute uti, de N. D. II, 4, 11. *Augures rem ad Senatum; Senatus, ut abdicarent Consules; abdidicaverunt;* quod eodem modo dictum est, ut *petere* absolute ponitur pro *consulatum petere.* Tantum autem abest, ut Cortius *abdicatus* scribendo Sallustium soloecismo liberaverit, ut soloece loquentem fecerit, siquidem *abdicari mag.* pro *se abdicare*, quod perperam confert cum *lavari*, *teneri*, similibus, (de quibus v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 37. p. 121 sq.), dici nequit, propter meram *reflexivam* verbi vim. Abdicare autem cogebatur, quia nefas erat magistratum violare.

itemque] De copula *item* voci addita Cortius silet; omnibus tamen Leidensibus, Basileensibus et Teg. codd. eam tenentibus, cum Gerlachio recipiendam putavimus; cf. c. XLVI, 3. LIII, 1. Cic. in Cat. III, 6, 14. — *In liberis custodiis.* Pluralis numeri vim explicavimus ad c. XIV, 5. et XV, 4. cf. L, 3. Liberam custodiam Plutarch. vit. Cic. c. 19. vocat ἄδεσμον φυλακήν, Cicero autem l. l. tantummodo refert in custodiam esse traditos. De libera custodia, quâ Senatores modo et nobiliores magistratus tenebantur, bene disseruit Lipsius ad Tacit. Ann. VI, 3, extr. *Gallio retrahitur in urbem, custoditurque domibus magistratuum.* Vell. Pater. I, 11, 1. *Perseus in libera custodia Albae decessit.* Cic. Brut. 96, 330. *quoniam eloquentiae quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam septam liberali custodia.* — Pro *haberentur* Fabric. 1. 2. Vin. 1. et Teg. *tenerentur;* sed Cortius apte contulit c. LI, 43. *in vinculis habendos.* LII, 14. *in custodiis habendos.* Tac. Historr. I, 58. *in custodia habitus.* — §. 4. *Erat* post *aediiis* Cortius male delevit. — *P. Lentulus Spinther* propter insignem in aedilitate exhibitam liberalitatem memoratur a Cicerone de Off. II, 16, 57. ubi v. Car. Beier. — De *Q. Cornificio*, Ciceronis in auguratu collega, cf. Epp. ad Famm. XII, 17. et Ernestium in Clavi Cic. — *Retractus erat.* Bas. 2. et Vin. 1. *retr. est*, quae discrepantia Cortio perperam verbi *erat* abigendi

XLVIII. Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat.

caussa fuit. *Retrahere* autem proprium vocabulum de iis, qui in fuga deprehensi reducuntur; cf. c. XLVIII, 3. XXXIX, 5. Tacit. Ann. VI, 3, extr. Sueton. Aug. 17. Caes. B. G. V, 7, 6. — Pro *traduntur* multi codd., ut videtur ex interpretatione, *traditur*.

XLVIII. §. 1. *coniuratione patefacta*] Haec verba Bothius, uncinis inclusa, in praefatione p. XI. a glossatore profecta iudicat, eo imprimis offensus, quod constructio iis impediatur, neque ad sententiam quicquam afferatur; petita autem esse ex cap. XXXVI, 5. Quod ut plane incredibile est, ita non supervacanea sunt verba ad sententiae vim, quum qui ante coniurationem plebis fuerat animus opponatur mutatae eius *post coniurationem detectam* menti. Relativum autem quominus ad *plebes* referatur interiecta verba non impediunt, pariter ut apud Tacit. Ann. I, 74, in. *Granium Marcellum Caepio Crispinus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone, qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum fecerunt*, ubi *qui* non ad Hisponem, sed ad Crispinum pertinet, recte notante Wolfio ablativum absolutum quasi in parenthesi intercurrere. Vell. Pat. II, 47, 4. *Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas; quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia.*

rerum novarum] Gruterus et Havercampius inverso exhibent ordine *novarum rerum*, paucis codd. addicentibus; plures tamen et meliores, velut Fabric. 1. Bas. 1. Guelf. 5., ordinem verborum a Cortio receptum servant. — *Gaudium atque laetitiam* ita coniunxit, ut gradatio in verbis insit, nam laetitiā gravior animi affectus significatur, quam gaudio; cf. Nolten. Lex. Antibarb. p. 963. et Cic. Tusc. IV, 6, 13. *quum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur; quum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa laetitia gestiens vel nimia dici potest.* Cf. Sall. Catil. LXI, 9. et intpp. ad Plaut. Poen. V, 4, 105. *Laetitia* de exsultantium clamore dicitur Iug. LX, 2. — *Agitabat* Gerlachius recte rescripsit pro *agitabant*, quod Cortius ex Fabr. 2. et Guelf. 6., quibus postea accessit Leid. E. et Ven. 3, in textum intulit, non videns, quominus pluralis ferri possit, *erepta* obstare;

Namque alia belli facinora praedae magis quam 2 detrimento fore, incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxume calamitosum putabat; quippe cui omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad 3

nisi enim per synesin, de qua diximus ad c. XXXIX, 3., *erepti* scribatur, non recte pluralis ad praegressum *plebes* referri poterit. Accedit quod oratio eodem numero continuatur; *putabat* enim ab eodem subiecto pendet, et sequente relativo *cui* satis firmatur, licet in Fabr. 2. et Bas. 4. *putabant* exaratum sit. Praeterea Bas. 3. *agitare* exhibet, scriba eum usum oblito, quem illustravimus ad c. XVI, 2.

§. 2. *fore*] Immerito hoc verbum, quod omnes codd. agnoscunt, Cortius delevit; incommode vero etiam Gerlachius semicolo post id interpunxit, quo praeter necessitatem *putare* cogimur in priori membro supplere, quod tamen adest in posteriore. Multo certe simplicior nostra construendi ratio, qua utraque enunciatio a verbo *putabat* in fine posito pendet. — Statim post non satis accurate in Bip. interpunctum est, commate post *putabat* posito; nam ubi *quippe* cum *relativo* indicativum regit, sententia antegressae enunciationi non tanquam pars necessaria adhaerescit, sed integram ipsa enunciationem constituit, cum priori non interno caussarum nexu copulatam. Quum igitur sententiae isto modo non aliter annectantur atque *nam* particulà, comma non sufficit ad utramque enunciationem distinguendam, quod secus est, ubi *quippe qui* coniunctivum adiunctum habet, enunciationibus nimirum ita inter se connexis et confusis, ut posterior a priori divelli nequeat. Notandum tamen, Sallustio illum dicendi modum magis placuisse et coniunctivo eum plane abstinuisse; cf. Cat. XIII, 2. Iug. I, 3. VII, 6. XIV, 10. XX, 6. XXVIII, 1. XLVIII, 1. LIV, 8. LXXVI, 1. LXXXV, 32. LXXXVI, 3. Fragm. Histt. III, 11, 4. Contrarium usum sequitur Cicero, qui, si vera est Goerenzii observatio ad Finn. IV, 3, 7., *quippe qui* nunquam cum indicativo coniunxit, nisi forte p. Mil. 18, 47. *primum certe liběratur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio; quippe qui ei obvius futurus omnino non erat*, quem locum Goerenzius ita refinxit, ut scriberet *quippe; ei obvius* cet.

in usu cotidiano et cultu corporis] Antiquiorem scripturam *cotidiano*, quam Gerlachius recte recepit, servarunt Bas. 1. et Tur. 2.

Senatum adductus erat, quem ad Catilinam profi-
4 ciscentem ex itinere retractum aiebant. Is quum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a Consule quae sciret edicere, eadem fere quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium Senatum

cf Quintil. I, 7, 5. et C. L. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 335. Sensum verborum Langius non assecutus videtur; *corporis* enim refert ad *usu* et explicat *manuum mercede*, *cultu corporis* autem intelligit de *cibo*, *potu ac somno* post finitum laborem capiendo. Sed verborum ordo ostendit, *corporis* non pertinere ad praegressa verba; et ut eo referatur, cotidianus corporis usus non potest manuum mercedem significare. Melius Cortius *usum* accipit de rebus, quibus cotidie ad victum opus haberent, quo sensu etiam *utensilia* dicuntur, observante Gronovio ad Tacit. Ann. I, 70, extr. cf. ib. IV, 30, in. *dandos vitae usus cui vita concederetur.* *Cultus* autem quum omnino omnia complectatur, quaecunque ad externam rationem vivendi corporisque curationem pertinent, (v. Herzog. ad Caes. B. G. I, 1. Bremi. ad Nep. Pausan. III, 1.) tum maxime eas res significat, quibus corpus tegitur et vestitur; cf. Vell. I, 2, 2. *Codrus, deposita veste regia, pastoralem cultum induit.* Sensus igitur est: quippe qui praeter eas res, quae in singulos tantum dies ipsis *alendis* sufficerent, (non enim ultra diem suppetebant) quibusque ad corpus *tegendum* maxime est opus, nihil plane habebant; cf. Iug. LXXIII, 6. ubi de hoc hominum genere dicit: *quorum res fidesque in manibus sitae erant.* Eandem rem tangit Cicero in or. Catil. IV, 8, 16-17., qui locus pro commentario verborum Sallustii haberi possit.

§. 3. *ad Senatum adductus*] Bas. 1. Acad. *adductus ad Sen.*, quod Cortio magis placet. Sed reliquorum librorum consensus evincit, hunc verborum ordinem casu vel scribarum negligentia ortum esse. — *Ex itinere*, quia in paucis codd. locum mutat, Cortio glossa visum est, praesertim quum propter verbum *proficiscentem* sensu vacuum sit. Nos, nisi graviores caussae accedant, talia libenter ferimus.

§. 4. *quum se diceret*] Struv. *quum se indicaturum diceret;* Incert. 1. *quum diceret, se indic.*, quem vocis locum evitari, ne pronomen, in quo hic nulla vis inest, cum ictu efferatur, monuimus ad c. I,

docet; praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nunciaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nomina-

1. Cortius, qui rem ipsam animadvertit, rationem non assecutus est, haec attulit exempla: Cic. p. Cluent. 50, 140. Liv. XXXIV, 1, 4. Hor. Epp. II, 2, 129. Addimus Cic. Philipp. II, 12, 29. in Cat. II, 4, 7. — *Edicere*, quod longe plurimi et probatissimi libri tenent, multo aptius est quam *dicere*, quod in omnibus Gruteri, quattuor Wassii et nonnullis Cortii libris legitur. Propria enim potestate *edicere* est quasi in lucem proferre et patefacere quae antea vel plane ignorabantur, vel non satis nota erant, quod recte vidit Gernhardus ad Cic. Lael. c. 16, 59. *alius finis amicitiae constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero.* Merito igitur Goerenz. ad Cic. Legg. II, 10, 24. vulgatum *edicere*, quod in illum locum non cadit, aspernatus est. Ad vim verbi illustrandam Cortius parum commode comparat *emori*, *emonere*, *emirari*; quippe in quibus *e* tantummodo augendi et intendendi potestatem habet, (de qua v. ad c. XLIX, 4. coll. Herzogio ad c. XX, 9.) eamque ipsam ob caussam in sequentibus recte Gerlachium censemus scripsisse *docet*, relicta, quam Cortius in paucis iisque parum probatis codd. invexerat, scriptura *edocet*. *Edocere* est enim rem plene accurateque tradere vel docere, ut eam plane teneas totamque prorsus cognitam habeas; cf. c. XVI, 1. *iuventutem mala facinora e d o c e b a t.* X, 4. *avaritia omnia venalia habere e d o c u i t.* XLV, 1. *Cicero per legatos cuncta e d o c t u s*, i. e. omnibus non solum auditis, sed etiam accuratissime cognitis. Iug. LVI, 2. *ille quae parabantur a perfugis e d o c t u s.* CXII, 2. *dein ab illo cuncta e d o c t u s redit.* Plura dabit Schellerus in Lex. Ampl. p. 3197. Quae diligentis accuratissimaeque demonstrationis notio ab nostro loco, ubi de sola Tarquinii *confessione nudoque indicio* agitur, plane aliena est, praesertim quum verbum ad praegressa *eadem fere quae Volturcius* referatur. Vulgatam tamen probat Ruhnken. ad Ter. Phorm. III, 3, 7.

ne eum Lentulus et Cethegus aliique] Haec Cortius pronomine et utraque copula decurtata edidit, omnibus paene libris refragan-

vit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda quam exagitanda

tibus, nisi quod *eum* in Inc. 2. legitur ante *terrerent*, pro *et* in Rem. 2. et Acad. est *atque*, in Fabr. 2. Bas. 3. et Rem. 1. copula *et* plane deest, denique pro *aliique* Guelf. 3. habet *et alii*. — *Tamen etsi* quod Cortius paullo post edidit, nulla plane codicum fide nititur; omnes enim *tametsi* exhibent. De hac particula, quam *tamen* plerumque sequitur, diximus ad c. III, 2.

§. 5. *in tali tempore*] *In* praepositio ne te offendat, tenendum est, si ea vocabulis *tempus*, *tempestas*, *aetas*, *dies* addatur, non tempus ipsum nude significare, sed rerum quae eo tempore obtineant condicionem. Rem satis assecutus est Cortius, in eo tamen falsus, quod hunc usum tantummodo ad vocem *tempus*, si *periculum* significat, de qua vocabuli vi monuimus ad c. XX, 3., referendum putat. Non infrequentem Livio dictionem *in tali tempore* diligenter notavit Drakenborch. ad I, 57, 1. his congestis exemplis: XXII, 35, 7. XXIV, 28, 1. XXV, 3, 12. XXX, 37, 8. XXXIV, 27, 6. Cic. p. Quint. 1, 1. Gell. I, 3. Ovid. Heroid. XXI, 65., cuius formulae sensus est, *rebus eo tempore ita comparatis*, sive, *pro rerum eo tempore condicione*, quod plane patet ex Ciceronis loco Epp. ad Famm. IX, 16, in. *ut quoquo modo in tali re atque tempore aut liberarem te ista cura, aut certe levarem.* Sall. Iug. LXXVIII, 2. *cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa*, i. e. *mutata rerum condicione*, quod etiam verborum oppositorum sensus ostendit. Gell. XX, 1, med. *librariis assibus in ea tempestate populus usus est*, i. e. pro rerum quae tunc erant condicione. Liv. I, 18, 1. *consultissimus vir, ut in illa quisquam aetate esse poterat*, i. e. pro illius aetatis condicione. Sall. Iug. LXVI, 3. *alius alium domos suas invitant; eos omnis inter epulas obtruncant; postea milites palantis, inermos, quippe in tali die, aggrediuntur.* Non est autem difficile ad videndum, nisi haec, quibus tempus in universum exprimitur, substantiva praedicatum adiectum habeant, quo condicio rerum indicetur, *in* praepositionem addi non posse. Quare vitiosa censemus haec exempla a Drakenborchio ad Livii l. l. ascripta: Plin. H. N. X, 6. *Umbricius haruspicum in nostro aevo peritissimus;* et Flor. IV, 2, 71 *Cato in*

videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant indicem falsum esse, deque ea re postulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone 6
frequens Senatus decernit: Tarquini indicium falsum

nocte lecto Platonis libro paullulum quievit; quippe in quibus *in* ex proxima littera ortum est. Cavendum autem, ne haec eiusmodi exemplis statuas defendenda, quale est Cic. de Off. III, 25, 95. *immolavit Iphigeniam, qua nihil erat in eo quidem anno natum pulchrius*, ubi v. Car. Beierus. In promptu est enim, *in* potestatem *intra* praepositionis obtinere. Ceterum ad dictionis caussam perspiciendam non inutile erit notata ad c. II, 9. contulisse.

leniunda quam exagitanda] Multi codd. post *leniunda* addunt *magis*, alii habent ante hanc vocem; sed in Fabr. 1. Bern. 3. 2. m. pr. et Tur. 2. non comparet, quorum auctoritate delevimus; v. ad c. VIII, 1. — *Ex negotiis privatis obnoxii*, non est, ut Cortius putat, *beneficiis eius obstricti*, sed potius, ut Langius cepit, *ob debita obligati. Obnoxius* enim invidiosius vocabulum videtur, quam quod de beneficiis dici possit, cf. c. XX, 7. *volgus fuimus*, *his obnoxii, quibus si respubl. valeret formidini essemus*. XIV, 6. Fragm. Historr. IV, 12, 4. Tacit. Ann. XII, 1, in. *coniugum imperiis obnoxio.* id. Historr. I, 1, in. *in neutris cura posteritatis*, *inter infensos vel obnoxios*, i. e. serviliter addictos; v. Herzog. ad c. XXIII, 3. Duker. ad Flor. IV, 4, 2. Etiam *negotia* potius de rebus rationibusque contractis, quam de beneficiis intelligenda sunt. — Praeterea Kunhardtus sensum et structuram totius loci non assecutus est, *rati* habens pro verbo finito, tum post *videbatur* cogitatione supplendum censens *rem incredibilem esse dicebant*, denique *conclamant* tantummodo ad *plerique* referendum iudicans, scilicet quia Sallustius distinguat inter eos, qui rem falsam esse sibi persuaderent, et inter eos, qui nollent fateri veram esse, quamvis putarent. Sed *conclamant* pariter ad verba *alii* — *pars* — *relicui* pertinere praeter Langium iam Cortius recte vidit.

indicem falsum esse] Tur. 2. *esse falsum;* Ecc. *falsum esse videri;* Guelf. 7. *falsum videri;* in Guelf. vero 3. et Leid. B. *esse* plane abest, ex qua diversitate cum Cortio coniicias a scribis additum esse; sed quoniam *falsum* h. l. non participium, sed adiectivum est, durior nobis verbi ellipsis videtur, neque iis excusanda, quae ad c. I, 3. attulimus. — *Referatur* explicavimus ad XXIX, 1.

videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret,
7 cuius consilio tantam rem mentitus esset. Erant eo
tempore qui existumarent, indicium illud a P. Au-

§. 6. *falsum videri*] *Videri* verbum solenne censentium et iudicantium, teste Cicerone, qui Acadd. II, 47, 146, extr. refert: *maiores instituisse, ut quae iurati iudices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut videri pronunciarent.* Liv. XXV, 4, 9. Brisson. de Formm. II. p. 195. et V. p. 482. Cort. Adde Ernestium in Clav. Cic. — *Que* particula non simpliciter coniungit, sed simul sequentem sententiam *consectariam* esse indicat; v. ad c. III, 5. et cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 67. p. 273. Semicolon igitur, quo Cortius et Gerlachius parum apte post *videri* distinxerunt, in comma mutavimus. — *Potestatem* absolute positum scribas male habuit; unde factum, ut alii *sui*, alii *dicendi*, alii *loquendi* intruderent, alii etiam ineptius *faciundi* scriberent. Longe plurimi tamen Cortii libri, omnesque, ut videtur, Popmae, Havercampii et Gerlachii in recepta scriptura conspirant, quam Cortius recte vidit ita esse explicandam, ut *indicandi* ex sententiarum nexu suppleatur. Cf. Iug. CII, 15. *se legatos ad Senatum missurum. Dein, copia facta, animus barbari flexus*, intellige *legatos mittendi.* Tacit. Ann. I, 63, in. *Germanicus, ubi primum copia fuit, evchi equites iubet*, sc. *evehendi.* De pronomine alio casu supplendo v. ad c. XIII, 2. Herzogius, qui multis ostendere conatur *indicandi* nullo modo suppleri posse, vel *potestatem sui* scribi vult, vel *potestatem* praegnanti sensu *liberam agendi potestatem* significare censet. Sed praeterquam quod illud a codicum fide, hoc a dicendi usu abhorret, sententia ipsa a praegressa non diversa foret. Neque videtur V. D. attendisse ad verba §. 4. *Tarquinius quum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a Consule quae sciret edicere, eadem fere docet.* Inde patet eum non *coactum* indicasse, sed indicandi potestatem sibi expetiisse spe fidei publicae impetrandae, quam ei sub condicione fuisse datam clare ostendunt verba *iussus a Consule edicere.* Sed ubi Crassum nominavit, Senatus decrevit: neque fidem publicam ei praestandam, qua se indignum ostenderit ob falsum indicium, *(eum in vinculis retinendum)* et omnino eum prohibendum, ne amplius quemcunque libuisset coniurationis insimularet *(neque amplius potestatem* (indicandi ei) *faciundam).* Verendum enim erat, ne, si nullum modum

tronio machinatum, quo facilius, appellato Crasso, per societatem periculi relicuos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, 8
ne Crassus, more suo suscepto malorum patrocinio,

incusandi faceret, summis viris nominatis tota quaestio magnopere impediretur. His concidunt, opinor, quae Herzogius contra Cortii interpretationem attulit.

§. 7. *existumarent*] Fabr. 1. 2. Guelf. 1. 2. 10. Vin. 1. et Senat. 1. *aestumarent*, quod Cortius vulgata aptius putat, Gerlachio obsequente, qui de plurimorum librorum scriptura *existum.* ne monuit quidem in notis. Si vera sunt quae de horum verborum discrimine disputavimus ad c. VIII, 2., non dubium est, quin *existumare* h. l. verum sit; nam sensus est: fuere qui *rebus inter se comparatis consideratisque* iudicarent. — *Indicium*, quod in plurimis codd. ante *illud* legitur, in nonnullis post pronomen est; propterea, et quia praecesserit *indicem* — *indicium*, — *indicaret* Cortius non ferendum putavit; minus suspicaces facile ferent. Cf. ad c. IX, 4. — *Machinatum* passivo sensu, de quo deponentium usu plura notavimus ad c. VII, 3. cf. Fragm. Historr. II. n. 28. Gerl. *Lucullum regis curá machinata fames fatigabat.* ibid. n. 41. *demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum.*

§. 8. *immissum*] Immittere, i. e. q. maligno animo mittere, vel *subornare* contra aliquem; cf. Iustin. IX, 7, 1. *creditum est etiam, Pausaniam immissum ab Olympiade fuisse.* id. XXXII, 2, 9. *insidias sibi paratas confingit; ad cuius rei probationem immittit indices.* Tacit. Ann. III, 16, init. *nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore.* v. Cort. ad Plin. Epp. VI, 31, 3. *ab dissimillimis Claudio delator immissus;* Cic. p. Sext. 36, 78, extr. et Walch. Emendd. Livv. p. 98. — *More suo* non putaverim coniungendum esse cum verbis *rempublicam conturbaret;* quare interpunctionem ita institui, ut haec ad ea quae proxime sequuntur pertineant. Quaedam, ex quibus hic Crassi mos cognoscatur, attulit Heusinger. ad Cic. Off. I, 30, 14. — *Praedicantem* i. e. saepe et palam dicentem; cf. Iug. XIV, 12. *uti praedicantem audiveram patrem meum.* Plin. Epp. I, 12, 4. *tertio et tricesimo anno, ut ipsum praedicantem audiebam, pedum dolore correptus est.* Cort.

9 rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

XLIX. Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque precibus, neque gratia, neque pretio

XLIX. §. 1. *isdem*] Ita codd. Fabr. 1. 2. Inc. Struv. Sen. 1. Bas. 1. et septem Guelff. cf. XXXIX, 6. XLII, 1. — De *Q. Catulo* v. ad c. XXXIV, 3. De *C. Pisone*, qui a. u. 687. Consul fuit, cf. Ernestium in Clav. Cic. — *Neque precibus, neque gratia, neque pretio.* Haec verba perquam varie in codd. collocata reperiuntur; praeterea in Guelf. 1. et tribus Putschii abest *neque prec.*; in Guelf. 11. *neq. pretio*; in Ecc. Vin. 2. et Leid. G. *neq. gratia.* Quem cum Gerlachio secuti sumus ordinem praestant Bas. 1. 2. Tur. 1. 2. octo Leidd. Naz. sex Palatt. et Bern. 1. 2., isque non solum ob plurium librorum praestantiam, sed eo etiam quod gradatio rectius procedit vulgatae praestare videtur. Prisciani testimonium, qui X, 9, 50. p. 508. Ed. Kr. haec verba ita affert: *sed neque pretio neque gratia i m p e l l i q u i v i t*, cum codicum Sallustianorum scriptura nullo modo videtur conciliari posse; quare assentior Krehlio, qui istam discrepantiam vel negligentiae vel errori grammatici tribuendam censet.

per alium] Praepositionem, quam Bas. 1. Struv. Heus. Acad. Guelf. 6. 7. 9. Tur. 2. Bern. 1. 2. tenent, repetere non dubitavimus, dicendi usu ita postulante; duobus enim substantivis non in unam quasi notionem coeuntibus, sed cogitatione seiunctis, praepositio semper iteranda est, quamquam scribae, altero loco supervacaneam rati, saepe omiserunt; cf. Car. Beier. ad Cic. Off. I, 14, 42. *deinceps de beneficentia ac de liberalitate dicatur.* ibid. I, 40, 142. *de ordine rerum et de temporum opportunitate dicendum est.* coll. I, 38, 136. et ad II, 1, 1. Plurima congessit Drakenborch. ad Liv. VI, 28, 6. *species truces sonumque in oculis atque in auribus fore.* cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 161, 2. p. 377. Goerenz. in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. I, 2. p. 328. et Ed. Wunderi Praef. ad. Varr. Lectt. Cicer. ex cod Erfurt. enotatas p. XVII - XIX. Adde, quae Cort. laudat, Catil. XXXIX, 6. LII, 7. Alius generis est quod hoc ipso capite §. 4. legitur: *ex Volturcio aut Allobrogibus*; eorum enim coniuncto indicio coniuratio patefacta erat. Ita Iug. II, 4. recte legitur *per luxum atque ignaviam*, et XXX, 1. *per omnis locos et conventus*, quia utroque vocabulo coniuncto una tantum notio exprimitur. Quare videndum, ne Bremius ad Cic.

Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges aut per alium indicem C. Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant, 2
Piso oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum, propter cuiusdam Transpadani supplicium

de Fato c. I, extr. p. 9. perperam scripserit: *primo illa (sc. agitabamus), quae erant quotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio;* nam una tantum res duobus vocabulis significatur. Altero autem loco praepositio in duobus codd. et edd. antiqq. deest.

§. 2. *uterque — exercebant*] Ita cum Cortio ex bona parte codicum scripsimus; Gerlachius vero *exercebat* edidit, quod est in Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Guelf. 5. 10. Vin. 1. 2. Rem. Leid. F. L. et Tur. 1. m. sec. Idem tamen in Commentt. p. 126. sedecim Italicorum librorum auctoritate permotus *exercebant* scribendum censet. Praeterea Guelf. 8. 11. 12. m. sec. Inc. 2. Bas. 4. et Bern. 2. exhibent *utrique exercebant*, quod fortasse iis defendi possit, quae ad c. XXX, 3. congessimus; sed recepta lectio haud dubie vera, quippe ex qua ceterae fluxerint, quum librariorum alii pronomen, alii verbum mutarent ad numerum exaequandum. Quodsi alterutra ex relicuis genuina esset, nullo pacto posset intelligi, quid scribas ad eam mutandam impellere quivisset. Constructio autem talis est, qualem notavimus ad c. VI, 2. et VII, 4. — *Exercere* verbum proprium est de odio et inimicitiis; cf. c. IX, 2. LI, 16. Fragm. Histt. I. n. 9. Gerl. Liv. XXIX, 17, 13. Cic. Divin. 4, 13. Vell. I, 1, 2. II, 45, 1. Cort.

pecuniarum repetundarum] Plerique omnes fere codd. *pecuniarum* addunt, quod Cortius, quum in uno ex suis et in Edd. vett. deesset, delevit, parum consulte tantum librorum consensum negligens, quamquam etiam *repetundae* simpliciter positum recte habet, cf. Scheller. in Lex. Ampl. p. 9316. Pisonem Cicero ipse Consul defendit, v. or. p. Flacco c. 39, 98., fortasse eo permotus, quod eius, qui antecedente anno Galliae Proconsul fuerat, (v. Cic. Epp. ad Attic. I, 1, med.) auxilio in petendo consulatu fuerat usus. Quae sequuntur verba *propter cui. Transp. sup. iniustum* caussam afferunt, cur Piso *in iudicio pecun. repetundarum* a Caesare oppugnatus sit; quum hic enim Transpadanorum patronus esset, (cf. Manut. in Cic. Epp. ad Attic. V, 2. Cic. Epp. ad Famm. XVI, 12, med.) civis supplicio iniusto ipse quasi laesus odioque Pisonis incensus fuerat, ita ut iudicii repetundarum occasione uteretur ad

iniustum, Catulus ex petitione Pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adulescentulo Caesare victus discesserat.
3 Res autem opportuna videbatur, quod is privatim

negotia illi facessenda. Errat igitur Dahlius cum Cortio, in iudicio *repetundarum* de iniusto Transpadani *supplicio* actum esse censens, quod neque pro iudicii illius ratione fieri poterat, neque verbis Sallustii significatur. *Oppugnatus* enim absolute positum, ut apud Metellum in Cic. Epp. ad Famm. V, 1, in., valet *graviter vexatus*, verba autem *in iudicio pec. repetundarum* vim habent enunciationis secundariae, *quum repetundarum accusatus esset*. Quocirca *propter* tantummodo ad *oppugnatus* spectat, neque vero simul ad sequentia verba; nam genitivus *pec. repet.* non a participio *oppugnatus*, sed a *iudicio* aptus est. Aliam viam, eamque, si quid video, haud commendabilem, Gerlachius iniit; qui quum in cod. Ven. 1. *in iudicio* abesse deprehendisset, haec verba, relicuis codd. omnibus firmata, pro glossemate habet, coniungens *oppugnatus pecuniarum repetundarum*, quod et propter structurae insolentiam valde displicet, et quia absonum videtur, Pisonem *occiso* contra ius Transpadano *repetundarum* fuisse accusatum.

ex petitione] Praepositionis vim, qua caussam et originem significat, illustravimus ad c. XII, 2. cf. Iug. VI, 3. Tacit. Annall. III, 65, init. — *Pontificatus* sc. *maximi*, quod omittitur, quia res notissima erat; cf. Suet. Caes. c. 13. Vellei. II, 43, 3. Plut. vit. Caes. c. 7. — Ante *extrema* in aliquot codd. *in* additur, scribis ignorantibus, eiusmodi ablativis cum verbo coniunctis nomen definiri, quaeque eius sit condicio significari, quod relationis genus vernaculà nonnisi praepositionibus *mit*, *in*, *unter*, *bei*, aliis, exprimi potest. Cic. p. Mil. 10, 28. *quum hic insidiator veheretur in rheda, paenulatus, magno impedimento ac muliebri comitatu.* Tacit. Annall. III, 9., med. *Piso magno clientium agmine, feminarum comitatu Plancina incessere.* cf. Aug. Matthias ad Cic. in Cat. III, 2, 6. Bremius ad Nep. Dio. VIII, 2. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 10. not. p. 362. — *Adulescentulus* h. l. vocatur Caesar, tunc XXXVI annos natus, (v. Wolf. ad Suet. Caes. c. 7.) quoniam Catulo, extremae aetatis viro, opponitur; cf. Bremius ad Nep. Attic. VIII, 2. *nullo ille adolescens (Brutus XL annorum) aequali familiarius quam hoc sene usus est;* sed v. etiam ad Cat. c. XXXVIII, 1. coll. Tacit. Ann. I, 46. et 47. — *Discedere* verbum

egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi Consulem ad 4
tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo, atque ementiundo quae se ex Vol-

et similia frequentantur Latinis ad *eventum contentionis* significandum; cf. c. XXXIX, 4. *aequa manu discessisset.* LXI, 7. Iug. LIV, 10. CX, 8. Cort. Adde Ern. Weberi Exercitt. styli Lat. T. I. p. 129. et, qui pluribus rem explicavit, Bremium ad Nep. Phoc. II, 3.

§. 3. *opportuna*] I. e. ita comparata, ut facile credi posset. — Post *quod* omnes codd., excepto uno Vin. 2, *is* inserunt, quam vocem glossatoribus deberi Cortius omnibus paene editoribus persuasit. Quin abesse possit, nemo dubitabit; tamen tenendum est, multis locis hoc pronomen poni, ut novae enunciationis subiectum maiore quadam vi proferatur; cf. c. XLVIII, 4. L, 4. LII, 30. v. ad Iug. LXIII, 3. LXII, 1, LXX, 5. Vell. Pat. II, 3, 2. — *Privatim* et *publice* cave trahas ad verbum *debebat*, quae voces potius ad addita nomina, *liberalitatem* et *munera*, spectant, ex quibus illum privati a privato experti erant, haec ab eo in magistratu ad universi populi favorem captandum edita erant; cf. c. LII, 22. De Caesaris munificentia v. Car. Beier. ad Cic. Off. II, 16, 55, qui locus non uno nomine cum nostro conferendus est; cf. Suet. Caes. c. 10, Plut. c. 5. — De Caesaris aere alieno v. eundem Beierum ad Off. II, 24, 84, qui simul suspicionem initae cum Catilina societatis tangit.

§. 4. *singulatim*] Ita scripsi cum Cortio et Gerlachio ex Bas. 1. 2. Guelf. 5. Fabr. 1. Sen. 1. Vin. 1. Rem. 2.; relicui vel *singillatim* vel *sigillatim* exhibent. — *Ementiundo*, quamquam tantummodo in Bas. 1. Guelf. 5. et Rem. 2. legitur, tamen recipere non dubitavi; recte enim Cortius, praeeunte Torrentio ad Sueton. Caes. c. LVI, in., praecepisse videtur, *ementiri* ita differre a *mentiri*, quod relicui tenent, ut simul quandam iactantiam et confidentiam in mentiendo significet, quod plane convenit cum iis, quae supra ad c. XLVIII, 4. de praepositionis *e* augendi potestate in verbis compositis monuimus. Usum verbi apud Livium Drakenborchius docuit ad I, 8, 5. coll. IX, 18, 4. et XXV, 3, 10. ac Gronov. ad XXI, 63, 5. — *Quae se audisse dicerent* per attractionem dictum pro: *quae audissent, ut dicebant*; proprie enim non *dicendi* verbum, sed alterum inde aptum, coniunctivo modo poni debebat; cf. Car.

turcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant, usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidi caussa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate impulsi, quo studium suum in

Beier. ad Off. III, 31, 112. ib. I, 13, 40. *quum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paullo post, quod se oblitum nescio quid diceret.* Caes. B. C. II, 30, 1. *erant sententiae, quae castra Vari oppugnanda censerent, quod huiusmodi militum consiliis otium maxime contrarium esse arbitrarentur.* v. etiam Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 52, 150. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 7. c. not. 2. p. 408.

usque adeo] Ita longe plurimi codices; quod relicui exhibent *usque eo* Cortius non debebat recipere, quia in promptu est, *adeo* particulam hoc sensu, quo valet *ad id rerum*, scribis minus quam vulgatius *eo* fuisse cognitam; hoc enim si a Sallustio esset scriptum, nemini profecto in mentem venisset *adeo* substituere. De vocis vi cf. Kaercher. in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826, I, 1. p. 200. n. 2. — *Cum telis esse* illustratum ad c. XXVII, 2. — *Aedem* omnes tenent libri, praeter Merseb. Rivii, quod verum videri possit, quum saepissime, ista voce omissa, praepositio genitivo apponatur, librariis tamen eo proclivibus, ut *aedem* vel *templum* adderent. Cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 86, 4. p. 511. Platz in Seebodii Archivo Philolog. et Paedag. a. 1825. Fasc. I, p. 29-32. Drakenborch. ad Liv. I, 41, 5. et X, 23, 13. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 9, 35. Vechner. Hellenolex. p. 124. Tamen h. l. *aedem* retinuimus tum ob maximum librorum mss. consensum, tum quod *circum* praepositio non videtur sine suo nomine posita fuisse, illo ellipsis usu maxime ad praepos. *ad*, raro tantum ad *ab* et *in* pertinente; Müllerus vero et Cortius eiecerunt.

mobilitate] Vulgo editur *nobilitate*, quod Bas. 1. Guelf. 3. 5. 8. Paris. B. E. Tur. 1. m. pr. Rem. Inc. 2. Acad. Sen. 1. Ecc. Erl. Teg. et omnes Leidd. praeter L. et M. exhibent; relicui in *mobilitate* consentiunt, quam scripturam Herzogius scite defensam primus in textum recepit. *Sive* enim bis positum eam vim habet, ut idem eventus ad varias et inter se diversas caussas referatur, quarum quamquam utraque vera esse potest, tamen utra locum habeat incertum relinquitur. Cf. Zumptii Gramm. Lat. §. 67, 1. p. 276. Catil. XXXI, 6. *Consul sive praesentiam eius timens, sive ira*

rempublicam clarius esset egredienti ex Senatu Caesari gladio minitarentur.

L. Dum haec in Senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti et pauci

commotus, orationem habuit. Hor. Sat. I, 1, 2. *seu ratio dederit, seu fors obiecerit.* Nep. Them. VI, 5. *nulli loco parcerent, sive sacer esset sive profanus, sive privatus sive publicus.* Caes. B. C. II, 27, 2. *Centuriones seu vere quam habuerant opinionem perferunt, sive etiam auribus Vari serviunt, confirmant* etc. ib. I, 27, 1. Plura v. apud Tursellin. de Particc. c. CCXIII. Iam vero si equites *periculi magnitudine impulsi* Caesari gladio minitabantur, id sine *animi quadam nobilitate* fieri non poterat, eoque id quod *sive — sive* particulis tamquam diversum enunciatur, re ipsa unum idemque reperitur. Quare, quum alterum membrum rem priori contrariam poscat, non dubitamus quin *mobilitate*, plurimis optimisque codd. velut Naz. Commel. Leid. L. Fabr. 1. Bern. 1. firmatum, verum sit, praesertim quum Sallustius Pisonis Catulique studia Caesari invidiam conflandi haud obscure notet atque improbet. *Mobilitas animi* autem spectat ad equitum levitatem, qua illa crimina tam facile sibi persuaderi passi erant. Quae sequuntur verba *quo studium suum — clarius esset*, non ad antecedentia spectant, sed ad verba *gladio minitari* referuntur. Eandem rem paullo aliter refert Sueton. vit. Caes. c. 14., equites, quum in Senatu *de puniendis coniuratis consuleretur*, miti Caesaris sententia iratos fuisse narrans. Quod quum probabilius videatur, Sallustium locum et tempus confudisse putaverim.

L. §. 1. *liberti*] Inc. Rem. 1. Struv. Acad. Bas. 3. 4. Guelf. 4. 6. 7. 11. Leid. E. Tur. Bern. 1. 2. *libertini*, quod, quum Lentulus nominatus sit, non potest ferri; nam qui manu missi erant respectu patroni vocabantur *liberti*, respectu condicionis *libertini*; v. F. A. Wolf. ad Suet. Claud. c. 24. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 80. Hos libertorum Lentuli conatus etiam Cicero, sed cum aliquo contemptu, ut orator, narrat, or. in Catil. IV, 8, 17. ubi v. Matthiae. — Ad verba *duces multitudinum* Cortius haec annotavit: „nescio utrum ad alios nebulones, an ad tribunos plebis respiciat. Eos certe Iug LXXIII, 4. *seditiosos magistratus* vocat, et quam saepe pretio rempubl. vexaverint historia docet." Sed si Sallustium bene novi, tribunos aperte nominasset, si hos intelligi

ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant; partim exquirebant duces multitudinum, qui
2 pretio rempublicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos suos,

voluisset; quare assentior Dahlio et Gerlachio, qui seditiosos homines, ad omnia audenda paratos, significari censent. — *Multitudinum* singulas plebis catervas sive factiones notat, de quo pluralis usu v. ad c. XV, 4. — *Soliti erant* omnes fere codd., nisi quod Struvianus exhibet *soliti vexare erant;* inde Cortius *erant* abiecit, Müllerus praeterea etiam contra vulgatum ordinem *soliti vexere* scripsit; utrumque est auctoritate codicum uti nescientium. Ceterum Gerlachius recte videtur statuere, *soliti* erant non plusquamperfecti vim habere, sed imperfecti, quum non ii duces intelligantur, qui olim vexaverant rempublicam, sed quibus etiamtum remp. vexare mos erat. Neque tamen enallagen statuimus temporum, sed praesens *soleo* verbi ita interpretamur, ut sit *consuetudinem ineo,* de qua re diximus ad c. XXXVII, 1. Herzogius vulgarem plusquamperfecti rationem constare putat, si interpreteris *quos experientia seditiosos homines cognoverant.*

§. 2. *lectos et exercitatos*] Codd. aliquantum discrepant; receptam a nobis et Gerlachio scripturam probatissimi libri praestant, Bas. 1. Fabr. 1. 2. Vin. 1. 2. Guelf. 5. 9. Tegerns. Leid. L. et quattuordecim alii; relicui *electos et exerc.*; praeterea *et* non est in Med. 9. Vat. 6. Ven. 1. Vin. 2. Ecc. Guelf. 6. 4. 10. Tur. 2., *exercitatos* non habet Inc. 2.; *electos et* non comparet in Sen. 1. et Guelf. 2. Hos Cortius secutus est, mirifica sane usus ratione, has voces ex c. LIX, 3. huc translatas esse, neque Cethegi conditioni convenire, quod *elegisse* dicatur, cui potius quemcunque posset *arripiendum* fuerit. De traiectione taceo, nam haec opinio nihili est; *lectos* autem non proprio sensu capiendum de nonnullis libertis, ex magno numero tum a Cethego exemptis, sed i. est q. praestantes, eximios, quippe quorum opera studiumque illi probatum esset, quique animum ad res nefarias gerendas promptum gererent; quod quum etiam librarios fugeret, *electos* scribere maluerunt. Adiecta autem verba *et exerc. in audac.* explicandi vim habent, quibus indicetur, cur *lecti* fuerint. Praeterea nota, *in* brevitate

lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto cum telis ad sese irrumperent. Consul ubi 3
ea parari cognovit, dispositis praesidiis ut res atque tempus monebat, convocato Senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant.

insigni consilium et finem significare, hoc sensu: exercitatos ad id, ut audacia facinora suscipere ne cunctarentur. Hunc praepositionis usum tetigit Ruhnken. ad Vell. II, 41, 3. sine idonea tamen caussa ad Graecam originem referens; geminum exemplum Cortius laudavit ex Liv. III, 36, 1. *coepit collegas in suos mores formare*, ubi Drakenborchius comparavit Iustin. III, 2. *populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum formavit.* Neque multum diversa sunt haec: Cic. Epp. ad Famm. I, 9. *ad haec te exerceas;* et Tacit. Ann. XIV, 2. *exercita ad omne flagitium.* Scribas tamen offendit dictio *exerc. in aud.;* non aliam enim ob caussam in plerisque omnibus codd. legitur *exercit. o r a b a t in aud.* — *Ut*, quod omnes codd. praeter Guelf. 12. et Vin. 2. exhibent, cum Gerlachio retinuimus; Cortius abiecit. De particulae ellipsi, cui h. l. codd. non favent, v. ad c. XXIX, 2. XXXII, 2.

§. 3. *de his*] Ita omnes Cortii libri; Leidenses tamen vulgatam *iis* tenere videntur. Pronomen *hic* vindicavimus ad c. XIV, 3. et ad XXXVII, 5. — *In custodiam* alio sensu dicitur atque §. 4. *in custodiis;* hoc enim generalem custodiendi notionem exprimit, pluralis autem numerus ad singulos spectat, quibus coniurationis participes custodiendi traditi erant, de quibus dixit c. XLVII, 4. Male igitur in Vim. 1. Inc. 1. Fabr. 1. 2. Guelf. 9. 10. 11. 12. Teg. *custodia* scriptum est. Pluralis usum explicavimus ad c. XIV, 5. cf. c. LI, 9. *qui sententias dixerunt.* LII, 14. *ipsos per municipia in custodiis habendos.* — *Erant* pro *essent*, eo modo positum, quem illustravimus ad c. XIV, 7. et XXVII, 4. Tacit. Ann. III, 69, in. *non quidem s i b i ignara, quae de Silano v u l g a b a n t u r.* ubi v. Ernest. — Ante *praeterea* omnes fere codd., exceptis Bas. 3. et Inc. 1., *et* inserunt, quod editores recte spreverunt; nam *praeterea* in media oratione per se copulae quasi vicem sustinet, ante subst. *et etiam*, ante subst. cum adiect. *et alios* significans; cf. c. XLVII, 1. Iug. IV, 4.

Sed eos paullo ante frequens Senatus iudicaverat
4 contra rempublicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore Consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Ne-

§. 4. *Silanus*] Codd. plerique omnes *Sillanus;* sed nomen rectius simplici *l* littera scribi monuit Cortius, prius observante Sigonio ad Liv. XXV, 2, 5. Drakenborch. ad XXIII, 15, 2. et Hertel. ad Taciti Agric. c. 4, in. — De more Romanorum Consulem designatum primum sententiam rogandi cf. Taciti Ann. III, 22, extr. *Tiberius exemit Drusum, Consulem designatum, dicendae primo loco sententiae*, ad quem locum Lipsius ascripsit Appiani verba de B. C. II, 5. *Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἔλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο ὑπατεύειν. ὧδε γὰρ Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτος ἐσφέρει γνώμην, ὡς αὐτὸς, οἶμαι, πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦδε εὐβουλότερόν τε καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου.* — Alium sententiae tum dicendae ordinem refert Cicero Epp. ad Attic. XII, 21. De Caesaris oratione v. Sueton. Caes. c. 14. — Dictionem *pedibus in sententiam alicuius ire* satis illustravit Cortius; quum enim sententiae a nonnullis dictae essent, reliqui in eum locum, ubi auctor sententiae, quam amplectebantur esset, discedebant; cf. Ernesti in Clav. Cic. v. *discessio.* A. Gellius N. A. Att. III, 18. Drakenb. ad Liv. V, 9, 2. Brisson. de Formm. p. 184. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 52. coll. Plin. Epp. VIII, 14, 17. — *Praesidiis additis*, i. e. si maiora quaedam praesidia et auxilia ad rempublicam tutandam comparata essent, quibus Catilina cum exercitu suo cohiberetur ac devinceretur. Commode Cortius cum hac Neronis sententia Marcelli comparavit apud Caes. B. C. I, 2. *non oportere ante de republ. ad Senatum referri, quam delectus tota Italia habiti et exercitus conscripti essent, quo praesidio tute et libere Senatus quae vellet decernere auderet.* Novam explicandi loci viam iniit Herzogius, sensum hunc esse dicens: *rem prorogandam neque prius de ea ad Senatum referendum, quam certiora ac firmiora criminis documenta allata fo-*

ronis iturum se dixerat, quod de ea re praesidiis additis referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad 5
eum ventum est, rogatus sententiam a Consule huiuscemodi verba locutus est.

LI. Omnis homines, Patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile ani- 2
mus verum providet ubi illa officiunt, neque quis-

rent. Sed qui his opus erat, quaeve certiora documenta exspectari poterant, quum coniurati convicti confessique tenerentur? Ad hoc *praesidium* isto sensu de iis, qui in culpa sunt, nullo modo dici potest, alienaque sunt quae Herzogius laudavit exempla omnia. Omnino autem in eo falli videtur V. D., quod Silanum et Neronem putat poenam lenire voluisse, quos potius apparet in re difficili et ancipiti moram quaesivisse. Praeterea Herzogius tantummodo *decreverat* propria plusquamperfecti vi accipit, *dixit* pro *dixerat* ponendum fuisse censens, cui sententiae proprie *nam* — *censuit* subiici debuerit pro eo quod vulgatur *quod* — *censuerat.* Nimirum V. D. *tum* particulâ non eum senatus conventum significari putat, qui in aede Iovis Statoris habebatur, sed eum, qui pridie (i. e. *paullo ante*) in aede Concordiae habitus erat. Sed id non satis recte excogitatum esse non solum ostendunt verba *primus sententiam rogatus,* sed universa loci conformatio. Auctor enim res illo senatu actas non simpliciter narrat, sed ita, ut sententias in ista consultatione dictas tacite ad senatus consultum postremo factum referat, quam dicendi rationem uberius explicavimus ad c. XXIV, 1. Propria igitur plusquamperfectorum *decreverat*, *dixerat*, *censuerat* ratio constat, siquidem haec omnia ante illud tempus, quod Sallustius cogitatione praecipit, facta erant. Quocirca non putamus eum, quod Herzogius vult, festinationis esse accusandum.

LI. §. 2. *Haud facile*] Notanda ἀσύνδετος Caesaris oratio, particula caussali frequenter omissa. Cf. §. 6. 12. 14. 16. 32. 38. et v. notata ad c. XXXIX, 4. — Pro *officiunt* cod. Heus. *afficiunt*, quod certissimo est documento, *obficiunt*, quod relicui tenent libri, haud genuinam scripturam esse. — Pro *omnium* pauci codd. *hominum*, haud rara horum vocabulorum permutatione; *omnium* tamen, utpote in sententia generali, unice verum est. Praeter locos a Cor-

3 quam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet; si lubido possidet, ea
4 dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, Patres conscripti, qui reges atque

tio allatos, Catil. XXXVI, 5. Iug. IV, 4. Caes. B. G. VII, 76, 7., cf. Wopkens. Lectt. Tull. p. 6, qui nubem exemplorum congessit. — *Paruit* ad *lubidini* relatum possis proprio sensu capere pro *obedivit*, quod leve zeugma foret; sed praestat translata significatione intelligere, ut sit *id sequi quod* lubidinis et usus i. e. utilitatis *ratio suadet*. Cf. Nep. Alcib. c. 4, 6. *plus irae suae quam utilitati communi paruisse*. Cic. p. leg. Man. c. 20, 60. *maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse*, quae loca Cortio debentur. — *Nihil valet*, v. ad c. XVI, 6.

§. 4. *copia est*] *Est* Cortius tanquam supervacaneum expulit; sed praeterquam quod in solo Struv. deest, ac in tribus locum mutet, omnes in vulgata consentiunt, quod non temere spernendum est, quamquam Gerlachius in Commentt. Voll. II. P. I. p. 129. Cortio assentitur. Praeterea *est* eo quoque defendi videtur, quod sententia eiusmodi est, ut scribae isto verbo non invento potius *essent* quam *est* inculcasse putandi sint. Cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 76, 2, 2. p. 390. In tali enim sententia indicativus modus Latinorum proprius est, quia rem sine condicione cogitant et certam enunciant; v. Creuzer. ad Cic. de N. D. II, 47, 121. *enumerare possum, quae sit descriptio partium*. ib. II, 49, 126. *multa eiusmodi proferre possum; sed genus ipsum videtis*. de Divin. II, 24, 52. *quid ego haruspicum responsa commemorem (possum equidem innumerabilia), quae nullos habuerunt exitus*, quem locum laudavit Heusinger. Praef. ad Cic. Offic. p. LVIII. v. etiam Ruhnken. ad Vell. II, 42, 1. Bremius ad Nep. Hannib. c. 5, 4. Attic. c. 11, 3. Matthias ad Cic. or. in Catil. III, 9, 22. p. l. Manil. c. 17, 50. Quocirca videndum, ne in Catilina quoque c. VII, 7. scribendum sit *memorare possum*, quod Wassius in edd. antiqq. exstare dicit, nisi forte dicas, coniunctivum eo defendi, quod sententia ab enunciatione condicionali, *ni ea res nos traheret*, apta est.

animi sui] Pronomen Cortius omisit, plerisque editoribus probantibus; sed in uno tantum Guelf. 8. deest, et in Bas. 3. Struv. et Tur. 2. ante *animi* legitur, qui lapsus sane facillimus fuit. Praeterea sententiae vis pronomine aliquantum augeri videtur;

populi ira aut misericordia impulsi male consuluerint; sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere. Bello Macedonico quod cum rege Perse gessimus

quocirca cum Gerlachio restituimus. — *Ordine*, quod, si sententiam spectas, adverbii vim sustinet, secundum grammaticam rationem non ablativus *modi* est, *cum* praepositione omissa, uti Zumptius Gramm. Lat. §. 74, 11, 1. p. 363. statuere videtur, sed ablativus qui dicitur instrumenti; substantivum enim solum, nullo attributo addito, ita poni nequit, ut quae cum aliqua re aut actione coniuncta sint indicet. Exempla ablativi *ordine* Cortius collegit haec: Liv. XXIV, 31, 7. *recte eum atque ordine fecisse.* XXVIII, 39, 18. *suos imperatores recte et ordine fecisse.* XXX, 17, 12. cf. Brisson. de Formm. II. p. 197. et Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 39, 113.

§. 5. *cum rege Perse*] De hac nominis forma, Ciceroni plurimisque scriptoribus probata (nam Livius, Plin. mai., Iustinus et Eutropius praeferunt *Perseus*) v. doctam Schneideri disputationem in Gramm. Lat. II. p. 315-321. Eadem usus est Sall. Iug. LXXX, 1. Fragm. Historr. IV, 12, 7. — Verborum insolens ordo, nomine proprio postposito, eo aliquid excusationis habet, quod adiectivum *Macedonico* ex antegressis ad vocabulum *rege* cogitatione trahendum est, quo fit, ut nomen proprium quasi oppositionis loco sit, sententiae vi in antecedentem vocem vergente, quod scite observavit Car. Beierus ad Cic. Off. II, 14, 50. *ut pro Sardis in propraetore Albucio (fecit) Iulius.* ib. I, 10, 32. *Theseus filio Hippolyto non esset orbatus.* cf. Nep. Hannib. c. 10, 2. *dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes.* Non multum diversus est Livii locus, I, 2, 5. *nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Aenean cessere*, nam ibi quoque regis notio primaria est, pariter ut apud Nostrum Iug. XXXIX, 2. *ob ea Consul Albinus invidiam timens.* Catil. XXVI, 4. *Cicero collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat.* Tacit. Annall. III, 59, 1. *adversus quae quum Augur Lentulus dissereret.* — Intelligi autem bellum Macedonicum secundum, anno a. Chr. n. 168. a Paullo Aemilio pugna ad Pydnam finitum, vix est quod moneatur; cf. Vell. I, 9. et Livius, qui hanc rem libro quadragesimo secundo et sequentibus uberius persecutus est.

Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit; sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriae caussa bellum ince-
6 ptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum saepe Carthaginienses et in

quae populi Romani opibus creverat] Quoniam in bello contra Antiochum, quod anno a. Chr. n. 190. pugna apud Magnesiam compositum est, fidos Romanis socios se praebuerant, eosque navibus imprimis iuverant, provinciis Lycia et Caria erant donati, amplissimisque praemiis ornati; cf. Liv. XLV, 22, 2.; 23, 1. — *Invida atque advorsa* Romanis dicitur Rhodiorum civitas, quia, ut verius tradit Velleius I, 9, 2., *dubia fide speculati fortunam proniores regis partibus fuisse visi sunt.* cf. Liv. XLV, 20-25. et Gellius VII, 3. Qui autem animo tantum et voluntate, non re ipsa in Romanos deliquerant, ita *impuniti* discessere, ut responsum redderetur, ut nec hostes fierent, nec socii permanerent, et ex Lycia Cariaque decederent; v. Liv. XLV, 25, 4. — Ceterum dictionis *impunitos dimisere* eadem ratio est, quam notavimus ad c. XLIX, 2. — *Eos* non est in Guelf. 1.; ante *impunitos* legitur in Inc. 1. Vatic. 6. et Eichhof.; post *dimisere* in Vin. 2. Fabr. 2. et Berol. 1. Unde Cortius delevit, multis obsequentibus; nobis vero haec varietas negligentiae potius quam malae industriae scribarum deberi videtur. Praeterea ad vim sententiae gravius videtur, grammaticum obiectum diserte poni, praedicato praemisso.

§. 6. *Carthaginienses*] Ita Bas. 1. et Guelf. 5.; reliqui omnes *Carthaginenses*. Receptam formam tuentur Priscian. IV, 5, 28. p. 158. Kr. Gronov. ad Liv. XXVIII, 26, 1. et Sigon. ad Liv. Epit. XIV. — *Per occasionem* i. e. occasione oblata; cf. Liv. I, 53, 7. XXII, 15, 5. XXV, 38, 12. His, a Cortio laudatis, adde quae Drakenborchius copiose congessit ad Liv. V, 26, 9. et Herzogii notam ad Caes. B. G. VII, 9. — *In illis*, quod unus tenet Guelf. 5. pro vulgato *in illos*, satis vindicavimus ad c. IX, 2. *Iure* autem, quod in Leid. L. deest, et in Inc. 1. ac Bas. 2. locum mutat, propter oppositarum sententiarum rationem abesse nequit.

§. 7. *hoc idem vobis*] Plurimi codd. *hoc item* exhibent; rece-

pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere; magis quid se dignum foret, quam quid in illis iure fieri posset quaerebant. Hoc idem vobis providendum 7
est, Patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra dignitas, neu magis irae vostrae quam famae consulatis.

ptam scripturam, quam pauciores tuentur, Cortius, coll. Iug. XIV, 21. *quod utinam illum eadem haec simulantem videam*, defensam putat; sed id potius erat demonstrandum, *item* h. l. falsum esse, quod non difficile est ad videndum, iis collatis, quae ad c. XXVII, 2. de hac particula monuimus. *Item* enim, quod praedicata tantum coniungit, non potest non pertinere ad *providendum est;* auctor vero dicere noluit, *nunc quoque providendum esse*, sed *de pari re* atque Rhodiorum et Carthaginensium fuerit, Senatoribus eandem ac maioribus cautionem esse adhibendam. Consultationis igitur *obiectum* a priori non diversum non *item* particula, sed *idem* pronomine significari debebat. Magis est ad rem, quod Cortius monuit, quae sequantur verba *ne plus valeat* cet. ita referri ad praegressa pronomina *hoc idem*, ut, quae his universim enunciata essent, enucleatius et plenius exponerentur, quibus sententiis connectendis commode *nempe* particulam adhiberi posse; cf. locos ab Cortio ad c. XLVIII, 7. laudatos: Iug. XIV, 20. *tantum illud vereor, ne quosdam privata amicitia Iugurthae transvorsos agat.* XXXI, 2. *nam illa quidem piget dicere, his annis quam ludibrio fueritis.* LXXXV, 5. *et illud intellego, Quirites, omnium ora in me conversa esse.* Eundem usum pluribus illustrarunt Car. Beier. ad Cic. Off. III, 31, 112. et Zumptius Gramm. Lat. §. 85, 10. p. 503. — *Vobis* Cortius inconsulte cum Guelf. 3. omisit; nullo enim pacto pronomen abesse potest, quoniam Caesar maiores opponit Patribus Conscr., apud quos verba faciebat.

neu magis irae vostrae quam famae consulatis] *Vostrae* non comparet in Guelf. 11. et Acad., quibus obsecutus est Cortius, scilicet ne pronomen nimis saepe recurreret. — *Consulere rei* de iis tantummodo dicitur, quae auxilio digna sunt, operâ datâ, ne detrimentum capiant; non potest igitur ad *irae* referri, sed per zeugma cogitatione inde assumendum *obsequamini*, quod constructionis genus

8 Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, his utendum censeo,
9 quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum reipublicae miserati sunt; quae belli saevitia esset, quae victis acciderent enumeravere;

haud sane infrequens est; cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. III, 5, 18. Gronov. Obss. IV, 2. Bremius ad Nep. c. 3, 5. Heusing. ad Off. I, 9, 1. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 8, 22. Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 22, 73. et 35, 118. v. et etiam ad §. sequentem. Iug. XIV, 4. *ad vos confugi, quibus c o g o r prius o n e r i, quam u s u i esse.* — §. 8. *Digna poena pro factis* offendit Cortium propter praegressum *dignum* et *dignitas;* sed v. ad c. IX, 4. coll. Ruhnken. ad Ter. Eun. V, 4, 19. Hecyr. II, 1, 12. *Dignus* enim absolute positum, ut c. XXXV, 3. LI, 27. Iustin. VI, 2, 3. *Pro* autem comparationi inservit et quae alterius rei ad alteram relatae ratio sit et modus accuratius indicat. Cf. c. LIX, 1. Moebius ad Caes. B. G. I, 2. Drakenb. ad Liv. XXXVI, 7, 17. Herzogius hac spreta explicatione *pro* ut graecum *ἀντί* dictum putat ratione *mercedis* et *pretii*, coll. Nep. Themist. VIII, 7. *pro meritis gratiam referre.* Nobis indefinite *digna* vocis vis priorem explicationem magis commendare videtur. — *Novum* et h. l. et infra §. 18. non sine aliqua invidia dictum est; significat enim *inusitatum*, *insolens;* cf. Ruhnken. ad Ter. Eun. II, 3, 25. et ad Phorm. V, 7, 79. *novo modo facere contumeliam.* Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 1, 1. *iniuriam novo scelere conflatam.* Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. XI, 21, med. Hand. ad Gronovii diatr. in Stat. I. p. 76. Eodem sensu Tacitus *novitatem* de ingenti clade dicit, Annall. II, 24, init. — *His* cum Gerlachio optimorum codd. auctoritate exhibuimus; v. ad c. II, 4. Vulgo *iis* scribitur.

§. 9. *sententias*] Vatic. A. *sententiam;* sed pluralis numeri rationem explicavimus ad c. L, 3. — *Composite atque magnifice* Gerlachius refert ad concinnitatem orationis, in apta verborum iunctura et numeris positam, et ad ornatum orationis, qui in sententiarum luminibus versatur. De priore non assentior. *Composite* enim non de verborum numeris intelligendum, sed de argumenti tractatione

rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quae victoribus collibuissent, fana atque domos exspoliari, caedem, incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortalis! quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos coniurationi faceret? Scilicet quem res tanta

ita instituta, ut nihil quod ad rem pertineat omissum, nihil alieni admixtum, omniaque disposite et ordine dicta sint, quod satis commode vernaculo *wohlberechnet* exprimitur. Cf. c. LII, 13. *bene et composite C. Caesar de vita et morte disseruit.* Iug. LXXXV, 26. et 31. Cic. de Or. I, 15, 64. *is orator erit, qui prudenter et composite et ornate dicat.* — *Magnifice* ad eam orationem spectat, qua res verbis augentur; Liv. XXI, 41, 1. *non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi caussa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse.* — *Casum* i. e. calamitatem, miserias; v. ad c. XXXV, 4. — *Esset*, cuius loco in Bas. 3. legitur *foret*, in uno Wassii *est*, in Tur. 2. *essent*, a Cortio deletum est. Probavit Gerlach. in Commentt. p. 131. cum Bipontinis, qui *saevitia* ablativo positum volunt, hoc sensu: quae per belli civilis saevitiam, et, finito illo, victoriae iure victis acciderent. Sed Langius recte monuit, hanc rationem nimis implicatam esse, et ablativum ita tantum ferri posse, si alterum *quae* absit. — *Enumeravere* Cortius bene vidit de proxime praegressis tantum proprie intelligi posse, ad *saevitiam* vero per zeugma alio sensu cogitandum esse, et conferre iubet Iug. XIV, 9. *semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur?* XLII, 4. *mortalis multos ferro aut fuga exstinxit.* Nep. Eumen. VIII, 2. *phalanx non parere se ducibus, sed imperare postulabat*, ubi v. Bremius. — *Parentum* omnes libri constanter tenent, praeter unum Bas. 3., in quo est *parentium*, quod Cortius recepit. Eam formam sine codd. praesidio non admittendam esse libenter concedimus Herzogio; sed non prorsus esse damnandam recte observavit Drakenborch. ad Liv. I, 9, 15. et Conr. Leop. Schneiderus Gramm. Lat. II, 1. p. 247. — Pro *matres familiarum* Guelf. 12. *m. familias;* v. ad c. XLIII, 2. — *Postremo* comprehendendi vi positum, de qua diximus ad c. XIV, 6.

§. 10. *an, uti vos*] Ellipticum *an* particulae usum, secundum

atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet.
11 Non ita est, neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo
12 habuere. Sed alia aliis licentia est, Patres con-

quem antegressa sententia cogitatione repeti debet, illustravit Goerenz. ad Acadd. I, 3, 10. *quid enim caussae est, cur poetas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an, quia delectat Ennius* cet. i. e. *an hoc caussae est, quia* etc. Ita nostro loco sententia plenior foret: *an eo pertinuit.* Cf. infra §. 21 sq. *sed quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadvorteretur? an, quia lex Porcia vetat?* Adde Cic. Tusc. III, 1, 1. et de Finn. II, 15, 50. ubi v. Goerenz., qui tamen ad Acadd. l. l. perperam huc trahit p. Arch. p. 12, 30.; quippe ibi *an* non pertinet ad sententiam ex antecedentibus supplendam, sed ad verba sequentia *consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem non multo malle debemus?*

tanta atque tam atrox] Pro *atque* codd. Fabr. 1. 2. Bas. 1. 2. 3. 4. Acc. Ecc. Struv. Vin. 2. Rem. 1. Heus. plures Guelff. Bern. 3. et 2. m. pr. exhibent *et*, in tali sententiarum nexu minus probum. *Atque* enim duobus vocabulis vel enunciationibus coniungendis adhibetur, quarum posterior priori est gravior, illamque quasi gradatione auget, quae intensiva particulae vis plerumque *et adeo* valet; cf. Goerenz. ad Cic. de Legg. III, 14, 32. *pauci enim, atque admodum pauci.* id. ad Acadd. II, 11, 36. *quo obscuro atque oppresso (sc. veritatis insigni) quod tandem sibi verum videbuntur attingere?* Tusc. V, 15, 45. *hebeti ingenio atque nullo.* Adi etiam Aug. Matthiam ad Cic. p. l. Man. c. 18, 54. et ad or. in Catil. II, 12, 27. Car. Beier. ad Off. I, 10, 33. II, 2, 6. Bremium ad Nep. Hannib. c. 2, 4. Scribas autem, huius usus ignaros, saepenumero *atque* in *et* mutasse observavit Goerenzius ad Cic. de Finn. V, 24, 69. coll. Heusing. ad Off. I, 34, 11. — Pro *accendet* Vin. 1. Guelf. 3. Struv. Heuss. Rem. 1. Sen. 2. *accenderet*, quae interpolatio inde orta est, quod scribae *permovit* pro praeterito aoristo habuerunt, quum sit praesens actionis perfectae, Graecorum perfecto respondens, cui recte subiicitur futurum, quum de re praesenti et de eius mutatione futura et eventu agatur. *Accenderet* vero, quod per se patet, rem enunciat, quae praeterlapso tempore eventum non habere potuerit, quod minus grave est, quam si Caesarem de re etiamtum praesenti dicere statuimus; cf. Drakenborch. ad Liv. V, 51, 3.

scripti. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt; qui magno imperio praediti in excelso aetatem habent, eorum facta

§. 11. *non ita est*] Müllerus ex uno Guelf. 7. scripsit *non est ita;* sensus mutato ordine ita mutari videtur, ut hoc germanice sit *dem i s t nicht so*, vulgata vero significet *dem ist n i c h t so*. neque est, quod hanc omnium codd. scripturam deseramus. — *Iniuriae suae*, passivo sensu, *ipsi illatae*. De usu pronominis possessivi loco genitivi obiectivi v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 73, 1, 2. p. 328. Ruhnken. ad Ter. Heaut. II, 3, 66. *desiderio tuo*, pro *tui*, et ad Phorm. V, 8, 27. *negligentia tua* i. e. *tui*. Sanct. Minerv. II, 13. p. 330 sq. Ed. B. Ruddimann. Institt. Gramm. T. II. p. 50. — *Habuere* aeque ac praegressum *videntur* sententiam generalem exprimit, idemque valet ac *habere solent;* de hoc usu perfecti historico cum Graecorum aoristo communi v. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 164. III. 6. b. p. 401. Noster Cat. XI, 3. *avaritia pecuniae studium habet*, *quam nemo sapiens c o n c u p i v i t*. Cic. de Finn. I, 15, 49. *ob debilitatem animi multi parentes*, *multi amicos*, *nonnulli patriam*, *plerique autem se ipsos penitus p e r d i d e r u n t*, ubi v. Goerenz. Car. Beier. ad Off. I, 44, 155. *illi — ab augendis hominum utilitatibus non r e c e s s e r u n t*. Hertel. ad Tac. Agric. c. 9, extr. *haud semper errat fama; aliquando et e l e g i t*. Id. Anall. III, 66, extr. *festinatio multos, etiam bonos pessum d e d i t, qui praematura vel cum exitio p r o p e r a n t*. Plura ex poetis congessit Iahnius ad Horat. Od. III, 23, 19. et ad Virg. Georg. I, 287. coll. Hermanno de em. rat. Gr. Gr. p. 188. et ad Viger. p. 746. Ed. 2.

§. 12. *alia aliis licentia est*] Undeviginti codd. inverso ordine exhibent *aliis alia*, quod Gerlachius aurium tantum iudicio deterius iudicat. Nos vulgatam praetulimus, quia praestantissimorum codd. auctoritate nititur, velut Bas. 1. Fabr. 1. Guelf. 5. Leid. L. Commel. Naz., quibuscum longe plurimi consentiunt. Praeterea hic verborum ordo dicendi usu commendatur, siquidem Car. Beierus ad Cic. Off. I, 7, 22. recte observavit, geminata *alius* voce subiectum obiecto praemitti. — *Est* non legitur in Fabr. 2. cuius auctoritate Cortius eiecit; nobis cum Gerlachio relicuorum omnium consensus potior videtur. — *Demissi* h. l. sunt humili sorte et vitae condicione utentes; diversae tamen significationis est locus Ciceronis a Cortio laudatus, p. L. Mur. c. 40, 87. *sit demissis hominibus per-*

13 cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque studere, neque odisse,
14 sed minume irasci decet; quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas

fugium; ibi enim *demissus* significat modestum, nemini adversantem et non nimis magna affectantem, ut addita vocabula *modestiae* et *pudoris* docent. — *Habent* in paucioribus quidem, sed probatis libris exstat, in Naz. Commel. Palat. 5. 6. 12. Bas. 1. 3. Tur. 1. Paris. A. B. C. et Leid. I. pro var. lect. in duobus Wassii et octo Cortii; quod relicui tenent *agunt* haud dubie interpretamentum est *habere* verbi, de quo v. ad c. IV, 1. — *Eorum*, quod in Vim. 1. Fabr. 1. Guelf. 9. Teg. Flor. 1. Berol. 2. abest, Cortius delevit, Bipontinis et Müllero obsequentibus. Sed nisi additur, vix fieri potest, quin *pares* ad *demissi* referatur, *fama* vero et *fortuna* ablativo casu ad *pares* trahatur. — *Imperio traditi;* Cortius comparavit Iustin. XLI, 4. *duarum civitatium imperio praeditus.* Tacit. Ann. XVI, 22, init. *quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum.* Cic. Epp. ad. Attic. VIII, 3. Plerumque enim *praeditus* de iis dicitur, quae naturâ in rebus aut hominibus insunt; latiore tamen usu etiam de iis, quae extrinsecus accedunt sive quae parantur, usurpatur. Utrumque coniunxit Cicero in Lael. c. 15, 51. *ut ii, qui opibus et copiis, maximeque virtute praediti minime alterius indigeant.*

§. 13. *sed minume irasci decet*] Novo modo Herzogius *minume* ad *irasci* refert; vult enim haec verba non negativum sensum ut antecedentia habere, sed aientem sententiam efficere, quae praecedenti opponatur. Sed quae affert exempla Iug. XXXI, 10. et 27. ne ullam quidem cum nostro loco similitudinem habent, cuius rationem V. D. non assecutus videtur. In promptu est enim, omnes enunciationis partes esse negativas, ita tamen, ut sententiae vis gradatione facta in tertiam vergat; nam quia Caesar statim subiicit *quae apud alios* *i r a c u n d i a* *dicitur* etc., quae verba caussali nexu cum antegressis cohaerere diximus ad §. 2., luce clarius est, hanc sententiam praecessisse: *o m n i u m* *m a x i m e* *ira* *v i t a n d a* *est*, i. e. *minume decet irasci.* Huic autem sententiae minime obest *sed* particula, pro qua Herzogius *vero* dicendum fuisse contendit, falso putans, tantummodo contrarias res illa vocula componi. Nam praeter hunc usum, de quo v. Ramshornii Gramm. Lat. §. 181. B. I. p. 534., *sed* etiam ponitur, ubi ex sententia latius patente in

appellatur. Equidem ego sic existumo, Patres conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti

angustiorem magisque circumscriptam transitur, ut recte docuit Ramshorn. l. l. p. 538. Quod quum etiam de gradatione valeat, non dubium est, quin Herzogii explicatio ferri nequeat. Sensus autem simplicior hic est: *et studere, et odisse dedecet; sed multo minus decet irasci, quia iracundia in imperio crudelitas appellatur.*

§. 14. *quae apud alios*] Guelf. 5. *quod ap. al.* Sed pronomen, quod rem universe complectitur, legitime per attractionem sequentis substantivi genus sequitur; cf. c. XX, 4. *idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* Iug. XXXI, 15. *sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est.* cf. Ruddimann. Institt. Gramm. T. II. p. 20 sq. — *Ea*, quod non sine vi additum est, in Rem. 1. et Fabr. 2. non legitur, quorum auctoritate Cortius omisit. — *In imperio*, quod opponitur antegressis *apud alios*, Cortio dictum videtur pro *imperantibus*; quominus tamen propria potestate intelligatur, nihil obstat, quum saepissime personae rebus vel opponantur, vel cum iis comparentur; cf. Iug. LXXXV, 13. *comparate nunc cum illorum superbia me hominem novum*, ubi v. Cort. Vell. II, 6, 1. *qui Tib. Gracchum, idem Caium occupavit furor, tam virtutibus eius (Tiberii) omnibus, quam huic errori similem.* ib. II, 9, 2. Liv. XXVII, 25, 1. *plerisque aequantibus T a r e n t i n o s Campanorum n o x a e p o e n a e q u e.* Plurima contulit Fr. Heusinger. ad Off. I, 22, 7. *licet eadem de Pausania et Lysandro dicere, — qui minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt*, ubi v. etiam Car. Beier., Ruhnk. ad Vell. I, 12. Bremius ad Nep. Chabr. c. 3, 4. et Möbius ad Caes. B. G. III, 14.

§. 15. *existumo*] Ita plerique omnes libri, etiam Vatic. A. et Priscian. XVI, 2. p. 645. Kr.; sed Bas. 1. 2. Guelf. 2. 5. *aestumo*, quod Cortio praeeunte plurimi, etiam Gerlachius, receperunt. Nos cur *existumo* praetulerimus patet ex notatis ad c. VIII, 2. — *In hominibus impiis;* v. ad h. c. §. 35. — *Certo scio* unus cod. Struv. exhibet, reliqui omnes *certe scio*. Nihilominus non dubitavi *certo* probare, quamquam vulgata multis, etiam Zumptio in Gramm. Lat. §. 62, 4, 1. p. 227., non sollicitanda videtur. Alia est enim res, si integra enunciatio, alia, si solum *verbum* addita particula confirmatur; inter utrumque autem dicendi modum ita distinxerunt

de poena disserunt, si ea paullo severior fuit.
16 D. Silanum virum fortem atque strenuum certo scio quae dixerit studio reipublicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere;
17 eos mores, eam modestiam viri cognovi; verum sententia eius mihi non crudelis, (quid enim in ta-

Latini, ut *certe* in priore (cf. Iug. IV, 3. Cic. de Off. I, 39, 138.), *certo* in posteriore constructione adhiberent, quippe ubi gravior quaedam in confirmando vis quaeratur; v. Herzog. ad Caes. B. G. VI, 31. qui bene de harum particularum usu disseruit. Codd. tamen saepenumero minus recte alteram formam praebent. — *Exercere*, quod, ut monitum est ad c. XLIX, 1., proprie ad *inimicitias* tantum pertinet, ad *gratiam* per zeugma referendum est; cf. ad §. 8. et 9. Fragm. Historr. I. n. 19, 2. *nisi forte cui pacem praestare et bellum pati c o n s i l i u m e s t;* unde ad *praestare* refer *videtur*; cf. Hertel. ad Tac. Agr. c. 3.

§. 16. *eam*] Ita sine copula Inc. 2. Struv. Guelf. 12. et nonnulli alii exhibent; plurimi vero *eamque* tenent, quod a Cortio reiectum Gerlachius minus bene rursus in textum recepit, postea tamen iudicio in Commentt. p. 132. mutato, ubi Cortio assentitur. Copulâ enim illatâ perit omnis vis, pronominis anaphorâ orationi conciliata, quod Cortius recte sensit, collatis his: Cat. VII, 6. *eas divitias, eam bonam famam putabant.* Iug. LXXXV, 3. *hae sunt meae imagines, haec nobilitas.* Tacit. Historr. IV, 42, extr. *non timemus Vespasianum; ea principis aetas, ea moderatio.* Copulam non a Sallustio esse inde quoque patet, quod in cod. Erl. legitur *atque eam mod.* in Leid. II. vero *atque modest.*, quae sunt librariorum asyndeton aegre ferentium.

§. 17. *eius*] *Eius* post *sententia* Cortius ex Guelf. 2. Ecc. et Vin. 2. male omisit. — *Mihi non crudelis* vulgatus est verborum ordo, iam a Gerlachio restitutus; Cortius enim ex paucissimis codd. *non mihi crudelis* invexerat, quod reliqui editores bona fide amplexi sunt, Frotschero quoque probante in Epist. Crit., Meyeri editioni *Oratoris* Ciceroniani praemissa, p. XIII., quia acrior negationis vis cernatur, interposito minoris ponderis vocabulo. Sed oppositionis ratio talis est, ut non Caesaris iudicium alius iudicio opponatur, sed ut duae eiusdem sententiae inter se conferantur, quarum quae negatur non potest non negationem ante se positam

lis homines crudele fieri potest?) sed aliena a re-
publica nostra videtur. Nam profecto aut metus 18
aut iniuria te subegit, Silane, Consulem designatum,
genus poenae novum decernere. De timore super- 19
vacaneum est disserere, quum praesertim diligentia
clarissumi viri, Consulis, tanta praesidia sint in ar-

habere; cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 173, 2. p. 485. Pari modo infra §. 22. peccatum est, ubi inde a Cortio perverse editur *animam non eripi*, quasi verbo *eripi* alterum, quod pariter ad *animam* pertineat, opponatur, quum potius verbis *animam eripi* coniunctis opponatur *exilium permitti*. Recte ibi Gerlachius *non animam eripi* codicum fere omnium auctoritate revocavit. — *Novum*, v. ad §. 8.

§. 18. *aut iniuria*] Müllerus interpretatur *negligentia iuris*, quod Herzogius recte dicit, et ab dicendi usu abhorrere, et sententiam Silano contumeliosam continere. Ad hoc oppositionis ratio, callida argumentandi arte instituta, prorsus perit. Caesar enim ut Silanum perperam iudicasse demonstret, hoc dilemmate utitur: aut nimis magna opinio de rei periculo (i. e. *metus*), aut res ipsa (i. e. iniuria, sive *sceleris gravitas*) te subegit; sed neque erat, quod timeres, (cf. §. 19.) eoque tantis poenis non opus erat, et si non timebas, sed rei ipsius atrocitate permotus sententiam tulisti, non satis graves poenas constituisti, (cf. §. 21 sq.) ergo tua sententia non talis est, quae probetur.

§. 19. *quum praesertim*] Revocavimus antiquam lectionem, omnibus codd. etiam Vatic. A. firmatam, praeter Bas. 1. et cod. vet. Putschii, in quibus est *quum praesenti*, quod Cortio omnibusque editoribus adeo placuit, ut in textum reciperent. Sed primum aliquantum apud nos valet tantus codd. consensus; tum *praesens* ea potestate, qua volunt intppr., ut sit i. q. adiuvans, efficax, otiose additur vocabulo *diligentiae*, quamquam cum aliis substantivis coniunctum haud raro ista significatione legitur, cf. Drakenb. ad Liv. I, 12, 6. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 41. Ruhnken. ad Ter. Phorm. II, 2, 31. Lambin. ad Hor. Od. I, 35, 2. Scheller. in Lex. ampl. p. 8371.; temporis autem significatione mirum quantum languidum foret; denique, quod gravissimum est, sententia exsistit Silano valde ignominiosa, siquidem Caesar caussam, cur illi non timendum fuerit, neutiquam in illius virtute, sed tantummodo in Consulis diligentia positam dicat, quod in ignavum potius cadit,

20 mis. **De poena possumus equidem dicere, id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse, eam cuncta mor-**

quam in eum, quem paullo ante virum fortem atque strenuum appellasset. Contra est, si *praesertim* scribitur; tum verba antecedentia hunc sensum habent: de timore dicere nolo, *quia tu ab omni timore alienissimus es; quo accedit hoc*, quod Consulis diligentia effectum est, ut nemini, ne timidiori quidem timendum sit; igitur timor te non subegit. Quod quam conveniens sit sententiarum nexui, nemo, opinor, erit quin videat. *Quum praesertim* autem, quo ad caussam aliquam vel diserte memoratam vel cogitatam (v. Beier. ad Off. II, 16, 56, extr.) alia quaedam cum vi adiungitur, non minus probum est quam vulgatius *praesertim quum*; cf. Iug. II, 4. III, 2. Cic. de N. D. I, 10, 26. Kraft. ad Mureti Epp. p. 254. Nolten. Lex. Antibarb. p. 1712.

§. 20. *possumus equidem*] Ita codd. Palatt. Guelf. 5. 6. Bas. 3. Leidd. D. E. M. N. et alii pauci; Erl. vero exhibet *quidem possumus;* Tur. 1. Bern. 1. *equidem possumus;* relicui fere omnes, etiam Vatic. A., *possum equidem;* quippe scribis *equidem*, cum alia atque prima singularis persona iunctum, non minus offensionis quam interpretibus exhibuit. Prorsus enim damnant Fr. Heusing. ad Off. I, 6, 7. et Mich. Heusing. ad I, 12, 1. et in Obss. antibb. p. 403. Dan. Wyttenb. ad Cic. de N. D. III, 6. p. 779. Ed. Creuzer. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 1, 1. Accuratius vero ad usum particulae attendentem fugere nequit, duplici eam modo poni, aut ita, ut primae singularis numeri personae vere apposita eius vim augeat, aut ita, ut sola integrae enunciationis, relicuae orationi intericctae, vicem sustineat, nulla proximi verbi personae ratione habita, ut sensus fere sit: *mea quidem sententia, sive, ut ego quidem arbitror.* Cf. LII, 11. *iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus.* ibid. §. 16. *quare vanum equidem hoc consilium est.* LVIII, 4. *scitis equidem milites, socordia Lentuli quantam ipsi cladem attulerit.* Liv. V, 51, 4. *equidem, si nobis cum urbe simul positae traditaeque per manus religiones nullae essent, tamen tam evidens numen rebus affuit Romanis, ut* etc. Propert. II, 23, 5. *hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso.* Alterius generis sunt haec: Sall. Catil. LI, 15. *equidem ego sic existumo.* Iug. X, 6. *equidem ego vobis regnum trado.* LXXXV, 26. *equidem ego non ignoro.* Ter. Phorm. V, 3, 24. *equidem hercle nescio.* Heaut. V, 1, 24. *equi-*

talium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed, per deos immortalis! 21
quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius

dem miror. Andr. IV, 1, 35. *scio equidem ducturum esse te.* Plura dabit Schellerus in Lex. Ampl. p. 3356., in eo tamen falsus, quod *equidem* negat diversum esse a simplici *quidem*, neque concedit, ex *ego quidem* compositum esse. Sed particulae origo multos iam torsit; quum enim iam Servius ad Virg. Georg. I, 193. verum vidisset, Priscianus contra, XVI, 2, 14. p. 644. Kr., *equidem* simplicem esse vocem contendit, quem Vossius de Anal. IV, 27. p. 276. secutus est. Tum Cortius ad Catil. LI, 15. *et quidem* veram originem putavit, Drakenborchius vero ad Liv. V, 54, 3. *e* intensivum *quidem* particulae additum iudicat, ut in *edurus*, *egelidus*, *ecastor*, quam sententiam etiam Ramshornius Gramm. Lat. §. 191, II, 1. not. 3. a. p. 597. amplexus est. Quid vero Müllerus, qui nuper ad Cic. p. Sext. 57, 122. p. 155. huius particulae vim illustrasse sibi visus est, de origine statuat, non licet ex longa illa, sed parum subtili annotatione perspicere. Haec indicasse sufficiat; singula refellere non opus videtur, quia, particulae significatione duplici declarata, luce clarius est, *equidem* ex *ego quidem* esse conflatum; ubique enim *quidem* ad primam singularis numeri personam spectat, sive positam, sive cogitatione supplendam, neque obstat, quod interdum *ego* additur; in promptu est enim, singularem addito pronomine vim orationi conciliari, ubi *equidem* non sufficere videretur. Aliorum explicationibus hoc quoque vel maxime obstat, quod plerisque locis, ubi *equidem* legitur, neque simplex *quidem*, neque *et quidem*, neque *e quidem* tum ob significationem, tum ob verborum ordinem ferri posset, unde consectarium est, etiam *equidem*, si harum vocum vim haberet, id quod illi volunt, locum habere non posse.

id quod res habet] Vitiose in omnibus edd. interpungitur post *id*, ut pronomen a verbo *dicere* pendeat; sed *id quod* coniungendum esse ostendemus ad Iug. LVI, 1. — *Habet* Cortius bene exposuit: quod cum re ipsa coniunctum est, quod in re est, refutata Prisciani sententia, qui XVIII, 25, 240. p. 222. Kr. *habere* ut graecum ἔχειν pro *esse* positum censet. V. notata ad c. XI, 3. — Pro *ultra* Struv. habet *ultra quam*, Guelf. 6. *ultra eam*, ex interpolatione. Cave tamen, tale quid supplendum esse credas; *ultra* enim adverbialiter positum sine casu accipiendum est.

§. 21. *in sententiam*] Guelf. 5. Vatic. A. Leid. M. et Struv.

22 verberibus in eos animadvorteretur? An, quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iu-

in sententia, sed vulgata proba est. Accusativus enim cum *in* praepositione sententiam non ut iam factam et absolutam proponit, sed ut talem, quae adhuc ferretur; sensus igitur est: cur, ut sententiam meliorem et pleniorem faceres, non addidisti? *In sententia* non ad ipsum sententiae ferendae tempus, sed ad illud, quo iam dicta et declarata esset, pertineret, eodem fere utriusque casus discrimine, quod est in dictione *referre in numerum*, *codicem*, alia, et *referre in numero*, etc., de quo structurae genere bene exposuit Goerenz. ad Cic. de Finn. V, 30, 92. et ad orat. in Catil. II, 2, 4. Gerlachius Vol. II. P. I. p. 132. ablativum propterea accusativo, quem in textu exhibuit, praestare dicit, quod non alienam sententiam Silanus defendat, sed ipse primus ita censuerit.

§. 22. *an*, *quia*] De *an* particula elliptice posita v. ad §. 10. — Legitimum ordinem verborum *non animam eripi*, pro quo nonnulli cum Cortio scripserunt *animum non eripi*, vindicavimus ad §. 17. — De *lege Porcia* v. Liv. X, 9, 4. *Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit*, ubi cf. Duker. Cic. in Verr. V, 63, 162. Ernesti in Clav. Cic. — *Sed exilium* probatissimi tenent libri; sed quinque Gruteri, novem Cortii, praeterea Teg. et Tur. 1. m. sec. cum octo ex Italicis exhibent *sed in exilium*, quod Cortius in textum recepit, *permittere* capiens pro *mittere*, non reputans, isto sensu tantummodo de equis et equitatu dici, ut Drakenborch. ad Liv. III, 70, 9. accurate demonstravit. Vulgatam vero eam ob caussam negat ferri posse, quod, quibus aqua et igni interdictum, et exilium poenae nomine irrogatum sit, potius *in exilium pelli*, *agi*, *exigi* dicantur, quam *permitti iis exilium*. Sed *permittere*, quod est gratiae quasi et clementiae atque humanitatis, de industria a Caesare adhibetur, scilicet ut leniore hoc vocabulo opposita verba *animam eripere* maiorem atrocitatem et invidiam habeant. Praeterea notandum, zeugma h. l. haberi, haud dubie concinnitatis studio ortum; quippe *iubent* proprie ad *eripi* tantum pertinet, sensu simpliciore hoc: aliae leges civibus non animam eripi iubent, sed exilium permittunt, quomodo infra locutus est §. 40. *quibus legibus exilium damnatis permissum*. Denique in promptu est, interpolationem inde ortam, quod librarii aeque ac

bent. An, quia gravius est verberari quam necari? 23
Quid autem acerbum aut nimis grave in homines
tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est? Qui 24

Cortius in verbo *permitti* haeserunt, vario modo sensui succurrentes; nam Fabr. 2. habet *exilio permitti*, Inc. 2. vero *in exilium mitti*, superscripto *permitti*.

§. 23. *nimis grave*] Cortius ex Fabric. 2. edidit *grave nimis*, quod iam damnavimus ad c. XXXIII, 3. — Plurimi libri post grave addunt *est*, quod tamen in Guelf. 3. et Incert. 2. locum mutat et in Leid. K. deest, ut Gerlachius recte eiecisse videatur, quum praesertim in generalibus interrogationibus *esse* verbi ellipsis dicendi usu recepta sit; cf. Cic. Lael. c. 6, 22. *quid dulcius, quam habere quicum omnia audeas loqui?* ibid. c. 15, 55. *quid autem stultius, quam — amicos non parare?* ib. c. 14, 49. *quid enim tam absurdum, quam delectari inanibus rebus?* Goerenz. ad Finn. IV, 28, 78. *quid enim tam repugnans, quam* etc. ib. II, 15, 50. *quid turpius, quam* etc. III, 9, 31. Plura attulit Carol. Beierus ad Cic. Off. II, 2, 7. III, 13, 55. v. etiam Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 314.

§. 24. *sin*] Paullo liberius haec particula posita videri possit, siquidem semper ad praegressum *si*, vel positum, vel cogitatione supplendum, spectare debet, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 67, 4. p. 279. Ramshorn. p. 591. Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 306. Goerenz. in Iahnii Anall. Philol. et Paedag. I, 2. p. 323. cf. hoc ipso capite §. 8. c. LII, 16. Iug. I, 4. VIII, 2. X, 6. XXXI, 19. XXXIII, 4. L, 6.; sed h. l. praegressa interrogatio sensu non est diversa ab enunciatione condicionali, qua Sallustius propterea non usus est, quod in fervidiore oratione, quae prior dilemmatis pars esse debebat, eam alteram quasi partem antecedentis enunciationis fecit. — *Est* post *levius* omnes libri tenent, praeter Leid. K. et Fabr. 2. cui sec. m. adiecit. Eius auctoritate Cortius delevit, quem plurimi secuti sunt. Sed librarii praegressa enunciatione decepti fuisse videntur, cuius alia ratio est. — Pro *qui convenit* codd. satis boni, ut Bas. 1. Fabr. 1. et nonnulli alii, *quid convenit*, ex aperta interpolatione, scribis antiquum ablativum ignorantibus. Eum a *qui* pronomine ducunt Zumptius Gramm. Lat. §. 35. p. 115. et Ramshornius Gramm. Lat. §. 174, 1. not. 4. p. 495. Cortius vero ad h. l. nominativum *quis* esse dicit, quam rationem etiam Iahnius ad Virg. Aen. XI, 822. sequitur, hanc interrogativi formam usu

convenit in minore negotio legem timere, quum
25 eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehen-
det, quod in parricidas reipublicae decretum erit?
Tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus mo-
26 deratur. Illis merito accidet, quicquid evenerit;

censens etiam ad relativum esse translatam, quod haud sane improbabile videtur.

§. 25. *At enim*] His particulis utuntur, qui aliorum orationem occupant, eique occurrunt. Cic. p. l. Man. c. 17, 51. Tursell. de Partt. c. XXVIII. p. 183. Notandum autem, elliptice has particulas poni; nam *enim* particula spectat ad omissam sententiam *dixerit aliquis*; v. Car. Beier. ad Off. III, 20, 79. coll. ad I, 40, 144. — *Parricidas reipublicae*, i. e. hostes reipbl., perduelles. Cic. de Legg. II, 9, 22. *sacrum sacroque commendatum qui clepserit rapseritque parricida esto.* in Vatin. c. 15, 35. *esne igitur patriae certissimus parricida?* V. quae notavimus ad c. XXXI, 8. coll. Car. Beier. ad Cic. de Off. III, 21, 83. et Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 126. — *Tempus, dies*, non per abundantiam, ut saepe fit, coniuncta videntur, sed ita, ut gradatio insit; quum enim tempus latius pateat quam dies, quippe quae, etiam si non proprio sensu intelligatur, particula tantum temporis sit, nexus particulis positis hic est: *tempus adeoque dies ac fortuna*; cf. Liv. XXII, 39, 12.

§. 26. *accidet*] Hoc, quod plurimi libri tenent, cum Gerlachio reposuimus; Cortius enim ex Vim. 1. Fabr. 1. Senat. 2. Guelf. 1. 4. 5. 6., quibus postea Vat. 3. 5. 6. et Berol. 3. 4. accessere, *accidit* amplexus est, praesens eleganter pro futuro positum autumans. Sed quem in eam rem laudat Gronovium ad Liv. II, 5, 1. de singulari quodam agit *infinitivi praes.* usu, pro futuri infinitivo positi, quae res huc non pertinet; neque afferendus erat locus ex libidine ab ipso mutatus, Catil. LVIII, 10. *sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient;* ibi enim Fabric. 1. et Teg. *fiunt* exhibent, quod Cortius nostro loco collato verum esse probare vult. Quodsi tamen *accidit* retinere velis, pro perfecto habendum est, nam praesens ad futurum exactum relatum soloecum est. Sed futurum simplex, quod codicibus optimis plurimisque firmatur, legitime cum futuro exacto coniungitur, ubi alteram rem finitam altera post aliquod tempus vel statim subsequitur: quae sunt verba Aug. Matthiae, in excursu ad Cic. or. in Catil. IV, 6, 11. p. 237-244. egregie de horum temporum usu disputantis. — *In*

ceterum vos, Patres conscripti, quid in aliis statuatis considerate. Omnia mala exempla ex bonis 27
orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur.

aliis solus praebet Struv.; sed quum hic ablativus saepissime a scribis oblitteratus sit, vel unius codicis auctoritas non temere spernenda videtur. v. ad c. IX, 2.

§. 27. *ex bonis*] Edd. Gruteri, Wassii et Havercampii *ex rebus domesticis;* sed locum foede interpolatum Cortius bene restituit, receptâ Guelferbitani 11. Fabr. 1. in marg. et trium Palatt. scripturâ, quam in textu expressimus. In relicuis libris varia a scribis addita sunt, *exemplis* supplendum esse nescientibus: alii enim habent *ex bonis initiis*, alii, iique plurimi, *ex rebus bonis*, alii *ex bonis rebús*, alii *bonis ex rebus domesticis*, alii denique *ex rebus domesticis*, quae varietates Dahlium satis monere poterant, a Sallustio nullum substantivum esse additum. — *Exemplum* Herzogius sine genitivo, quo accuratius definiatur, positum ubique censet *poenam irrogatam* vel *inflictam* significare; sed hoc nemo concedet in vocabulo ipso inesse, quod in universum est facinus aliquod sive factum conspicuum, quod alii intueantur, ut vel imitentur, vel vitent. Quare sententiarum tantum nexu eam potestatem accipere potest, quam ille vocabulo propriam putat, velut Tacit. Ann. VI, 10, extr. XIV, 44, extr. Neque aliud docent notae Ruhnkenii ad Ter. Eun. V, 4, 21. et Drakenb. ad Liv. XXIX, 27, 4. *facere* vel *edere exempla in aliquem* esse *gravi poena aliquem afficere;* quippe *in* praepositio luce clarius docet, quo sensu *exemplum* dictum sit. Quocirca, quum Caesar a *generali* sententia ad singulas res descendat, mihi certum est, *exemplum* vulgari eademque indefinita vi esse capiendum. — Post *ignaros* plurimi libri addunt *cives;* inepte; cf. c. II, 6. — *Exemplum* uncinis, quos Cortius circumdederat, liberavimus; praeter Guelf. enim 5. et 6. omnes codd. agnoscunt. — *Dignis* sc. poena, *et idoneis* sc. qui ea afficerentur; *idoneus* enim h. l. non multum differt a *dignus*, quod etiam vidit Carol. Beier. ad Cic. de Off. II, 15, 54. Tamen *idoneus* paullo insolentius dictum videtur, quum proprie eum significet, qui aliquam rem *facere*, *suscipere*, *peragere*, non qui *aliquid pati possit;* cf. Kraft. ad Mureti Oratt. p. 276.

28 Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros
29 imposuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi
primo coepere pessumum quemque et omnibus
invisum indemnatum necare; ea populus laetari et
30 merito dicere fieri. Post, ubi paullatim licentia
crevit, iuxta bonos et malos lubidinose interficere,
31 ceteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa
32 stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostra memo-
ria victor Sulla quum Damasippum et alios huius-

§. 28. *devictis Atheniensibus*] Interpunctionem, qua haec verba in omnibus codd. circumscribuntur, sustulimus; non enim sunt ablativi absoll., ut visum interpretibus, sed dativi a verbo *imposuerunt* apti. Quod quamquam absolute poni potest, ut plura cognatae significationis vocabula, (cf. Tacit. Ann. II, 3, extr. *iussu Augusti impositus Artavasdes.* VI, 11, init. *ferunt ab Romulo Dentrem, — ab Tarq. Superbo Spur. Lucretium impositos.* ibid. statim post: *quotiens ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet.* II, 43, init. *praefecerat Cn. Pisonem.* v. O. M. Müller. ad Cic. p. Sext. 17, 40. 18, 41, extr. in Verr. III, 77, 180. p. l. Man. 24, 69.), nostra tamen ratio et multo simplicior est, et ad tyrannidem Lacedaemoniorum significandam multo gravior. — *Eorum*, quod in Struv. Guelf. 6. et Berol. 3. non legitur, Cortius abesse malit; sed propterea positum est, quod illi triginta viri non suam, sed alienam rempublicam tractabant. Dictione eadem utitur Iug. XLI, 2.

§. 29-32. *ea populus laetari*] Guelf. 7. Acad. Bas. 3. *ea re p. l.;* Guelf. 11. *ea facta*; Inc. *ea propter*; Senat. 2. Heus. *eo*, constructionis ignorantia; cf. Ruddimann. Institt. Gramm. T. II. p. 121. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 132, 2. p. 233. et annotata ad c. XXXI, 3. Cic. Epp. ad Famm. VII, 1, in. *utrumque laetor.* Iug. XIV, 22. *laetandum magis quam dolendum puto casum tuum.* v. Herzog. ad Caes. B. G. I, 32. — *Iuxta bonos et malos*, v. ad c. II, 8. — *Damasippus* praetor fuit urbanus, Marii partibus addictus, et in Sullanos saeviens; cf. Fragm. Historr. I, 19, 7. Valer. Max. IX, 2. Vell. Pat. II, 26, 2. ubi Ruhnkenius laudat Duker. ad Flor. III, 21, 20. et ad Liv. Epit. LXXXVI. — *Huiusmodi* Cortius recte recepit, quo res magis praesens cogitatur; v. ad

modi, qui malo reipublicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res 33
magnae initium cladis fuit; nam uti quisque domum aut villam, postremo aut vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, uti is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi 34
mors laetitia fuerat, paullo post ipsi trahebantur,

L, 3. In Edd. Gruteri, Wassii et Haverkamp. editur *eiusmodi*, quod pauci tenent codd. — *Malo reipubl.* Müllerus perperam pro dativo habet, explicans ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως. Rectius Cortius *malo* pro ablativo habet; sententia enim multo gravior redditur, si istorum potentia pernicie reipublicae allata niti, quam si parata magnitudo ad perniciem reipublicae valuisse dicitur. Exemplis tamen a Cortio allatis non erat opus; quis enim de notissima ablativi vi dubitaverit? Quam qui h. l. recto atque incorrupto sensu non fuerit assecutus, eum exempla vel plurima parum iuvabunt. Quare insolenter Gerlachius *malo* interpretatur: *eo tempore, quo respubl. servitute oppressa tenebatur.* — De temporibus mutatis *iussit* — *laudabat*, et paullo post §. 34. *trahebantur* — *fuit* v. ad c. X, 1. cf. Tac. Ann. II. 12. — *Scelestos et factiosos;* vulgo copula abest, quam cum Gerlachio, omnibus eius libris et tribus Leidd. adiuvantibus, addidimus; Cortius tamen de suis nihil monuit. Adiectivorum ita coniunctorum eadem ratio videtur ut supra c. L, 2. *lectos et exercitatos in audaciam*, ita quidem, ut posterius ad prius explicandum valeat et definiendum. — De *exagitaverant* indicativo in oratione obliqua monuimus ad c. XIV, 7.

§. 33-34. *magnae initium cladis*] Struv. Guelf. 7. et 8. *magnae clad. init.* Sed duobus genitivis substantivum, a quo pendeant, saepe interponi recte a Cortio et ad h. l. monitum est, et ad Cic. Epp. ad Famm. II, 17, init. *Ciceronum caussa puerorum.* Plura huius verborum collocationis exempla ex Cicerone collegit Goerenz. ad Legg. III, 10, 23. *periculi rationem sui.* de Or. I, 45, 199. *caussarum usum forensium.* cf. eundem ad Acadd. II, 28, 90. ad Finn. II, 14, 45. ad orat. in Catil. II, 1, 1. et Car. Beier. ad Off. II, 7, 23. — *Uti is* plurimi praebent codd.; in nonnullis

neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis
35 suos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi; ubi hoc exemplo per Senati decretum Consul gladium

tamen *is* deest, quos Cortius et Gerlachius secuti sunt. Sed pronomine posito id de quo agitur aliquanto maiore vi effertur, quod quam huic loco conveniat quivis facile videt; cf. LII, 30. et quae contulimus ad c. XLIX, 3. v. etiam Car. Beier. ad Off. III, 25, 94. p. 360. Eodem pertinet, quod statim post *ita illi* scripsimus, ubi Cortius *illi* pariter omisit, quod in Arondel. Incert. 2. et Teg. deest. — Deinceps Cortius edidit *post paullo*, de quo verborum ordine v. ad c. XXXIII, 5.; sed h. l. solus Guelf. 12. ita habet, reliqui *paullo post* tenent.

§. 35. *Atque ego*] Guelf. 1. et Bern. 1. *atqui ego;* sed *atque*, adversandi vi positum, recte habet; cf. Cort. ad Iug. IV, 3. Car. Beier. ad Off. III, 4, 48. et ad III, 25, 94. Matthias ad Cic. p. Mur. c. 34, 71. Goerenz. ad Legg. I, 10, 28. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 3, 20. qui tamen non accurate cum Cortio interpretatur *et tamen*, *et vero*, quum simpliciter *sed* significet. Addit Cortius c. LII, 31. Curt. III, 7, 6. Pariter *ac* adversandi vi reperitur, velut Tacit. Agric. c. 39, in. ubi v. Hertel. *Atqui* et *atque* etiam confusa sunt apud Cic. de Finn. IV, 22, 62. ubi v. Goerenz. — *Haec non* pauciores quidem sed meliores libri, ut Bas. 1. Fabr. 1. Guelf. 5. et septem alii tenent; in reliquis est *hoc non*, minus probum, quum Caesar non universam sententiam, sed singulas quibus eam explicaverat partes respiciat. — *In M. Tullio* i. e. quod ad M. Tullium attinet, sive respectu M. Tulli. Cf. supra §. 15. *in hominibus impiis sceleris obliti.* Cic. Epp. ad Famm. II, 14, med. *sed in hoc homine nullam accipio excusationem.* ib. XII, 22, extr. *in Sempronio maximam laudem adeptus esses.* X, 28, extr. *magnum damnum factum est in Servio.* Haec exempla a Cortio ad §. 15. allata male idem cum aliis permiscuit ex eo genere, quod explicavimus ad c. II, 10., a quo errore ne Ramshornius quidem sibi cavit Gramm. Lat. §. 150, 2. b. p. 290. Melius rem perspexit Carol. Beier. ad Off. I, 39, 140. *quod his tem-*

eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Maiores nostri, Patres conscripti, neque con- 37
sili neque audaciae umquam eguere, neque illis superbia obstabat, quominus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria 38
ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt; postremo quod ubique apud

poribus in multis licet dicere. cf. eundem ad II, 14, 50. *ut pro Sardis in propraetore Albucio (fecit) Iulius.* coll. orat. p. Planc. c. 32, 77. p. Scauro p. 39, in. Caes. B. C. I, 85, 8 sqq.

§. 36. *cui item exercitus in manu sit*] *Item* i. e. pariter, v. ad c. XXVII, 2. — Pro *in manu sit* Cortius *sit* contra codd. omisso ex Bas. 1., cui postea accessere Paris. A. et C., scripsit *in manus*, conferens cum dictione *in potestatem habere*, Iug. CXII, 3. Sed istius loquendi modi, quippe usu quasi stabiliti, alia ratio videtur, non transferenda illa ad hoc *in manus esse*, quod ex male geminata *s* littera ortum putamus. — Cod. Guelf. 10. *falsum aliquod;* sed *aliquid* substantive positum recte habet, quum sensus sit *aliquid quod falsum est.* — *Illi* Cortius levissima, vel potius nulla de caussa codd. invitis eiecit, non sentiens nisi pronomen assit, plane vago sensu esse verba *finem statuet*, incerto, quo pertineant.

§. 37. *eguere — obstabat*] Perfectum necessarium est propter generalem *unquam* particulae vim; contra est in verbo *obstabat*, quo res continuata significatur; v. ad §. 32. — *Neque illis* omnes fere praebent codices, novem Leidensibus exceptis, qui pronomen non agnoscunt; id iam suopte Marte Cortius omiserat, sententiae gravitati parum consulens. Pronomine enim posito res ad maiorum personas et iudicium revocatur, id quod huic loco, ubi vetera novis opponuntur, maxime convenit; sine eo sententia magis vaga et generalis est. — *Proba erant* omnes ut videtur libri tenent; Cortius nihil monito lectore verbum omisit.

§. 38. *postremo*] Explic. h. v. ad XIV, 6. — *Ubique* i. e. *et ubi*, v. ad c. XXIII, 4. — *Imitari quam invidere bonis* quivis videt ita dictum esse, ut substantivum cum posteriore verbo coniunctum alio casu ad prius supplendum sit, plane ut Iug. I, 5. *neque regerentur magis quam regerent casus;* cuius insolentioris structurae et verborum collocationis caussa in oppositionis ratione quaerenda est,

socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur, imitari quam invidere
39 bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant.

ne verba magna vi sibi opposita substantivo bis posito et alio casu interiecto languerent. Ceterum *bonis*, quod alii de hominibus in quovis virtutis genere eximiis intelligunt, neutro genere positum esse e sententiarum nexu satis patet, quum in antegressis non de hominibus, sed de exemplis aliorum et institutis agatur. Quod ut gravius inculcaret audientium animis, Caesar antecedentem sententiam *quod ubique idoneum videbatur*, aliis modo verbis usus repetiit. *Invidere*, quod hic dativum rei adiunctum habet, proprie cum dativo personae, incommodi, quam dicunt, potestate, iungitur. De varia verbi structura cf. Cic. Tusc. III, 9, 20. intprr. ad Quintil. IX, 3, 1. Perizon. ad Sanct. Min. III, 3. p. 485. Ed. Bau. et Fr. Gronov. ad Tacit. Ann. I, 22, extr.

§. 39. 40. *Graeciae morem*] De Draconis severis legibus plerique cogitant interpretes; Heynius vero Opuscc. Acadd. Vol. III. p. 184 sqq. Magnam Graeciam intelligit. Utra ratio verior sit, in tanta orationis ambiguitate difficile est ad diiudicandum. — *Circumveniri* permultis libris sustentatur; haud contemnendus tamen eorum numerus *circumvenire* exhibet, quod a Cortio aliisque probatum non miror, a Gerlachio receptum nollem. Quod enim *circumvenire* ita pendere volunt a *coepere*, ut dicant supplendum esse *quidam* sc. ex illis factionibus, id propterea non potest fieri, quia isto modo *coepere* duo subiecta simul haberet, indefinitum et definitum, quod sanae rationi repugnat absurdumque est. Consimiliter interpretes peccantes vidimus ad c. XIII, 3.; alia videbimus ad Iug. XXXV, 3. De vi *circumvenire* verbi dictum ad c. XXXI, 9. — Pro *alia huiuscemodi* Langius et Bothius scripserunt *aliaque huiuscem.* quod in Vin. 2. Bas. 2. Sen. 1. Guelf. 1. 8. Tur. 1. m. sec. et Bern. 2. exstat. Sed copulam recte in reliquis abesse tum ex eo intelligitur, quod Inc. 1. et Guelf. 7. *et alia* habet, tum maxime ex loquendi usu, quem illustravimus ad c. XLIII, 2. coll. c. LII, 36.

tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt] Haec verba, a quibus apodosis antecedentium incipit, Mullerus et Bothius perperam pro novae enunciationis initio habent, puncto post *coepere*

Postquam respublica adolevit, et multitudine civium 40
factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Hanc ego caussam, Patres conscri- 41

posito praegressisque ita distinctis, ut protasis post *valuere* desinat, et quae sequuntur apodosin efficiant, quam rationem fortasse ii quoque sequuntur, qui colo, ut Cortius, Bipp., Langius, post *coepere* interpunxerunt. Sed haec omnia a *postquam* particula pendere inde perspicitur, quod Caesar omnia incommoda ex potentiorum iniuriis orta comprehendit, quibus cum vi praesidium legibus paratum opponit. Consulto igitur in apodosis introitu *tum* posuit, quo non solum temporis progressus significatur, sed ipsius apodosis vis haud paullo maior exsistit, quam sine ista voce. Ad *postquam* particulam autem *tum* eadem ratione refertur, qua praegressis ablativis absoll. subiicitur, ut Liv. XXII, 11, 1. *ita rebus divinis peractis, tum de bello Dictator retulit.* XXVI, 31, 1. *reductis in curiam legatis, tum Consul: non adeo maiestatis, inquit, populi R. oblitus sum.* II, 29, 1. et 3. quae debentur Tursellino de Partt. cap. CCXXXIII, 3. p. 1302. ubi v. plura. Iam sponte intelligitur, recte Cortium ex codd. Bas. 1. Fabr. 1. 2. Inc. 1. Struv. Heus. Acad. Vin. 2. et plerisque Guelff. scripsisse *tum* pro vulgato *tunc*, quod relicui tenent. Haec enim particula, quae ad certum aliquem praeteriti temporis articulum refertur, ubi insistit narratio, ab h. l. plane aliena est. Cf. ad Iug. V, 1.

leges] Haec vox non est in Guelf. 10. Leid. F. et Bern. 2. Omisit vocem Cortius, scilicet ne ter posita legeretur; sed non vidit, quod probe tenendum erat, de industria legis vocem a Caesare repeti, quippe qui hoc unum ageret, ut Senatui persuaderet, in puniendis coniuratis *leges* esse non *lubidinem* sequendam. Eandem ob caussam statim post pronomini addidit *legibus*, ut id, in quo rei cardo versaretur, Patrum animis quam maxime inculcaret. Perperam igitur Gerlachius *legibus*, quod in Fabr. 2. Inc. 1. Guelf. 3. Bern. 1. et aliquot Rivii et Wassii libris deest, uncinis inclusit; neque tamen Cortius, qui sat multa attulit exempla substantivi ad relativum repetiti, eius rei rationem perspexit. Erraverit enim, qui putet, per pleonasmum vocabulum repeti; quin potius ea structura utuntur veteres, ubi aliquam rem, quam recte sciri vel teneri multum ipsorum interest, ita volunt inculcare,

pti, quominus novum consilium capiamus imprimis
42 magnam puto. Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta
43 vix retinemus. Placet igitur eos dimitti et augere exercitum Catilinae? Minume; sed ita censeo: publi-

ut penitus mente fixa haereat neque negligatur, aut omnino, ubi orationis perspicuitati consulendum putant, quod saepe apud Caesarem licet animadvertere; cf. Caes. B. G. I, 16, 5. *diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret.* I, 49, 1. *ultra eum locum, quo in loco Germani consederant.* Cic. Verr. II, 74, 183. *erant haec ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum litteris reperire cupiebam.* p. Sext. 45, 96. *duo genera semper in hac civitate fuerunt, — quibus ex generibus.* Epp. ad Famm. IX, 13, init. *oppressus est enim bello repentino, quod bellum* etc. ib. XIII, 58, in. *Custidius caussam habet, quam caussam ad te deferet.* Ter. Phorm. Prol. v. 33. Cum his, quae Cortii diligentiae debentur, cf. notata Ruhnkenii ad Hecyr. Prol. II. v. 3. Fr. Heusingeri ad Cic. Off. I, 31, 2. Matthiae ad orat. p. Rosc. Amer. c. 10, 28. Goerenz. ad Cic. in Catil. I, 3, 7. Moebii ad Caes. B. G. I, 6. Heindf. ad Cic. de N. D. I, 22, 90. — *Sunt* post *paratae*, et *est* post *permissum* omnes tenent Leidenses et Gerlachii libri; Cortius utrumque eiecit, nihil de codd. suis monens; neque illi tamen in tali re magna fides habenda videtur.

§. 42. *ea bene parta*] Haec sensu tantum, non grammatica ratione ad antegressam vocem *imperium* referuntur; quae enim antea in unum complexus erat, ea nunc in suas partes disiuncta cogitat, quod recte monuit Ramshornius Gramm. Lat. §. 159. 2, c. p. 357. Geminus fere locus est Tacit. Ann. IV, 5, med. *quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quattuor legionibus coercita.* Praeterea etiam conferri quaedam ex iis possunt, quae attulimus ad c. XVIII, 1. Non est igitur opus, ut cum C. Fr. Heinrichio scribatur *haec bene parta*, quo praesens reipublicae status et condicio significaretur, quod ad oppositionis rationem minus aptum videtur.

§. 43. *augere*] Vulgo editur *augeri;* sed multo praestare videtur *augere*, quod Leid. K. et N. exhibent. Quoniam enim de condemnatis maxime agitur, perquam incommode novum *exercitus*

candas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent, neu quis de his postea ad Senatum referat, neve cum populo agat; qui aliter fecerit, Senatum existumare eum contra rempublicam et salutem omnium facturum.

subiectum infertur; clarum est enim, rei indignitatem non in eo versari, si exercitus paucorum hominum incrementum capiat, sed si parricidae reipublicae, summo supplicio afficiendi, eum augeant. Non igitur putaverim, argutias nobis obiici, quod subiectum mutari nolimus. Neque nos movet, quod *augeri* plurimis codd. sustentatur; haud raro enim activum et passivum simul ad idem refertur subiectum, quod scribis emendandum visum esse non est quod mireris; cf. Iug. XXXV, 3. *avidus Consul belli gerundi moveri quam senescere omnia malebat.* Bremius et Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 7, 21. *quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dari, aut fingere aliquos qui — non reprehenderentur.* de Fato c. 20, 46. *hoc modo hanc caussam disceptari oportet, non ab atomis errantibus praesidium petere.* Philipp. V, 14, 39. *quid optatius accidere potuit, quam sapientiâ eius id (bellum) potius extingui, quam armis et ferro rem in discrimen adducere.* Minus similia, quia subiectum mutatur, sed comparanda tamen haec sunt: Liv. XXIX, 4, 2. *delectus haberi placet, mittere ad conducenda Afrorum auxilia, munire urbem* etc. ubi v. Drakenborch. et ad III, 51, 2. *placere decem creari, militarique honore tribunos militum appellare.* Tacit. Ann. III, 12, med. *nam quo pertinuit, nudare corpus, et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset.*

publicandas pecunias] I. e. in aerarium publicum redigendas, aerario adiudicandas; v. Fr. Gronov. ad Liv. XXXI, 13, 4. et in Obss. IV, 23. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 43. De re ipsa cf. Suet. Caes. c. 14. et Cic. in Cat. IV, 4, 8. ubi v. Matthias, et c. 5, extr. et Dio Cass. XXXVII, 36. p. 134. — *In vinculis habendos per municipia* Cortius et Langius perperam intelligunt de libera custodia, quae certe sine vinculis erat. Rem per se claram extra dubitationem ponit Cic. in Catil. IV, 4, 8. *adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit; horribiles custodias*

LII. Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assentiebantur; at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit.

2 Longe mihi alia mens est, Patres conscripti,

circumdat etc. — *Existumare et contra rempublicam facere*, dictiones in Senati decretis solennes, Cortius bene exemplis illustravit; ita enim legitur *existumare* apud Coelium in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 8, med. Cic. Philipp. VIII, 11, 33. cf. Brisson. de Formm. II. p. 195 sq. Ad posteriorem formulam ille contulit supra c. L, 3. Cic. Epp. ad Attic. II, 24, med. ad Q. Frat. II, 3, ante med. p. Mil. c. 5, 13. Liv. III, 21, 2, Caes. B. C. I, 2, 7.

LII. § 1. *verbo alius alii varie assentiebantur*] In his verbis recte ab interpretibus intellectis novam Müllerus explicandi viam iniit, ita locum scribens: *ceteri, verbo alius, alii varie, assentiebantur.* Vult enim *alius — alii* dictum esse pro *pars — alii*, *varie* autem esse vel vultu, vel manu, vel pedibus. Sed si voci *alius* respondeat *alii*, quod equidem non memini me reperire, neque Müllerus usquam legisse videtur, illud non possit nisi de uno accipi, quod secus est, si *alius — alius* ponitur; tum male sibi opponitur *verbo* et *varie*; si enim *varie* assentiebantur Caesari, quid attinebat dicere *alium verbo* assensum esse? Contra, si concedimus *verbo* opponi ceteros assentiendi modos, dicendum erat *alii aliter*, neque vero *alii varie*. Denique *alius* diversa forma repetitum non potest nisi ita intelligi, ut alterum subiectum, alterum obiectum sit, v. Beier. ad Cic. de Off. I, 7, 22., qui vulgaris dicendi usus iam satis ostendit, *alius alii* coniungendum esse. Quocirca cum prioribus interpretibus *alii* intelligimus de Silano, Nerone et Caesare; *varie* autem non spectat ad *verbo*, sed ad *alius alii*, neque varios verbo assentiendi modos, sed diversas assentandi caussas, prout cuiusque erat ingenium et sententia, significat. Plenam eiusmodi consultationis imaginem si cupis, lege Caesarem de B. C. I, 1. et 2.

M. Porcius Cato] De hac eius oratione tum in Senatu habita v. Cic. p. Sextio c. 28, 61. *Consule me, quum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam; dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat; dixit vehementer, egit acriter, ea quae sensit prae se tulit; dux,*

quum res atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi 3 mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere; res autem monet cavere ab illis, quam quid

auctor, *actor illarum rerum fuit.* cf. Vell. Paterc. II, 35, 3. — Ceterum lepido errore lapsus est Dahlius, tanta Sallustium arte Catonis non modo ingenium, sed etiam dicendi genus expressisse dicens, ut quandam similitudinem cum oratione pro Rhodiensibus habita, quae tamen prisci Catonis est, cuiusque multa fragmenta Gell. VII, 3. servavit, deprehendisse sibi visus sit.

§. 2-3. *mecum ipse*] Gerlachius ex Fabr. 1. Inc. 2. Guelf. 3. 5. 7. 8. 9. Heus. 1. 2. Rem. et tribus Rivii exhibuit *ipse mecum*; sed vulgatum ordinem praestare diximus ad c. XXXII, 1. — *Patriae*, *parentibus;* v. ad c. VI, 5. — *Aris atque focis.* Illud Cortius et Langius intelligunt de templis aedificiisque publicis, hoc de aedibus privatis; Dukerus vero ad Flor. III, 13, 4. Romanos his vocabulis omnia divina et humana complexos fuisse censet, quod non plane verum videtur. Melior Ernestii, in Clav. Cic. v. *ara*, sententia, qui, quoniam ara in impluvio erat, penatibus sive diis patriis sacra, focus autem, qui larium erat, in atrio, his vocabulis coniunctis aedes privatas sive domesticam sedem significari statuit. Quae quum ex iis quae possidentur unicuique carissima sit, sponte intelligitur *aras focosque* inter eas res commemorari, quas natura omnibus hominibus caras esse voluit; cf. infra LIX, 5. Liv. V, 30, 1. XXVIII, 42, 11. De laribus autem et de penatibus v. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 66. — *Monere* verbum Herzogius bene observavit, ubi cohortandi vis praevaleat, *ut* vel *ne* particulas asciscere; infinitivum contra recte subiici, ubi significet *in memoriam revocare*, coll. Cic. de Invent. II, 22, 66. *pietatem*, *quae erga patriam aut parentes officium conservare moneat.* Cf. tamen etiam notata ad §. 2. — *Cavere ab illis*, *quam* etc. In vulgata et plerisque codd. post *illis* additum legitur *magis;* sed locum mutat in Fabr. 2. Guelf. 5. Inc. 1. et plane abest in Guelf. 6. 12. et Leid. C., ut Cortius merito eiecisse videatur, Gerlachio quoque, qui uncinis inclusit, non improbante. Plura contulimus ad c. VIII, 1. ubi v. — *In illis* Sen. 2. e Heus., reliqui *in illos;* sed ablativum vindicavimus ad c. IX, 2.

4 in illis statuamus consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc nisi provideris ne accidat, ubi evenit frustra iudicia implores; capta
5 urbe nihil fit relicui victis. Sed, per deos immortalis! vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vostras pluris quam rempublicam fecistis, si ista, cuiuscumque modi sunt quae am-

§. 4. *cetera maleficia*] Cum Gerlachio vulgatam restituimus, quae Leidensibus, Bas. 1. et nonnullis aliis firmatur; sat multi tamen libri *malefacta* exhibent, Fabr. 1. autem *mala*, ob quam diversitatem Cortius substantivum plane eiecit. Sed apertum est *malefacta* aeque ac *mala* interpretamenta esse vocis *maleficia*, quod scribis non satis aptum huic loco videbatur. — *Ubi evenit* non sollicitandum, quamquam in aliquot codd. teste Cortio legitur *evenerit*; perfectum enim futuri exacti potestatem habet, gravius tamen affirmans, siquidem ne futuri quidem significatio adest, sed una rei praeteritae, quae sunt verba Aug. Matthiae in Excursu ad Cic. in Catil. IV, 6, 11. p. 243. — Post *implores* Gerlachius male commate distinxit; nova enim incipit enunciatio, prioris caussam afferens, particula tamen caussali omissa, quod, ut in Caesaris oratione, v. ad LI, 2., ita in hac Catonis quoque aliquoties factum, velut §. 8. et 30.

§. 5. *cuiuscumque modi sunt*] Ita Fabr. 2. Ecc. Inc. 1. Vin. 2. Guelf. 5. 10. et Leid. M., relicui *cuiusc. m sint*; hoc omnes fere amplexi sunt, illud unus Müllerus intulit. Recte. Soloecus est enim coniunctivus ex Latinorum cogitandi ratione, qui in eiusmodi locutionibus rem non, uti nos, incertam, sed potius certam cogitant; quicquid enim est, etiamsi quale sit non plane constat, est tamen; cf. infra §. 10. *sed cuius haec cumque modi videntur.* Cic. de Off. I, 25, 88. *utilitatem civium tueantur, ut, quaecunque agunt, ad rempublicam referant.* Tacit. Ann. I, 42, *in coniugem et liberos a furentibus summovee, ut, quicquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine expietur.* Cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 77, 3. p. 390. Ramshorn Gramm. Lat. §. 165, 1, 1. not. p. 405. Bentl. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 10, 88. Plura exempla suppeditabit Car. Beierus ad Cic. Off. I, 27, 94. — *Capessite rempublicam* i. e. cum cura suscipite, curam reipublicae

plexamini, retinere, si voluptatibus vostris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando, et capessite rempublicam! Non agitur de vectigalibus, neque 6
de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est. Saepe numero, Patres conscripti, multa 7
verba in hoc ordine feci, saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque

operam date; cf. Cic. p. Coel. c. 30, 72. Epp. ad Famm. I, 8, med. Plaut. Trin. II, 2, 19. Cort.

§. 6. *neque de sociorum iniuriis*] Pro *neque* in aliquot Guelff. Fabric. 1. Struv. Heus. et uno Rivii legitur *non*, a Rivio, Cortio, Langio, aliis probatum; quod quamquam ferri potest, tamen vis anaphorae propria huic loco minus videtur convenire, quam simplex novae sententiae additio, quum praesertim a Sallustio frequentissime sententiae particulis *non* — *neque* copulentur; cf. infra §. 10. 29. et Cat. XIII, 3. *non famem neque frigus opperiri.* XXXIII, 4. *non imperium, neque divitias petimus.* LIV, 6. *non divitiis cum divite, neque factione cum factioso certabat.* Iug. XXXI, 25. *non peculatus aerari factus est, neque sociis ereptae pecuniae.* LIV, 5. *statuit non proeliis, neque acie bellum gerundum.* Adde c. X, 4. XXIV, 10. LXXXVI, 2. LXXXIX, 8. XCI, 7. XCVII, 4. Tacit. Ann. I, 4, init. I, 68. II, 37, p. med. — *Sociorum iniuriae* passivo sensu sunt iniuriae sociis illatae, scil. quas Romani vindicare negligebant. De structurae ratione cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 73, 1. not. 1. p. 337. et Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 5, 26. De re ipsa vide Iug. XXXI, 25. *non peculatus aerari factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae; quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur.* — *In dubio* i. e. *dubia* sive *in periculo* est; cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 2, 10. et v. supra ad c. XLI, 1. Ceterum *agitur de vectig.* Kunhardtus pessime interpretatur *in discrimine versantur vectigalia*, quo sensu dicitur *aliqua res agitur*, ut monuit Aug. Matthias ad Cic. p. l. Man. c. 2, 4. et 6.; sed *de aliqua re agitur* nihil aliud est, quam *consultatur, deliberatur*, quod sequentia *de sociorum iniuriis* vel imperitissimum docent. cf. Gernhard. ac Cic. Lael. c. 17, 63. Pariter *agitare* usurpatur; v. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 6, 73. Parum accurate igitur Bremius ad Nep. Attic. XV, 2. *ea res agitur* et *de ea re*

8 mortalis, ea caussa advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta 9 condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen respublica firma erat; opulentia neglegentiam

agitur eodem sensu dici contendit. — De *sed* particulae ellipsi ante *libertas* v. ad c. LVIII, 14.

§. 7-9. *ea caussa*] Bas. 2. *ea de caussa*; Guelf. 12. *ex ea caussa*, quod multo deterius est vulgata, quippe quae significet *eius rei caussa*. Praeter Gifanium ad Lucret. p. 355. cf. Plaut. Pseud. I, 1, 53. *ea caussa miles hic reliquit symbolum.* ibid. v. 90. *an tu ea caussa vis sciens suspendere?* ibid. III, 2, 59. *istaccine caussa tibi hodie nummum dabo?* Persa III, 1, 7. *ea caussa ad hoc exemplum te exornavi ego.* Rud. Prol. v. 31. *nunc, huc qua caussa veni; argumentum eloquar.* Noster Iug. LXXX, 4. *id ea gratia facilius proniusque fuit.* LIV, 4. *id ea gratia eveniebat.* Cort. — *Condonare* Cortius haud male explicat, rem vel hominem alterius arbitrio et voluntati permittere, quasi quae nihil ad nos, coll. Caes. B. G. I, 20, 5. Cic. p. Coel. c. 32, 78. Epp. ad Famm. V, 4, p. med. XIII, 73, p. med. — *Firma erat* omnes libri, nisi quod in Senat. 2. est *firma fuit*, qua diversitate permotus Cortius verbum expulit. — *Opulentia* melius nominativo quam ablativo capiendum videtur; nam quae sequuntur verba novam enunciationem efficiunt, caussam antecedentis afferentem, nulla licet particula caussali posita, ut §. 4.; quamobrem non commate, sed semicolo distinguendum putavimus. — *Neglegentiam* exhibent Bas. 1. Fabr. 1. Guelf. 1. Senat. 1. cf. c. XXVIII, 1.

§. 10. *bonisne an malis*] *Ne* omnes habent libri, praeter Guelf. 6. Sen. 2. et Heus., quos voculam ignorantes Cortius perperam secutus est. Non male autem Herzogius observat, *ne* in priori membro paene necessarium esse, ubi sententia flagitet id maiore vi posteriori opponi, coll. Iug. XIV, 17. LXX, 5. LXXIX, 5. LXXXV, 16. — Non maiore codicum auctoritate Cortius paullo post *sit* expulit, quod in Fabr. 1. tantum et Guelf. 9. deest. Etiam *videntur*, cuius loco Guelf. 6. et 9. *sint* exhibent, ab eodem eiectum, cum Gerlachio reduximus. — De tmesi verborum *cuius haec cumque modi*, uti legitur in codd. Rivii, omnibus Leidd. Guelf. 2. et Vin. 2., v. ad c. V, 4. In relicuis est *haec cuiuscumque m. vid.*

tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an 10
malis moribus vivamus; neque quantum aut quam
magnificum imperium populi Romani sit, sed cuius
haec cumque modi videntur, nostra, an nobiscum
una hostium futura sint. Hic mihi quisquam man- 11

§. 11. *Hic mihi quisquam*] *Hic* particula utuntur Latini, ut aliquem cum ironia et indignatione coarguant, imprudenter eum agere, ut in tali re non conveniat; non male igitur Cortius interpretatur *rebus ita comparatis*, comparans Cic. Phil. VIII, 4, 11. *hic mihi Q. Fufius pacis commoda commemorat.* Epp. ad Famm. V, 15, fin. *hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectari possit.* ib. VII, 13, init. *hic tu me etiam insimulas.* Plin. Epp. I, 20. Adde Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 3, 15. Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 8. 23. — *Mihi*, cum indignatione dictum, ἦθος orationi infert, recte observante Zumptio Gramm. Lat. §. 72, 1. not. 2. p. 323. Contrario modo Livius Praef. §. 9. *ad illa mihi*, inquit, *pro se quisque acriter intendat animum*, ut significet sibi valde hoc placere gratumque esse, ubi Drakenborchius, pariter ut ad Sil. I, 46., pronomen redundare statuit. Idem censet Vechner. Hellenol. p. 175 sqq. Sed v. Voss. ad Virg. Ecl. VIII, 6. — *Quisquam* notare Caesarem vix est quod moneatur; quo minus autem definito vocabulo utitur, eo maior acerbitas videtur inesse. De indefinita pronominis potestate v. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 4, 35. Matthias ad Cic. orat. in Catil. I, 6, 15. — Post *nominat* puncto distinximus; sequentia enim, quibus ad obiectionem respondetur, nullo plane grammaticae nexu cum prioribus continentur. Vulgo semicolon habetur; Müllerus vero interrogandi signum posuit, scilicet ut sequentia commodius praegressis sese applicent, quo tamen non opus est; neque interrogationes tali modo concipiuntur. Quae subsequuntur ita comparata sunt, ut rationem reddant ante dictorum, addito in fine periodi iudicio de reipublicae statu inde orto. Haec vix erant monenda, nisi Fr. Henr. Bothius totius loci rationem pervertisset, priorem sententiam post *amisimus*, colo posito, finiens, ut sequentia ad verba *eo respubl. in extr. sita est* trahantur, quae commate tantum ab antecedentibus seiunxit. — *Equidem*, specie tantum, non re ipsa ad primam pluralis personam relatum, explicavimus ad c. LI, 20. — *Est* Cortius nulla codd. fide delevit.

suetudinem et misericordiam nominat. Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur; eo respublica in extremo
12 sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerari, ne illi sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis sceleratis parcunt bonos omnis per-

§. 12. *in furibus aerari*] Ablativum, quem hic omnes libri constanter tenent, explicavimus ad c. IX, 2. — *Aerari*, quod notandum, ita scriptum adhuc exstat in Guelf. 2. 8. et Bern. 4.; relicui vulgari forma *aerarii*. — *Ne* i. e. dummodo ne, cf. Liv. XXXVI, 1, 8. *et extra Italiam permissum, ut, si res postulasset, auxilia ab sociis, ne supra quinque millium numerum, acciperet.* Quae praeterea Schellerus laudavit exempla in Lex. Ampl. p. 6660., velut Cic. de Legg. II, 26, 75. Liv. XXVIII, 39, 19., in iis *ne* meram vetandi vim habet. — *Illi sanguinem* scripsimus ex Vatic. A. Vin. 2. Bas. 2. Acad. Struv. Guelf. 4. 10. Leid. K. Relicui tenent *illis sanguinem*, quod alienum sensum praebet. Cato enim liberalitatem ex sociorum fortunis et misericordiam in furibus aerari tanquam leviora opponit lenitati in puniendis coniuratis, a quibus omnibus bonis caedes parata fuerat. Sed quum coniurati in antegressis non nominati sint, quivis, opinor, *illis* ad *fures aerari* referret, quod a Catonis sententia prorsus alienum est. Contra eius oratio multo acerbior fit, *illi* pronomine posito, quo perversae sententiae auctores vel potius auctor cum vi et indignatione notatur, quasi germanice dicas: wenn nur *diese* (sc. so nachsichtige und gelinde) *Leute* nicht unser Blut verschenken. Praeterea nostra lectio eo quoque nomine vulgatae praestare videtur, quod *largiri* verbum non ad certum obiectum refertur, sed pariter ut antecedentia in universum dictum est, quo totius sententiae concinnitas haud parum augetur. Sine dativo enim *largiri aliq.* est liberalem esse alicuius rei, non parcere alicui rei; cf. Liv. III, 1, 3. *possessores principem civitatis largiendo de alieno (i. e. aliena) popularem fieri querentes.* Cic. Epp. ad Famm. III, 8, extr. *natura semper ad largiendum ex alieno fui restrictior.* — *Perditum eant*, v. ad c. XXXVI, 5. Ad sententiam cf. Iug. XXXI, 27.

ditum eant. Bene et composite C. Caesar paullo 13 ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo, falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit 14 pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos, videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitu-

§. 13. *credo, falsa existumans*] *Credo*, quod in omnibus codd. ante *falsa* legitur, a Cortio postpositum est, quoniam ubi ironiae inserviat, orationi sine ulla structurae mutatione interseratur. Sed hic verbi locus, quamquam est frequens, tamen non unus legitimus est, siquidem pariter ut *opinor* etiam praepositum reperitur; cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, 53. *opinor, haec res et iungit, iunctos et servat amicos.* II, 2, 90. *rancidum aprum antiqui laudabant, — credo, hac mente, quod hospes tardius adveniens vitiatum commodius consumeret.* v. Bentl. ad II, 7, 68. Caes. B. C. III, 70, 1. *Pompeius insidias timens, credo, quod haec praeter spem acciderant, munitionibus appropinquare non audebat.* Cic. orat. in Cat. I, 2, 5. *si te interfici iussero, credo, erit verendum mihi* etc. cf. Matthias ad or. p. Rosc. Am. c. 18, 52. et in Miscell. Philolog. Vol. II. P. I. p. 95. Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 1, 13. Goerenz. ad Legg. I, 15, 42. — *Ea* post *existumans* Cortio adeo importunum visum, ut omnibus codd. invitis omitteret. — *Divorso*, quod spectat ad verba *a bonis*, significat in contrariam partem vergens; v. ad c. V, 8. Non satis accurate igitur Kunhardtus interpretatur: remotos et separatos a bonis. Ceterum verba *divorso itinere — habere* ita ad praegressa referuntur, ut commode *nempe* ad nexum indicandum suppleri possit. V. ad c. XXIX, 3. coll. LI, 7.

§. 14. *in custodiis*] Haec verba in cod. Commel. absunt, casu haud dubie vel errore; audacius igitur Bipontini Müllero probante eiecerunt, quum vel Cortius retinenda putasset. — Statim post aliquantum turbant libri; nam in Guelf. 5. Commel. et Naz. est: *videlicet timens, ut aut a pop.*, omissis verbis *si Romae sint*; tum *videlicet* abfuit a Palat. 3., eius loco autem in Struv. legitur *vel*, in Palat. 4. *verum*, in Guelf. 10. *ut*; denique *timens* omissum in Bas. 1. In qua varietate quamquam hoc tantum patet, *videlicet*

15 dine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali
atque scelesti tantummodo in urbe, et non per
totam Italiam sint, aut non ibi plus possit audacia,
16 ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare

scribis non satis intellectum fuisse, verborum vero omissiones unde ortae sint non liquet, tamen omnia sincera videntur. *Videlicet* enim ad ironiam significandam necessarium est; *timens* autem, quod Müllerus male sollicitavit, quia Cato paullo post in incerto relinquat, utrum Caesar metuerit, an solus non timeat, *timens* igitur vel maxime ironiae vim sustinet. Praeterea verba *si Romae sint*, neminem offendent, reputantem, Catonem summae perspicuitati in re de qua agitur exponenda studere, eamque ob caussam municipiis diserte urbem Romam opponere.

§. 15. *quasi vero*] Has particulas, quae vim ironicam habent, Carolus Beierus multis exemplorum illustravit ad Cic. de Off. III, 9, 39. Quod idem tamen ellipticam earum rationem esse statuit, h. l. ita fere explicandam: *timet vero ita, quasi* etc., mihi non probatur. Nam *vero* particulae, cum *quasi* coniunctae, non tam adversandi, quam augendi asseverandique potestatem inesse iudico; tum quod ellipsis a Beiero admissa duriuscula est, tum quia simpliciter *quasi* sensu non diverso, nisi vi paullo minore, dicitur. Quae igitur voci *vero* et in respondendo est potestas, velut *ita vero*, *minime vero*, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84, 5. p. 491., et in iis exemplis, quae tetigimus ad c. XXXVII, 4. coll. Ramshornii Gramm. Lat. §. 179. B. II, 3. not. p. 540. et Herzog. ad c. XX, 10., eandem hic quoque obtinere censemus.

et non per totam Italiam] Unus cod. Rivii, Guelf. 5. et 6. omisso *et* exhibent *non per t. It.*, quod Cortius parum abest quin elegantius iudicet, scilicet si perperam et contra dicendi usum loqui est eleganter loqui. Quippe sententia variatur, prout *et* addideris vel omiseris. Negationi autem *ac* vel *et* addendum est, ubi posterior enunciatio priorem corrigit, ita ut *potius* suppleri possit. Cf. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 33, 92. *quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quaeratur* etc.; in Verr. III, 48, 113. *tum insanisset, si aratoribus, quod deberent, licitum esset, et non quod Apronius imperasset, necesse fuisset dare.* Noster Iug. IV, 8. *proinde quasi praetura et consulatus — per se ipsa clara sint, ac non perinde habeantur* etc. V. Zumpt. Gramm. Lat. §. 86, 22. p. 520. et Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 3, 7., qui

vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro 17

recte vidit, *aut*, quod vulgatur, in *ac* vel *et* mutandum esse. Copula vero abesse debet, ubi, ut Matthiae verbis l. l. utamur, post prius verbum aiens alterum negans sequitur, ita ut eorum ordo inverti et *non* — *sed* poni possit. Cic. Tusc. III, 18, 40. *a gravibus illis et antiquis philosophis medicina petenda est, non ab his voluptariis.* Noster Catil. LI, 20. *in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse.* Iug. IV, 7. *quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat?* XXII, 2. — *Sunt* Gerlachius, unius Bas. 1., in quo abest, auctoritate nimis fisus, delevit; neque eo excusandus videtur, quod in Bern. 2. Fabr. 1. et Bas. 4. *sint* legitur.

§. 16. *equidem*] V. ad c. LI, 20. — *Est* non legitur in Guelf. 10. et Vat. 6.; in Bern. 3. *est cons.* Eo Cortius eiecit probante Gerlachio in Commentt. p. 139. — *Sin* pauci tenent libri; nam in omnibus Cortii, quattuor Leidd. et septem Gerlachii legitur *si*, quod tamen in tam gravi oppositione ferri nequit. V. ad c. LI, 24. — *Me*, quod in Inc. 1. Guelf. 2. 3. 6. 7. Barb. 1. 5. Med. 3. Ven. 3. et Leid. M. deest, in Guelf. 2. autem, Inc. 2. et Barb. 4. post *mihi* legitur, Cortius male omisit; nam quod sententiam generalem huic loco melius convenire putat, plane contra est, quia Cato, ceterorum, imprimis Caesaris, sententiis neglectis, quid *sibi* statuendum et timendum sit, disserit. Ceterum dudum monuerunt interpretes, his verbis Caesarem tecte insimulari coniurationis haud ignarum fuisse.

§. 17-18. *statuetis*] Quod in Inc. 1. Ecc. Guelf. 10. et 11. legitur *statueritis*, nihili est, propter *simul decernere.* Recte vero Cortius monuit, *statuere* verbum iudiciale esse, coll. Caes. B. G. I, 19, 5. *petit atque hortatur, ut sine eius offensione animi vel ipse de eo, caussa cognita, s t a t u a t, vel civitatem s t a t u e r e iubeat.* Male Müllerus pro *quare quum* ex Froebelii coniectura scripsit *quae*, praegresso *quare* offensus et pronomen ita cum vi positum censens. Sed particulae repetitio non sollicitanda, v. ad c. XXXI, 5.; quod autem ex scriptura Guelf. 6. *quare quod*, et Acad. *quare quaecumque* coniecturae fidem quaerit, videat ne

certo habetote vos simul de exercitu Catilinae et
18 de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paullulum modo vos languere viderint, iam
19 omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse.
20 Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, prae-

magnopere fallatur. — *Pro certo*, quod explicavimus ad c. XV, 2., Bas. 1. omisit. — *Feroces*, quod multi pro subiecto habent, Herzogius recte monuit praedicatum esse, cum *aderunt* coniungendum. *Aderunt* autem i. e. q. urgebunt. *Adesse* enim non solum de adiuvantibus, sed etiam de impugnantibus dicitur; Iug. L, 4. *Numidae infensi adesse atque instare.* Liv. XXII, 32, 2. *Hannibali diversis locis opportuni aderant, carpentes agmen.* Tacit. Ann. IV, 25, in.

§. 20-21. *nos haberemus*] *Nos* abest in Ecc. Acad. Inc. 2. et pluribus Wassii. Cave tamen hoc probandum censeas; pronomen enim ad oppositionem necessarium est; cf. §. 22. Male etiam in quattuor codd. legitur *nos eam hab.*; isto enim positu vis pronominis delitescit. — Deinceps *est*, quod vulgo post *illis* additur, omisimus; insiticium enim esse docent magnae librorum diversitates. Nam in Bas. 1. Franc. et Leid. M. deest, in Acad. eius loco legitur *esset*, in Bern. 2. *nobis est, quam illis fuit*, denique in Tur. 2. *nobis est, quam illis est.* — *Fuere, qui fecere*; ita dixit, quoniam rem iam effectam cogitat, neque ad illud tempus quo efficiebatur respicit. V. ad c. XVII, 2. XXXIX, 5. — *Domi industria* et quae sequuntur quomodo grammatice cum praegressis cohaereant, dictum ad c. XXIX, 3. — De vocabulo *obnoxius* v. ad c. XLVIII, 5.

§. 22-23. *discrimen nullum*] Quattuordecim libri *est* addunt; sed reliquorum, qui id ignorant, et numerus et auctoritas multo maior est. — *Eo fit, ut impetus fiat* paullo gravius dictum videtur, quam *eo impetus fit*; quo enim modo *facere ut* cum verbo aliquo coniungitur ad id circumscribendum, v. c. Cic. Epp. ad Famm. X, 17. *Lepidus tamen, quod ego desiderabam, f e c i t u t Apellam ad me m i t t e r e t*, eodem modo etiam *fit ut* non aliam nisi verbi cum gravitate quadam circumscribendi vim habet. Illam dicendi

terea armorum atque equorum maior nobis copia quam illis. Sed alia fuere, quae illos magnos 21
fecere, quae nobis nulla sunt; domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos ha- 22
bemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum;

rationem dudum notavit Mich. Heusinger. ad Cic. Off. I, 31, 2. et Car. Beier. ad I, 1, 1. Goerenz. ad Finn. II, 12, 35. Aug. Matthias ad or. p. Rosc. Am. 44, 127. et post hos etiam Zumpt. Gramm. Lat. §. 80. 11. a. not. p. 443. et Moebius ad Caes. B. G. I, 5, 1. Posterioris generis haec attulit Cortius: Cic. Somn. Scip. 8, extr. *ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur.* p. Rosc. Am. 1, 1. *ita fit, ut assint propterea quod officium sequuntur, taceant autem.* Neque offendere debet, quod idem verbum subiungitur; talia enim veteribus interdum elapsa sunt, recte observante Fr. Heusingero ad Off. I, 3, 5. *atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant.* de Or. III, 10, 39. *sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur.* cf. Mich. Heusing. ad Off. III, 4, 16. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 85, 11, 12. p. 504, sq.

§. 24. *Coniuravere patriam incendere*] Non satis commode Müllerus *incendere* vim censet infinitivi futuri habere, ut sit pro *incensuros esse*; neque Cortii explicatio, quam Langius sequitur, placet, infinitivum substantivi instar esse; ab utroque autem diversam Vossii rationem, de Constr. c. 51. p. 514. censentis, infinitivum a praepositione omissa pendere, hodie vix quisquam amplectetur. Quin potius cum Ruhnkenio ad Ter. Eun. III, 3, 22. hunc infinitivi usum ad Graecorum dicendi morem revocamus, qui verbis, quibus consilium significatur, simplicissima ratione infinitivum subiiciunt, quo illud, qualecunque est, indicetur, pro quo Latini vulgo *ut* vel *qui* c. coni., aut *ad* c. gerund. ponunt. Ita Terentii l. l.: *misit porro orare, ut venirem.* Hecyr. III, 2, 10. *filius tuus introiit videre, quid agat.* Hor. Od. I, 15, 7. *Graecia coniurata rumpere nuptias tuas.* Tac. Ann. XIV, 60, init. *Poppaea quendam ex ministris Octaviae impulit, servilem ei amorem obiicere.* ibid. XIII, 13,

23 omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut impetus fiat in vacuam
24 rempublicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere, Gallorum gen-

extr. *Neronem proximi amicorum orabant, cavere insidias mulieris.* Virg. Aen. I, 527. *non nos aut ferro Libycos populare penates venimus, aut raptas ad littora vertere praedas.* ib. VI, 313. *stabant orantes primi transmittere cursum*, ubi Servius recte Graecismum agnoscit. Alia exempla, sed perperam explicata, habebis apud Perizon. ad Sanct. Min. IV, 6. p. 242. Ed. Bau. cf. etiam Herzogium ad h. c. §. 3.

accersunt] Quam formam probavimus ad c. XL, 6. hic tenent Bas. 1. Vat. A. Ecc. Guelf. 2. 3. 5. 9. 12. Tur. 1. Bern. 1. 4.; *accersere* Tur. 2. Bern. 2. *accersire* Vin. 2.; *accerserunt* plures Guelff. Relicui vel *arcessere*, vel *arcesserunt* vel *arcessunt* exhibent. — *Cum exercitu*, quod deest in Fabr. 1. Eichhof. et locum mutat in Fabr. 2. Sen. 2. Heuss. et Bern. 2., Cortius omisit, quia per se intelligatur; sed praeterquam quod codd. obstant, haec verba in ore Catonis, periculi magnitudinem facinorisque atrocitatem ostendentis, paene necessaria sunt. Quo igitur iudicio Gerlachius Cortii coniecturam, c. XLIII. 1. pariter *cum exercitu* deleri cupientis, huius loci diversitate confirmari censeat, equidem non assequor. — *Supra caput esse* haud raro dicitur ad imminens periculum significandum; cf. Liv. III, 17, 2. *quum hostes supra caput sint.* id. IV, 22, 6. *clamor supra caput hostilis captam urbem ostendit*, ubi v. Drakenb. XXI, 33, 2. Cic. p. Mur. c. 37, 79.

§. 25. *vos cunctamini* etc.] Hunc locum Müllerus perperam interpungendo plane corrupit. Interrogandi enim signo post *nunc* posito, ex una interrogatione duas fecit, utramque sensu mancam. Rectà non aberravisset, si vidisset *cunctamini* esse *dubitatis, in incerto habetis*, ut §. 31. a qua sententia quae sequuntur necessario debent apta esse. Alio modo *cunctamini* verbum librariis fraudi fuit; in plerisque enim codd. additum est *et dubitatis*, exceptis Fabr. 1. 2. Bas. 2. Acad. Leid. I. tribus Gruteri totidemque Putschii, quos apertam glossam ignorantes Cortius cum relicuis editoribus merito secutus est. *Cunctari* autem pro *deliberare* non infre-

tem infestissumam nomini Romano ad bellum accersunt, dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiam nunc, quid intra moenia 25
deprehensis hostibus faciatis? Misereamini censeo, 26
(deliquere homines adulescentuli per ambitionem), atque etiam armatos dimittatis. Ne ista vobis man- 27

quens; cf. Suet. Octav. c. 8. p. m. id. Domit. c. 2. p. m. c. 17, init. Ernest. ad Tacit. Ann. IV, 42, in. Gronov. Obss. I, 18. — De particulis *etiam nunc* v. ad c. II, 1. — *Deprehensis*, quod olim vulgabatur, a Cortio et Gerlachio ex Nazar. Commel. Guelf. 5. Rem. 2. Ecc. Paris. A. C. D. et Bas. 3. m. sec. in *apprehensis* mutatum est. Nobis tamen vulgata tum propter longe maiorem, quibus firmatur, codicum numerum praeferenda videtur, tum quod verbum *deprehendere* multo usitatius est altero de iis, qui sceleris noxii reperiuntur convictique tenentur; v. Ernestium in Clav. Cic. h. v. coll. Nostro Cat. c. XLVI, 2. *in maxumo scelere tantis civibus deprehensis*. L, 4. *de L. Cassio, P. Furio, si deprehensi forent, supplicium sumendum*. Iug. XXXV, 6. *ipse deprehensus indicium profitetur*. Ceterum de structura ambigitur; Bipontini enim, commate post *quid* et *hostibus* posito, verba pro ablativis absolutis habent, Langius inter hanc structuram et dativum fluctuat, Cortius pro tertio an sexto casu habeantur perinde esse dicit, quae ratio nobis sola probatur. Quominus enim ablatt. absoll. sint, hoc obstat, quod omnis haec consultatio ad coniuratorum personas refertur; neque enim in universum quaeritur, quid, coniuratione detecta, agendum sit, sed qua poena coniurati afficiendi. Eandem *facere* verbi structuram habes Iug. LXXXV, 17. *quod si iure me despiciunt, faciunt idem maioribus suis*. Catil. LV, 2. *idem fit ceteris*. cf. Ruddimann. Institt. T. II. p. 217. Bremius ad Nep. Agesil. IV, 6.

§. 26. *atque etiam armatos dimittatis*] Haec quoque Müllerus sollicitavit, perversam Telleri interpunctionem secutus, qui puncto post *ambitionem* posito sequentia pro interrogatione habet. Sed ut taceam, isto modo nullam unquam interrogationem concipi posse, totus perit ironiae color, quo hic locus insignis est. Quocirca cum Bipontinis parenthesis signo verba *deliquere — ambitionem* inclusimus, ut irrisionis gradatio melius appareat. *Atque* particulae vis, per se augendae sententiae inservientis, (v. ad c. LI, 10.) haud

suetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in
28 miseriam vortet. Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi alius alium exspectantes

parum addito *etiam* intenditur; cum sententiae igitur detrimento in Commel. Fabr. 1. 2. Guelf. 5. nonnullisque aliis deest. Videat tamen Gerlachius, ne male voculam defenderit, *increpantis* esse dicens, ut apud Ter. Eun. V, 6, 16. *quid dixisti pessuma? etiam rides?* Ceterum Langius mirifice fallitur, *misereamini* et *dimittatis* optative interpretatus: Ihr möchtet euch gern erbarmen, etc., quum verbum *censeo* ad praegressam interrogationem spectans unumquemque doceat, haec esse cum irrisione suadentis. Toto coelo igitur Gerlachius Vol. II. P. I. p. 140. aberravit, *veremini*, quod scribendi vitio in Vatic. A. legitur, recipiendum ducens, quia, *opinor*, *credo*, *spero*, *censeo* verbis orationi interpositis, indicativus constanti Romanorum usu ponatur. De tribus prioribus recte monuit; sed *censeo* neque h. l. orationi interpositum est, neque unquam ubi indicativus praecedit interponi potest. Quo errorem cumulet Gerlachius, indicativi exemplum, scilicet ex innumeris aliis, affert Cic. or. in Catil. IV, 6, 13. *veremini, censeo, ne in hoc scelere tam immani aliquid severe statuisse videamini*, ad q. l. cautior Matthias *notandum*, ait, *censeo ironice et sine regimine positum, cuius aliud exemplum non suppetit.* Sed ne hoc quidem opus erat; nam quum *veremini* non indicativus sit praesentis, sed imperativus, sensu non multum diversus ab coniunctivo, nisi quod paullo gravius ita dicitur, per se patet imperativum non a *censeo* verbo aptum esse posse, nihilque insoliti in hac structura inesse, quum nudum *censeo* in tali verborum ratione *ita scilicet censeo* significet.

§. 27. *Ne ista vobis mansuetudo*] *Ne* particula scribis male intellecta, multas corruptelas genuit; praeterquam enim quod in haud paucis libris additur *timeo*, *vereor*, *cavete*, plerique exhibent *vertatur* vel *convertatur*, pauci *convertat*. Nimirum *ne*, affirmandi potestate positum, pro vulgari prohibendi particula habuerunt, cuius ratio ut constaret varia tentarunt. Sed Cortius recte vidit, unice veram esse quam unus Rivii cod. exhibet scripturam, *ne vortet*, cui proxime accedit Guelf. 5. *ne vertat*, i. e. profecto se vertet; cf. Iug. XIV, 21. *ne ille gravis poenas reddet.* LXXXV, 20. *ne illi falsi sunt.* Cic. in Catil. II, 3, 6. *ne illi vehementer errant.* Utut autem scribae in nostro loco grassati sunt, illud certe ex

cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus 29
auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene

eorum erroribus patet, affirmandi particulam *ne*, non *nae* scribendum esse, id quod etiam ex Prisciano intelligitur, qui l. XV, 5, 32. p. 631. Ed. Kr. prohibitivum *ne* cum hoc affirmativo confundit; cf. etiam Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 55. — De reflexivo verbi *vertere* usu vide ad c. VI, 7.

§. 28. *res ipsa*] Pronomen, quod Fabric. 2. non habet, Cortius eius auctoritate omisit, quod factum Gerlachius merito non est imitatus. Consulto enim Sallustius pronomen posuit, quia Senatus iudicium rei opponit, hoc sensu: res *per se quidem spectata* aspera est, ita ut *alios* merito terreat, sed *vos*, quippe fortiores, non timetis eam. Igitur Langius sensum non assecutus est, quum pro *ipsa* ex Guelf. 10. *ista* scribi vult. — *Videlicet* Cortius pessime eiecit, tum aliis tum Gerlachio obsequentibus. Codd. particulam tenent omnes, praeter Vin. 2., in quo *velut* est; sensus autem eam flagitat, quia Cato hanc non veram cunctandi caussam habet, sed ironice patribus subiicit. Neque obest, quod *scilicet* praecessit et §. 31. *videlicet* sequitur, v. ad c. IX, 4. coll. XLVIII, 7. et LI, 40.

§. 29. *Non votis neque suppliciis*] Senat. 2. et Guelf. 3. *non votis atque suppl.*, sed v. ad §. 6. — De *sed* particulae ellipsi v. ad c. LVIII, 14. — *Prospera cedunt* plurimis sustentatur libris; olim vulgabatur *prospere ced.* Adiectivum pro adverbio positum illustravimus ad c. XXVI, 5. Adde Gronov. ad Tacit. Ann. II, 5, init. *Germanicus tractare quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent.* — *T. Manlius Torquatus;* praenomen Manlii in uno Guelf. 11. *Titus* scribitur, relicui omnes *A.* i. e. *Aulus* exhibent. Sed quum librarii saepissime in nominibus peccent, aliorum potius scriptorum, qui constanter *Titum* vocant, auctoritatem sequendam putavi; cf. Cic. de Off. III, 31, 112 sqq. *L. Manlium M. Pomponius criminabatur, quod Titum filium ab hominibus relegasset*, et paullo post *atque hic T. Manlius is est, cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati, magnus vir in primis, et qui perindulgens in patrem idem acerbe severus in filium*, ad quem locum v. Car. Beier. cf. de Finn. I, 7, 23. Gell. IX, 13, extr. Liv. VIII, 7 sqq. Ex quibus scriptorum testimoniis

consulendo prospera omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequicquam deos im-
30 plores; irati infestique sunt. Apud maiores nostros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat,
31 necari iussit, atque ille egregius adulescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit; vos de crudelissumis parricidis quid statuatis cunctamini? Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat.
32 Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae,

simul patet, non *Gallico*, sed *Latino* bello severum illud disciplinae militaris exemplum a Manlio proditum esse, licet Dionys. Hal. AA. RR. VIII, 79. Sallustio assentiatur. Sed maxime probabilis Cortii coniectura est, Sallustium illud bellum, quo Manlius Torquati cognomen invenerit, cum eo confudisse, quo filium iniussu suo pugnantem interfici iusserit.

§. 31-33. *vos de crud.*] Haec, quoniam non integram sententiam, sed posteriorem antegressae periodi partem efficiunt, non puncto sed minore interpunctione distinguenda putavimus. — De voce *parricida* v. ad c. XXXI, 8. et LI, 25. — *Vita cetera*, i. e. singulae vitae anteactae partes; cf. Car. Beier. in Seebodii Miscell. critt. I, 1. p. 181 sqq. et v. ad Catil. III, 5. Gerlachius quid cogitaverit haec annotans: „*cetera* pro *reliqua*, id quod apud Sallustium frequens," difficile est ad intelligendum. — *Si pudicitiae pepercit;* quid his Lentulo obiicere voluerit, patet ex dictis ad c. XIV, 7. — *Nisi iterum patriae bellum fecit*, i. e. si nunc primum ad patriae perniciem coniuravit, neque antea iam pestifera consilia iniit. Olim legebatur *iterum iam*, quod a Cortio reiectum Langius et Müllerus male repetierunt; quum enim h. l. de sola facinoris repetitione, non de aliqua enumeratione agatur, plane absona est *iam* particula. Inde autem orta est, quod aliquis librarius voci *iterum* explicandae superscripserat *alterum iam;* quo factum, ut haec verba in multis codd. in textum irreperent, in aliis *iam* particulae *iterum* adhaereret. Multi tamen veram scripturam servant, velut Bas. 1. 2. Fabric. uterque, Inc. 1. 2. plures Wassii, alii.

si famae suae, si dis aut hominibus umquam ullis
pepercit; ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi ite- 33
rum patriae bellum fecit. Nam quid ego de Ga- 34
binio, Statilio, Coepario loquar? quibus si quicquam
umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica
habuissent. Postremo, Patres conscripti, si meher- 35
cule peccato locus esset, facile paterer vos ipsa
re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique
circumventi sumus, Catilina cum exercitu faucibus
urget, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt

§. 35. *si mehercule peccato locus esset*] *Mehercule* est *profecto*, *sane*, *vel maxime;* eius particulae *si* postpositae haec Cortius laudavit exempla: Plaut. Aul. I, 2, 17. Liv. XXVIII, 44, 12. Vatinius in Cic. Epp. ad Famm. V, 10. — *Peccato*, i. e. errori in iudicando et consulendo. — Pro *verba* in Vin. 2. Inc. Guelf. 7. 12. omnibus Leidd. et in Ed. Wassii legitur *verba mea;* incommode; Cato enim rebus verba generaliter opponit, ut semper fere in tali sententia, ubi *res* valent vel *facta* vel *rerum condicionem*; cf. supra c. XX, 15. *res, pericula magis quam oratio hortentur.* Liv. XXVIII, 40, 11. *rebus quam verbis assequi malui.* XXIX, 22, 1. *Scipio res non verba ad purgandum sese paravit.* Paullo aliter in rebus philosophicis *verba rebus* opponuntur, ita ut hae sententias significent, illa dicendi modum, quo sententiae exprimuntur; v. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 4, 47. Car. Beierus ad Cic. de Off. III, 21, 81. et Goerenz, ad Legg. I, 6, 19. Tertius denique usus est, quo vocabulorum ablativi *verbo* — *re* ita ponuntur, ut illud idem sit atque *specie*, hoc *re vera* significet; v. Bremius ad Nep. Phoc. III, 3. *Phocio caussam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polysperchontem dixit.* Cic. p. Cluent. c. 19, 54. *verbo ille reus erat, re quidem vera Oppianicus.*

cum exercitu faucibus urget] Hunc locum solus Cortius recte cepit et explicavit; vidit enim *faucibus urgere* non de angustiis viarum sed translate de iis dici, qui aliquo malo ita premantur, ut effugiendi non sit locus, quo sensu supra §. 24. dixerat *cum exercitu supra caput esse*, coll. Cic. p. Cluent. c. 31, 84. *istam conciliationem gratiae Staienus tum recenti re, quum faucibus*

hostes, neque parari neque consuli quicquam occulte potest; quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriam-

premeretur, *excogitavit*, et Valer. Max. V, 3, 3. *qui pestifera T. Gracchi manu faucibus opprehensam rempublicam strangulari passus non est.* Plaut. Cas. V, 3, 4. *manifesto faucibus teneor*, qui loci simul ostendunt *faucibus* ablativum esse, quem casum Herzogius sine praepositione non ferri posse putat. Ceteri autem interpretes *in* addunt, quod nonnulli codd. habent, et *fauces* intelligunt de *angustis viis* Romam ducentibus, sive, ut Müllerus, *de introitu* in urbem, conferentes Flor. I, 10, 2. *Porsenna ipsis urbis faucibus incubat*, et Cic. in Cat. I, 2, 5. *Castra sunt in Etruriae faucibus collocata.* Sed quid fauces ad Romam? De quibus quum nihil dictum sit, non potest etiam de iis cogitari, non magis, quam de angusta valle, in qua, secundum Gerlachii sententiam, Cato populum Romanum inclusum fingat. Quare confidimus, omnes, qui vim antecedentium verborum *undique circumventi sumus* assecuti sint, nobiscum Cortii explicationem probaturos. Quod autem in nonnullis codd. est *faucibus Italiae*, recte idem monuit de Italiae angustiis multo minus quam de urbis cogitari posse, quod tamen Dahlii et Gerlachii intelligentiae aliter visum. Neque nos movet, quod hic inconcinnum esse dicit, quod in oppositis alterum membrum (*faucibus urg.*) per tropum sit expressum, in altero (*intra moenia*) propria verborum significatio retineatur. Non haec enim sibi opposita sunt, sed potius *cum exercitu urget* et *intra moenia hostes*, quibus verbis Cato hoc vult, et *extrinsecus* periculum imminere, et *intus* esse.

atque in sinu urbis] *Atque* particulam, a Cortio sine ulla librorum auctoritate omissam, Gerlachius recte restituit. Aptissima enim haec vocula gradationi, qualis hic est, ubi ab universa urbe ad Senatum, qui *sinu urbis* significatur, transitus fit; pari plane sensu in eadem re Cicero *atque adeo* dixit, in Catil. I, 2, 5. *ducem hostium intra moenia, atque adeo in senatu videmus*, ubi v. Matthias; cf. Goerenz. ad Acadd. II, 11, 36. ad Finn. I, 16, 51. Car.

que paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumendum.

LIII. Postquam Cato assedit, consulares omnes itemque Senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad coelum ferunt, alii alios increpantes timidos vocant, Cato clarus atque

Beier. ad Off. I, 10, 33. — *Occulte* i. e. ita ut coniurati non audiant aut cognoscant. — *Est* Cortius omisit, de suis libris tacens; sed omnes Leidd. Bass. Bernn. Turicc. ac Teg. constanter tenent.

§. 36. *ita ego censeo*] Ita Bas. 1. Sen. 2. Heuss. Guelf. 4. Erl. Pronomen omittunt octo Leidd. et Bern. 1. 2. Plurimi *censeo ego;* utrumque male. — *Aliaque se foeda; se*, quod est in Bas. 1. Fabr. 1. 2. Senat. 2. Tur. 1. Bern. 3. 4. Heuss. Guelf. 2. 4. 9. Mark. *Γ. Α. Β.* Pub. Norvicc., Gerlachius primus in textum intulit; recte, opinor; nam scribis non deberi videtur, qui pro suo more ad talia potius delenda proni sunt. Structura autem talis est, qualem illustravimus ad c. I, 1. — Pro *aliaque* Cortius scripsit *alia*, quod ferri possit secundum ea, quae disputavimus ad c. XV, 1. Sed quoniam tres tantum Wassii libri ita exhibent, reliquorum omnium auctoritas potior esse debet. — *Manifestus* c. genitivo eodem modo dixit Iug. XXXV, 8. *Iugurtha manifestus tanti sceleris.* Plaut. Truc. I, 2, 30. *manifestam mendacii, mala, te teneo.* Tacit. Ann. XIII, 26, extr. *criminum manifestos merito ad servitutem retrahi.* II, 85, med. *uxor delicti manifesta.* Cort.

LIII. §. 1. *itemque*] Bern. 1. *item*, sine copula; sed v. ad c. XLVII, 3. — *Clarus atque magnus;* vulgo inverso ordine *magnus atque clarus*, quem ordinem Gerlachius deseruit, secutus auctoritatem codd. Teg. Leidd. E. F. I. K. L. Bas. 1. Bern. 1. 3. omniumque Italicorum codd. excepto Ven. 2. nobis quoque probatam; *magnus* enim vi et gravitate, utpote generalior notio, prae altero videtur eminere, et ita demum, si gravius vocabulum posteriorem locum tenet, *atque* particula recte habebit; v. ad LI, 10. LII, 26. Receptum ordinem praeterea confirmat geminus Taciti locus Agric. c. 18. p. m. *clarus ac magnus haberi Agricola.* — *Habetur* Cortius perperam eodem sensu dictum vult, quo I, 4. *virtus clara aeternaque h a b e t u r*, ubi v. nos. Hoc loco nihil aliud est, quam *putabatur*, *praedicabatur.* Contra videtur Ger-

magnus habetur, Senati decretum fit, sicuti ille
2 censuerat. Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit

lachio, qui, ut *Graeci* sermonis usu *habetur* positum esse demonstret, comparavit Caes. B. G. I, 21, 4. *Considius rei militaris peritissimus habebatur.* — *Senati*, quam formam scribae ubique fere oblitterarunt, h. l. tenent Guelf. 8. 10. 12. Bern. 1. et Paris. A. V. ad c. XXX, 3.

§. 2. *multa audienti*] Ita plurimi optimique libri; nonnulli tamen *multaque*, alii *et multa*, alii denique *atque multa*, quae varietas interpolationem arguit. — *Quae populus R. fecit;* indicativo recte utitur, quia veritatem quae in rebus ipsis inest respicit, neque sententiam ab aliqua cogitatione suspensam extulit; cf. ad Iug. IV, 4. — Pro *domi militiaeque* Müllerus ex uno Guelf. 3. scripsit *d. militiaque*, quod videndum, ne dicendi usu ita ut *domi belloque* commendetur; hoc certe loco unus codex tot relicuis in tam incerta re praeferri non debebat. — *Sustinuisset* Langius non satis recte interpretatur *effecisset;* melius Müllerus: *effecisset ut pop. Rom. tantis negotiis par esset*, translatio enim sumpta ab onere vel re gravi, cui ne succumbamus magnopere nitimur. Cf. Cic. Off. I, 34, 9. *est igitur proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere.* Epp. ad Famm. II, 1. extr. *sic ad nos revertare, ut quam exspectationem tui concitasti, hanc sustinere ac tueri possis.* ib V, 5. extr. *sed relicua multo maius meum studium maioremque gravitatem et laborem desiderant; quae ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo.* Quibus exemplis, quae Cortio debentur, satis opinor patebit, *sustinere* de iis rebus dici, quae non sine aliquo negotio geri posse videantur. Plusquamperfecti autem coniunctivo auctor utitur, quoniam quaestionem de caussis Romanorum magnitudinis non ad hoc ipsum quo scribit tempus refert, sed ad illud iam praeterlapsum, quo quaerendi lubido eum incessit.

§. 3. *ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse* etc.] Haec et sequentia quomodo cum antegressis cohaereant interpretes non asseruti sunt, eoque factum, ut de totius loci sententia perperam iudicarent. Primarius enim error fuit, quod antegressa aliam vim habere statuerunt, quam sequentia; quippe illis significari quae

attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam saepe numero parva manu cum 3
magnis legionibus hostium contendisse, cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad

Romanis magnifica sint, his contrarias plane res contineri. Quae ut inter se conciliarent, quidam voluerunt ante *facundia* suppleri *etsi scio*, quod quam ineptum sit nemo non videt. Dahlius vero, Tellerum secutus, hanc viam iniit, ut *ad hoc* explicet *quamvis* vel *quum tamen*, quod ipsum non Latinum est, quum *ad hoc* copulandi tantum, non concedendi vim habeat, v. ad c. XXXI, 8. et Drakenborch. ad Liv. XXI, 52, 10. Quid Langius autem sibi velit, omnes difficultates sublatas censens, si *fuisse* „strictissimo sensu accipias, *fuisse* aliquando, non amplius *esse*," equidem non assequor. Sed ne his refellendis multi simus, tenendum est, non diversas sententias a Sallustio proferri, sed singulis idem consilium, eandem mentem esse, hanc nempe, ut demonstret, quae vulgo magnitudinis caussae putentur, ea omnia Romanis defuisse. Non habebant enim magnos exercitus, et copiarum vim, non perpetua fortunae gratia gaudebant, sed saepe eius violentiam toleraverant, neque eloquentiae laude Graecos aut belli gloria Gallos aequabant; sed harum rerum loco Romanis paucorum civium egregia virtus fuit, quae omnia patravit. Vides praeclaram sane loci ita intellecti esse sententiam, veraque brevitate insignem.

legionibus hostium] *Legiones* latiore significatu de quovis exercitu etiam aliorum populorum dici observavit Cortius, coll. Iug. LXXIX, 4. *postquam utrimque legiones fusae fugataeque.* Liv. III, 3, 3. *exercitum et legiones hostium adesse.* — *Fortunae violentiam* non cum Cortio, Dahlio et Müllero de seditionibus civium, sed tantummodo de cladibus, quibus respubl. haud semel affligebatur, intelligo, velut quum Galli urbem incendissent, Pyrrhus et Hannibal rempublicam in summum discrimen adduxissent, aut quum Cimbri et Teutones imminerent. Perperam Langius ad illa tempora respici putat, quibus Brutus Tarquinium regno pelleret, aut Horatius Cocles et Mucius Scaevola urbem obsidione liberarent; haec enim fortunae potius beneficio quam iniquitate acciderunt. Sed fortasse eo lapsus est, quod *violentiam tolerare* putavit esse *violentiae resistere*, quum potius sit *violentiam experiri.* Ad dictionem *ante aliq. esse* pro *superare aliq.* Cortius contulit Tacit. Histt. IV, 55. *Classicus nobilitate opibusque ante alios.*

hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.
4 Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas supe-

Adde II, 76, extr. *tua ante omnes experientia.* Ann. I, 27, in. *Lentulus ante alios aetate et gloria belli*, ubi v. Wolf. Altioris gradus significationem *ante* praepositio etiam habet in Iug. X, 7. *ante hos te, ne quid aliter eveniat, providere decet.* XV, 1. *neu verba ante facta ponerent.* Consimili modo locutus est Iug. LXXIII, 6. *ut sua necessaria post illius honorem ducerent.*

§. 5. *rursus*] I. e. contra; cf. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 10, 34. *nam quum aestimatio, quae ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit, neque rursus in malis.* Tacit. Anall. I, 80, p. med. *neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat.* Agric. c. 29, in. *quem casum neque ambitiose, neque per lamenta rursus et maerorem muliebriter tulit.* cf. Steuber. in Iahnii Anall. Philol. et Paedag. a. 1827. III, 1. p. 109.

sicuti effetae parentum] Vix alibi magis se torserunt interpretes, quam in hoc loco explicando. Libri omnes tenent *sicuti effeta parentum;* unus modo Guelf. 7. pro *parentum* habet *parente*, et Paris. A. *veluti* pro vulgato *sicuti.* Valde autem obscurum est, quo casu *effeta* positum sit, tum quam genitivus rationem habeat, denique quod huius enunciationis subiectum sit. Quo factum est, ut alii intelligerent: *ac, sicuti effetâ (republicâ) parentum multis tempestatibus*, i. e. propter magnas maiorum calamitates; alii *effeta parentum* caperent pro *effeta parente*, alii, ut Auson. Popma, *effeta* neutro plurali dictum putarent pro *effetae parentes.* Quae omnia ut Fr. Gronovius Obss. I, 2. p. 17 sqq. Ed. Lips. recte respuit, quippe grammaticae et nexui repugnantia, ita ipse multo peiorem et plane portentosam explicationem commentus est, quam quum ipse, vixdum magnis perversae doctrinae ambagibus et molimimibus absolutam, infelicissimam esse senserit, nolumus hic afferre, sed talium cupediarum cupidos ad librum laud. remittimus. Quam postea rationem iniit, ut ad *effeta* ex sequentibus suppleret *virtute*, id eiusmodi est, ut a nemine possit intelligi, quamvis miretur, nemini tam facilem explicationem in mentem venisse. Non melioris notae est, quod Tellerus ex antecedentibus *republicâ* supplet, *effeta parentum* interpretatus *effeta parente*, ut sensus sit: *quum*

raret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat, ac sicuti effetae parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit.

respublica, velut mater, effeta esset, cui structurae, propter ellipsin iam satis scabrae, non modo positus *velut* particulae, sed sententia ipsa obest. Ex reliquis unam adhuc Cortii placet afferre sententiam, qui vulgatae sensum ita circumscripsit: „ac sicuti *effeta parens* inter parentes *sese habere solet*, ut nullos amplius liberos proferat, sic Roma sese habuit, ubi multis tempestatibus nemo virtute magnus fuit.“ Quod utut languet, illud tamen recte vidit Cortius, *Romam*, quae magnos viros gignere desierit, *comparari* cum *muliere*, partubus exhausta; haud levis est enim error eorum, qui *rempublicam* translate *matrem vocari* magnorum virorum putant. Inde consequitur, *velut*, quod omnes fere invitis codd. in textum intulerunt, hic ferri non posse; hac enim vocula, id quod iam eius origo docet, levis tantum similitudo significatur, *sicut* vero iustae comparationi, qualis hic est, inservit, v. Herzog. ad c. II, 8. LII, 36. His constitutis, non dubitamus, quin, quum vulgata nullo modo explicari possit, recepta lectio, Cortii coniecturae sed ab ipso neglectae debita, et sensui satisfaciat et structurae, quamquam paullo liberiori ratione institutae. Quum auctor enim dicere debuisset: *ac, sicuti effetae parentum* n u l l a p r o l e s e s t, *ita* h a u d s a n e q u i s q u a m *Romae* v i r t u t e m a g n u s f u i t, sive nimio brevitatis studio, sive, quod verius, negligentia quadam prioris membri eam partem, in qua comparationis cardo versatur, omisit, quo fit, ut posterius membrum ad prius relatum non bene cum eo coire videatur; sed si tenueris, utrumque habere communem generalem sententiam *facultatis gignendi imminutae atque amissae*, non est quod in nexu haereas. Neque obstat, quod *effetae* genit. quem dicunt subiectivus est, *Romae* loci magis potestatem habet; locus enim, ubi aliquid fit, quodammodo etiam eius rei caussa et origo est. Ceterum *effetae parentum*, id quod Cortius iam monuit, dictum est pro *effetae parentis*; cf. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XXX, 9, 1. *Scipio Laelium cum expeditis militum mittit.* Zumpt. Gramm. Lat. §. 73, 3. not. 1. p. 340. Ruhnk. ad Vell. II, 80, 2. *non ab aliis veteribus Romanorum ducum quicquam ausum fortius.* Vechner. Hellenol. p. 131. ubi v. Mich. Heusin-

6 Sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar; quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope

ger. — *Effeta* omnes libri, quae scriptura analogia magis commendatur quam *effoeta;* descendit enim ab antiquo verbo *feo* i. e. gigno, cf. Voss. Etymol. p. 212. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 78 sq. et Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I, p. 114. Denique, ne quid desit quod ad h. l. pertineat, addimus, Bipontinos et Langium scripsisse *velut effeta parente* etc., Müllerum vero scribendum coniecisse: *ac, sicuti effeta parente, in multis temp.* etc. Videant acutiores, quid horum omnium verum sit.

§. 6. *divorsis moribus*] Cortius ex codd. Sen. 2. et Heuss. scripsit *divorsi moribus*, quod per se quidem non contemnendum est, quum haud raro adiectivum, proprie cum praedicati nomine coniungendum, ad subiectum referatur, v. c. Iug. LXXVIII, 3. *duo sunt sinus, impares magnitudine, pari natura.* Vell. II, 11, 1. *Marius fuit vita sanctus.* ib. II, 29, 3. *Pompeius innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius.* II, 34, 3. *Cicero, ut vita clarus, ita ingenio maximus.* Tacit. Ann. II, 6, init. *naves planae carinis.* ibid. c. 33, init. *vasa auro solida*; c. 34. p. med. *Tiberius compositus ore.* Liv. VII, 10, 7. *corpus magnitudine eximium*, cuius generis plura exempla Drakenborchius notavit ad I, 9, 11. Quominus tamen hanc structuram hic probemus, codicum obstat in vulgata consentientium auctoritas. — *Obtulerat* aeque ac *fuit* contra morem dictum; exspectes enim *obtulit* et *est.* Ad plusquamperf. et perf. excusandum possis dicere, auctorem, digressione de caussis Romanorum magnitudinis facta, cogitatione ad illum locum redire, ubi Caesaris et Catonis orationes retulerat, quos ita *res obtulit.* Sed ut eorum *naturam et mores aperiret,* non illis orationibus, sed *digressione* admonitus est; rursus autem digressionem instituit, ut de illorum ingenio et moribus disputare posset. Quare quum falsum sit, *rem* illos viros obtulisse, suspicor, Sallustium callide orationem ita instituisse, ut lectores, si posset, celaret, hanc de Caesaris et Catonis ingenio disputationem longius petitam neque satis commode narrationi de puniendis coniuratis

aequalia fuere; magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. 2 Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. 3 Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam

interpositam esse. — Praeterea orationis notandus pleonasmus, negligentia, ut videtur, ortus; nam aut *silentio*, aut quae inde a *consilium* leguntur supervacanea sunt. *Silentio* autem *non praeterire* quoniam affirmativae sententiae vim habet, *quin* particulae proprie locus esse non poterat; sed patet, auctorem eam tantummodo ad verba *non praeterire* retulisse.

LIV. §. 1. *alia alii*] Haec non recte cepit Müllerus, interpretatus: „aliis rebus uterque fuit *diversus* ab altero." Nam quae sequuntur non eam vim habent, ut alias res atque *magnitudinem animi et gloriam* illustrent, sed ut demonstrent, illos gloriam parem diversa via esse consecutos. Quocirca *alia* non neutro plurali capiendum est, sed ad *gloria* referendum. *Alii*, licet de duobus tantum dictum, necessarium erat propter praegressum *alia*, qua voce utriusque gloria nondum explicata et illustrata comprehenditur. Ad mutuam igitur rationem quae inter res et personas intercedit significandam opus erat, ut personae vocabulum cum rei vocabulo congrueret. Eodem modo dixit Livius I, 21, 6. *ita duo deinceps reges alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt.* Quia non poterat dicere *altera via*, nondum enim de iis viis dictum erat, non potuit etiam *alter* pronomine uti. Ibid. I, 25, 5. *duo Romani super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt.*

§. 3. *dando — nihil largiundo*] Scite Dahlius animadvertit, artificiose callideque haec a Sallustio ita sibi opponi, ut nimium largiendi in Caesare studium non modo tegatur excuseturque, sed etiam in laudem vertetur. — *Est* post *adeptus*, quod omnes habent, libri, Cortius tacite omisit. Paullo ante tamen longe plurimi omittunt post *factus*, sex tantum postponunt, unus praefixit, quibus nulla fides. Pro *perfugium* nonnulli *refugium*, alii *profugium*. Sed quoniam *profugere* est aufugere, incerto, quid petas, (cf. Catil. VI, 1. *Troiani Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur.* Iug. XXXV, 1. LVI, 6. LXXVIII, 1. cui non obstat Iug. XIII, 4.) sequitur *profugium*, quo certus locus significetur, non recte dici

adeptus est. In altero miseris perfugium, in altero malis pernicies; illius facilitas, huius constantia
4 laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare quod dono dignum esset;

posse, licet Noltenius Lex. Antibarb. p. 1092. *profugium* a *perfugio* non diversum esse censeat; *refugere* autem et *refugium* de iis dicitur, qui aliquo se recipiunt, ut ibi quam longissime a periculo absint; *perfugium* vero et *perfugere* usurpatur, si quis aliquo fuga contendat, ubi tutus sit impetumque defendere possit; quod quum a Caesare iis praestabatur, qui ei sese committebant, *perfugium* optime huic loco convenit; cf. Iug. LII, 3. et quae Cortius laudavit Cic. in Verr. I, 46, 119. Epp. XII, 6. med. Vell. II, 109, 2. Tacit. Ann. V, 3, init. Interdum tamen utrumque dici potest, sed ita ut alterutrum efficacius sit maioremque vim habeat. — *Erat* post *perfugium* aliquot libri omittunt, quos Gerlachius secutus est, nobis non obnitentibus.

§. 4. *in animum induxerat*] Müllerus interpretatur: *eo perduxerat animum suum*, quod non magis accuratum videtur, quam Kunhardti explicatio *sese assuefecerat;* quin potius est, id unum propositum habebat, id faciendum putabat, in eo omnem operam censebat ponendam, ut laboraret, vigilaret. Plurima dictionis exempla contulit Drakenb. ad Liv. I, 17, 4. — *Neglegere* non pendet ut antecedentes infinitivi ab *induxerat*, sed infinit. historicus est, quod Cortius recte vidit ex nominativo casu *intentus* patere. — Imperfectum haud raro infinitivis historr. subiunctum illustravimus ad c. XVI, 2. cf. Tacit. Ann. II, 43, med. *Piso uxoris nobilitate incendebatur; vix Tiberio concedere; liberos eius despectare; nec dubium habebat* etc. — *Dono dignum* i. e. ad donum aptum, sive tale, quod cum dignitate dono dari posset. — *Novum bellum* non cum Cortio et Müllero interpretor *magnum, mirandum*, sed proprio sensu intelligo de studio bella ex bellis serendi, et ab uno ad alterum properandi. Haud dubie autem Sallustius de bellis contra Gallos, Germanos, Brittannos gestis, fortasse etiam de eo quod contra Parthos parabat, cogitavit, quorum nulla, non magna certe, necessitas erat. Verius de ea re Suetonii iudicium, vit. Caes. c. 24. *nec deinde ulla belli occasione, ne iniusti quidem et periculosi, abstinuit, tam foederatis quam infestis*

sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto

ac feris gentibus lacessitis; adeo, ut Senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerint.

§. 6. *cum innocente*] Diximus ad c. XII, 1. *innocentem* vocari avaritiae crimine liberum; abstinentia igitur et innocentia non diversae sunt significationis. — *Eo magis sequebatur.* Codices magnopere variant; eo tamen redit diversitas, quod pro *sequebatur* vel nude habent *assequebatur*, vel huic verbo addunt *illum*, *eum*, *illam*, *illa*, *eam*, *gloriam.* Quae ut nimia varietate interpolationem produnt, ita patet, etiamsi casum omittas, tamen *gloriam* non posse obiectum verbi *assequebatur* esse. Aliquam enim rem *assequi* is tantum dici potest, qui data opera adhibitoque studio eo quo vult pervenit; quoniam igitur *petita* tantummodo assequimur, non potest h. l. ea sententiarum oppositio esse, ut Cato *non petitam* gloriam *assecutus* esse dicatur. A vero autem aberravit Ruhnkenius ad Vell. II, 127, 4., his Velleii verbis: *Tiberius Seianum adiutorem habuit, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia,* in Sallustiano loco *assequebatur* defendens. *Vindicare* enim de eo dicitur, qui aliquid ut suum sibique debitum postulat vel occupat; qui igitur tectius aut callidius et versutius rem appetit eaque potitur, is merito eam non vindicasse sibi, et tamen assecutus esse dicitur. Quocirca non dubium, quin *sequitur*, a Cortio et Gerlachio editum, unice verum sit; *sequi* enim frequenter eae res dicuntur, quae non quaesitae, sed quasi sua sponte obveniunt. Ita eâdem sententiâ Plin. Epp. I, 8, 14. *sequi enim gloria, non appeti debet.* Noster Catil. III, 2. *tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum.* XII, 1. *postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur.* Fragm. Historr. I, 19. §. 9. *ubi malos praemia sequuntur.* ibid. §. 21. *fortuna meliores sequitur.* Nostro loco ut mutatio subiecti ellipsisque obiecti nihil plane molesti atque vitiosi habet, ita certum est eam rem tot interpolationibus caussam fuisse.

pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat; ita quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.

LV. Postquam, ut dixi, Senatus in Catonis sententiam discessit, Consul optumum factum ratus noctem quae instabat antecapere, ne quid eo spatio

LV. §. 1. 2. *discessit*] De hac dictione v. ad c. L, 4. — *Optumum factum* tenent Struv. Ac. Guelf. 6. 8. 10. 12. et Mark. *Γ.*; relicui *opt. factu.* V. ad c. XXXII, 1. — *Noctem antecapere*, i. e. nocte instante celeriter uti, priusquam aliquid turbari posset. — *Triumviros* sc. capitales, quibus cura carceris et suppliciorum demandata erat. Cf. Liv. XXXII, 26, 17. *triumviri carceris lautumiarum intentiorem custodiam habere iussi*, ubi v. Duker. XXXIX, 14, 9. *triumviris capitalibus mandatum est, ut vigilias disponerent per urbem.* ibid. c. 17, 5. cf. Lipsius ad Tacit. Anall. V, 9. *triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur.* Pompon. in Pandectt. 1, 2. §. 30. Ernesti in Clav. Cic. h. v. Erant autem minorum magistratuum, cf. Nitschii Antiqq. Romm. T. II. p. 1083. Hertel. ad Tacit. Agric. 2, in. — *Quae suppl. postulabat.* Plurimi libri *quae ad suppl. post.*, eo deceptis scribis, quod *Consulem* subiectum esse putarent. Erasa tamen est praepositio in Bas. 1. et Fabr. 1. nec primitus fuit in septem aliis. — *Deducit* omnes tenent libri praeter Guelf. 6. et Commel., qui *ducit* exhibent. Sed vulgatum verbum legitimum est de iis, qui *aliquo comitante* aliquo concedunt; cf. Bremius ad Nep. Epam. c. IV, 5. *a quo quum quaesisset, quo se deduci vellet.* Id. Themist. 8, 5. *Pydnam cum deduci iussit, et quod satis esset praesidii dedit.* Tacit. Ann. III, 14, extr. *Piso a Tribuno praetoriae cohortis (ex Senatu domum) deductus est.* Goerenz. ad Cic. Acadd. I, 3, 9. *nos, tamquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt.* Quare frequens est de iis, qui apud Romanos a patribus in disciplinam alicuius tradebantur, quod observavit Gernhardus ad Cic. Lael. c. I, 1. Neque diversa vis obtinet, ubi de puellis nubentibus dicitur, quae ad virum ducebantur, de qua re v. Ruhnken. ad Ter. Hec. I, 2, 60. — *Idem fit ceteris*, v. ad c. LII, 25.

§. 3. *quod Tullianum appellatur*] Nomen traxit a Tullio rege, qui carcerem ab Anco aedificatum (v. Liv. I, 33, 8.) firmavit eaque parte auxit, cf. Varro de L. L. IV, 32. *Carcer a coercendo.*

novaretur, Triumviros quae supplicium postulabat
parare iubet; ipse, dispositis praesidiis, Lentulum 2
in carcerem deducit; idem fit ceteris per Praetores.
Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, 3
ubi paullulum descenderis ad laevam, circiter duo-
decim pedes humi depressus. Eum muniunt undi- 4

quod exire prohibentur. In hoc pars, quae sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio rege. Eius mentio est etiam apud Livium, XXIX, 22, 10. Eidem etiam nomen fuit *robur*, v. Ernestius ad Tacit. Anall. IV, 29, med. — Kunhardtum, qui relativum genere ab sequenti substantivo aptum parum accurate dictum censet, meliora docere potest Zumptius Gramm. Lat. §. 69, 4. not. p. 300. Gernhardus ad Cic. Lael. c. 14, 50. et Bremius ad Cic. de Fato c. 1., ad Nep. Milt. 4, 3. et ad Thrasyb. 2, 1. quibus addas, si tanti est, Perizon. ad Sanct. Min. IV, 12. p. 392. Ed. B. Wopkens. Lectt. Tull. p. 31. Vechner. Hellenol. p. 252. sq.

descenderis] Ita est in Bas. 3. Rem. 1. 2. Sen. 2. Franc. Inc. 1. Commel. Pal. 2. m. sec. et Bern. 1., relicui *ascenderis* tenent, quod ulli probari potuisse vix credibile videtur, rei natura repugnante, et tamen Bipontt., Langius, alii ita ediderunt. Neque quicquam lucrati sunt, qui cum Cortio Palmerii coniecturam *escenderis* amplectuntur; *escendere* enim veteri lingua idem erat atque *ascendere*, v. Car. Beier. ad Cic. de Off. III, 20, 80. et Gronovium atque Drakenborch. ad Liv. II, 28, 6. plurima congerentes, quamquam Bremius ad Nep. Themist. 8, 6. *escendere* tum dici statuit, si quis maiore contentione in locum editiorem enitatur, quam sententiam praeivit F. A. Wolfius ad Suet. Caes. c. 61. Quod Cortius vero non *ascensum*, sed potius *ingressum* et *progressum* hoc verbo significari putat, id pariter contra dicendi usum atque contra loci sententiam est. *Descenderis* autem unice verum esse, clare intelligitur ex sequentibus verbis, quibus patet antecedentia explicari accuratiusque definiri; nam si ille locus *duodecim pedes humi depressus* fuit, totidem pedum *descensus* esse debuit. Quam saepe *descendere*, *escendere* et *ascendere* confusa fuerint non modo docent Ciceronis et Livii loci laudati, sed etiam testes sunt interpretes ibi citati, Ernestius in Clav. Cic. v. *escendere*, et Goerenzius ad Cic. de Finn. III, 10, 33.

humi] Hanc vocem non dixerim cum Ramshornio Gramm.

que parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta, sed incultu, tenebris, odore foeda
5 atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam
6 fregere. Ita ille patricius ex clarissuma gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat,

Lat. §. 148. 1. b. p. 280. vim accusativi cum *in* praepos. iuncti habere, in qua sententia iam prius fuerunt Ger. I. Voss. de Constr. c. 25. p. 416. Ruddimann. Institt. Gramm. Tom. II. p. 272. Ed. Stallb., alii. Quin potius propriam vocabuli vim constare arbitror, insolentia dicendi in eo versante, quod verba motus, unde vocula pendet, non *dum fiunt*, sed ut iam *effecta* cogitantur, mentis quadam celeritate id quod consequens est antecapiente. Veluti quum Virgil. Aen. V, 481. dicit: *procumbit humi bos*, animus non immoratur procumbendi actioni, sed properat ad eius effectum intuiturque bovem iam humi iacentem. Curt. VIII, 4, 6. *prostraverant humi corpora*, ubi cogitatur, quid prosternendo effectum sit, nempe ut *humi essent* corpora. Ita nostro loco *humi depressus* spectat ad loci naturam deprimendo ortam. Interdum ea ratio etiam adiecto verbo adiuvatur, v. c. Virg. Aen. XI, 640. *volvitur ille excussus humi.* Tacit. Historr. II, 64, in. *proiectum humi iugulavit.* — *Camera* quod codd. tuentur omnes, multis, etiam Heindorfio ad Hor. Sat. II, 3, 273., praeeunte Verrio Flacco ap. Charis. p. 43. *camara* scribendum videtur, quum graece $\varkappa\alpha\mu\acute{\alpha}\varrho\alpha$ sit; sed vulgarem formam recte defendit Conr. Leop. Schneiderus Gramm. Lat. I, 1. p. 9. — Pro *vincta* multi codd. solenni fere confusione *iuncta*, ad sententiae vim multo deterius.

§. 5. *demissus est*] *Est* in quattuor Cortii libris abest, sed omnes Bass. Bern. Turr. et Leidd. agnoscunt. — *Vindices rerum capitalium.* Haec verba Cortius ita in suspicionem adduxit, quamquam non alia, nisi hac inepta ratione usus, brevitati ea Sallustianae repugnare, ut plerique eum secuti ut spuria omitterent, quod perperam factum. Praeterquam enim quod sententia nihil habet, quod offendere possit, ex ipsa codicum discrepantia clare intelligitur, verba genuina esse. Pro *vindices* enim multi exhibent *indices* aut *iudices*, incertum, lapsune, an quia *vindices* non satis aptum putarent; alii *per indices*, unus *per*

dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Coepario eodem modo supplicium sumptum est.

LVI. Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortis pro numero militum complet; deinde, ut quisque volun- 2

iudices, quippe qui haec pro ingenio suo ad antecedentia referrent; ad hoc Tur. 2. *iudices vindices r. c.*, et unus Wassii *laniatores et vindices*, glossâ vocabuli *vindices* in textum illatâ, quae omnia certa via eo ducunt, ut intelligatur *vindices rerum capitalium* Sallustio, non interpolatori deberi. Carnifices significari per se patet, planeque hallucinatur Cortius, *Triumviros* intelligendos censens, qui per carnifices id quod auctor narret perfecerint. Verba etiam Gerlachius restituit; quod idem tamen in Commentt. p. 146. sq., ut probet ea omitti *potuisse*, ad Curt. III, 2, 19. provocat, me mirum habet, quum id iam sana ratio doceat, quae exemplis non eget; rectae autem rationi repugnantia exempla frustra afferas.

§. 6. *ex clarissuma gente Corneliorum*] Gerlachius mutato verborum ordine scripsit *ex gente clar. Corn.*, uti est in Bas. 1. 2. 3. 4. Tur. 1. 2. Teg. et Bern. 3. Relicui omnes in recepto ordine consentiunt, qui non solum ob maiorem codicum fidem, sed etiam sententiae gravitate praestat. Primaria enim vis in *clarissuma* inest, cui voci accuratius definiendae quasi per epexegesin *Corneliorum* additur. — *Consulare imp.*, v. ad c. XVII, 3. — *Exitium* permulti iique praestantes libri tenent; relicui *exitum*. Sed illud Festi auctoritate defenditur, qui veteres *exitium* dixisse refert pro *exitu*. — *Est* quinque libri habent ante *sumptum*, duo ignorant; sed ea res ad delendum non videtur sufficere.

LVI. §. 1. *ex omni copia*] *Copia* de militibus singulari numero dictum plerumque inconditam multitudinem significat, ita ut non ad ordinem institutum, sed tantummodo ad numerum respiciatur; cf. Matthias ad Cic. p. Mur. 37, 78. *Catilina non ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitratur.* Noster Cat. c. LXI, 5. *ex omni copia nemo captus est.* Caes. B. G. I, 48, 5. *quos ex omni copia delegerant.* Auct. de B. Alex. c. 48, 4. *pedestrem copiam in secunda acie constituunt.*

tarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuebat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, quum initio non amplius duobus
3 millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri,

Tacit. Ann. II, 52, a. m. *Mazippa levi cum copia incendia et caedes circumferret.* IV, 4, extr. *mihi exsequendum reor, quae tum Romana copia in armis.* — *Pro numero militum* i. e. ut manipulorum et centuriarum aequa ratio constaret, quorum numerus militum non semper idem fuit.

§. 2. *voluntarius aut ex sociis*] Oppido fallitur Cortius *voluntarios* et *socios* e more militiae Romanae intelligens, ita ut voluntarii sint, qui stipendiis emeritis ultro se ad militiam offerrent, socii vero populi Romani socios significent. Qua sententia nihil perversius cogitari posse Dahlius, Langius, Müllerus recte notarunt. Intelliguntur enim tum ii, qui, ut c. XXXIX, 5. dixerat, extra coniurationem ad Catilinam proficiscerentur, tum ipsi coniurationis populares. Cf. c. XVI, 4. XL, 6.

ut quisque venerat, aequaliter distribuebat] *Venerat*, quod pleraeque omnes membranae tuentur, Cortius mutavit in *venit* ex codd. Fabr. 1. et 2., quibus postea Erl. et Teg. accesserunt. Eum omnes fere editores secuti sunt, praeter Gerlachium, qui *venerat* reduxit. Sed neutra loci scriptura ferri posse videtur, quia *distribuerat*, quod illi, codicum auctoritati nimium tribuentes, retinuerunt, nullo modo cum praeterito aut plusquamperfecto conciliari potest. Qui enim diversae res praeteritae, quarum altera praecesserit alteram, pariter plusquamperfecto enunciari possunt, aut ita, ut serior plusquamperfecto, prior perfecto significetur? Quocirca, licet unus modo Leid. I. *distribuebat* exhibeat, tamen non dubitavimus plusquamperfecto praeferre, quum isto modo temporum rationi optime consulatur. In promptu est autem, librarios eo imperfectum mutasse, ut hoc tempus *expleverat* verbo responderet, cuius quae ratio esset non intellexerunt.

numero hominum] Haec deleri volebat Cortius, quoniam *expleverat* iam iustam magnitudinem significet. Prudentius iudicasset, si vidisset haec a Sallustio oppositionis caussa addita esse, quae talis est: legiones *numero* quidem *hominum* expleverat, sed *arma* plerisque deerant. — Langium, *amplius* omisso *quam* pariter cum accusativo et ablativo coniungi docentem, ita ut casus modo a

ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. Sed postquam 4 Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, modo ad urbem modo in Galliam vorsus castra movere, hostibus occasionem

verbo, modo ab *amplius* pendeat, remittimus ad Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 14. not. 2. p. 369., unde cognoscet, h. l. *quam* non omissum esse ablativo manente, sed tritissima ratione pro *accusativo v. quam* particula positum esse, quod Herzogius recte vidit ad Caes. B. G. IV, 12. De ellipsi *quam* vocis v. Ruhnken. ad Vell. II, 1, 4. et ad Ter. Eun. I, 2, 5. et imprimis Drakenborch. ad Liv. XLI, 12, 8. ac Ruddim. Institt. Gramm. T. II. p. 106. Noster Iug. LVIII, 3. *non amplius quadraginta locum cepere editiorem.*

§. 3 - 4. *portabant.*] I. e. *gerebant;* sed insolentius etiam dictum videtur, quam supra c. VI, 5. *sociis auxilia portabant*, ubi v. de verbi potestate. — *Modo ad urbem.* Revocavimus cum Gerlachio verborum ordinem qui in codd. est; inde a Cortio enim ex uno Guelf. 9. edi coeptum *ad urbem modo*, *modo* etc., quod probum foret, librorum fide commendatum; sed alter ordo eo nomine potior, neque minus elegans est, cf. Tacit. Ann. II, 40, init., licet vulgo elegantia in particulis iuxta positis inesse putetur.

in Galliam vorsus] Ita locus scriptus exstat apud Priscian. de XII Verss. Aen. c. 13, 224. p. 337. Ed. Kr. quocum aliquot codd. consentiunt. Alii tamen *ad G. vers.;* sed in plerisque scribae praepositionem omiserunt, *versus* sufficere rati. Eos Cortius merito non secutus est, sed in eo errat, quod *versus* pro participio habet, quod eo magis mirandum, quum ipse ad h. l. Latinorum usum *versus* praepositionem cum *in* vel *ad* coniungendi exemplis illustraverit, velut Caes. B. G. VII, 8, 5. VI, 33, 1. Plin. Epp. X, 82. Curt. IV, 7, 18., quibus ad Iug. LVIII, 4. addidit Auct. de Bell. Hisp. c. 10, 3.; 11, 1. Neque tamen cum Ruhnkenio ad Ter. Adelph. IV, 2, 36. et Ernestio ad Tacit. Germ. c. 1. statuendum est, *versus* cum *ad* vel *in* iunctum abundare, quum potius harum praepositionum vim accuratius definiat, easque quasi corrigat. Ita autem differt *versus* praepositio a participio, ut hoc semper ad substantivum appositionis instar referatur, nunquam a verbo pendeat, praepositio vero semper a verbo motus apta sit; quod nisi tenueris, vix poteris interdum ab errore tibi cavere, uti Ernestius

pugnandi non dare; sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus con-

l. l., quum cavendum esse praeciperet, iudicio lapsus est, pariter atque in Clav. Cic. h. v. ubi perperam Cic. Lael. c. 25, 96. huc refert. Neque Gerlachius imitandus, qui suo se elegantiae sensu ductum participium agnoscere ait; nam ubi iudicium valere debet, iste sensus, in aliis alius, parum certus veri indagator est. *Versus* participii sexcenta exempla Livii interpretes congesserunt, quos v. ad IX, 2, 15. XXXVI, 15, 7. XXXVIII, 51, 3.

sperabat propediem magnas copias sese habiturum] Verba *magnas copias* codicis Guelf. 11. auctoritate Cortius eiecit, ne *copiae* ter hoc capite legeretur, quod quam inconsultum sit, diximus ad c. IX, 4. Cum Cortio tamen facit Kunhardtus, supplens *occasionem pugnandi*, plane contra auctoris mentem, et loci nexum; qui enim pugnandi copiam *non dabat*, habebat certe, neque erat quod speraret sese habiturum. Reputanti autem Catilinae exercitum neque satis magnum, neque satis instructum ad pugnandum fuisse, dubium esse nequit, quin illa verba h. l. necessaria sint; nam qua re magis speraret numerum militum auctum iri, quam si coniuratio Romae valuisset, ac plebs novarum rerum cupida ipsum secuta esset? Talia eum iam prius cogitasse patet ex c. XLIII, 2. Cortii scripturam peiorem etiam fecerunt Bipontt., pro *sperabat* invehentes *sperans*, quod quamquam in undecim codd. ap. Gerl. exstat, tamen interpolatorum est, ellipsin particulae caussalis, et simul imperfectum infinitivo subiunctum aegre ferentium. Utramque rem aliquoties iam tetigimus; illam ad XXXIX, 4. et LI, 2., hanc ad c. XVI, 2. ubi v.

§. 5. *servitia repudiabat, cuius*] *Cuius* non modo plurimis codd., sed etiam Prisciani auctoritate XVII, 20, 156. p. 81. Ed. Kr. nititur; prope accedunt Leid. D. Bas. 3. 4. Guelf. 9. 10. in quibus est *cuius rei*, sed gravius interpolati sunt *quorum* tenentes, qui pauci sunt. Numeri autem mutati excusatio inde petenda, quod res aliqua indefinite cogitata nullo fere sententiae discrimine et plurali et singulari enunciari potest; quod igitur in disiunctis enunciationibus licet, id paullo liberius in eadem verborum complexione admissum est, cuius structurae, ubi a plurali numero ad singularem transitus fiebat, supra aliquot exempla ad c. XIX, 1.

iurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans, videri caussam civium cum servis fugitivis communicavisse.

LVII. Sed postquam in castra nuncius per-

attulimus. Magnopere eam licentiam indefinita *neutrius generis* natura adiuvari quivis facile sentit, cui rei h. l. accedit, quod *servitium* et *servitia* usu plane permiscue usurpantur, cf. Plaut. Curcul. II, 2, 71. Cic. in Verr. V, 4, 9. Tacit. Ann. XII, 17, in. Recte autem Priscianus l. l.: *singulare*, inquit, *ad rem retulit*, si sensum interpretari voluit, perperam, si ad grammaticam structurae rationem expediendam *rei* supplendum censuit, quod verisimilius est, quum addat: *i. e. cuius rei servorum.* Cum nostro loco conferri potest Liv. XLII, 8, 7. *placere Senatui, M. Popillium Ligures restituere in libertatem, bonaque ut iis, quicquid eius recuperari possit, reddantur curare.* Ita explicandus Plautus Bacch. IV, 4, 74. *quae imperavisti, imperatum bene bonis, factum illico est*, quem locum neque Gronov. Obss. III, 2. p. 340. Ed. Lips. neque Perizon. ad Sanct. Min. II, 9. p. 268. Ed. Bau. recte intellexerunt. Obiter tamen moneo, in vulgata mendosum videri *imperatum*, quo sententia absurda fit; quare recte Acidalium correxisse puto *imperatur.* Neque multum dissimiles sunt hi loci: Cic. Epp. ad Famm. XIII, 16. *si uti commendationibus vellet, per alios id eum videbam consequi posse*, et Liv. XXXVII, 54, 24. *Barbari, quo gaudent, reges habeant.* His quae ad hanc dicendi rationem defendendam attuli non spernenda accedit analogia *adverbiorum loci* ad substantiva relatorum, de quibus egimus ad c. V, 2. Quodsi reputaveris bene dici potuisse: *servitia repudiabat, unde initio haud parum auxilii sibi fore speraverat*, profecto non est, quod *cuius* non ferendum censeas.

simul] Hanc voculam, quam aliquot libri non habent, Cortius temere in suspicionem vocare studuit; eius vim in coniungendis enunciationibus illustravimus ad c. XIX, 2. unde cognoscas, eam h. l. abesse non posse. Idem Cortius *existumans*, quod quinque codd. ignorant, non probum censens, nodum in scirpo quaerit, ingenioque abutitur, *videri* statuens pro *videbatur* positum a *fretus* pendere. — De pronominis personalis ellipsi in constructione accusativi c. inf. egimus ad c. XXXI, 7. Adde Moebium ad Caes. B. G. I, 14, 1.

venit Romae coniurationem patefactam, de Lentulo, Cethego, ceteris, quos supra memoravi, supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; relicuos Catilina per montis asperos magnis itineri-

LVII. §. 1. *coniurationem patefactam*] Guelf. 7. 8. Vin. 2. et tres Wassii *coniuratione patefacta*, Cortio iudice haud male, quod nobis secus videtur; isto enim modo quod nuncii gravissimum erat, quoque solo audito omnes timore percelli debebant, in enunciatione secundaria delitescit, vique sua plane destituitur. — *Ceteris* sine copula habent Fabr. 1. 2. Inc. 2. Rem. 1. Heuss. Sen. 2. Franc. et tres Guelf. In Guelf. vero 6. est *et ceteris*, relicui tenent *ceterisque*, quod quum ante Cortium vulgatum esset Gerlachius restituit, cui facto neque codd. favent, neque loquendi usus, de quo diximus ad c. XV, 1. — Pro *abducit* multi codd. *adducit*, quae verba ubique fere permutantur, ut plurima cum *ab* et *ad* composita; vide, quos Cortius ad Catil. L, 4. laudat, Broukhusium ad Tibull. I, 2, 21. et Drakenb. ad Sil. VI, 394. coll. quae notavimus ad Iug. VIII, 2. Nostro tamen loco non dubium, quin *abducit* verum sit, quum fugae notio praevaleat. — *Perfugeret* omnes tenent Bass. Ac. Rem. 2. Inc. 1. Struv. Guelf. 1. 4. 5. 6. 10. 12. et Tur. 2.; *perfugerent* est in Fabr. 1. 2. Vin. 2. Inc. 2. Sen. 2. Guelf. 2. 3. 8. et Bern. 1., quod Gerlachius Cortio praeeunte in textum recepit. Sed praeterquam quod re ipsa et praegresso *abducit* intelligitur, rectius omnia ad solum ducem, quam simul ad copias referri, ex erroribus scribarum, qui in Guelf. 9. *perfugerat*, in Remens. 1. *profugerat* exararunt, patet pluralem numerum a Sallustio non profectum esse, sed librariorum interpolationi deberi. Bipontini et Langius ediderunt *profugeret*, Tellero quoque p. 207. haud improbatum et Dahlio adeo *ob concinnitatem!* commendatum; sed cur ferri non possit, praeter exiguam codd. fidem, intelligitur ex dictis ad c. LIV, 3. — Post *Galliam* plerique omnes fere codd. addunt *Transalpinam*, quod inde a Cortio paene omnes omiserunt, ridiculo eius argumento commoti, *Galliam* h. l. *Allobrogum terram* intelligi, quae non ad Transalpinam sed ad Cisalpinam pertineat. In quo dubites, utrum magis mireris Cortii errorem, an ceterorum credulitatem, Allobroges sibi persuadentium in Gallia Cisalpina habitare, qui in Transalpinae ea parte, cui Narbonensi nomen, degebant; cf. Plin. H. N. III, 3. sect. 5. T. I.

bus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam. At 2
Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agi-

p. 556. Ed. Franz.. Quod igitur Fabr. 2. et unus Rivii praestant *Cisalpinam*, ex illorum mente unice verum, falsissimum est. Fidem tamen ea varietas facit codici Erl., qui neutrum habet. Haud dubie enim et *Transalpina* et *Cisalpina* librariis debetur, qui, quum duas Gallias esse scirent, utra intelligeretur accuratius definiendum putarunt. Sed Allobroges intelligi certum est, a quibus potissimum Catilina, quia sciebat male pacatos Romanisque infestos esse, auxilium sperabat. Qui quominus latiore *Galliae* nomine significentur, nihil plane est quod obstet. Legatorum autem animus a coniuratione adiuvanda alienatus gentem certe, ne Catilinae faveret, non commoverat. Quocirca videat Langius, ne parum recte disputata sint, quibus hunc locum illustravit: „Cort. *Transalpinam* omisit, quia Catilinae nihil negotii fuerit in Gallia Transalpina, sed in Cisalpina apud Allobroges, quibuscum arma consociare volebat. Sed vulgata retinenda, quum vicissim dicere possis, Catilinae nihil negotii fuisse in Gallia Cisalpina, post ea, quae de Allobrogum legatis Romae acta essent." Gerlachii et Herzogii defensio *Transalp.* vocis eo nititur, quod ipsorum sententia *Gallia* nude posita non nisi de *Cisalpina*, Italiae proxima, intelligi possit. Sed quae res ita cogat non intelligo, et ex Catilinae consiliis superioribus clare patet, eum in ulteriore Gallia bellum facere voluisse.

§. 2. *praesidebat*] Eodem modo locutus est Curt. IV, 5, 9. *Ille Ciliciam Socrati tradiderat, Philota regioni circa Tyrum iusso praesidere.* Explicatius, sed eodem sensu, dixit Livius XLI, 12, 1. *Tib. Claudius Proconsul, qui praetor priore anno fuerat, cum praesidio legionis unius Pisis praeerat.* Solam tuendi defendendique potestatem habet apud Ciceronem Phil. V, 13, 37 extr. *Gallia quae semper praesidet atque praesedit huic imperio merito laudetur.* Liv. XXII, 11, 9. *ex hoc urbano exercitu alii, ut urbi praesiderent, relicti,* quae significatio verbi propria esse videtur, si vera est Varronis ratio, de L. L. IV, 16. prodita: *praesidium est dictum, quia extra castra praesidebant in loco aliquo, quo tutior esset regio.* Inde profecta est ea potestas, ut sit *tutandi caussa*

3 tare. Igitur ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam

rei praeesse, aut simpliciter *praeesse*, quo sensu etiam cum accusativo construitur, cf. Ernestium ad Tacit. Ann. III, 39, in. *P. Velleius proximum exercitum praesidebat*, et Lipsium ad XII, 29, med. *scripsit P. Atellio Histro, qui Pannoniam praesidebat.* Paullo aliter Caes. B. C. I, 85, 8. *urbanis praesidere rebus* dixit pro *moderari res urbanas.* Tac. Ann. III, 33, med. *praesedisse feminam exercitio cohortium.*

ex difficultate] I. e. *propter diff.*; *ex* enim caussam significat, unde aliquid proficiscatur; v. ad c. XII, 2. XXXV, 2. Caes. B. G. I, 14, 5. *quo gravius homines ex commutatione rerum doleant.* Liv. II, 52, 2. *ex copia lascivire rursus animi.* — Verba *quae supra diximus* levissimis vel nullis potius rationibus a Grutero et Cortio in suspicionem vocata, et a Bipontt. et Müllero fidenter deleta, postliminio reduximus. Nam praeterquam quod codd. omnibus sustentantur, ad sententiae perspicuitatem necessaria sunt, recteque Langius monuit, si absint, neque intelligi, quo *eadem illa* pertineant, et *illa* perperam positum videri. Verborum sensus autem hic est: de Consiliis Catilinae ex rer. diff. *recte iudicans*, i. e. id quod revera facturus erat, ut modo diximus, certâ de rebus eius asperis coniecturâ assecutus.

§. 3. *castra movit*] Perfectum omnes omnino tenent codd. praeter unum Guelf. 5., ex quo Cortius *movet* textui intulit; quod quamquam ferri potest, ut docuimus ad c. XX, 1., tamen cum Gerlachio putavimus non temere a codicum auctoritate esse recedendum. Eadem de caussa statim post verba restituimus *in Galliam properanti*, quae quamquam ne in uno quidem codice absunt, tamen a Cortio, futilissimis rationibus obtemperante, uncinis inclusa, atque a Bipontt. eiecta sunt. Scite autem monuit Herzogius, *properanti* prorsus necessarium esse, ad prudens Metelli consilium significandum. Nam quum Catilina haud dubie *pluribus locis* descendere posset, hostibus non instantibus, tunc undique circumventus properansque evadere *brevissimam* viam elegit, quod sentiens Metellus illo ipso loco ei obstitit. — *Consedit* i. e. castra posuit; Caes. B. G. I, 21. I, 49. — *Qua* abiecta grammatica rectione adverbii naturam induisse notissimum est; v. Cort. ad h. l. Gronov. ad Liv. I, 23, 5. Drakenb. ad V. 37, 7. Bremius ad Nep. Milt. III, 1. Moebius ad Caes. B. G. I, 6.

properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, 4
utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditus in fuga sequeretur. Sed Catilina postquam 5

§. 4. *neque tamen*] Haec Langius ita explicat, ut *tamen* aut otiosum esse dicat, aut ad *quamquam* pertinere, quod in antegressa sententia lateat, quae posterior ratio sola vera est. Frequenter enim *tamen* adiuncta *neque* particula transitioni inservit, si prior sententia ita comparata est, ut concedendi particula suppressa sit, cf. Catil. XIX, 2. XXIV, 2. XXVI, 2. LXI, 7. Iug. XX, 6. Nep. Alcib. c. 8, 1. Thrasyb. c. 2, 4. Con. c. 5, 2. Datam. c. 5, 5. — Quod Gerlachius ad verba *magno exercitu* praepositionem *cum* supplendam censet, contra dicendi usum est. Nam in iis dictionibus, quae ad rem militarem pertinent, ablativus suapte vi a verbo pendet, ubi nostra ratio vel *cum* vel *ab* aut *per* praepositiones postulat; cuius rei non alia caussa est, quam quod apud Romanos imperator militibus non ut hominibus, quibuscum ipsi quaedam esset coniunctio et societas, sed ut rebus vel instrumentis utebatur. Parum accurate igitur Zumptius Gramm. Lat. §. 74, 11. not. 2. p. 363. hunc ablativi usum, qui latius patet, ad sola *itineris* vocabula refert, neque Moebius ad Caes. B. G. II, 7. rem assecutus videtur, ablativos esse putans. Cf. Sall. Iug. XXXVIII, 4. *Iugurtha multitudine Numidarum Auli castra circumvenit.* LVII, 2. *Metellus cuncta moenia exercitu circumvenit.* XLVI, 5. *Metellus intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit.* Tacit. Ann. II, 25, init. *maioribus copiis Marsos irrumpit.* III, 41, init. *Turonii legionario milite oppressi.* Liv. XXI, 52, 10. *Romani multitudine effusa pulsi.* Caes. B. G. I, 8, 1. *Caesar ea legione quam secum habebat — murum fossamque perducit*, ubi vera structurae caussa Herzogium non fugit.

expeditus in fuga] *Expeditus* prima manu fuit in Fabr. 1. et pro varia lectione exstat in Fabr. 2.; relicui omnes habent *expeditos*, quod etiam in Prisciani codd. XVIII, 25, 263. p. 240. Ed. Kr. legitur. *In fuga* praeter Prisc. codd. l. l., etiam praestantiores libri, velut Bas. 1. Fabr. 1. 2. Leid. L. Guelf. 5. multique alii tenent; relicui *in fugam.* Vulgatam *expeditos in fugam* primus sensit Cortius ferri non posse, sive cum Wassio *expeditos* ad antecedentia trahas, quo sententia inepta exsistit, sive cum sequentibus coniungas, quod Dahlius multis defendit, interpretatus: in fuga festinantes, seu ad fugam paratos. Sed facilitatis celeritatisque notio, quam recte vidit in vocabulo *expeditus* inesse, obstat, quo-

videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam spem, optumum factum ratus in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam pri-

minus haec ad Catilinam referri possint, quum pateat Sallustium caussam afferre velle, cur *Antonius* non procul abfuerit, *quippe qui expeditus esset locis aequioribus*, quum Catilina contra asperis montium tramitibus nonnisi lentius cum agmine procedere posset. Quodsi certum est, *expeditus* veram esse scripturam, liquet etiam *in fuga* scribi oportere, quum nude *in fugam sequi* nullo modo dici possit. At obiicit Dahlius cum Tellero, *in fuga sequi* pro *fugientes sequi* durissime dictum esse; vere, si haec verba grammatici obiecti loco cum *sequi* coniungas. Sed rectissime Cortius monuit, *sequi* h. l. absolute positum esse, ut Iug. XCI, 4., *in fuga* autem vim habere integrae enunciationis, *quum fuga esset sc. hostium*, de quo usu *in* particulae ablativo iunctae diximus ad c. II, 10. Quodsi locum ita explicaveris, non est quod cum Müllero Froebelii coniecturam *m. ex. l. aeq. expedito, in fuga seq.* sequaris, sensu quidem bonam, sed magis quam opus est a codicum auctoritate recedentem. Sed nullius plane pretii est, quod Langius coniecit *impeditos in fuga*, sententiam non magis assecutus, quam Kunhardtus, qui scripturam a Cortio, Gerlachio nobisque receptam amplexus *aequioribus* referri censet ad locos *a Metello* occupatos. Quod relicuum est, monemus nos colon post *aberat* in comma mutasse, iis rationibus ducti, quas exposuimus ad c. XLVIII, 2.

§. 5. *videt*] Guelf. 5. *vidit*, ex interpolatione. Praesens cum *postquam* iunctum defendimus ad c. XL, 3. Adde Iug. LXXIX, 7. LXXX, 1. — *Optumum factum* est in Ac. Guelf. 5. 9. et 10.; relicui *opt. factu* exhibent, quod cur minus placeat diximus ad c. XXXII, 2.

LVIII. §. 1. *verba virtutem non addere*] Multi codd. post *verba* addunt *viris*, quod tamen in quattuordecim Cortii, septem Wassii omnibusque Pariss. et Leidd. non comparet, ac recte ab editoribus eiectum est. Nuper Langius quidem vocabuli patrocinium suscepit, sed sine successu. Vult enim sensum esse: *scio orationem fortes viros non facere fortiores, neque ex ig. str. . . .* etc., quasi vero fortes adhortatione egeant ad virtutem. Quis autem quos fortes iam cognoverit fortiores etiam facere studeat, nisi qui inepta moliatur? Accedit, quod Sallustius, si

mum confligere. Itaque concione advocata, huius- 6
cemodi orationem habuit.

LVIII. Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum,

tripartitam voluisset facere orationem, ita ut gradatio, quod Langio videtur, inesset, scribere debuisset *neque v. v. a.*, *neque* . . . . *neque* etc. Vera autem eademque simplicissima loci ratio haec est, ut generalis sententia, *qui virtutem non habeant*, *iis non posse verbis addi*, sive *verborum omnino nullam vim esse ad virtutem excitandam*, oratorium in modum explicatius per partes illustretur; quod quum scribae non assecuti essent ac potius oppositionem *fortis* atque *ignavi* requiri putarent, nihil proclivius erat quam *viris* inserere, praesertim quum *addere* absolute positum non concoquerent, quam structuram Gronovius multis Livii exemplis ad eund. II, 2, 2. illustravit. Si vero *viris* in suis exemplaribus invenissent, nullo pacto intelligitur, cur vocem eiecerint. Tenendum autem, sententias non esse adversativas sive contrarias, ut Herzogio visum, sed copulativas; quippe prius *neque* non respondet posteriori, sed pro *et non* positum sententiam annectit praegressae, quo fit, ut etiam alterum *neque* negativam sententiam tantummodo adiungat ad priorem. Eius structurae ratio patebit ex annotatis ad c. LII, 6., ubi in negativa sententia bimembri pro *neque* — *neque* saepe *non* — *neque* poni docuimus; cf. Cat. II, 3. *quodsi regum virtus in pace ita uti in bello valeret*, *aequabilius sese res humanae haberent*, *neque aliud alio ferri*, *neque mutari omnia cerneres*. XI, 3. *avaritia semper infinita*, *insatiabilis est*, *neque copia*, *neque inopia minuitur*. LVIII, 10. *eadem illa advorsa fient*, *neque locus*, *neque amicus quisquam teget*, *quem arma non texerint*. Iug. XXIV, 3. *armis obsessus teneor*, *neque mihi Micipsae patris beneficia*, *neque vostra decreta auxiliantur*. Perperam igitur Herzogius *neque* — *neque* sibi respondere censens, prius pro *ac neque* positum statuit, vernacula interpretatus *und ebensowenig* sive *so wie umgekehrt nicht*. Quodsi isto modo sententiae cohaererent, necessario scribendum fuisset: verba *neque* viris virtutem addere, *neque* ex ignavo strenuum *aut* fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri; cf. c. IV, 1. Quod autem Herzogius Catilinam sibi ipsum contradicere ait, si verba ad virtutem excitandam nihil valere dicat, et tamen suos ad audiendam orationem advocet, id nihili est. Nam Catilina ipse hoc obiici posse sentiens, §. 3. *sed ego vos*, inquit,

neque fortem ex timido exercitum oratione impera-
2 toris fieri. Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet; quem neque gloria neque pericula excitant, nequicquam
3 hortere; timor animi auribus officit. Sed ego vos quo pauca monerem advocavi, simul uti caussam

quo pauca monerem advocavi, ad q. l. Herzogius recte, sed ante dictorum oblitus, annotavit: „per *occupationem*, ne ex modo dictis tota concio frustranea videatur."

§. 2. *quanta animo audacia inest*] *Audaciam* h. l. bono sensu dici pro virtute interpretes dudum notarunt; cf. c. IX, 3. *audacia in bello rempubl. curabant.* LI, 17. *maiores nostri neque consili neque audaciae umquam eguere.* — *Inesse* verbum illustravimus ad c. XVII, 2. — *Moribus* ubi *naturae* opponuntur significatur id, cui vel institutione vel usu assuescimus. — Pro *hortere* Guelf. 1. 6. 8. 9. Acad. Incert. 2. Franc. et Bas. 4. *hortari* tenent, quod in sententia cum dubitatione et ironia prolata nullo modo ferri potest, etiamsi indicativi forma in *re* desinens minus insolita esset. Coniunctivi isto modo terminati multa exempla congessit Car. Beierus ad Cic. Off. I, 1, 2. et ad III, 33, 121.

timor animi auribus officit] Bergsträsserus in Praef. Hoekii interpretationi vernaculae praefixa p. 41. *animi auribus* coniungendum censet, quod propter antegressum *hortere* placere possit, sed nihili est, quum hac metaphora veteres, ut vel spretas vel acceptas admonitiones *animi auribus* tribuerent, nunquam, quantum scio, usi sint. Contra *timor animi* habetur Iug. LVII, 6., omninoque tenendum, quod Cortius scite ad Cat. II, 3. monuit, Latinos quodam perspicuitatis sensu ductos *animi* iis vocabulis saepe addere, quibus res significentur, quae animum sedem habeant; velut l. l. et c. LIII, 1. *virtus animi*, Iug. VII, 7. *munificentia animi.* Cic. Brut. 34, 129. Epp. ad Famm. IX, 16, extr. v. Gernhard. ad Lael. c. 21, 77. — *Auribus officit* Kunhardtus optime sic interpretatur: impedit, quominus vel audiantur, *vel vim persuadendi habeant* hortamina. Cf. Fragm. Histt. I. n. 24. *quasi formidine attonitus neque animo, neque auribus competere.* A vera autem sententia aberravit Langius, haec annotans: „*internus* timor impedit, quominus adhortationes *audiat*."

§. 3-4. *simul uti caussam mei consili aperirem*] *Simul* co-

mei consili aperirem. Scitis equidem, milites, so- 4
cordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem
nobisque attulerit, quoque modo, dum ex urbe
praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim.
Nunc vero quo in loco res nostrae sint, iuxta me- 5
cum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, 6

pulandi potestate positum illustravimus ad c. XIX, 2. — *Mei* cum Gerlachio revocavimus; Cortius expulerat, quum vidisset alios codd. ante *consili*, alios post id vocabulum habere; sed illorum auctoritas potior videtur, ac verisimilius est nonnullos negligentia lapsos locum pronominis mutasse, quam omnes voculam quae non adesset orationi inseruisse. Ceterum quam Cortius h. l. sibi deprehendisse visus est elegantiam, *caussam consili* significare censens *consilium ipsum*, *et quod ad id impulerit*, mihi non probatur, qui eiusmodi elegantiis non delecter, neque temere a propria eademque simplicissima verborum potestate recedendum putem. — *Scitis equidem*, v. ad c. LI, 20. — *Socordia* cur scripsimus, non *secord.*, declaravimus ad c. IV, 1. De Lentuli segnitie v. quae ad c. XVII, 3. diximus, coll. Aug. Matthia ad Cic. or. in Catil. III, 3, 6. qui etiam Dionis de eo iudicium XXXVII, 32. *ὁ Λέντουλος ἥκιστα δραστήριος ἦν* ascripsit.

quantum ipsi cladem nobisque] Vulgaris horum verborum ordo est: *quant. ipsi nobisque clad.*; quem nos Cortio et Gerlachio praeeuntibus sumus secuti in Guelf. 2. et Bas. 2. exstat, multumque praestat vulgato. Nam ita demum pronomina vim sibi debitam accipiunt, si minoris momenti vocabulum iis interponitur, quia sensus est *et ipsi*, *et nobis*; verborum autem recte collocandorum artem in eo etiam cerni, ut ea vocabula, quae nullam vim habent, gravioribus apte interserantur, de pronominibus personalibus iam monuimus ad c. I, 1. Cortius haud male, quamquam rationis ignarus, comparavit c. LII, 29. *ubi socordiae te atque ignaviae tradideris*, et XXXIII, 3. *plebes aut dominandi studio permota*, *aut superbia magistratuum*. Caes. B. C. I, 23, 3. *omnes a contumeliis militum conviciisque prohibet*. In Commentariis tamen p. 151. Gerlachius vulgatum ordinem, in textu improbatum, restituendum censet, quippe quem plurimi codd. teneant. — *Quoque* i. e. *et quo*, v. ad c. XXIII, 4.

§. 5. *nunc vero*] Cortius *vero*, nihil monito lectore, omisit;

unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in his
locis esse, si maxume animus ferat, frumenti at-
7 que aliarum rerum egestas prohibet, quocunque
8 ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter
vos moneo, uti forti atque parato animo sitis, et

sed quum plerique codd. Gerlachii, omnesque Leidd. tenent, oppositioque in tali transitu aptissima sit, particulam non omittendam duximus. — *Quo in loco;* permulti libri, neque tamen optimae notae, *in* praepos. ignorant, quam pedestris orationis scriptores haud raro addere solent, ubi *locus* condicionem et statum significat, quod idem in vocibus *tempus*, *aetas*, aliis fieri observavimus ad c. XLVIII, 5. cf. Caes. B. G. II, 26, 5. *quum quo in loco res esset cognovissent.* Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 14, 5. *qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit.* Eund. ad VII, 35, 7. *in eo enim loco res sunt nostrae*, ubi laudat Ter. Phorm. II, 4, 6. et III, 1, 9. — *Iuxta cum* praepositione coniunctum eodem modo habes apud Plaut. Aulul. IV, 7, 1. Pseud. IV, 7, 67. Trin. I, 2, 160. Poenul. Prol. 47. quos locos Cortius attulit; cf. ad II, 8. — *Vostris* in Guelf. 12. et Ven. 1. abest, in Guelf. 1. autem et Med. 6. ante *dextris* legitur, quam ob caussam Cortius delevit. Sed recte vidit Gerlachius vim sententiae haud paullo pronomine augeri, quum Catilina hoc agat, ut militibus persuadeat, *in ipsis* salutem esse, non aliunde sperandam.

§. 9. *omnia nobis tuta erant*] *Nobis* Bipp., *erunt* Cortius eiecerunt, utrique levissimis caussis permoti, codicibus non suffragantibus; nam quod pronomen in Sen. 1. deest, in Guelf. 6. autem ante *omnia*, et in 12. post *erunt* legitur, negligentiae potius scribarum, quam interpolationis indicium est. Accedit, quod ad fiduciam militibus faciendam valde aptum est pronomen orationi additum. — *Commeatus abunde* a verbo *erunt* pendet; haud raro enim *commeatus* plurali numero ponitur, velut Iug. XXVIII, 7. *paratis commeatibus.* Iustin. XVIII, 7, 6. Praeterea notandum, *esse* verbi praedicatum non adiectivum sed adverbium haberi; cf. c. XXI, 1. *quibus mala abunde omnia erant.* Iug. LXXXVII, 4. *Romanos remoto metu laxius licentiusque futuros.* ib. XCIV, 1. *uti prospectus nisusque per saxa facilius foret.* Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 106. *recte semper erunt res.* id. ad II, 3, 162. *recte est igitur (aeger) surgetque?* Tacit. Ann. III, 28, in. *teterrima quaeque impune fuere.* Aug. Matthias ad

quum proelium inibitis memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vostris portare. Si vincimus, omnia nobis 9
tuta erunt, commeatus abunde, coloniae atque municipia patebunt; sin metu cesserimus, eadem illa 10

Cic. p. Rosc. Amer. c. 5, 11. *omnes hanc quaestionem haud remissius sperant futuram.* Ex eodem genere est *adversus aliquem esse*, quod Bremius ad Nep. Hamilc. II, 2. recte contra Gronovium ad Iustin. XXII, 6, 2. defendit. Ad hunc autem *esse* verbi cum adverbio iuncti usum parum facit vaga Gerlachii observatio, adverbia saepius apud *Sallustium* loco adiectivorum poni; neque Zumptii praeceptum, Gramm. Lat. §. 69, 2. p. 295., *esse* cum adverbio coniungi posse, si significet *se habere* vel *comparatum esse*, ex omni parte verum videtur. — *Coloniae atque municipia.* Coloniae erant vel Romanae, quae ius Quiritium haberent, i. e. ius commercii, testamenti, patriae potestatis, mancipi, nexus, vel Latinae, quae iure Latii uterentur, multis nominibus quam illud circumscriptiore, v. intprr. ad Suet. Caes. c. VIII. Civitatis autem institutis, ad Romanorum exemplum conformatis, non multum erant diversae. Municipia erant oppida, non a Romanis, colonis deductis, condita, sed quae civitate donata suis legibus suoque iure uterentur, interdum tamen etiam Romanorum ius sequerentur. Cf. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 50. et Hopfensackii libellum de Romanorum Municipp. et Colonn. Duisb. 1825.

§. 10. *sin metu*] Omnes fere codd. in *si* particula conspirant; *sin* tantummodo in Leid. B. Med. 8. Vat. 3. 5. 6. et quantum coniectura assequi licet, in Teg. Her. et nonnullis Wassii exstat. Nihilominus id recipiendum duximus, loquendi usu ita iubente; quum enim posterior enunciatio negans prorsus tollat priorem aientem, neque condicio prioris membri repetatur, *sin* necessario ponendum est; cf. Ramshorn. Gramm. Lat. § 190. I. not. 3. p. 589. et quae diximus ad c. LI, 24. Gerlachius maiorem codicum numerum sequi maluit. Rectius idem *fient* restituit, spreta codicis Fabr. 1. et Teg. scriptura *fiunt*, quod a Cortio receptum posteriores propagarunt, ex quibus Müllerus, qui praesens ex more Sallustii esse dicit, videat, ne parum consulte iudicaverit. Futurum enim exactum a nemine, nisi qui recte cogitandi leges vel ignoret vel contemnat, cum praesenti conciliari posse diximus ad c. LI, 26. locum pariter a Cortio corruptum.

advorsa fient, neque locus neque amicus quisquam
11 teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus, illis supervacaneum est pugnare pro potentia pau-
12 corum. Quo audacius aggredimini, memores pristi-

§. 11-12. *non eadem nobis et illis necessitudo impendet*] Non viderunt intpp. zeugma quodammodo hic haberi, quum *impendet* non tam ad Catilinae adversarios, quam ad socios eius pertineat; nam sensus planior hic est: quae *nobis impendet* necessitudo, *illis nulla est.* Haud dissimilis est locus c. LI, 22. ubi v. — *Illis supervacaneum est*, i. e. illi non modo tuti sunt, omniumque rerum, quibus nos egemus, copiam habent, sed haec adeo illis superant, ut etiam pro aliis pugnare possint. Aliter Dahlius: „illis nihil necessitatis, neque utilitatis est, pro p. p. pugnare, atque eo facilius a nobis superari possunt.“ Sed huic explicationi tum vis vocis *supervac.*, tum sequentia verba obstare videntur. — Multi codd. *pugnare* post *paucorum* habent, quo vis huius verbi valde imminui videtur. *Paucorum potentiam* cum invidia dici, monitum est ad c. XXXVIII, 1. — Pro *aggredimini* maior codd. pars habet *aggrediamini*, quos Gerlachius secutus est. Sed imperativus vehementi acrique Catilinae orationi magis convenit, quod Cortius quoque sensit, comparans c. XX, 16. Iug. X, 8. XIV, 25. XXIV, 10. LXXXV, 47. Abruptum vero dicendi genus, quo Gerlachius Commentt. p. 152. imperativum defendi posse censebat, equidem video nullum.

§. 13. *licuit vobis*] Ita scripsimus ex Leidd. B. C. D. E. G. K. Bas. 2. 3. Bern. 3. 4. et pluribus Gruteri; in relicuis est *nobis*, quod quominus reiicerem neque maior codd. numerus, neque Cortii iudicium prohibuit, qui aliter statuentes imperitos vocat, et verae elegantiae Sallustii ignaros, quaerentis, ubicumque possit, personarum mutationem, Ciceronis etiam exemplo de Off. II, 16, 56. commendatam. Ab vero etiam aberravit Dahlius, *nobis* eo defendens, quod *c. s. t. in exilio aetatem agere* ad omnes pertineat, ut Catilina se iis debeat annumerare, *alienas* vero *opes exsp.* quoniam nonnulli tantum dicantur, auctorem recte secunda uti persona. Sed si quis reputet, Catilinam, ut suos odio impleat, non tam de sua, quam de illorum potius condicione dicere debere, et revera dicere, *potuistis — decrevistis — voltis*, ei vulgata non satisfaciet, praesertim quum

nae virtutis! Licuit vobis cum summa turpitudine 13
in exilio aetatem agere, potuistis nonnulli Romae,
amissis bonis, alienas opes exspectare; quia illa 14
foeda atque intoleranda viris videbantur, haec se-
qui decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia 15
opus est; nemo nisi victor pace bellum mutavit.

sequatur *quia illa foeda* sc. vobis *videbantur*, *haec sequi decrevistis*, unde clarissime patet, in utraque sententia secundam personam haberi. Ceterum Herzogius bene monuit hanc enunciationem et sequentem condicionalis sententiae vim habere, in hunc fere modum instituendae: *licuisset* vobis turpiter in exilio aetatem agere, *potuissetis* nonnulli alienas opes exspectare, *nisi* illa foeda atque intoleranda viris *visa essent; eo* haec sequi decrevistis. Indicativus igitur potius a sensu quam a grammatica enunciationum forma pendet. — Pro *aetatem agere* decem codd. *vitam agere*, ex interpretatione, ut supra c. XXXVII, 6.

§. 14. *quia illa* etc.] Guelf. 7. *sed quia;* sed ellipsis particulae adversativae non sollicitanda, sententiis ἀσυνδέτως maiore quadam vi se excipientibus; cf. ad c. XXXV, 2. LII, 6. *non agitur de vectigalibus, neque de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est*. ib. §. 29. *non votis auxilia deorum parantur; vigilando, agendo prospera omnia cedunt*. Iug. X, 4. *amicos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio et fide pariuntur*. XXXI, 24. *non peculatus aerari factus est; — hosti acerrumo prodita Senati auctoritas*. LXXXV, 43. *pessumae artes illis nihil officiunt; reipublicae innoxiae cladi sunt*. Cf. Goerenz. ad Cic. de Legg. III, 15, 34. ubi laudat Oudend. ad Cic. de Invent. I, 41. p. 646. Vide etiam Drakenb. ad I, 25, 3. Gronov. ad XXII, 25, 7. et Hertel. ad Taciti Agric. c. 37, extr. — *Haec sequi decrev*. i. e. haec appetenda esse duxistis. v. Bremius ad Nep. Pelop. II, 1. *Athenas se contulerunt, non quo sequerentur otium, sed ut* etc. Noster Cat. XXXV, 4. *satis honestas spes sum secutus*. LII, 22. *laudamus divitias, sequimur inertiam*.

§. 15. *si haec relinquere*] Vim loci plane non assecuti sunt, qui cum Cortio *haec* omittunt, cui auso non modo libri omnes, sed sensus obstat. Quis enim non videt, eleganti aeque ac gravi gradatione Catilinam hoc dicere: ut *illa* foeda effugeretis, *haec* (arma et res belli asperas) secuti estis; sed ut *his* quoque, per se neuti-

16 Nam in fuga salutem sperare, quum arma, quis
corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea vero de-
17 mentia est. Semper in proelio maxumum est pe-
riculum, qui maxume timent; audacia pro muro
18 habetur. Quum vos considero, milites, et quum
facta vostra aestumo, magna me spes victoriae te-
19 net. Animus, aetas, virtus vostra me hortantur,
praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis

quam exoptatis, sed sine quibus melior condicio parari non possit, liberemini, audacia opus est. Tellerus igitur mirum quantum a vero aberravit, qui *haec* omisso, supplet *illa foeda atque intoleranda*, quod propter antegressum *haec* nullo modo fieri potest. — Deinceps post *nemo* supplenda est *enim* particula, de quo v. ad c. XVII, 7. et LI, 2.

§. 16-17. *quis corpus*] Codd. fere omnes tenent *quibus*, praeter Rivii et Merseb., qui antiquiorem pronominis formam habent. — Statim post pro *ea vero* Guelf. 5. exhibet *ea vera*, quod languet prae vulgata. *Vero* graviter affirmandi potestate positum illustravimus ad c. XXXVII, 4. — *Semper in proelio maxumum est periculum* Cortium et Gerlachium secuti scripsimus; vulgo *iis* post *proelio* additur, sed Sallustium pronomen non scripsisse inde patet, quod pro *iis* multi codd. tenent *his*, alii *illis*, alii *his* post *periculum;* vera autem auctoris manus servata exstat in Bas. 1. Sen. 1. Fabr. 1. 2. Ecc. et Guelf. 2. qui nihil eiusmodi ab interpolatoribus habent. De demonstrativo pronomine, non eodem, quo relativum positum est, sed alio casu supplendo, diximus ad c. XIII, 2. et XXXVII, 3. Addidit Cortius Liv. XXIII, 15, 4. *praemia atque honores, qui remanerent ac militare secum voluissent, proposuit,* ad quem locum Drakenborch. multa Livii exempla et aliorum scriptorum interpp. laudavit. Eandem rem tetigit etiam Bremius ad Nep. Themist. IX, 1. et ad Dion. VIII, 4. — *Habetur* non est *putatur*, sed *est* vel *possidetur*, ut diximus ad c. I, 4.

§. 18. *aestumo*] Octo codd. apud Cortium *existumo*, quod cur h. l. ferri nequeat exposuimus ad c. VIII, 2. coll. II, 8. — *Me spes* plurimi tuentur codd.; in Guelf. 7. 8. et Bas. est *sp. v. me tenet*, qui verborum ordo deterior est vulgato, nam pronomen rectius mediae orationi interponitur; v. supra ad §. 4. et ad I, 1. Imme-

facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire 20
queat, prohibent angustiae loci. Quodsi virtuti 21
vostrae fortuna inviderit, cavete inulti animam amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini, quam virorum more pugnantes cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

LIX. Haec ubi dixit, paullulum commoratus signa canere iubet, atque instructos ordines in lo-

rito autem Cortius cum Rem. 2. *me* deletum cupit, quo oratio sine perspicuitatis detrimento carere non potest.

§. 19-21. *me hortantur*] *Me* Cortius unius Struv. auctoritate abegit; sed sententia id efflagitat, quum his verbis antegressa exaggerentur, quorum haec vis erat, ut Catilina *se ipsum* optima quaeque sperare ostenderet. Igitur Dahlius, qui pronom. non agnoscit, male *vos* supplendum censet, graviter lapsus, quod ex c. XX, 15. huic sententiae praesidium quaerit. — *Necessitudo* explicatum ad c. XVII, 2. *Angustiae loci* omnes habent libri, praeter Guelf. 3. in quo *loci* abest, Cortio probante. Sed abiiciendi ne minima quidem caussa est. Cur Gerlachius vero *loci* cum *eximia elegantia* dictum putet, equidem non assequor. — Pro *cavete inulti an. am.* vulgo editur *cavete*, *ne in. an. am.*; sed *ne* particula in Comm. Naz. Palat. 5. Bas. 1. Guelf. 2. 4. et Leidd. A. B. C. D. L. N. abest, praeterea in nonnullis ante *animam*, in aliis ante *amittatis* legitur, unde recte colligitur, eam librariorum industriae deberi. Non male Herzogius observat, particulam tum tantum omitti posse, ubi *res* quam caveri velimus magis efferatur; ubi vero *cavendi* notio sive cautela ipsa praevaleat, *ne* non recte abesse, coll. Caes. B. G. VII, 2. — De *neu* vocula diximus ad c. XXXIV, 2.

LIX. §. 1. *signa canere*] *Canere* in hac re pro *cani* dictum putant, velut Schellerus in Lex. ampl. p. 1443. et p. 10199., recte, si eo sensum ex nostra dicendi ratione explicare volunt, perperam, si grammatice activum pro passivo positum autumant. Nam structurae insolentia in eo potius versatur, quod Romani brevitatis caussa, cui in dictionibus militaribus maxime studebant, tubicines, canendi auctores, non curantes, signum ipsum, quod canendo dabatur, pro primaria re haberent, quae per se sonum ederet. Eo

cum aequum deducit; deinde, remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque

factum, ut in ista structura *canere* intransitivam, quam dicunt, potestatem acceperit, quod clarissime patet ex iis locis, ubi verbum non a *iubere* pendet, velut Liv. I, 1, 7. *priusquam signa canerent.* XXVII, 47, 5. *semel in praetoriis castris signum, bis in consularibus referebant cecinisse.* XXIV, 15, 1. *ubi signa coeperunt canere.* Caes. B. C. III, 92, 4. Quae exempla docent, non eam esse constructionis rationem, ut, ubi verba a *iubeo* pendeant, accusativus subiecti supplendus sit, *signa* vero obiecti locum, a verbo *canere* apti, teneat, sed legitimam obtinere accusativi c. inf. constructionem, quippe in qua *signa* accusativus *subiecti* sit. Aliter Herzogio visum, qui *signa*, *signum*, *classicum* ubique pro obiecto habet, verbum ab omissa tubicinis persona aptum esse censens, quod ei non possumus concedere, tum ob caussas supra expositas, tum quia Latini, ubi *signa* ad indefinitam eius qui sonitum excitabat personam referre volebant, infinitivo passivi, non activi utebantur; Caes. B. C. III, 82, 1. *classicum apud eum cani iubet.* Quae constructio ut institui nequit, quin de persona cogitetur, ita patet diversam esse ab infinitivo activi. Praeterea Romani interdum etiam plane nostro modo locuti sunt, ut Liv. XXIV, 46, 6. *cornicines dispositos canere iubent.* Noster Fragm. Historr. I. n. 38. *iussu Metelli cornicines occinuerunt.* Iug. XCIX, 1. *Marius iubet tubicines simul omnis signa canere.*

deinde] Vulgo *dein*, quod si variae lectiones recte enotatae sunt, tantummodo in uno Rivii, Bas. 1. et Tur. 1. legitur. Eos Gerlachius secutus sibi non constitit, qui c. XL, 6. et XLV, 4. *deinde* propter maiorem codicum numerum ediderit.

omnium equis] In Fabr. 1. Guelf. 5. Leid. A. uno Wassii et Tur. 1. est *omnibus equis*, quod Cortius perperam significantius dictum putat. Necesse est enim, hoc tantummodo ad pugnantium personas referri, non de equis in universum dici, quod quum re ipsa patet, tum eo, quod Catilina *ipse pedes* ceteris opponitur. Quare etiam oppositionis respectu nostri loci similis est Caes. B. G. I, 25, 1. *Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut aequato omnium periculo, spem fugae tolleret, proelium commisit.* — *Pedes* Gerlachius poetice dictum putat, explicans *pedibus incedens*, quod Herzogio merito nimis subtile videtur. Neque tamen probamus, quod hic *pedes* adiectivi vel participii vim habere

copiis instruit. Nam uti planities erat inter sinistros 2
montis et ab dextra rupis aspera, octo cohortis in fronte constituit, relicua signa in subsidio artius

statuit, quum multo simplicius pro *appositione* habeatur, quae, qua ratione substantivum et verbum contineatur, accuratius definiat. Laudarunt interpretes Senec. Ep. CIV. *per medias Africae solitudines pedes duxit exercitum.* Liv. XXVIII, 9, 15. *Neronem etiamsi pedes incedat, memorabilem fore.* ibid. §. 12. *illum equitem sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiae.* cf. Ruddimanni Institt. Tom. II. p. 4. — *Pro loco* i. e. ut locus vel postulabat, vel suadebat; v. ad c. LI, 8. — Pro *instruit* septem codd. *instruxit*, quod interpolatoribus debetur.

§. 2. *uti planities erat*] I. e. prout planitiei natura patiebatur, quae erat etc. Comparationi enim inservit *ut* particula, significatque id, ad quod pertinet, non ita quidem ut perfecta rei ratio postulat comparatum esse, sed tamen loci temporisque condicioni convenire; cf. Nep. Attic. 1, 1. *patre usus est diligente, et, ut tum erant tempora, dite.* Cic. Epp. ad Famm. XII, 2, med. *non nihil, ut in tantis malis, est profectum.* Liv. XXIV, 28, 1. *Apollonides orationem salutarem, ut in tali tempore, habuit.* cf. Guenther. ad Nep. Epam. 5, 2. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 79. et Tursellin. c. CCXLVII, 1. sq. Minus commode Walchius Emendd. Livv. p. 229. locum explicat, *ut* potestate caussali pro *quia* positum censens. Plane autem diversam esse *ut* particulae vim, quam supra c. XXXI, 7. illustravimus, vix est quod moneamus. Alieni etiam generis est formulae *qui est* usus, ab Herzogio comparatus.

rupis aspera] Longe plurimi codd. *rupe aspera;* aliquot Manutii, Glareani, Gruteri et Wassii *rupes aspera*; alii, sed pauci, *rupem asperam;* unus denique Leid. E. *rupes asperas*, sed manu secunda; quae omnia a vera auctoris manu aliena videntur. Patet enim planitiei naturam ita describi, ut ab altera parte montes, ab altera rupes aspera fuerit; quod ut auctor diceret, *inter* praepositione usus est, cuius haec est grammatica ratio, ut in utroque membro accusativum requirat. Falsum igitur est neque ullo modo excusandum *rupe aspera;* quod si quis cum Cortio eo defensum putat, quod Sallustius diversas structuras coniungere soleat, is nihil dixit, nam exempla ad id probandum allata a nostro aliena sunt omnia. Gerlachius autem variatam nominum constructionem eo quoque excusari censet, quod iam *sinistros* et *ab dextra* sibi respondeat; sed V. D. non vidit, aliam esse praedicati, aliam sub-

3 collocat. Ab his centuriones omnis lectos, et evo-

stantivorum a praepositione pendentium rationem. Grammaticae satis faceret *rupem asperam*, quod etiam Cortio valde placuit; sed non intelligitur, quomodo scribae in tam plana structura aberrare potuerint. Quare non dubito, quin Bipp. vere coniecerint *rupis aspera*, quo certa paene via ducit *rupes aspera*. Quum enim *rupis* pro accus. plur. haberent, vulgarem substituerunt formam; unde alii, sensum non constare animadvertentes, facili emendatione *rupes asperas* vel *rupem asperam* procuderunt, alii vero ablativos absoll. orationi convenire putarunt. *Rupis aspera* autem pro *rupem asperam* eodem modo dictum est, ut in Fragm. Historr. II. No. 12. *inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam.* ibid. III, 22, 4. *statui certaminis advorsa potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse.* Liv. XXVII, 18, 10. *via, quae per tumuli obliqua in agros ferret.* XXVIII, 20, 3. *qua per inaequaliter eminentia rupis poterant, scandunt.* Tacit. Anall. I, 61, init. *praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur.* II, 69, extr. *valetudinis adversa rimantes.* IV, 41, init. *Seianus tacita suspicionum deprecatur.* ib. c. 59, init. *oblatum Caesari periculum auxit vana rumoris.* cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 73, 5. not. et quos ibi laudat. Licet autem hic loquendi usus poetis maxime, iisque scriptoribus, qui post Augustum vixerunt, proprius sit, v. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 25., et Hertel. ad Taciti Agric. c. 6., nihil tamen est, quod eum a Sallustio adhiberi potuisse negemus. *Ab dextra* Cortius recte vidit respondere praegresso *sinistros*, apteque contulit Iug. L, 4. *Numidae alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextra tentare.* Aliam, sed, si quid video, prorsus falsam rationem iniit Herzogius. Is *inter* tantummodo refert ad *sinistros montes*, *aspera* vero coniungit cum *planities*, quae verba satis aspere ita interpretatur: *denn, da zwischen den links gelegenen Bergen eine Ebene war, und zur Rechten ein felsig rauher Boden* etc. Haec attulisse sufficiat; nam singula ob nimiam obscuritatem vix queunt refelli.

relicua signa] Ita tantummodo in Leidd. A. B. C. D. F. H. M. scriptum exstat; ceteri vel *relicuorum* vel *relicuarum signa* exhibent, sed neutrum a Sallustio proditum videtur. Genitivo enim, velut *legionis*, vel *cohortis*, addito, quo aliqua copiarum pars significatur, *signa* proprio semper sensu capienda sunt, vexillaque aut aquilam notant; ubi autem hoc vocabulo ipsi milites aut aliqua exercitus pars significatur, non potest eius partis nomen genitivo casu addi. Patet autem h. l. non ipsa signa tantum, sed milites

catos, praeterea ex gregariis militibus optumum

ea sequentes intelligi, nam *octo cohortibus* opponuntur *cohortes relicuae*, pro quo dixit *relicua signa*. Ita Livius VIII, 9, 11. *terror signa Latinorum turbavit.* Tacit. Ann. I, 69, med. *nihil relictum imperatoribus, ubi femina signa adeat.* Praeterea, quod sensus usus que loquendi evincit, *relicua* scribendum esse, etiam codd. discrepantia ostendit, *relicuarum* non verum esse. Quippe in tam plano huius scripturae sensu difficile est intellectu, quomodo scribae vel *relicuorum* vel *relicua* substituere potuerint; contra patet, hoc nonnullis perperam intellectum in caussa fuisse, cur alii, *signa* proprio sensu capientes et ad cohortes trahentes, scriberent *relicuarum*, alii ad milites referentes *relicuorum* praeferrent.

in subsidio] Vulgo *in subsidiis*, sed quod cum Cortio et Gerlachio scripsimus longe plurimis libris firmatur. Singulari autem numero non ea aciei pars significari videtur, quam triarii, *subsidia* proprie dicti, tenebant, sed potius indefinite indicatur, cui rei istam collocationem Catilina inservire voluerit, quod bene sensit Schellerus in Lex. ampl. p. 10746. explicans *in* sive *ad subsidium.* Quivis tamen facile videt, rem ipsam non mutari, sive *in subsidio*, sive *in subsidiis* scribatur; quocirca paullo post §. 5. *in snbsidiis* praetulimus, quia omnes codd., exceptis tribus et Nonio, pluralem tuentur. Obiter monemus, quam Herzogius affert librorum discrepantiam *signa subsidio artius collocat*, eam nusquam exstare, sed Herzogii errori deberi, inde orto, quod Gerlachius quid codd. praebeant h. l. parum accurate enotavit.

§. 3. *centuriones omnis lectos, et evocatos*] Ita viginti sex codd., inter quos Bas. 1. Fabr. 1. 2. Guelf. 5. et Leid. L.; relicui *lectos et vocatos*, aut *electos et evocatos*, quae posterior scriptura Bipp., Müllero et Langio placuit, quamquam non eodem modo explicata. Illi enim commate post *omnis* posito, verba pro substantivis habent, tria virorum genera intelligentes, *centuriones*, *electos* i. e. legionis caput vel primam cohortem, et *evocatos* i. e. qui stipendiis emeritis rursus ad arma excitati essent. Langius vero, quem etiam Herzogius sequitur, *electos et evocatos* interpretatur *quos selegerat et evocaverat*, quae explicatio quum per se admodum languet propter sequens *subducit*, tum pariter atque Bipontinorum ratio vocabulo *omnis* valde laborat, siquidem si *omnes subduxit*, neque eligere neque evocare opus erat; eodemque nomine etiam Cortius vituperandus, qui licet *lectos* scripserit, tamen de delectu cogitat. Sed nihil inest difficultatis in loco, modo, meliores codd. secutus, *lectos* teneas esse i. q. eximios, praestantes, uti

quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare iubet; ipse cum libertis et colonis propter aquilam assistit, quam bello Cim-

c. L, 2. Sensus est igitur: centurionum *praestantissimum quemque* (non omnino omnis) ex subsidio in pr. a. subducit. *Ab his* Cortius pessime coniungit cum *electos*, non videns *ab* loci vim habere, sensumque esse: ab ea parte, ubi subsidium erat, amotos subducit. *Evocatos* autem, quod ad centuriones relatum non satis commode cum *lectos* voce coniungi potest, paullo insolentius homines significare videtur, longo usu militiae peritissimos. Quominus enim proprio sensu capias de iis, qui, ut Cortii verbis utar, stipendiis expletis, non poterant in delectu scribi, sed precibus imperatoris permoti, aut in eius gratiam militiam resumebant (v. Rupertium ad Tacit. Ann. I, 17, 2. Ernest. in Clav. Cic. h. v. et Herzog. ad Caes. B. G. III, 20), hoc obstat, quod Catilinae neque iustus exercitus fuit, neque imperatoris more evocandi potestas. Sed quoniam studebat, ut copiis suis iusti exercitus formam daret, Sallustius non dubitavit, vocabulis in militia propriis uti.

optumum quemque armatum] Haec Langius recte explicat: fortissumum quemque, qui armis instructus esset; non omnes enim arma habebant, cf. c. LVI, 3. *Optimus* pro *fortissimo* legitur Iug. XCII, 9. *optumus quisque cadere, aut sauciari;* etiam *bonus* dicitur pro *forti*, Iug. LVII, 6. *pari periculo boni atque ignavi erant.* Nihili est autem, quod Cortius *optumum* etiam adverbii vim obtinere posse censet, cui rei et verborum nexus, et usus loquendi repugnat. Nihilominus eam explicationem Gerlachius quoque amplexus est, quamquam *armatum* deletum malit. — *Curare* absolute positum, et in re militari imprimis frequens, est *negotia ducis obire;* cf. Iug. XLVI, 7. *in postremo C. Marius curabat.* LVII, 2. *legatis imperat, ubi quisque curaret.* LX, 1. *ubi quisque legatus aut tribunus curabat.* ibid. §. 5. *Marius in ea parte curabat.* C, 2. *in sinistra parte A. Manlius curabat.* Tacitus tamen interdum accusativum addit, velut Anall. I, 31. init. *inferiorem exercitum A. Cecina curabat.*

cum libertis et colonis] Quattuor codd. *libertinis*, quod, quum isti non solius Catilinae essent, melius videri possit; cf. ad c. L, 1. Sed pro *libertinis* interdum positos esse *libertos*, monuit Heindorfius ibi laudatus. — *Colonis* sc. Sullae veteranis, quibus ista regio data fuerat, v. ad c. XXVIII, 4. Ex his autem colonis videntur evocati

brico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At 4
ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod
proelio adesse nequibat M. Petreio legato exerci-
tum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti 5

fuisse, quos paullo ante memoravit. Lepide Kunhardtus: colonis, inquit, i. e. militum servis, castra sequentibus, qui clavas ligneas et fustes gerebant, vel qui militibus ligna subministrabant. Scilicet V. D. confudit colonos cum calonibus. — *Propter* particulae vim loci ignorantes scribae in Vin. 2. Bas. 2. 3. Rem. 1. Inc. Struv. et Leidd. G. H. M. dederunt *prope*. — De *aquila* Marii argentea cf. Cic. or. in Cat. I, 9, 24. ubi Matthias quaedam attulit de signorum militarium religione. Plura habet Rupertius ad Tacit. Ann. I, 39, 9.

§. 4. *proelio*] Guelf. 4. 5. et Bern. 2. *bello*, quod, si maiore codd. auctoritate niteretur, praeferrem; cf. ad c. IX, 4. — *Pedibus aeger.* Sallustio maior fides quam Dioni Cassio, qui, quamquam Nostrum in Catilinae coniuratione presse sequitur, quaedam tamen, quo res memoriae proditas explicaret, ipse effinxisse videtur, velut quum l. XXXVII. p. 47. tradit, Antonium simulasse tantummodo morbum, ne Catilinae forte in pugna obvius ab eo coniurationis particeps fuisse argui posset. — *M. Petreius* haud dubie is est, qui postea, civili bello exorso, Pompeii legatus in Hispania rem fortiter administravit; v. Caes. B. C. I, 38. sqq. notus idem vitae exitio, quod ipse cum Iuba rege sibi paravit; v. Auct. B. Afric. c. 94. Liv. Epit. CXIV. Flor. IV, 2, 69.

§. 5. *Ille*] Male habuit nonnullos interpretes pronomen *ille*, quod cum sequenti *ipse* non potuerunt conciliare; velut Glareanus *ille* ad Petreium refert, *ipse* ad Antonium, Wassius contra *ille* ad Antonium putat pertinere, *ipse* ad Petreium, Kunhardtus utram rationem sequeretur, ipse nesciisse videtur. Sed utroque pronomine Petreium significari debere, re ipsa docente, recte vidit Cortius. *Ille* pronominis usum, quo ad proxime praegressum nomen refertur, illustravimus ad c. XLV, 2. cf. Iug. LVIII, 5. *Metellus Marium lacrumans obsecrat; — ille brevi mandata efficit.* Herzogius praeterea laudat Bremium ad Nep. Thrasyb. I, 3. *Ipse* autem hanc vim habet, ut, imperatoriis officiis generaliter narratis, quid Petreius praeterea per se fecerit, melius appareat, eoque viri ingenium moresque plane cognoscantur. — *Tumulti* Leid. L. Non. VIII, 50. et Tur. m. sec.; reliqui *tumultus.* De recepta forma v. quae c. XXX, 3. de voce *senatus* monuimus. Tumultus autem Romanis in re militari subitum bellum aut periculum significabat, cui celo-

caussa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat; ipse equo circumiens unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, uti meminerint se contra latrones inermis, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis cernere.

riter occurrendum esset; quare Livius frequenter eo vocabulo utitur, ubi de repentinis hostium, imprimis Gallorum, incursionibus loquitur; de *tumultu* locus classicus est apud Cic. Philipp. VIII, 1. v. etiam Ernesti in Clav. Cic. h. v. et Nitschii Antiqq. Rom. T. II. p. 1397. — *Conscripserat* non ad Petreium sed ad Antonium pertinet, neque enim legatus conscribebat, sed consul; parum autem difficultatis habet, quod mutatum in secundaria enunciatione subiectum non expressum, sed ex antegressa periodo repetendum est, si teneas, ultimo praecedentis verborum complexionis vocabulo subiectum contineri, praesertim re ipsa, ut monui, sensum adiuvante. *Conscribere* autem, id quod Cortius iam vidit, de *veteranis* paullo latiore sensu dictum pro *cogere*, siquidem proprie de iis usurpatur, qui in delectu scribuntur. — *Ceterum exercitum* Gerlachius imperite explicat *relicuum*, pariter ut c. LII, 31. *In subsidiis* omnes fere codd.; sed Leid. L. Guelf. 9. Franc. et Non. VIII, 50. *in subsidio*, haud dubie ut congrueret cum §. 2. ubi v.

uti meminerint] Gerlachius ex Bas. 1. 4. Bern. 1. et 3. *ut mem.*, sed relicui omnes *uti* tenere videntur. — *Inermis* est in Tur. 2. relicui *inermes* exhibent. Cortius et Gerlachius *inermos* ediderunt, quod unus Ursini liber habet. Paullo levius de hac forma iudicat Herzog. ad Caes. B. G. I. 40.; neque iusta ratione niti videtur, quod apud *Sallustium* sensus discrimen inter *inermus* et *inermis* statuit. Sed qui in talibus rebus, ut par est, codicum fidem sequuntur, *inermus* non facile ubique probabunt, quum pateat h. l. accus. plural. in *is* non a scriba, Sallustii manum mutante, sed a Sallustio ipso esse, in relicuis autem libris vulgarem terminationem in *es* induisse. Praeterea *inermis* Iug. LIV, 10. et XCIV, 5. sine ulla varietate legitur; etiam capite LXVI, 3. quattuor, ac XCIV, 2. quinque tantum codd. *inermus* exhibent, quod duobus tantum locis, Iug. CVII, 1. et CXIII, 6. omnibus libris firmatur; eadem forma etiam legitur in Fragm. Histt. I. n. 19, 18. Sed Fragm. Histt. II. n. 31., ubi Gerlachius *inermos* scripsit, Priscian. X, 3, 19. p. 486. *inermes* habet. Cf. ad Iug. I, 1 — *Pro aris atque focis* v. ad c. LII, 3. — *Cernere* legitur in Bongarsii libro, et Bern. 3., ad quos accedunt Thosan. in quo

Homo militaris, quod amplius annos triginta tribu- 6 nus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

est *decernere*, et Fabr. 1. *ccr . . re*, erasis, ut videtur, propter ambiguitatem scripturae mediis litteris. Haec sufficere videntur, ad verbum Sallustio vindicandum, quod apud antiquiores in usu fuisse Cortius gnaviter demonstravit. Cf. Ennius in Anali V. apud Cic. de Off. I, 12, 38. *ferro, non auro, vitam cernamus utrique*, ubi v. Heusing. et Car. Beier. Lucret. V, 395. *magnis de rebus inter se cernere certant.* Plaut. Trinum. II, 4, 78. *nam ibi de divinis atque humanis cernitur.* Cas. III, 1, 2. *nunc certamen cernitur*, coll. Bacch. III, 2, 15. cf. Periz. ad Sanct. Min. T. II. p. 463 sq. et Ernesti in Clav. Cic. h. v. Frequentius simplici eodem sensu legitur compositum *decernere*, de quo v. Bremium ad Nep. Hannib. X, 4. Drakenb. ad Liv. I, 15, 3.

§. 6. *homo militaris*] Dictionem illustravimus ad c. XLV, 2. — Pro *annos trig.* septem codd. habent *annis trig.*, quod per se quidem ferri possit, si statuis *quam* particulam omissam esse, sextoque casu temporis mensuram significari, uti v. c. Iug. LIV, 1. *Metellus in iisdem castris quatriduo moratus;* cf. Gernhard. ad Cic. de Off. III, 2, 8. Sed probabilius est, scribas, accusativo post comparativum offensos, ablativo illato vulgarem constructionem restituisse sibi visos esse, nescios eius structurae rationis, quam illustravimus ad c. LVI, 2. — *Praefectus* sc. *equitum sociorum*, qui praefecti ab imperatore constituebantur; v. Caes. B. C. VIII, 47, 1. *erat attributus Antonio praefectus equitum.* Praefecturas alarum dignitatis maioris quam tribunatum fuisse patet ex Suet. Octav. c. 38, in. *militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit.* Cic. Epp. ad Famm. VII, 5, extr. *huic ego neque tribunatum, neque praefecturam peto.* cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 39. Ernestium in Clav. Cic. h. v. et, quem ibi laudat, Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. II, 17. Pluribus rem retractavit ad Tacit. Anall. II, 68, extr. — *In exercitu*, quoniam verba primitus in Guelf. 12. abfuerunt, neque prorsus ad sensum sunt necessaria, Cortius eiecit; merito Langius, Müllerus, Gerlachius non obsecuti sunt. — Ad *ipsos* Cortius perperam comparat c. XXXI, 7. Respon-

LX. Sed ubi omnibus rebus exploratis Petreius tuba signum dat, cohortis paullatim incedere
2 iubet, idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis proelium committi posset, maxumo clamore cum infestis signis con-
3 currunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Vete-

det ad amussim vernaculo *persönlich*. Melius contuleris Iug. LII, 1. *summi viri certabant, ipsi pares, ceterum opibus disparibus.*

LX. §. 1. *omnibus rebus*] Vulgatum ante Cortium ordinem, quem longe plurimi codd. tuentur, cum Gerlachio restituimus; ille ex paucis scripserat *reb. omn.*, quod, quum sententiae vis adiectivo contineatur, etiam hoc nomine recepto ordine deterius est. — *Iubet* Gruterus deletum malebat, ut singula melius cohaererent. Nimirum non assequebatur, quae ad protasin, quaeque ad apodosin pertinerent, id quod etiam plurimos ex recentioribus videtur latuisse, quantum ex perversa interpunctione coniici potest. Nam fere omnes post *dat* semicolon, post *iubet* colon vel adeo, ut Müllerus, punctum habent, quo fit, ut verba *coh. paull. inc. iub.* apodosin faciant priorum, quae autem sequuntur novam enunciationem constituant. Sed ut probum foret *ubi Petr. signum dat, cohortes paull. procedunt*, ita plane ineptum est: *ubi Petr. sign. dat, cohortes proc. iubet.* Cortius igitur, sentiens quam incommode isto modo *iubet* ad praegressum *dat* referatur, contulit Sil. XIII, 112. *dat signum, atque alacer muros transcendere scalis imperat.* Curt. III, 8, 23. *iamque tertium signum tuba miles acceperat, strenueque iussi procedere, pervenerunt ad angustias.* Quibus exemplis cum nostro comparatis patet *iubet* pariter atque *dat*, ab *ubi* particula aptum, ad protasin pertinere, ita ut in apodosi *hostes* Petreio opponantur. Nihilominus Gerlachius Cortium ridicule *iubet* defendisse dicit; sed videat, ne ipse ridicule egerit haec annotans: „Gruterus falsus est, qui in oppositis apud Sallustium eandem, quam in Cicerone, aequalitatem expressam putavit, quum Sall. *consilio in talibus orationem variet.*" Quod nisi hoc est inanibus verbis uti, profecto nescio quid isto nomine dignum sit. Nostro loco recte explicando hoc unum sufficiebat monuisse, orationem *ἀσύνδετον* esse, copula post *dat* omissa.

§. 2. *ventum est*] Cortius *est* Guelf. 6. et 9. secutus omi-

rani, pristinae virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt, maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie 4
versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni impe-

sit. — *Ferentarii* unde dicti sint, ipsi ambigunt veteres; hoc tamen constat, levis armaturae milites fuisse, qui fundis, glande et lapidibus pugnarent; cf. Festus, Varro de L. L. VI, 3. Veget. I, 20. et II, 2. — *Cum infestis signis conc.* eodem modo dictum est, ut c. XXVII, 2. *cum telo esse*, ubi v. coll. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 11. not. 2. p. 362. Alibi tamen solo ablativo sine praepositione utuntur, velut Liv. I, 25, 3. *infestis armis concurrunt.* Caes. B. G. VII, 51. *legiones infestis contra hostes signis constiterunt.* — *Pila omittunt;* quod saepe in atroci pugna factum, v. Caes. B. G. I, 52. VII, 88. quae exempla, uti proxime allata, Cortio debentur. Herzogius *utrimque* ante *pila* addidit, quod quinque Wassii codd., tres Leidd. et sex Palatt. habent; sed omnes Cortii et Gerlachii ignorant, alii alio loco ostendunt, ex quo recte colligitur glossam esse ad *concurrunt* spectantem. — Pro *res geritur* multi codd. male *res agitur*, vel *agitur res*, quod nunquam ita dicitur, ut sit *pugnare*, vel *dimicare*; contra *rem gerere* isto sensu satis frequens, uti Cortius ad Iug. LVIII, 4. demonstravit, coll. Liv. XXVIII, 2, 6. Valer. Max. II, 7, 10. et Mureti Varr. Lectt. IV, 7. Plurima Livii exempla Drakenborchius congessit ad X, 43, 6.

§. 4-5. *accersere*] Ita codd. Vin. 1. Inc. 1. Guelf. 2. 5. 6. 9. 10. 11. Bas. 1. 2. Bern. 1. 2.; ceteri *arcessere*, *accessere*, *accersire.* V. ad c. XL, 6. — De imperfecto *exsequebatur* infinitivis historicis subiuncto v. ad c. XVI, 2. et LIV, 4. Non satis commode autem Gerlachius et Herzogius puncto post *ferire* posito quae sequuntur a praegressis prorsus disiunxerunt; rectius vidit Kunhardtus, legentis animum, rapido orationis flumine quasi correptum, in imperfecto lubenter subsistere et acquiescere. Simili modo orationem conformavit Tacitus Agric. c. 38, in. — Pro *tendere* multi codd. habent *contendere* aut *intendere*, ex interpolatione et ignorantia usus dicendi, quem Cortius exemplis bene astruxit. Virg. Aen. XII, 553 *vasto certamine tendunt.* Liv. XXXII, 32, 7. *quod summa vi ut tenderent, amicis et propinquis mandaverat*, ubi Gronov. et

5 ratoris officia simul exsequebatur. Petreius ubi videt Catilinam contra ac ratus erat magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros aggre-
6 ditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes
7 cadunt. Postquam fusas copias seque cum paucis

Drakenborch. multa congesserunt. Tacit. Ann. II, 74. *Marsus acrius tendenti Sentio concessit.* Histt. I, 28. — *Eosque* omnes tenent codd., praeter Guelf. 1., qui copulam non habet; eum Cortius pro more secutus est. Non minus inconsulte idem statim post *ceteros* omisit, uno tantum Bodlei. et Rem. 1. adiuvante, sententia ipsa autem renitente; Gerlachius tamen libenter paruit.

§. 6-7. *in primis*] Verborum vim non cepit Cortius, non tam locum ubi pugnaverint, quam tempus et ordinem quo occubuerint, significari censens. Neutrum verum est; nam *in primis* ad *pugnantes* pertinens idem est atque *inter fortissumos*, *inter primos pugnantium.* Per se autem patet, hoc sensu verba seorsim scribenda esse, uti Iug. VI, 1. *leonem primus, aut in primis ferire.* XXVI, 3. *Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat.* Inde consequitur errare eos, qui, ubi istae voces adverbii vim habent, vel *in primis*, vel *inprimis* scribunt, analogia repugnante, quae *imprimis* scribendum esse docet; cf. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 314. — *Se relictum* non est i. q. *relicuum*, sed potius *desertum;* haud raro enim *relinquere*, quod latius patet quam *deserere*, ponitur ubi posterius exspectes; illud enim de iis dicitur, qui quacunque de caussa ab aliquo discedunt, hoc ad eos pertinet, qui, quum alicui adesse debebant, officii immemores ac perfidi abeunt; v. Bremi. ad Nep. Datam. VI, 3. Herzog. ad Caes. B. G. I, 45. — *Catilina* aliquot libri omittunt, alii alio loco exhibent; sed nomen necessarium est, neque alia discrepantiae caussa videtur fuisse, nisi remotus ab initio periodi locus, quam verborum collocationem habes iterum Iug. XIII, 7. *tanta commutatio incessit, ut ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret.* Similia notavit Bremius ad Nep. Milt. I, 1. *ut iam non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui.* Caes. B. G. III, 17. *ut iam non solum hostibus in contemptionem Sabinus veniret.* — Verbis *pristinae dignitatis* vulgo interponitur

relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae dignitatis, in confertissumos hostis incurrit, ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere quem quisque vivus pugnan- 2
do locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat.

suae, quod quum sedis sit incertissimae, librariis potius quam Sallustio tribuendum est.

LXI. §. 1. *tum vero cerneres*] De *tum* particula post ablatt. abss. posita v. ad c. LI, 40. — *Vero* augendi asseverandique vi usurpatum illustravimus ad c. LII, 15. — *Cerneres* i. e. cernere licebat, de quo coniunctivi usu v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 3, 2. p. 395. Hertel. ad Tacit. Agric. c. 22. extr. — *Vis animi* legitur in Bas. 1. Bern. 1. 2. 3. Mark. *A. Γ.*; vulgo *animi vis*, quo verborum positu sententiae gravitati non satis consulitur. — *Quisque vivus pugn.* rescripsimus, non moti Cortii rationibus, qui *vivus* expulit, Gerlachio, qui uncinis inclusit, non dissentiente. Nam quod locum mutat vocabulum, et in tribus Wassii ante *quisque*, in quattuor ante *ceperat*, in uno post *ceperat* legitur, adeoque in Guelf. 11. deest, id non plane evincit insiticium esse, praesertim quum etiam *locum*, quae vox abesse nequit, non in omnibus codd. eandem sedem habeat. Ad hoc pro *vivus* duo habent *unius*, unus *nimis*, unus denique *in viis*, quae varietates quo sunt ineptiores, eo certius ostendunt primitus *vivus* affuisse. Quocirca verius statues iam mature vel casu vel negligentia scribarum aliquid in verborum ordine turbatum esse, quam eos quod non invenerint ex ingenio addidisse, nulla praesertim orationis ambiguitate vel obscuritate istius vocis defectu oriente. Frustra autem Florus in auxilium vocabitur, l. IV, 1, 11. *quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat;* quae quamquam aperte Sallustium imitantur, Florus tamen, ut Langius verissime iudicat, facile omisit, quod omitti poterat. Minorem etiam probandi vim habet locus Iustini III, 9, 10. *adversis vulneribus omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt;* neque omnino aliquid exemplis confici potest, ubi non quaeritur quid dici debuerit, sed quid potuerit dici. Quodsi reputaveris, Sallustium oppositis verbis et sententiis valde studere,

3 Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paullo divorsius, sed omnes tamen advorsis
4 volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat
5 vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia

v. ad c. XII, 5. XLVI, 5., profecto non erit, quod *vivus* otiosum aut elegantiae expers reare.

§. 3. *medios*] Immerito haec vox interpretes offendit, adeo ut Cortius, qui nullo modo concoquere eam posset, omnibus codd. firmatam expelleret; Gerlachium, quo invito excidit, Herzogius tacite secutus est. Sed *medius*, indefinitae potestatis vox, non uno eodemque modo ubique capiendum, quum qua ratione quid medium sit ex nexu sententiarum et pro verbi significatione iudicari debeat. Ita Ter. Andr. I, 1, 106. *mediam mulierem amplectitur*, et Liv. I, 48, 3. *medium arripuit Servium*, i. e. media corporis parte; Hor. Sat. , 1, 10. *hunc securi divisit medium*, i. e. per mediam partem dissecuit. Virg. Aen. I, 698. *se aurea composuit sponda*, *mediamque locavit*, i. e. ut in media spondae parte cubaret; cf. etiam Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 82. Nostro autem loco *medios* non est *in media acie*, vel *in medio collocatos*, uti Tellero, Dahlio, Langio et Gerlachio visum, sed cum *disiecerat* coniunctum valet: quos cohors praetoria *medios perruperat* disieceratque, vel, quos c. pr. *media acie perrupta* disiecerat. Vides igitur non otiosum esse *medios* vocabulum, sed ad vim fortitudinemque cohortis praetoriae declarandam pertinere, simulque *disiecerat* accuratius definire, siquidem non omnes qui disiiciuntur etiam medii disiiciuntur. Quod quum Gerlachius non intellexisset, non mirum eum in Cortio refutando non felicius esse versatum. — *Tamen* ita positum, ut in antegresso membro *quidem* supplendum sit; cf. Iug. LV, 1. *cognitis Metelli rebus*, *ut in advorso loco*, *victor tamen fuisset*, ubi Cortius confert Ter. Adelph. I, 2, 30. *alieniore aetate, post faceret tamen*, et Liv. XXXVII, 25, 11. *Philippum et Nabin, hostes bello superatos ab T. Quinctio*, *tamen in regno relictos*, ubi v. Gronov. et Drakenborch. Adde Ruhnken. ad Ter. Andr. Prol. v. 11. et Heusing. ad Cic. de Off. I, 12, 4. — *Sed* particulam *πλατύτητος* crimine Sallustium onerare censet Herzogius, quum *omnes tamen* suffecerit; concedimus suffecisse ad vim sententiae

neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est; ita cuncti suae hostiumque 6
vitae iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus 7
populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissimus quisque aut occiderat in proelio, aut graviter volneratus discesserat.

minuendam ac deteriorem reddendam. Quis enim non sentit insignem gravitatem, adversativa voce orationi illatam?

§. 4. *etiam*] Hanc particulam pro *adhuc* positam, exemplis Cortius illustravit his: Plaut. Capt. Prol. v. 53. *sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.* Virg. Aen. XI, 352. *unum etiam donis istis adiicias.* Ter. Andr. III, 2, 23. *non satis me pernosti etiam, qualis sim;* cf. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 4, 62. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 1, 89., qui tamen non satis accurate interpretatur *etiamnum*, quod nonnisi de re vere praesenti dici potest, cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 63. p. 239. — *Que* post *ferociam* Cortius pessime sine codd. abiecit. *Ferocia* autem dicitur de *virtute efferatiore*, v. Hertel. ad Tacit. Agric. c. 11, extr. et, quem ibi laudat, Bremium ad Nep. Themist. II, 1. Eumen. XI, 4. Liv. I, 12, 9.

§. 5. *postremo*] I. e. ut paucis complectar, v. ad c. XIV, 6. — *Copia*, explicatum c. LVI, 1. — *Captus est;* Inc. 1. *est captus*, Rem. 2. *est* omittit. Cortius male paruit. — *Iuxta* v. ad c. II, 8. — *Adeptus erat* plurimi libri; sed Inc. 1. 2. Fabr. 2. Leid. A. B. D. G. H. *ad. est*, et Struv. *ad. fuit*, ob quas diversitates Cortius verbum plane delevit. — Superlativi *strenuissimus* exemplum Gerlachius laudat Tac. Hist. IV, 69. cf. Ruddimanni Institt. Gramm. I. p. 180. — *Discesserat*, v. ad c. XLIX, 2. — *De castris* permulti tenent codices; aliqua tamen pars *e* vel *ex* castris, quod non minus quidem probum, sed tamen *de* praepositionis interpretatio est. Scribae enim ignorabant, *de* etiam adhiberi ad motum qui ab aliqua re fit significandum, cuius usus Cortius haec exempla affert: Curt. VIII, 1, 51. *Clitum esse, et de convivio exire respondit.* Nep. Paus. c. 5, 4. *hic quum semianimis de templo elatus esset.* cf. Goerenz. in Iahnii Ann. Philoll. et Paedd. 1826. T. I, 2. p. 297. qui praepositionem revocat apud Cic. Lael. c. 3, 2. *pridie quam excessit de vita*; et Phil. II, 6. Nolten. Lex. Autib. p. 892. — *Cognoscerent* tetigimus ad XLVII, 3.; aliquot codd. male *recognoscerent.* — *Laetitia* et *gaudium* quomodo differant dictum est ad

8 Multi autem qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant;
9 fuere item qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur.

c. XLVIII, 1. Luctum et moerorem Cicero Tusc. IV, 8, 18. ita distinguit, ut *luctum* dicat esse *aegritudinem ex eius qui carus fuerit interitu acerbo; moerorem* vero *aegritudinem flebilem,* i. e. quae flendo cernatur in lacrimasque erumpat. (Cf. Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 115.) Haud dubie igitur moeror luctu gravior est, ut recte ille laetitiae, hic gaudio opponatur, non servato tamen eodem verborum ordine in altero membro, qui chiasmus non infrequens est; cf. c. XIV, 3. *quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat.* XLVI, 2. *illum cura atque laetitia simul occupaverat; nam laetabatur . . . ; porro autem anxius erat.* Tacit. Ann. I, 58, extr. *ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur.* Cic. de Off. I, 37, 6. ut Heusing. ad I, 35, 9. eundemque ad Nep. Agesil. c. 7, 4. qui locus tamen ipse huc non plane pertinet. Cf. Gernhard. ad Cic. Lael. c. 18, 65. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, 52.

CORRIGENDA.

CORRIGENDA

p. 16.	in notis v.	9.	ante reipublicae excidit bene.
p. 24.	- - -	15.	comma delendum post equitum.
—	- - -	31.	comma ponendum post adversativae.
p. 27.	- - -	37.	ante ubi excidit aut.
p. 28.	- - -	7.	p. I, 10, 20. habes ubi ostendes lege I, 10, 26. habes ubi ostentes.
p. 36.	- - -	11.	post significet excidit id.
p. 43.	- - -	31.	p. quiscunque l. quicunque.
p. 47.	- - -	35.	p. discrimen l. discriminis.
p. 57.	- - -	28.	p. XLVIII, 1. l. XLVII, 1.
p. 61.	- - -	29.	p. editione l. editioni.
p. 63.	- - -	1.	p. vertius l. certius.
p. 76.	- - -	5.	p. adulescere l. adolescere.
p. 77.	- - -	32.	post rei excidit qui.
p. 87.	in textu -	1.	p. ligitimos l. legitimos.
p. 88.	in notis -	22.	p. suppedidabit l. suppeditabit.
p. 94.	- - -	13.	p. graviter l. gnaviter.
p. 97.	- - -	20.	p. nostra l. vostra.
p. 103.	- - -	6.	p. cuiquam l. cui quamquam.
p. 111.	- - -	5.	p. seiunget l. seiungat.
—	- - -	29.	p. haerebat l. haereret.
p. 113.	- - -	15.	p. illumet l. illummet.
p. 118.	- - -	9.	p. prima l. primo.
—	- - -	17.	p. Februarius l. Februarias.
—	in textu -	6.	post ascivisse excidit sibi.
p. 121.	in notis -	6.	p. tractis. cf. lege tractis, ut.
—	- - -	8.	ante Ovid. excidit cf.
—	- - -	32.	p. utrumque l. utramque.
p. 129.	- - -	17.	p. vanasque l. variasque.
p. 131.	- - -	3.	p. datum l. dolum.
p. 133.	- - -	23.	p. probatur l. probetur.
p. 155.	- - -	12.	p. ab merita l. ob merita.
p. 169.	- - -	15.	p. re plena l. rei plena.
p. 177.	- - -	10.	p. marte l. Marte.
p. 198.	- - -	17.	ante textu excidit in.
p. 211.	- - -	33.	ante eadem excidit in.
p. 221.	- - -	17.	p. in l. ex.
p. 223.	- - -	27.	p. relicui l. plerique.

p. 237.	in notis v.	18.	p. oppositionis l. appositionis.
p. 238.	- - -	6.	p. invida l. infida.
p. 240.	- - -	14.	p. indefinite l. indefinita.
p. 234.	in textu -	4.	p. aetatem habent l. aetatem agunt. — Quae p. 244. de habent verbo pro agunt substituendo notata sunt, ea pertinent ad antegressa verba vitam habent.
—	in notis -	11.	p. perfecti l. perfecto.
p. 244.	- - -	11.	p. traditi l. praediti.
p. 255.	in textu -	9.	p. laetitia l. laetitiae.
p. 280.	in notis -	2.	p. opprehensum l. apprehensum.
p. 287.	- - -	25.	p. vertetur l. vertatur.
p. 301.	- - -	17.	post ablativos excidit absolutos.
p. 303.	- - -	3.	p. eodemque l. eademque.

Peccata leviora, velut Anall. i. e. Analecta pro Annall. i. e. Annales, et contra, aliaque huius generis benignus lector ipse corrigat.

C. SALLUSTI CRISPI
OPERA
QUAE SUPERSUNT.

AD FIDEM CODICUM MANU SCRIPTORUM RECENSUIT, CUM SELECTIS CORTII NOTIS SUISQUE COMMENTARIIS EDIDIT ET INDICEM ACCURATUM ADIECIT

FRIDERICUS KRITZIUS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, IN REGIO GYMNASIO ERFURTENSI SUPERIORUM ORDINUM PRAECEPTOR, BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTUS, SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS.

VOL. II.

IUGURTHAM CONTINENS.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS AUG. LEHNHOLDI

MDCCCXXXIV.

VIRO MAXIME VENERANDO

IO. FRID. MOELLERO,

REGI BORUSSIARUM A CONSILIIS CONSISTORII, MINISTERII SACERDOTUM EVANGELICORUM, QUOD ERFURTI EST, PRAESIDI, SACRORUM AD AEDEM MINORITARUM ANTISTITI, ACADEMIAE SCIENTIARUM ERFURTENSIS SOCIO,

HANC IUGURTHAE SALLUSTIANI EDITIONEM PUBLICUM PIETATIS ET AMICITIAE MONUMENTUM EXSTARE VOLUIT

FRIDERICUS KRITZIUS.

PRAEFATIO.

Pauca sunt, quae in hoc altero operum Sallustianorum volumine evulgando dicenda habeo. In universum enim eandem rationem secutus sum, quam in Catilina et emendando et explicando inii. Quae quum viris doctissimis, qui illius libri censuram egerunt, Iacobo, Ellendtio, Max. Schmidtio, Obbario, aliis, quorum nomina cognoscere non potui, non prorsus improbaretur, id maxime mihi agendum putavi, ut quantum possem vitatis, quae recte vituperata vidissem, talem in Iugurtha illustrando operam ponerem, quae tum illis viris, doctrina et humanitate insignibus, tum omnibus, quorum auctoritas plurimum apud me valet, non omni ex parte displiceret.

Sed quamvis vereor, ne nihilominus id, quod a me ipso ad hanc editionem adornandam allatum est, valde tenue sit et scriptoris praestantiae parum conveniens, tamen eo certe aliquid commendationis hunc librum habiturum esse spero, quod prospera fortuna mihi contigit novis quibusdam criticis praesidiis uti, quibus in priore volumine recensendo destitutus eram. Primum enim adhibui varias scripturas codicis *Misnensis*, a Viro Excellentissimo, Ioanne Schulzio, enotatas, mihique, ut narravi in Praef. Tom. I., liberaliter traditas, quae, quoniam absoluto demum Catilina ad me pervenerunt, tunc in usum vocari non poterant. His accessit aliud eiusdem viri benevolentiae atque humanitati debitum auxilium. Quum enim comperissem, in bibliotheca regia Berolinensi nonnullos Sallustii codices asservari, Schulzius, Vir Illustrissimus, meo rogatu auctor fuit Wilkenio, illius bibliothecae praefecto summo, ut duos libros manu scriptos huc mihi mitteret, quibus inspiciendis et quantum fieri potuit diligentissime cum vulgata scriptura conferendis factum est, ut de multis locis certius ac verius iudicare posse mihi viderer. Horum librorum quem vocavi *Berolinensem primum*, olim Santenii fuit, ex cuius bibliotheca a Diezio emptus postea huius viri liberalitate in biblio-

thecam regiam transiit, numero 79. *in Diezianis* insignitus. Membranaceus, octonis nitidissime exaratus est, neque saeculo XIV. videtur antiquior esse. Nihilominus, licet praestantissimis non sit annumerandus, plerumque cum melioribus libris consentit, neque raro optimas aliorum codicum scripturas confirmat. Orthographiae antiquae pauca adhuc vestigia reperiuntur, velut *quom* pro *quum*, et gerundium tertiae coniugationis in *undum* terminatum; accusativus pluralis tertiae declinationis in *is* exiens semel exstat Iug. XXXV, 9., genitivus verborum secundae declinationis in *ius* exeuntium ter habetur, Catil. XVII, 2. XIX, 2. Iug. XXX, extr. In ceteris vulgaris scribendi ratio obtinet, nisi quod nonnulla vocabula perverso barbarae aetatis more forma pleniore eaque agresti et inepta exhibentur, velut *nunctius*, *nunctio*, *sagiptarius*, *calumpnia*, *aerumpna*, *volunctas*, *tempto*; ex quo patet, quam pravo iudicio utantur, qui haec omnia eiusdem generis esse non assecuti *temptare* formam pro genuina venditant, cetera, scilicet pari iure ipsis probanda, damnant. Alter codex, quem vocamus *Berolinensem secundum*, hanc notam habet, *cod. Ms. lat. Fol.* 29. Qui quamquam externa specie altero multo est deterior (nam chartaceus formae maximae

Pragae a. 1470. scriptus est, ut in fine Iugurthae notatum), tamen scripturae bonitate alterum longe superat, ac luculento est documento, non satis circumspecte agere eos, qui in aestimando codicum pretio solam antiquitatem spectant, ac si quos recentioris aetatis esse cognoverint, continuo nullum eos aut exiguum usum in re critica habere contendunt. In promptu est enim libros ex bono interpolationibusque libero exemplo et a diligente librario descriptos, etiamsi sint recentioris originis, tamen plus valere ad veram scripturam constituendam, quam satis antiquos, sed ex inquinato fonte derivatos. Quamquam ista integritatis internae laus non ad totum codicem Berol. 2. pertinet; nam inde a Iugurthae c. XCVIII. multo plures quam antea malas lectiones habet, ut iure coniicias, quae inde usque ad finem leguntur, non ex eodem, ut priora, sed ex alio valdeque depravato exemplo fluxisse, quae res tum multis glossis in ipsa verba auctoris illatis, tum turbato saepe verborum ordine confirmatur. Ad hoc per totum cod. scholia margini ascripta sunt, sed nullius pretii et ab alia manu profecta. Orthographiae ratio plerumque cum vulgari consentit. Praeterea haud exiguo mihi usui fuit accuratissima collatio codicis *Goerlitiensis*, quam ante

hos quinque annos iuvenis doctissimus, Mauritius Hauptius, Zittaviensis, philologiae studiis tum Lipsiae deditus, ad me misit, non precibus meis ad molestum codicis conferendi laborem suscipiendum permotus, nam ipsum tum nondum noveram, sed generoso ardore de mea Sallustii editione bene merendi incitatus, ut sua sponte illius libri, cuius copia ei per patrem suum, consulem Zittaviensem, facta erat, varias scripturas prorsus singulari diligentia enotaret meisque usibus concederet. Idem litteris humanissimis ad me datis accurate quae ad codicis illius notitiam pertinent exposuit. Asservatur autem in bibliotheca societatis litterarum Lusatiae superioris, quae Goerlitiae sedem habet, quinque et quadraginta constat foliis membranaceis, formam habet octonariam, ac nitide et paucissimis scribendi compendiis exaratus est. De eius aetate ab Hauptio rogatus Gustavus Haenelius, vir clarissimus, cuius iudicio in tali re plurimum est tribuendum, respondit sibi saeculo duodecimo ineunte scriptum videri. Orthographia quamquam nonnulla habet peculiaria, tamen in universum cum vulgari scribendi ratione congruit. Ceterum codicem ex emendato exemplo fluxisse scripturae integritas ostendit, saepe cum optimae notae libris conspirans.

Haec igitur praesidia, quae mihi ad notum apparatum criticum omnibusque patentem accesserunt, si quid valuerunt ad verba Sallustii paullo emendatius exhibenda, omnes, qui hac editione usuri sunt, grato animo mecum agnoscent egregiorum virorum humanitatem, qui unice litterarum antiquitatis commodum spectantes suis opibus suaque opera me iuvare dignati sunt. Ad explicandum illustrandumque scriptorem alia mihi auxilia non fuerunt, quam quae Cortii editio, haud contemnendae eruditionis materie abundans, antiquiorumque interpretum commentaria, a Frotschero novo splendore evulgata, mihi suppeditarent. Nam recentiores editiones, quae quidem omnia Sallustii opera complectuntur, quam tenues sint exiguaeque utilitatis, ut, si quando eas inspicias, plerumque indignandi caussam invenias, omnes sciunt, qui, quanta socordia inveterati errores ibi repetantur, difficillimi loci alto silentio transeantur, planissima saepe pervertantur, ipsi cognoverunt. Eximenda tamen huic levi generi et summa laude commemoranda est editio, quam Faber, professor Norimbergensis, abhinc duobus annis curavit. Qui vir quum accurata linguae Latinae scientia, ingenii acumine et incorrupto veri sensu proximos Sallustii editores longe superet, atque a coeca su-

perstitione cogitandique ignavia, quae vero inveniendo plurimum officit, quam longissime absit, factum est, ut huic uni plus deberem, quam ceteris omnibus; neque aegre tuli multis locis, quorum veram explicationem me sperabam primum propositurum esse, eandem ab illo interpretandi viam prius initam esse. Nam quum veritati unice studuerim, non praeceptam mihi putavi laudis materiem, sed potius pro veri reperti argumento habui, si rationibus accurate ponderatis ad consensum cum Fabro ducerer. Praeterea in singulorum verborum explicatione non sine maxima utilitate consului duo opera, quibus haud scio an novissimo tempore plurimum ad accuratiorem linguae Latinae cognitionem collatum sit, Doederlini alterum, de originatione et cognata significatione vocum Latinarum, alterum Handii de particulis Latinis, quos libros par est in omnium manibus versari, qui ultra vulgarem modum sapere volunt.

Quod ad Fragmenta Sallustii attinet, quae fuerunt fortasse qui hoc volumine simul cum bello Iugurthino me editurum exspectarent, nec volui iam nunc adiicere, nec potui. Primum enim verendum erat, ne iis additis huius voluminis moles nimis ex-

cresceret. Tum aliquid dandum erat precibus bibliopolae honestissimi; qui quum valde mihi instaret, ut quam primum fieri posset inceptam editionem absolverem, malui interim certe aliqua ex parte eius desiderio satisfacere, quam Fragmentis Iugurthae adiiciendis moram facere maiorem. Sed longe gravissima causa haec fuit, quod in emendandis illustrandisque Historiarum reliquiis vix quemquam probabiliter versari posse persuasum habeo, nisi antea Corpus Grammaticorum Latinorum, Lindemanni nunquam satis celebranda industria edi coeptum, maximam partem absolutum et in lucem emissum fuerit. Quod quam egregia praesidia tum ad augendum Fragmentorum numerum, tum ad emendanda ea, quae iam collecta sunt, contineat, quum volumine primo luculenter cognitum sit, iniuriam facere mihi viderer egregio scriptori ac simul parum curare, quid eius lectoribus debeatur, si non exspectatis Charisio ac Nonio Marcello, qui ex antiquissimis codicibus reficti plane nova forma prodituri sunt, in vulgata scriptura repetenda acquiescerem. Sed ut haec mora, dum novas copias criticas exspecto, Fragmentis ipsis non potest nisi salutaris fieri, ita hoc incommodi inde mihi exstitit, quod indicem, quem habeo locupletissimum in commen-

taria de Catilina et Iugurtha confectum, nunc quidem nondum edere licuit, quamquam bene scio tali adiumento lectionis addito futurum fuisse, ut liber usum multo faciliorem haberet, ac fortasse nonnullorum gratiam isto nomine mereretur. Sed quum etiam tertium volumen multa habiturum sit, quae indici contineri debeant, satius duxi absoluto demum opere talem subiicere, qui universam annotationem complectatur, quam vel postrema sine indice emittere, vel eidem libro duos adiungere.

Quod relicuum est, non possum huic praefationi finem imponere, quin maximas Frotschero amicissimo agam gratias, qui, quamquam compluribus operibus ab ipso edendis valde occupatus fuit, tamen precibus meis permotus plagularum a typothetae erroribus purgandarum negotium perquam molestum suscepit, tantaque assiduitate in ea re versatus est, ut hoc volumen multo paucioribus quam primum vitiis affectum prodiret. Quae praeterea fuit viri doctissimi humanitas, ut me non nolente commentariis meis hic illic suas animadversiones interponeret, si quid vel neglexisse me, vel errasse videret, multo saepius id vellem factum;

nam quae a tam intelligente latinae linguae existimatore, qualem Frotscherum esse omnes sciunt, meis accessissent, ea persuasum habeo omnes lectores in lucro fuisse posituros.

Scribebam Erfurti d. V. a. Kal. Apr. MDCCCXXXIV.

C. SALLUSTI CRISPI

DE

IUGURTHINO BELLO

LIBER.

C. SALLUSTI CRISPI
I U G U R T H A.

Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute

I. §. 1. *Falso queritur de natura sua genus humanum*] Horum verborum nimis subtilis censor exstitit Quinctilianus Instit. or. IX, 4, 77. ea ἔνρυθμα, i. e. aliquo rhythmi genere comprehensa, dicens, quo effici, ut oratio non satis soluta, sed poetarum more vincta videatur. Sed quum Sallustii verba tantummodo insigni gratia procedant, certos vero et a poetis usurpatos numeros non habeant, Quinctilianus diversas res confudisse censendus est. Neque eum tamen Gerlachius recte refellit, ad Catil. XIX, 5. Commentt. p. 79. remittens, ubi veteribus scriptoribus interdum *versus* excidisse ostendit; nam ibi dicta huc plane non pertinent, nisi forte hoc Iugurthae exordium pro versu habet. Quanto prudentius Diomedes lib. II. p. 464. Putsch.: *Sallustium quoque*, inquit, *dicunt principio Iugurthae a rhythmo coepisse. Verum hoc totum genus reprehensionis eiusmodi est, ut, si calumniatores istos audiamus, sit conticescendum, quia nulla non pars orationis in aliquam rhythmi aut metri speciem potest figurari.* — *Sua*, quod in tribus codd. deest, in aliis locum mutat, in nonnullis etiam in *sui* depravatum est, Gerlachius perperam censet omitti posse, non sentiens et orationis venustatem eo perire, et obscuram fieri sententiam, *natura* voce nude posita; nam ex verbis *genus humanum* minime intelligitur, quod ille vult, *hominum* naturam vituperari.

imbecilla] Ita omnes tenent codd. pariter ut c. X, 6. et Cat. III, 4., ubi Cortius falso annotavit pro *imbecillis* dictum esse. Ernestium similiter statuentem Goerenzius ad Cic. de Finn. V, 24, 77. p. 621.

2 regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenies, magisque naturae indu-
3 striam hominum quam vim aut tempus deesse. Sed

merito vituperavit, quum ista forma, serioribus concedenda, Ciceroni eiusque aequalibus plane inusitata fuerit. Idem eandem rem uberius persecutus est in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826. Vol. I. fasc. 2. p. 301., reiecta Gernhardi sententia, qui ad Cic. Lael. c. VII, 23. et ad Cat. M. c. XI, 35. utramque formam probat, aurium iudicio et perspicuitatis sensu diiudicandam, ad Laelii vero c. XVII, 63. ita distinguit, ut *imbecillis* vi substantivi poni, *imbecillus* autem tantummodo adiectivum esse statuat; quae sententia et per se idonea ratione caret, et similium vocabulorum analogiam habet repugnantem. cf. etiam Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 8, 29. p. 61. — *Aevum* i. e. tempus ad vivendum concessum, sive *aetas*, quo sensu etiam alii vocabulo utuntur, velut Vell. II, 89, 5. Seneca Ep. XCIX, extr. Hor. Sat. II, 6, 97. Recte tamen Faber observat, aurea aetate scriptores non usurpasse, nisi ut maius quoddam vitae spatium significarent. Quod igitur natura hominum *aevi brevis* esse dicitur, id hoc sibi vult, etiam longissimam vitam tamen brevem esse.

§. 2. *Nam contra reputando — invenies*] *Contra* Cortius male ad *invenies* trahens peius etiam, tanquam substantivum, interpretatur *contrarium invenies*, exemplis alienissimis usus. Non est autem opus demonstrare adverbium esse quod significet *e contrario*, sive *ex altera parte;* v. Handium de Particc. Latt. Vol. II. p. 111. II, 1. coll. p. 122. 3. — *Reputando*, quod plurimi viderunt coniungendum esse cum *invenies*, iidem mirifice commate ab eo distinxerunt. Ceterum non cum Gerlachio explicaverim *re accuratius examinata*, sed potius, *si accurate cogites*; illud enim quamquam sensu non malum est, tamen a gerundii potestate nimis est alienum. — *Invenies*, quod minimum triginta codd. tenent, recepimus pro vulgato *invenias*, licet hoc Cortio elegantius, Gerlachio ad *vim* sententiae accommodatius videatur. De elegantia taceo; sed sententiae gravitati, si quid video, futurum unice convenit. Sallustius enim, indicii sui certus, non hoc dicit: *si quis reputet, fieri posse, ut inveniat*, sed graviter asseverat *profecto eum inventurum.* Legitimum autem esse futurum in consecutione et conclusione ubi certa proponitur sententia, et per se patet futuri potestate cum praesentis coniunctivo collata, et ostendit satis frequens scriptorum usus; cf. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 8, 28. p. 346. Car. Beier. ad Off. I, 30, 106. p. 236. *si considerare*

dux atque imperator vitae mortalium animus est. Qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget;

volumus, quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intelligemus quam sit turpe diffluere luxuria. ib. III, 6, 26. *quam* (utilitatem) *si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio;* ad quem locum Beierus contulit I, 7, 21. p. 49. *si qui sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis.* cf. Nostrum Iug. IV, 4. *qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sum, et quales viri idem assequi nequiverint, profecto existumabunt* etc. Vell. I, 17, 4. *hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, quisquis temporum institerit notis, reperiet.* Ovid. Met. II, 551 sq. *Quid fuerim, quid simque vide, meritumque require; Invenies nocuisse fidem.* — *Hominum*, quod ab uno Wassii Reg. abest, Cortius deletum cupiit, scilicet propter sequens *mortalium;* quod perversum iudicium iam Gerlachius notavit. — De duplici *invenies* verbi structura, unde primum solus accusativus, tum accus. c. inf. pendet, diximus ad Cat. V, 9. p. 31. Aliud, sed huic cognatum constructionis genus tetigimus infra ad c. XXV, 1. et ad XLIX, 2.

§. 3. *grassatur*] De huius verbi potestate v. ad c. LXIV, 5. — Voces *pollens potensque* haud raro coniunguntur, velut apud Liv. I, 24, 8. *quanto magis potes pollesque;* in titulo apud Gruter. p. L. n. 3. (Orelli Inscriptt. Latt. Vol. I. p. 303. N. 1555.) HERCVLI. VICTORI. POLLENTI. POTENTI. INVICTO. cf. Drakenb. ad Liv. II, 34, 9. Sensu ita differunt, ut *pollens* dicatur is, cui multa suppetunt quique magnis viribus praeditus est, *potens* vero sit is, qui virium, quas habet, *usu* multum efficere valet; cf. Doederlini Synon. Lat. Vol. IV. p. 163. §. 7. Gerlachius tamen ad h. l. et ad Catil. VI, 4. recte monuit, in coniunctis his vocibus non accurate spectari potestatem singulis propriam, sed ambabus in unam quasi notionem coeuntibus maiorem orationi conciliari vim et gravitatem; cf. notata ad Cat. V, 1. p. 27. *Catilina fuit ingenio malo pravoque.* — *Fortuna* ut cum Gerl. rescriberemus pro *fortunae*, quod Cortius intulit, codicum plurimorum factum est auctoritate; nam decem tantum libri genitivum habent, haud dubie ex male geminata *E* littera sequentis verbi ortum. — *Quae* post *quippe* a paucis quidem, sed non malis libris abest, velut Fabr. 1. 2. Bas. 1. Leid. L. Rem. 1. Sen. 1. Quelf. 3. 10. Ecc. Par. C. Ceterorum tamen auctoritatem non putavi propterea negligendam, quum, si abest relativum, vix fieri potest, quin sequentia ad *animum*,

quippe quae probitatem, industriam aliasque artis bonas neque dare neque eripere cuiquam potest;
4 sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et volupta-

antegressae enunciationis subiectum, referantur, ut Catil. XIX, 2. *neque tamen* S e n a t u s *provinciam invitus dederat; q u i p p e foedum hominem a republica procul esse v o l e b a t;* quo loco Cortius mirifice usus est, ut pronomen abesse posse probaret. — De indicativo post *quippe qui* diximus ad Cat. XLVIII, 2. p. 219. — *Aliasque* Gerlachius recte restituit, codicibus ita iubentibus; nam quod Cortius copulam unius Struv. auctoritate abiecit, inconsulto factum. Inconsultius Weissius ex corruptis edd. scripsit *ceterasque artes.* — *Artis* Rivii codd. in quibus est *arteis* satis confirmant; quin cod. Ascensian. aperte habet *artis.* v. ad Cat. I, 1. — *Cuiquam,* quod in uno Guelf. 6. deest, et cuius loco ex describentium errore Erl. Teg. Tur. 1. et Misn. habent *cuique,* Guelf. 9. *umquam,* 11. *quicquam,* Cortius omisit, quia *eripere* saepissime sine dativo ponatur (v. c. Senec. ad Helv. c. VIII. de Const. c. V. Controv. VII. Noster Fragm. Historr. III, 22, 24. Hor. Epp. I, 18, 111. Sil. XV, 105. quibus adde quae Car. Beierus ad Cic. de Off. II, 3, 10. p. 23. uberius de hoc usu disputavit, coll. Drak. ad Liv. IV, 3, 15. Tac. Ann. I, 32, 1.) et quia „sententiae elegantia humile istud *cuiquam* respuat.“ Nos ista elegantia facile caremus, quum non solum reliquorum codd. omnium consensus, sed etiam paucae illae depravationes pronomen satis tueantur, quo accedit duplex Donati ad Ter. Eun. II, 2, 10. et ad Andr. IV, 3, 1. testimonium.

§. 4. *sin captus* etc.] In hoc loco interpp. offenderunt quidem, neque tamen singularem eius rationem videntur assecuti esse. Nam *usus* cum v. *accusatur* non recte coire viderunt omnes; quare plerique cum Cortio *usus* pro nominativo absol. habent, explicantes *ubi lubidine paulisper usus est,* qua quidem explicatione quid lucremur non exputo. Ad hoc multi verba *pern. lub. paul. usus* ad protasin referunt, quamquam non eodem modo. Cortius enim non pro secundaria enunciatione habet, sed eodem loco numerat, ut antegressa verba, ita tamen, ut auctori, si accuratus esse voluerit, dicendum fuerit *sin* — p e s s u m d a t u s, *perniciosa lubidine* — u s u s e s t, idque ipsum Bipontini insulse ac portentose repraesentarunt, commate post *pessum datus* posito, ita ut e s t *p. l. p.* u s u s coniungendum sit. Gerlachius vero „equidem, inquit, ad priora retulerim, et pro *gerundio* posita esse statuo. Pessumdatur animus, et quod cupidinibus captus est, et quod perniciosa lubidine utitur, i. e. cupidita-

tis corporis pessumdatus est, perniciosa lubidine paullisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accusatur; suam

tibus se regi patitur." Quae ratio non solum durior est, quod ipse veretur, sed plane perversa et a Sallustii verbis et sententia alienissima; non vidit enim Gerlachius, auctorem dixisse *ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est*, et *paullisper usus*, quod multum differt a simplici *pessumdatus* et *usus*. Sed primaria erroris caussa fuit, quod protasin, quae post *pessumdatus est* desinit, usque ad *usus* pertinere rati sunt. Tum ut hoc ipsum vocabulum cum *accusatur* possit conciliari, tenendum est Sallustium non satis accurate hanc verborum complexionem instituisse, et cogitandi et scribendi legibus non severe observatis. Nam primum quis non videt, quum omnia ad *animum*, de quo dicere ingressus erat, referre debuisset, eum interiecta sententia *quippe quae — cuiquam potest* seductum relicua ita disputasse, quasi non *animus*, sed generalis notio *hominis*, indefinito *quisquam* pronomine comprehensa, subiectum esset? Ita certe et *voluptates corporis*, et *lubidinis usus*, et *virium*, *temporis ingeniique damnum* rectius intelligentur; cf. Cat. IV, 6. ubi pariter subiecta mutata sunt; neque plane dissimilis est locus Iug. XXXV, 9. ubi v. Tum, paullatim in generalem sententiam delapsus, propter interpositae sententiae verbum *defluxere*, ad *rem* non ad *personam* relatum, ultimo loco plane indefinitum subiectum cogitat, quasi in praegressis dixisset *post perniciosae lubidinis brevem usum*, id quod etiam Perizonius sensisse videtur, qui ad Sanct. Min. IV, 11. T. II. p. 384. ed. Bauer. nostrum locum ad anacolutha refert; neque dissentit ab eo Sellingius in Lectt. Sall. p. 17 sq., acutius quam ceteri iudicans. Ut autem loci ita expediti nexus melius pateat, interpretationem germanicam subiiciemus: *wenn er aber von unedlen Begierden eingenommen zur Schlaffheit und zu sinnlichen Vergnügungen herabgesunken ist: so wird, wenn nach dem kurzen Genuss einer verderblichen Lust durch Nachlässigkeit Kräfte, Zeit, Fähigkeiten dahin sind, die Schwachheit der Natur angeklagt.* Locum eodem plane modo compositum, ut secundariae enunciationes, apodosi postponendae, ei praemittantur, habes apud Tacit. Annall. I, 2, in. „Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux relicuus: *posito*

quisque culpam auctores ad negotia transferunt. 5 Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset,

Triumviri nomine Consulem se *f e r e n s*, *et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum*, *u b i militem donis*, *populum annona*, *cunctos dulcedine otii pellexit*, *i n s u r g e r e* paullatim, munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere." cf. Noster Iug. XXXIII, 2. LIII, 1. Liv. I, 16, 2. — De *s i n* particula dictum ad Catil. LI, 24. p. 251. — *Pravus* explicatum ib. V, 1. p. 27. — *Pessumdatus* in unum vocabulum contraximus, quamvis alia verba, ad *pessum* relata, velut *ire*, *abire*, *sidere*, *subsidere*, *premere*, *deprimere*, contra suadere videantur. Sed quoniam *dare*, propria potestate paene abiecta, usu ita cum *pessum* vocabulo coaluit, ut in unam quasi notionem conflata significent *in imum deprimendo corrumpere*, vel simpliciter *perdere*, ea ipsa res postulat ut coniunctim scribantur, analogia *venumdare* verbi idem suadente. *Pessum* unde ductum sit non inter omnes constat, aliis a *pes*, aliis a *pendere*, aliis a *petior* repetentibus. Doederlinus vero in Synon. Lat. T. I. p. 67 sqq. ex *perversus* contractum censet, quae origo mihi neque vocabuli forma neque significatione commendari videtur. Multo simplicior certe et maxime probabilis Reisigii est sententia, qui ab antiqua forma *ΠΕΤΩ*, *ΠΕΣΩ*, *πεσεῖν* descendere in scholis docuit; nam ita demum potest intelligi, quomodo *pessum* queat *in profundum* significare, unde pendet perniciei et interitus notio. — *Paullisper* quomodo differat a *parumper* acute explicavit Doederlinus in Synon. Lat. T. I. p. 145 sqq. illud interpretatus *eine kleine Weile lang*, hoc *auf eine kleine Weile.* Similiter fere Gernhardus ad Cic. Lael. I, 5. *parumper*, inquit, reditum cogitare iubet ad id, unde deflexeris; *paullisper* nihil praeter temporis particulam significat.

defluxere] *Diffluxere*, quod est in nonnullis Rivii et Gruteri, quos dicunt optimae notae, libris, etiam Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Inc. 2. Guelf. 2. 3. Leid. L. et Teg. habent, recepitque Gerlachius, quia *de* et *di* syllabae sensu non differant, quam sententiam ad Cat. XXV, 3. in Commentt. p. 94. prolatam auctoritate Cortii *de usu Orthogr. Lat.* III, 3, 13. confirmari V. D. gaudet. Nobis isto gaudio frui non licet; nam *diffluere* interpretamur *in varios partes dispergi ac dilabi*; *defluere* vero *deorsum ferri et ad finem suum properare*, velut amnis ad ostium. Inde patet, quum res distractae et disiectae parum validae sint, non magis autem eae valeant, quae curriculo quasi emenso consumptae ac paene nullae sunt, utrumque verbum ad rerum vel pereuntium vel perditarum condicionem indi-

quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt, neque regerentur magis

candam adhiberi posse. Nostro autem loco *defluxere* veram esse scripturam intelligitur ex addito *per socordiam*, quippe quo significetur negligentiâ celeriter *transiisse* quae potius retineri et strenue exerceri debuerint, falsoque homines *ad finem vitae delatos* naturae infirmitatem accusare. Commentarii instar est Senecae de Brevit. vitae c. I. ubi haec leguntur: *Ubi vita per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli bonae rei impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus.* — *Quisque* Cortius recte scripsit ex Fabr. 2. Inc. 1. Sen. 2. Heuss. Guelf. 3. 4. 11. 12. quibus accedunt unus Wassii, Leid. G. N. et Erl. Antea edebatur *quippe*, quod in uno Guelf. 6. exstat; nimirum librarius volebat indicare, hanc enunciationem quodammodo praegressam explicare, nescius eiusmodi sententias haud raro ἀσυνδέτως iuxta collocari, ut ostendimus ad Catil. c. XXXIX, 4. p. 184. Longe plurimi tamen codd. ex interpolatione habent *quique*, propter *auctores;* sed pluralis numeri vocabula *quisque* nonnisi singulari appositum habere, quo praedicatum ad singulos trahatur, bene monuit Faber, coll. Cat. XXXVII, 6. XXXVIII, 3. LII, 23. Iug. XVIII, 3. LVIII, 2. Fragm. Hist. I, 19, 6. III, 25. IV, 28. cf. Drakenborch. ad Liv. VII, 19, 2. qui plurima congessit. Ceterum Gerlachius in Commentt. p. 214. recte sensit *auctores* vim habere integrae enunciationis *quum ipsi sint auctores* sc. *culpae*, eoque simul perspicitur quam perverso vel potius nullo iudicio idem in novissima ed. scripserit *actores*, quam vocem saepissime cum *auctor* mutari diximus ad Cat. III, 2.

§. 5. *multumque*] Ita scriptum exstat in Vratisl. 3. Guelf. 4. 5. 9. Sen. 2. Heuss. Leid. A. B. C. D. F. H. Erl. Bas. 4. Berol. 2. Relicui vel *multaque*, ex interpolatione, vel *multoque*, scribarum lapsu ex *multaque* ortum, tenent. *Multum* Cortius et Gerlachius recte interpretantur *saepe*, quamquam neuter huius potestatis caussam assecutus est; nam quae laudant exempla, velut Plin. Epp. I, 9, 7. *multum ineptos labores relinque*, Cic. Epp. ad Famm. IV, 13, 18. *Caesaris familiarissimi multum mecum sunt*, coll. Tursell. de particc. c. CCIII. p. 1171. ea omnia eiusmodi sunt, ut *multum* simpliciter respondeat interrogandi vocabulo *quantum*. Nostro autem loco *accusativus absol.* est, vi integrae enunciationis valens *respectu multarum rerum* (v. ad c. V, 4.) sive *ut in multis fit*, h. e. *saepe;* cf. Frotscher. ad Quinctil. Instit. orat. X, 1, 63. p. 58. Eodem

quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, uti pro mortalibus gloria aeterni fierent.

plane modo Graeci dicunt *τὸ πολύ*, *τὸ λοιπόν*, alia plurima; apud Latinos eiusdem generis est *plerumque*, *maximam partem*, de qua accusativi ratione cf. Ramshornii Gramm. Lat. §. 132, 5. p. 236. — Sequentia pessime accepit Kunhardtus, protasin post *casus* demum finiendam, copulamque delendam censens, quamquam ne caussâ quidem tam ineptae mutationis additâ, nisi forte *neque* — *et* particulae male eum habuerunt. Sed earum usum iam Cortius satis illustraverat, coll. Iug. XX, 5. XXIV, 5. XXXI, 16. LXIX, 1. LXXI, 5. LXXIV, 1. LXXXIV, 3. LXXXV, 6. Ter. Eun. V, 5, 21. Ovid. Metam. XIV, 841. cf. etiam Passov. ad Taciti Germ. c. II. p. 86. Car. Beier. ad Cic. de Off. I, 21, 72. p. 169. et ad III, 4, 20. p. 215. Kuehner ad Cic. Tusc. I, 4. 7. Neque tamen negligendum est, quod Frotscherus monuit ad Quinctil. X, 1, 2. p. 9. ubi post *neque* ponatur *et*, gradationem fieri, Graecorum quoque *οὔτε* — *τε* particulis indicatam. Idem uberius persecutus est Herzog. ad Catil. XXXII, 1. p. 164. — Haud pauci codd. vario loco *casibus* vel *a casibus* inserunt, scilicet ut ad legitimam structuram nihil desit; sed v. ad Cat. c. LI, 38.

uti pro mortalibus] Vulgo edebatur *ubi pro mort.*; sed *uti* vera scriptura est, firmata auctoritate codd. Inc. 2. Guelf. 2. 4. Commel. Pal. 6. 9. Bern. 3. et Berol. 2., quibus accedunt Guelf. 10. 12. et Pal. 10. *ut* ostendentes. Eam Gerlachius in textu maioris ed. recte expressam et in Commentt. p. 215. defensam, rursus in minore ed. pessime deseruit, vulgata restituta. *Ubi* enim ad *eo* relatum non potest nisi *loci* potestatem habere, hoc sensu: ad certum aliquem magnitudinis gradum et quasi terminum progrederentur, *quem ubi attigerunt*, non amplius mortales sunt, sed continuo gloria aeterni fiunt. Quae sententia quam parum huic loco conveniat quivis videt, quum Sallustius hoc potius dicere velit, homines naturae suae infirmitatem industria emendare posse, *tantosque fieri*, *ut* supra mortalem condicionem elati gloria aeterni fiant. In promptu est autem, librarios *eo*, quod cum genitivo in unam quasi notionem coit, pro primario sententiae vocabulo habuisse, eique alteram particulam accommodare voluisse. Tum per se patet, *pro mort.* h. l. non esse *quantum cadit in homines*, *quantum in hominibus fieri potest*, sed *hominum loco*, i. e. exuta mortalium imbecillitate. [Idem dici *ex mortalibus* poterat. cf. infra X, 2. Fr.]

II. Nam uti genus hominum compositum est ex corpore et anima, ita res cunctae studiaque

II. §. 1. *genus hominum*] Ita recte plurimi codd. Sed Bas. 1. m. p. Fabr. 1. Guelf. 9. Tur. 1. Bern. 1. Teg. Leid. K. Einsiedel. *genus humanum* habent, quod sensu paullum discrepat. Nam *genus hominum* significat id, quo hominum propria natura constat, *genus humanum* omnes homines in unum quasi comprehendit. Illud huic loco unice convenit; quare parum veritatis habet Gerlachii observatio, circumscriptionem poeticam esse. — *Compositum est ex corpore et anima.* Hunc verborum ordinem, qui ante Cortium vulgatus fuit, Gerlachius ob plurimorum codd. consensum merito reduxit. Sed non minus defenditur sequentium sententiarum ordine, qui per totum caput aequabiliter ita institutus est, ut, quum luce clarius sit, eum ab initio capitis pendere, dubitari nequeat quin iam primo loco *corpus* praecesserit *animam.* cf. similes sententiarum conformationes, Catil. I, 2. Vell. II, 49, 3. Sed Fabr. 1. Inc. 1. Acad. Heuss. Sen. 2. Franc. Guelf. 2. 4. 7. Tur. 1. Leid. A. Ven. 2. 3. inversum tenent ordinem, Cortio, scilicet ob elegantiam, probatum; quod viri iudicium, quidvis potius intelligentis, quam quid elegans esset et venustum, neminem debebat a recto abducere. Patet enim scribas religione motos verba transposuisse, ne animo in divisione secundus locus esset. Ceterum *est* Cortius delevit, Gerlachius post *anima* collocavit, ubi plurimi codd. habent. Sed istum locum exilis vocula, a participio suo supra modum remota, pessime obtinet; quare non dubitavi post *compositum* retrahere, uti legitur in Leid. C. D. M. et haud dubie etiam in Guelf. 7. Franc. et Ven. 2. Valde est enim probabile, propter vicinitatem *ex* vocis evanuisse *est*, ut revera deest in Vat. 6., ac postea a scribis in fine protasis fuisse additum. Parum prudenter igitur Gerlachius in Commentt. p. 215. plane id abesse vult; sed postea, ut est sibi parum constans, in ed. min. retinuit. — *Anima* Sallustius eodem sensu atque *animus* dixisse videri possit, itaque Cortius pronunciat, repetitque Langius. Sed *animus* latissimo sensu non solum sentiendi appetendique facultatem, ut Herzog. statuit ad Caes. B. G. I, 10., sed etiam cogitandi vim complectitur, *animá* vero i. e. *ψυχῇ* significatur id, quod mentem et corpus continet, ut vivere ac vigere possit; neque aliud Nonius videtur voluisse, qui V, 20. *animo*, inquit, *sapimus*, *anima vivimus.* Haud raro autem *anima*, in qua animi vires insunt, ar-

omnia nostra corporis alia, alia animi naturam se-
2 quuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis et alia omnia huiuscemodi brevi dilabuntur; at ingeni egregia facinora sicuti anima
3 immortalia sunt. Postremo corporis et fortunae bonorum ut initium, sic finis est, omniaque orta occi-

ctiore sensu de potiore tantum sui parte, i. e. de *animo* intelligitur, (cf. Cat. II, 8.) eoque factum, ut Sallustius, quum primo in hominum natura explicanda magis generali voce *animae* usus esset, mox in eius locum definitiorem *animi* substitueret. — *Omnia* Cortius inepte cod. Franc. auctoritate abesse vult, quia ista notio ex *cunctae* voce intelligatur.

§. 2. *et alia omnia huiuscemodi*] *Et*, quod Cortius Acad. secutus eiecerat, Gerlachius recte vidit propter praegressum *ad hoc*, quod ipsum copulae vicem sustinere diximus ad Catil. XXXI, 8., omitti non posse; nam ubi in quadripartita divisione tertium membrum copulam habet, quartum non potest ἀσύνδετον esse. — *Alia omnia huiuscemodi* plerique tenent codd.; sed quattuor Cortii et omnes Leidd. excepto L., *huiuscemodi* interponunt, quem verborum ordinem, a Cortio receptum, Gerlachius propterea reiicit, quod *alia omnia* formula solennis sit apud Sallustium. Sed ea de caussa potius hae voces coniungendae sunt, quod Sallustius, ne plura enumeret, reliqua comprehendit; quare quum primaria notio insit in verbis *alia omnia*, consentaneum est ea coniungi, iisque accuratius definiendis pronomen subiici; nam *huiuscemodi* plenius est *quae quidem huius generis sunt*. cf. c. IV, 8. ubi idem verborum ordo sine ulla discrepantia recurrit.

§. 3. *ut initium, sic finis est*] *Sic* omnes codd. tenent, praeter Guelf. 3. et Heus. quos Cortius perperam secutus est. Neque tamen *ut* — *sic* particulae significant *quia* — *ita etiam*, quod Cortio praeeunte repetiit Gerlachius; quin potius haec earum potestas est, ut duae res, quae subiecto tribuuntur, sive ambae aientes, sive aiens altera, altera negans, *pari* plane vi sibi aequentur; quod secus est, ubi *ut* solum locum habet, omissa in altera parte *sic* vel *ita* particula. Quippe tum ista vocula *similitudini* tantum comparandae inservit, primarium sententiae locum eo membro obtinente, quod sine particula est, v. c. Cic. de Off. I, 42, 9. *si* (mercatura) *satiata quaestu*,

dunt et aucta senescunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum ad- 4
miranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt, ceterum ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura

vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu in agros se possessionesque contulerit, videtur iure optimo posse laudari. Quare quum ineptum sit, finis naturam *comparari* cum initio, consequitur sic necessarium esse, hoc sensu: *so wie die Güter des Körpers und des Glücks einen Anfang haben, eben so (gut) haben sie auch ein Ende.* cf. de Off. I, 27, 5. *iusta omnia decora sunt, iniusta contra ut turpia, sic indecora.* Eiusdem generis sunt quae Walchius laudavit ad Taciti Agric. c. XLIV. p. 416. Liv. XXI, 35, 11. *pleraque Alpium sicut breviora, ita arrectiora sunt.* Tac. Annall. IV, 33, med. *ceterum ut profutura, ita minimum delectationis afferunt.* Adde Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 1, 3. p. 4. et Beier. ad Off. III, 33, 119. p. 413. Parum accurate de his partic. egit Fr. Heusinger. ad Off. I, 1, 1. qui locus aeque atque alter de Legg. II, 6, 14. a Goerenzio non satis intellectus, ad ἀνακολούθων genus pertinet, neque ad accuratas structurae leges exigendus est. — *Omniaque* unice verum ad sententiarum nexum indicandum; nam quum haec verba non novam sententiam inferant, sed praegressa tantummodo explicent et confirment, nisi scabram malis et hiulcam orationem, particula, qua iste nexus indicetur, abesse nequit. Saepissime autem explicativas sententias *que* vel *et* particulis contineri ostendimus ad Cat. XIX, 2. p. 92. v. infra ad c. XXV, 5. LXX, 5. Male igitur Cortius *que* abiecit, quamvis addicentibus codd. Rem. 1. Fabr. 2. Guelf. 9. 10. 11. 12. Erl. Teg. Bern. 3. Leid. K. Vat. 1., eamque rationem Gerlachius, quum in textu voculam retinuisset, in Commentt. p. 216. probat, mirifica ratione usus, quia sequentia explicationis caussa addita sint. Nihilominus in ed. min. rursus *omniaque* scripsit. Muellerus ex ingenio suo dedit *omnia, quae orta, occidunt;* nam quod *multos* Cortii libros ita habere dicit, ne ullus quidem habet. — Quae sequuntur, *animus incorruptus* etc. proprie adversandi particula prioribus adiicienda erant. v. ad Cat. XXXV, 2. — *Incorruptus* i. e. corruptioni et interitui non obnoxius, *qui corrumpi nequit*, vi adiectivi

mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt, quum praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

in — *bilis*, de qua re v. ad c. LXXVI, 1. Tacit. Hist. I, 35, extr. *Galba minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.*

§. 4. *pravitas*] *Pravum* quid sit, dictum ad Cat. V, 1. p. 27. — *Admirari* non solum de rebus laude dignis dicitur, sed etiam de iis, quae nobis displicent et insolentiâ suâ offendunt, quo sensu gravius dici quam *mirari* recte observavit Faber ad h. l. cf. Daehnius ad Nep. Praef. §. 3. *Non admirabuntur, nos Graiorum mores secutos.* Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 2, 4. — *Corporis gaudia* contra usum dictum videtur, si Ciceronem audiamus, in definienda voluptate de Finn. II, 4, 13. ita statuentem: *voluptas dicitur etiam in animo; non dicitur laetitia nec gaudium in corpore.* Sed scite Faber rem expedivit, monens *gaudia* h. l. dici, quatenus animus *per corpus* voluptate frui cogitetur, quod plane congruit cum Epicureorum ratione; cf. Cic. Tusc. V, 33, 96. *Epicurus praecipit omnia iucunda, quamquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen; quocirca corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret voluptatem.* Minus commodo Doederlinus Synon. Lat. Vol. III. p. 242. 5. *gaudium* nostro loco *obiecti* vim habere censet. — Pro *atque ignaviam* Gerl. ex paucis codd. scripsit *et ign.*, quod etiam ad vim sententiae deterius est; v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 464. 6. — *Per luxum atque ignaviam* quomodo dictum sit explicavimus ad Cat. XX, 2. p. 97. — *Aetatem agunt*, v. ad Cat. IV, 1. p. 23. et ad XXXVII, 6. p. 173. — *Ceterum* pro *sed* positum haud ita rarum, neque insolens; in promptu est enim, quod aliunde excluditur vel excipitur, *oppositum* esse ei rei, unde exceptum est, v. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 34. §. 1. et 4. cf. Catil. LI, 26. Iug. IV, 1. XIV, 1. 12. XV, 4. XVII, 7. XXII, 3. XLVI, 4. XLVIII, 1. LII, 1. LVIII, 3. LXX, 5. LXXVI, 1. LXXXII, 1. LXXXIII, 1. LXXXIV, 3. Tacit. Ann. IV, 33, med. Historr. III, 66, in. Liv. XXXII, 17, 6. Drakenb. ad IX, 46, 1. — Pro *amplius aliud* nonnulli codd., pariter ut c. I, 2., habent *amp. aliquid*, incertum incuria, an ex interpolatione. Neque tamen cum Gerlachio ad h. l. dixerim *aliud* simpliciter pro *quicquam* esse positum, quum tantummodo post comparativum cum negatione coniunctum ita reperiatur, siquidem indefinite enunciatum respectu eius, quocum comparatur, *aliud* est. cf. Iug. XCVI, 3. *Sulla neque consilio,*

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minume mihi hac tempestate cupiunda videntur, quoniam neque

neque manu priorem alium pati. Liv. I, 24, 1. *nec ferme res antiqua alia est nobilior.* Tacit. Annall. VI, 7, in. *quo non aliud honorificentius Cottae evenit.* ibid. c. 24. in. *quo non aliud atrocius visum.* — *Incultu* dixit etiam Cat. LV, 4. Cortius praeterea comparavit Iug. XXXIX, 3. *suo atque populi iniussu.* Plaut. Mostell. I, 2, 65. *ego sum inusu factus nimio nequior.* Trinumm. I, 2, 130. *inconsultu meo.* v. etiam Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. II, 1. p. 442. d. α. — *Quum praesertim* propter verborum ordinem tetigimus ad Catil. c. LI, 19. Exemplis ibi laudatis hic addimus quae Faber attulit, Cic. Phil. II, 29, 71. de Off. II, 16, 56. Liv. III, 52, 9. [Cf. Crell. ad Cic. Orat. p. 26. ed. min. Fr.] — *Claritudo* cur Sallustius dicere maluerit, quam *claritas*, intelligetur ex notatis ad Catil. c. XVII, 2.

III. §. 1. *magistratus et imperia*] Quamquam haec vocabula saepe promiscue ita usurpantur, ut in universum maiora reipublicae administrandae munera significent, multum tamen inter utrumque interest. Ac *magistratus* quidem satis notum est intelligi munera dictatorum, consulum, praetorum, censorum, qui etiam *maiores* vocantur, comitiis centuriatis, praeter dictatores, creati. *Imperiorum* duo genera sunt, *civile* alterum, alterum *militare.* Illud constabat iure edicendi, prehendendi, animadvertendi, coercendi, in provincia securi feriendi, omninoque earum rerum potestate, quae pro muneris ratione agendae essent, ac simul cum ipso magistratus honore dabatur. Hoc vero pertinebat ad potestatem belli gerendi, quae facto iam magistratui *lege curiata* addebatur, quam legem qui non haberet, ei non licebat rem militarem attingere; v. Cic. de lege agrar. II, 12, 30. Hoc igitur militare imperium quum esset accessio et additio ad magistratum, qui id tenebat dicebatur *cum imperio esse;* illud alterum qui habebat, quia cum ipso munere erat coniunctum, dicebatur *in imperio esse*, quamquam haec interdum non accurate observata sunt. Patet igitur, ubi simpliciter *imperii* mentio fiat, non posse ubique cognosci utrum genus intelligatur; ubi vero *imperia ac magistratus* simul memorentur, ut apud Cic. de Off. I, 21, 71. Lael. c. 17, 63., semper *imperii* vocabulo rerum civilium ac militarium coniunctam potestatem significari. cf. de tota re Ernestii Clav. Cic. v. *imper.*, Ferd. Schulzium de Comitiis Rom. p. 287., Heinecci Antiqq. Romm. IV, 6, 5. p. 660. ed. Haubold., Sigon. ad Liv. XXVIII, 38, 4. — *Po-*

virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem

stremo quo sensu dictum sit, monuimus ad Catil. c. XVII, 6. p. 73. — *Cupiunda* i. e. digna quae expetantur, sive *optabilia*, de qua particip. fut. pass. potestate diximus ad Cat. c. X, 2. p. 52. Tamen leve zeugma h. l. habetur, quum *cupiunda* tantummodo ad duo priora nomina accurate pertineat, hoc fere sensu: neque mag. et imp. *expetenda*, neque omnino cura rerum publ. *suscipienda*. cf. ad Catil. c. LI, 8. et 9. — *Quoniam*, quod Muellerus imperite idem esse dicit quod *quum praesertim*, explicavimus ad Cat. c. XXXVII, 3. p. 171. cf. Herzog. ad c. I, 3. qui haud male monet, ista particula caussam significari, in rebus factis certumque eventum habentibus positam. v. infra c. XIV, 3. XXIV, 10. XXXI, 21. XXXII, 5. LXXIX, 1. LXXXII, 1. — Ceterum haec haud dubie de eo tempore dicta sunt, quo respublica post Caesaris caedem paene exstincta ab Antonio, Lepido et Octaviano lacerabatur; nam tum bonis omnibus gravissima quaeque erant timenda, et quo quis erat promptior ad facinora et in malis artibus exercitatior, eo maiora nequitiae praemia consequebatur, quamquam in tam turbidis rebus non licebat male partis commode et secure frui. Ut autem certum est haec ante pugnam Actiacam esse scripta, qua summa rerum potitus Augustus civitatem multis tempestatibus iactatam et conquassatam confirmare et ad meliorem statum reducere studuit, ita quo spectent sequentia, *nam vi quidem — portendant*, mihi non plane liquet. Caesarem quidem notari cum Tellero Langius, Müllerus et Iaumannus statuunt, verba *delicta corrigas* ad salubres eius leges, mite imperium summamque clementiam referentes, qua regni vi occupati culpam compensaverit. Sed quum auctor in antegressis aperte de seriore tempore dixerit, neque ullo modo se ad superius tempus et ad Caesarem redire significaverit, sub finem vero (c. IV, 7 — 9.) iterum de sua aetate loquatur, mihi persuadere non possum, ista verba de Caesare intelligenda esse. Neque consentaneum est, Sallustium ita de eo iudicasse, si reputaveris et quibus illi beneficiis obstrictus fuerit, et quantis laudibus eum in Catilina ornaverit. Quare haec verba neque ad Caesarem, neque ad certos quosdam alios spectare videntur, sed Sallustium puto, ut *generali sententia* ostenderet nullam ex tribus, quibus tum ad rempubl. accedere licuerit, viam commendabilem fuisse, ita argumentatum esse: involare in rempubl. et vi malis modum statuere, quamquam in his turbis et miseriis laudabile inceptum videri possit, tamen invidiam habet, neque sine novis turbis fieri potest; iis vero, qui rempubl. oppressam habent fru-

is fuit, utique tuti, aut eo magis honesti sunt. Nam 2

stra obniti, dementis est; denique paucis potentibus humiliter inservire, ut eorum gratia tantum possis, quantum illi velint, inhonestum et perniciosum est. A republica igitur gerenda plane abstinendum.

honos] Etiam singulari numero *honorem* de munere publico vel magistratu dici iam Cortius notavit, coll. Liv. XLII, 22, 7. *quo die novi magistratus inituri erant h o n o r e m.* Cic. in Verr. II, 5, 14. *Ita q u a e s t o r sum factus, ut mihi h o n o r e m illum non solum datum, sed etiam creditum putem.* De *honos* forma, non Sallustio tantum, sed etiam Ciceroni probata, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 14, 9. d. p. 47. et in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1827. I, 2. p. 110. — *I s fuit* firmatur auctoritate duorum codd. Rivii, nonnullorum Gruteri, Fabric. 2. Einsiedel. Guelf. 1. et 5., nisi quod ex his postremis alter habet *i s erat*, alter *i s fit;* neque multum discedunt Tur. 1. et Paris. z., ex quibus ille m. sec., hic m. pr. habet *h i s fuit.* Reliqui omnes aut *v i s fuit* tenent, aut *i u s fuit*, quod hucusque omnes editores receperunt. Sed nihili est quod Cortius ad istud vocabulum defendendum ex antegresso *honos* suppleri iubet *honoris*, coll. Liv. I, 49, 3. *ius regni*, et Tacit. Ann. XIV, 50, med. *honorum ius;* neque enim apud Sallustium ullo modo genit. suppleri potest, et in laudatis exemplis *ius* propriam vim non plane deposuit. Id sentiens Gerlachius *ius* idem esse dicit atque *potestatem* vel *imperium*, quod pariter ferri nequit. *Ius* enim pro *legitima* tantum potestate, nunquam pro *potentia* dici potest (v. quae de *potentiae* et *potestatis* discrimine diximus ad Cat. XXXVIII, 1. p. 177. coll. Ernestio ad Tacit. Histor. I, 1, in.), neque is usus sine addito adiectivo vel genitivo licet; quare Tacitus, receptam dicendi rationem deserens, dixit Annall. I, 1, in. *tribunorum militum c o n s u l a r e i u s.* ib. I, 10, in. *ius praetoris.* XIII, 21, med. *proconsulare ius.* Ut igitur honor vi aut malis artibus partus nequit *potestas* vocari, ita etiam *ius* h. l. non potest *potestatem* significare. Nihil autem simplicius esse, quam *is* pronomine honorem virtuti debitum opponi honori per fraudem comparato, quivis, opinor, sentiet, neque amplius *ius* defendet ex *vis* natum, in quod facilis erat ex *is* lapsus. — *U t i q u e tuti* constans paene omnium codd., etiam optimorum, est lectio, confirmata quoque iis, qui habent *u t i tuti.* In nonnullis tamen deest vocula, quibus editores omnes perperam paruerunt, sensum non assecuti. Hoc enim dicit Sallustius: fraude honorem adepti non *prorsus et ab omni parte* tuti sunt (quod opinantur), aut, *si tuti sint*, *propterea* tamen non magis honesti sunt. Ad vim sententiae igitur multo

vi quidem regere patriam aut parentes quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est,

gravius est *tuti* non nude esse dictum, sed *utique* particula augeri, de cuius confirmandi potestate v. Frotscherum ad Quinctil. X, 2, 10. *Tutus* quid significet explicavimus infra ad c. LXXXVIII, 2. Praeterea iam patet ex interpretatione nostra, verba *aut eo* ita esse capienda, ut *aut* spectet ad supplendam sententiam, qua concedatur id, quod antea erat negatum, *eo* autem quid inde consectarium sit indicet; v. ad c. XX, 6. Vix est autem quod moneam, *que* particulâ casu omissâ, quam proclive fuerit, ut ex vocibus *fuitutituti* vulgata prodiret. Nimis igitur a vero aberravit Sellingius, in Lectt. Sall. p. 19. Sallustium scripsisse coniiciens: quibus per fraudem *ius virtutis est*, eo magis honesti sunt. — *Honesti* i. e. *honorati;* v. ad Catil. c. XX, 9. p. 102. cf. Cic. Brut. c. LXXXI, 281. *Quum honos sit praemium virtutis, iudicio studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur.*

§. 2. *patriam aut parentes*] *Parentes* quales h. l. intelligendi sint diximus ad Catil. VI, 5. p. 34. et ad Iug. LXXXVII, 2. Quoniam enim de *imperio* iniuste exercendo agitur, in promptu est *parentes* esse qui pareant vel obediant; qui quum *patriae* opponantur, i. e. *reipublicae sedi*, relicuae gentes Romanis subiectae ista voce significantur. Pro *aut* Cortius se profitetur malle *atque*, quod Gerlachius non satis recte videtur refellisse, monens *aut* particula caveri, ne quis patrem vel matrem intelligat. Sed coniungendi potius quam excludendi vim habere voculam patebit ex notatis ad Catil. c. XXVI, 2. p. 124. cf. ibid. LII, 33. Iug. XXXI, 23. XLI, 8. Caes. B. C. II, 32, 11. Hand. de Particc. Lat. T. I. p. 535. II, 1. sqq.

quamquam et possis] *Quamquam* in oratione recta c. coni. coniungitur, ubi conceditur *fieri posse*, quod enunciatur, esse non item; ubi vero aliquid *revera esse* conceditur, non potest non indicativus modus poni. Quare Frid. Ellendtius non satis recte videtur ad Cic. Brut. c. 30, 115. p. 86. disseruisse, qui „pars exemplorum, inquit, coniunctivum exhibentium eiusmodi est, ut *quanquam* eleganter concedentis sit, id quod *sane quidem*, *verum quidem est*, vel modeste contradicentis, pro *tamen*. V. Wyttenbach. Bibl. Crit. P. III. p. 25. Qua potestate, prout affirmantes opinantesve loquimur, modi commode variant.“ Spaldingium ad Quintil. Prooem. §. 18. Ciceroni hunc coniunctivi usum perperam abiudicasse abunde ostendunt notae Heusingeri ad Cic. de Off. I, 2, 7. Goerenzii ad Legg. III, 8, 18.

quum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam aliaque hostilia portendant; frustra autem niti, 3

p. 238. ad Finn. III, 15, 48. p. 375. et in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826. I, 2. p. 322. Matthiae ad or. p. Mur. c. 9, 20. Bremii ad Nep. Attic. c. XIII, 6. Frotscheri ad Quintil. X, 2, 21. p. 129. Bene tamen monuit Ellendtius l. l. cum his rectae orationis exemplis non confundenda esse, in quibus coniunctivus a cogitatione alterius pendeat. cf. etiam Otto ad Cic. de Finn. III, 2, 5. et imprimis ad III, 21, 70. p. 242. ubi hunc usum perquam diligenter illustravit, et parum accuratas grammaticorum sententias examinavit et castigavit.

delicta corrigas] *Delicta* plerique interpretantur *peccata propria*, sive ab iis ipsis commissa, qui ea rursus corrigere dicuntur, Caesaremque maxime significari sibi persuadent. Sed ex iis, quae supra de totius loci sententia monui, patet *delicta* in universum esse *mala, in republica ex turbis, seditionibus et proscriptionibus orta*. Pariter Noster vocabulo absolute usus est Catil. III, 2. *quae delicta reprehenderis*. — *Importunum* Muellerus explicat *saevum, crudele*, quod falsum esse sequentia, ubi *caedes, fuga, aliaque hostilia* memorantur, ostendunt; nam quum particulis *praesertim quum* priori caussae nova quaedam addatur, (v. notata ad Catil. c. LI, 19. p. 248.) sequitur in antegressis de alia re, quam de crudelitate dictum esse debere. Aliquanto melius, neque tamen vere Cortius interpretatur *alienum et non conveniens cum vero regendi modo*; non enim ad *rempublicam*, sed ad *personam eius* qui vi regat patriam pertinere *importunum* docet appositio *q. possis et corrigas*. Significat autem *periculum et molestiam habet*, quum proprie sit id, quod vel nullum vel malum portum habeat, eoque incommodo aliquo laboret. Prope igitur accedit Langii explicatio, *nobis periculosum aliisque molestum*; sed *aliis* perperam intulit, quum ea demum, quae sequuntur, ad alios pertineant. — *Portendere* h. l. praegnanti sensu est non solum indicare, sed quasi secum ferre, aut certissimum eventum annunciare.

§. 3. *frustra autem niti*] Sensum horum verborum non assecutus videtur Muellerus, qui explicat: quum parum habeas auctoritatis et virium, *tamen petere imperium*. Recte vero Cortius *niti* absolute positum ad antegressa *regere et corrigere* referendum censet, interpretatus *ubi non valeas ad mores publicos per vim* (i. e. obnitendo iis qui rempublicam vexant) *emendandos*. cf. quae diximus ad §. 1. Idem fere sentit Seneca de otio Sap. c. XXX.

neque aliud se fatigando nisi odium quaerere extre-
4 mae dementiae est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio

non n i t e t u r sapiens i n s u p e r v a c u u m, nec se nihil profuturus impendet, si parum habebit auctoritatis et virium. — *Se fatigando* omnes tenent codd. praeter Rem. 1. Ecc. et Struv., qui pronomen non habent, eosque confirmare videtur Hieronym. in Praef. ad Esdram et Neem. *frustra autem (ut ait quidam) niti, neque aliud f a t i g a n d o nisi odium quaerere.* Sed recte monuit Gerlachius huic homini, pessima saepe oratione utenti, nullam in tali re esse fidem habendam, quum *fatigare* verbum nusquam reperiatur *reflexivo* sensu positum. Quamquam enim *lavare, mutare, vertere, vergere* et alia plurima, de quibus v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 37, 2. not. 3. p. 121. Ramshorn. §. 163. 1. b. p. 383 sq. et annotata nostra ad Catil. VI, 7. p. 37., reflexive usurpantur, tamen *fatigare* propter tam exiguam auctoritatem his nequit annumerari. Perperam etiam Muellerus explicat *multo labore.* — *Quaerere* i. e. quaerendo consequi, parare, contrahere. Iug. LXXXV, 30. *Hae sunt meae imagines, haec nobilitas, quae egomet plurimis laboribus et periculis q u a e s i v i.* LXXXVII, 2. *Armis gloriam quaeri.* LXXXIX, 1. *Dedecore potius quam manu salutem q u a e s i v e r a t.* Fragmm. Hist. III, 11, 1. Gerl. *Ductu meo vobis salus q u a e s i t a e r a t.* Liv. XXV, 6, 11. *Ad Alliam prope omnis exercitus fugit, ad furculas Caudinas arma tradidit hosti; tamen tantum abfuit ab eo, ut ulla ignominia iis exercitibus q u a e r e r e t u r.* ubi v. Gronov.

§. 4. *nisi forte*] Tertiam caussam hic afferri cur a republica plane abstinendum sit, dixi ad §. 1. De particularum *nisi forte* potestate v. ad Catil. XX, 17. p. 105. Addit Cortius h. l. Curt. V, 8, 12. *Licet honesta morte defungi, n i s i f o r t e satius est victoris exspectare arbitrium.* Tacit. Hist. IV, 74, med. Praeterea cf. Gernhardum ad Cic. Cat. M. 10, 33. et ad Lael. 13, 48. et imprimis Car. Beierum ad Off. I, 33, 120. — *Paucorum potentia* quomodo intelligenda sit dictum ad Catil. c. XX, 7. et ad c. XXXVIII, 1. p. 177. — *Gratificari* Kunhardtus obsoletà doctrinà pro *gratificandi* positum censet; alii ne credant cavimus nota ad Cat. c. XXX, 5. p. 139. Ceterum patet *decus gratificari* cum contemptu dictum va-

exercentur, imprimis magno usui est memoria rerum gestarum; cuius de virtute quia multi dixere, 2
praetereundum puto, simul, ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere.
Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a 3

lere *decus ad potentium gratiam ineundam* *abiicere*, *illisque pro lubitu conculcandum concedere.* Alienum est igitur ab auctoris mente, quod Gerlachius interpretatur *dono dare*, alienius etiam, quod Tellero in Indice p. 371. visum, *consecrare.*

IV. §. 1. *memoria rerum gestarum*] Interpretatur Cortius *cognitio et recordatio rer. gest.*, quod parum valet ad consilium belli Iugurthini *scribendi* excusandum, neque recte referri potest ad artes animi, *quibus summa claritudo paratur*, ut Sall. ipse loquitur c. II, 4. Quare *memoria*, quae vox pro varia relatione modo subiectivam modo obiectivam potestatem habet, modo passivo modo activo sensu posita reperitur, h. l. praegnanti sensu idem esse videtur atque *memoria conservatio*, i. e. rerum gestarum *narratio* vel historiae *scribendae* studium, quae res quum ob studii iucunditatem, tum ob eximium, qui inde percipitur, fructum haud postremum in animi artibus locum obtinet. Quod Gerlachius autem ut Cortii explicationem refellat, ait cognitionem historiae non posse dici negotium quod ingenio exerceatur, id equidem non intelligo, nisi forte Gerlachius historiae operam dari vult, non adhibitis ingenii viribus.

§. 2. *praetereundum*] Gerlachio non possum assentiri, hoc verbum cum *de* et *ablat.* coniungenti; nam quod propter Catil. IV, 3. *de coniuratione absolvam*, et Tacit. Historr. IV, 48, in. *de caede expediam*, etiam dici posse putat *de aliqua re praetereo*, videat ne res diversissimas commiscuerit; v. ad c. LXXXIV, 3. Haud dubie verior est Cortii ratio, qui *de virtute* cum *dixere* coniungens ex antegressis simpliciter repetendum putat *dicere*, quamquam paullo brevior ita existit oratio, siquidem *praetereundum puto* ad antecedentia, quae in unam sententiam coeunt, ita refertur, quasi auctor dixisset, *de ea re nunc dicere supervacaneum videtur.* — *Simul* quam vim habeat in sententiis nectendis diximus ad Catil. c. XIX, 2. p. 91.

memet studium meum laudando extollere] Hunc locum Cortius pessime scripsit, interpunxit et interpretatus est. Vult enim sensum esse *me me ipsum extollere, studium meum laudando*, quae sententia quaesitior neque antegressis recte respondet, neque ex ver-

republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant, certe quibus maxuma industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam

bis ipsis elici potest. Hoc enim dicit Sallustius, historiae laudes *aliis* se relinquere, *ipsum* celebrare nolle, ne parum vere et supra modum (i. e. per insolentiam) studium suum laudasse videatur. Per se igitur patet verba *laudando extollere*, quae Cortius disiunxit, coniungenda esse, idque loquendi usu egregie confirmatur, quum *extollere* et *efferre*, quamquam nude poni possunt, tamen gravitatis caussa saepe ablativum vel substantivi vel gerundii adiunctum habeant; cf. Cat. VIII, 4. *quantum verbis eam potuere extollere.* Iug. XV, 2. *Iugurthae virtutem extollere laudibus.* LXV, 3. *secunda oratione extollere.* LXXXV, 21. CIII, 7. Praeterea quod Cortius, ut sententiae ratio constet, ante *memet* suppleri iubet *me*, id nullo modo fieri potest, ut patet ex nota ad Catil. c. XXXI, 7. p. 147. Quomodo enim ex *quis* elicias *me?* Denique nulla caussa est, cur *meum* ante *laudando* cum Cortio eiiciatur, quamquam a Guelf. 6, 12. Ven. 3. et Vat. 4. abest. Quodammodo pronomen firmat etiam Taciti locus, haud dubie ad Sallustium expressus, Ann. XIV, 43, 1. *ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer.* — *Per insolentiam* auctor consulto verbis *ne* — *quis* interposuit, ut id, cui maxime occurrere vult, cum vi praemittatur.

§. 3. *atque*] Haec particula ut duo vocabula, quorum posterius priori gravius est, coniungit (v. ad Cat. c. LI, 10.), ita etiam inservit enunciationibus copulandis, quarum posterior gravior est antecedente; quam rationem accurate explicavit Handius de Particc. Latt. Vol. I. p. 484. Hoc igitur significat Sallustius, non solum *si laudet* historiae studium multos id aegre laturos, *sed*, etiamsi nihil de eius virtute dicat, adeo fore, qui ipsum studium vituperent. Non satis recte igitur Cortius „*atque*, inquit, servit occupationi et notat *et vero*, *et tamen.*" Neque assentiri possumus Handio, qui l. l. p. 489. sententiarum nexum aliter quam nos capiens *atque* vernacule interpretandum censet *gleichwohl.* Cuius explicationis oblitus p. 498. aliam proponit, minus etiam, si quid video, commendabilem. — *Salutare* spectat ad ambitiosos illos, qui propter honores prensabant plebem, etiam nomenclatore adhibito. cf. Cic. de petit. cons. c. VII. Liv. XXIII, 4, 2. *Hinc senatores, omissa dignitatis libertatisque memoria, plebem adulari, salutare, benigne invitare, apparatis accipere epulis.* ib. III, 14, 5. — *Conviviis* i. e. epulis et viscerationibus

quaerere. Qui si reputaverint et quibus ego tempo- 4
ribus magistratus adeptus sum, et quales viri idem assequi nequiverint, et postea quae genera hominum

plebi praebitis; cf. Cic. de Off. II, 16, 55. Plin. Hist. Nat. X, 10. Cort.

§. 4. *adeptus sum*] Indicativum plurimi praebent Cortii libri, praeter Guelf. 1. 5. Ecc. Vrat. 1.; ad hoc is modus est in Erl. Teg. Bas. 2 3. Bern. 2. 4. Turicc. et in Vat. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Med. 2. 5. 6. 7. 9. 11. Ven. 3. Barb. 5. Flor. 4. Berol. 1. et Goerl. Relicui omnes Leidd. Grut. Wass. et Italici libri *sim* tuentur. Coniunctivum Gerlachius in utraque ed. in textum recepit, quamquam in Commentt. p. 219. indicativum, more Graecorum orationi obliquae interpositum, Sallustiano dicendi generi consentaneum esse profitetur. Pro graecismo istam structuram etiam Heusingerus habet ad Cic. Off. I, 7, 6. neque ab ea sententia alienus videtur Frotscher. ad Quinctil. X, 1, 1. [ubi sic legendum suspicor: *accesserit: quam scribendo potius an — consec.* Fr.] Sed istam rationem ne veram putem eo permoveor, quod indicativus in istis exemplis sensu plane diversus est ab coniunctivo; graecismus autem ea tantum constructio vocari potest, quae, quum Latini sermonis analogiam sequi debebat, ad Graecae linguae singularem usum conformata est, *sensu tamen non mutato.* Igitur, ut paucis dicam, indicativum praegressa interrogativa enunciatione tum ponunt Latini, ubi posteriorem enunciationem ita volunt efferre, ut non ab eius subiecti, quod primarium est, *cogitatione* apta sit, sed ut res absolute posita vere *esse* intelligatur eiusque veritas gravius asseratur. V. notata ad Catil. c. XX, 5. Caes. B. C. II, 32, 11. *Diligentiam quidem nostram, aut quem ad finem adhuc res processit, cur praetercam?* Cic. Agrar. III, 4, 17. *Et quoniam qua de caussa et quorum caussa ille hoc promulgavit ostendi.* p. Rosc. Amer. c. 30, 83. *Quaeramus ubi maleficium et est, et inveniri potest;* ubi Matthias plura laudavit, quibus adde Goerenz. ad Finn. IV, 24, 67. Ellendt. ad Brut. c. 3, 13. Ramshorn. Gram. Lat. §. 174. 2. not. 2. p. 497 sq. ed. 1. Indicativus igitur quum eam vim habeat, ut rem qualis *per se* est enunciet, in promptu est, Sallustium propterea hoc modo usum esse, quod memoriam praeterlapsi temporis repetens adeptos honores suos quasi praesentes intuetur, et paene invitus in medias res rapitur. Relicua quoniam non ad ipsum pertinent, aliorum cogitationi relinquit, eoque coniunctivo extulit. Modos simili sensus discrimine in

in senatum pervenerint, profecto existimabunt me magis merito quam ignavia iudicium animi mei mutavisse, maiusque commodum ex otio meo quam ex

eadem enunciatione mutavit etiam Cic. Epp. ad Attic. I, 1. extr. *Vides enim, in quo cursu s u m u s, et quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas p u t e m u s.* Poterat sane dicere *simus*, sed ut rerum condicionem, qualis tum erat, plane praesentem sisteret, *sumus* praetulit: gratiae vero studium quantum esset quia Atticus cogitando tantum assequi poterat, neque enim studii magnitudo per se potest spectari, non poterat nisi coniunctivo declarari. Coel. (in Cic. Epp. ad Famm. lib. VIII.) Ep. I, 4. *Si quid maius actum erit, et quemadmodum a c t u m s i t, et quae existimatio secuta, quaeque de eo spes e s t diligenter tibi perscribemus.* Ter. Andr. IV, 1, 26. *Nescis quantis in malis v e r s e r miser, quantosque hic suis consiliis mihi c o n f e c i t sollicitudines;* quippe Pamphilus commotiore animo totus est in rebus miseris. Rutil. Lup. II, 8. p. 112. *Quaeres a me, quo iure obtinere p o s s i m, quo iure mihi Polyaenus r e l i q u i t, praetor d e d i t possessionem?* ubi orator fervore orationis abreptus solam caussae rationem et ius effert. Omnino non negligenda sunt quae O t t o scite monuit ad Cic. de Finn. II, 19, 61. *Num P. Decius q u u m s e d e v o v e r e t et equo admisso in mediam aciem Latinorum i r r u e b a t, aliquid de voluptatibus suis cogitabat?* Ad quem locum, nostro non parem, at certe similem, ille V. D.: Posse diversos modos, inquit, per copulativas particulas coniungi, et *coniungendos esse*, *si utriusque modi sensus est diversus*, exemplis multis docuit Ramshorn. p. 694., qui adumbratam tantum huius orationis conformationis imaginem dedit, quae quam late pateat, alio loco docebo exemplis ab ipso Cicerone largiter positis. Recte hanc conformationem dixeris *orationem variatam*, quod novum caput rerum grammaticarum addendum erit in postremum a grammaticis nostris syntaxi, non tamen ornatae illi, sed communi, quia haec oratio est naturalis, *qua si non utimur, u b i a d e s t u s u s, male Latine scribimus.* — Pro *magistratus* plurimi codd. Leidd. *magistratum;* parum commode. Nam Sallustius aperte non de uno munere loquitur, sed omnia complectitur, id quod maxime patet ex verbis *quibus temporibus*. Intelligit autem quaesturam, bis gestam, tribunatum, et praeturam, quos honores omnes obtinuit, quum iam respubl. Caesaris et Pompeii aemulatione et occultis odiis agitari et commoveri coepta erat. — *Postea quae genera homi-*

aliorum negotiis reipublicae venturum. Nam saepe 5
audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quum

num etc. Haec ad neminem nisi ad Caesarem spectare, senatorum numerum magnopere et sine accurato delectu augentem, iam dudum viderunt interpretes, laudatis Cic. Epp. ad Famm. VI, 20. (19.) Dion. XLIII. p. 227, C. Sueton. Caes. 76, extr. 80, a med. — *Merito*, q. e. iure, iusta de caussa, Gerlachius ridicule interpretatur *iudicio*, fortasse eleganter dictum putans *iudicio mutavi i u d i c i u m.* Quam sententiam ut probaret contulit Nep. Attic. XV, 3. *Ex quo iudicari poterat, non inertia, sed i u d i c i o fugisse reipublicae procurationem;* ad quem locum Bremius recte vidit *iudicio* idem valere quod apud Sallustium *iudicium animi*, haud male vernacule interpretatus *Grundsätze. Animi* cur Sallustius addiderit diximus ad Catil. c. LVIII, 2. p. 304. *Mei*, quod in uno Eccard. deest, Cortius pro more suo eiecit. — *Que* particulam colligendi ex praegressis potestate esse positam monitum est ad Catil. III, 5. p. 22. et ad c. XLVIII, 6. — *Negotia* Gerlachius simpliciter intelligit *reipublicae administrationem;* sed v. ad Cat. c. VIII, 5. Praeterea aliquam vim habet, quod *negotium* h. l. *otio* opponitur.

§. 5. *Nam saepe ego audivi*] *Ego*, quod in Leidd. A. B. C. D. E. F. G. I. K. deest, nonnulli omiserunt; sed Sall. ut *animi sui sententiam* cum gravitate explicaret, pronomen apte posuit. v. Drakenborch. ad Liv. XXI, 3, 6. et Donat. ad Ter. Andr. III, 4, 3. Grysar Praeceptt. styli Lat. p. 27 sq. Noster Catil. c. XX, 5. LI, 35. LII, 5. ib. §. 36. LVIII, 1. Iug. XXXI, 21. et §. 27. LXXXV, 1. et 15. — *Q. Maximum* non alium esse quam *Q. Fabium Maximum Verrucosum Cunctatorem* nemo dubitaverit, in tanta viri claritudine; Gerlachius tamen negat, quia Fabio Cunctatori praenomen *Publio*, non *Quinto*, fuerit. Quod unde sciat V. D. ego nescio; sed si inspexerit Cic. de Off. I, 24, 11. et Liv. XXII, 9, 7. aliosque eius libri locos, tamen fortasse sentiet *Quinti* praenomen illum habuisse. *Publium* vero *Scipionem* esse *Africanum Maiorem*, omni virtutum genere non solum inter Scipiones, sed inter universum nomen Romanum praefulgentem, certissimum est, quum Sallustius celeberrimos populi Rom. viros tanquam testes suae sententiae afferat. Quod negligens Gerlachius, *P. Scipionem* intelligit eum, qui vir optimus in civitate iudicatus matrem Idaeam acceperit; eo fortasse motus, quod ipse Livius XXIX, 14, 9. quibus viri virtutibus

maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi
6 animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram
illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed

egregiisque factis illud iudicium niteretur, neque ex illius temporis scriptoribus se profitetur accepisse, neque coniectando indagare posse putavit.

praeterea] Vim huius vocis in nectendis enunciationum partibus indicavimus ad Catil. c. L, 3. p. 233. — *Solitos dicere* explicavimus ad Catil. c. XLVII, 1, p. 214. cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84. D. 9. p. 492. Cic. in Verr. IV, 21, 47. *Quas putatis lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus?* Tacit. Ann. XIII, 1, in. *I. Silanus, segnis et fastiditus, adeo ut C. Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit.* I, 73, 3. *Cassium solitum interesse ludis.* — *Imagines* notum est nobilium tantum fuisse; quae quo plures et antiquiores erant, eo maiorem gloriam et splendorem cum auctoritate conciliabant. v. Nitschii Antiqq. Rom. Tom. I. p. 122. ed. III. coll. Cic. in Verr. V, 14, 36. Iuven. Sat. VIII, 6 sqq. De iure imaginum ponendarum v. Cic. in Verr. V, 14, 36. et Sigon. ad Liv. VII, 1, 1. Saepissime autem exagitatos fuisse, qui his maiorum meritis stolide superbirent, ipsi verae virtutis expertes, non est quod miremur; cf. Sall. Iug. c. LXXXV, 10. ubi v. Cort. ibid. §. 25. et 29. Cic. in Pison. c. 1, 1. p. Planc. c. 7, 18. Sall. Fragm. Historr. III, 22, 18. In atrio fuisse positas patet ex Senec. Ep. XLIV. *non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* Stat. Theb. II, 214. Ovid. Fastt. I, 591.

§. 6. *Scilicet non ceram* etc.] Horum verborum sensum, structura non intellecta, interpretes non assecuti sunt. Nam quae Fabiorum et Scipionum sunt, Sallustio tribuunt, quia illi nimis arrogantes sint, si semet ipsi *egregios viros* appellent; accusativos autem c. inf. pendere dicunt a *scilicet* i. e. *scire licet*, quam structuram sane reperiri ostendit Cortius ad Iug. CXIII, 3. Gronov. Obss. III, 9. p. 388 sq. ed. Lips. Ruddim. Institt. Gramm. Tom. II. p. 321, IV. Ruhnk. ad Ter. Heaut. II, 3, 117.; sed ea nostro loco admitti nequit. Quominus enim sententia Sallustii sit primum obstat nexus cum antecedentibus; nam si *scilicet* est *scire licet*, quis ferat asyndeton tam frigidum et ineptum, ieiuna scriptoris explicatione egregiis praeclarorum virorum verbis adiecta? Tum in promptu est, eam ob caussam Sallustium illorum iudicium laudare, ut *tanta auctoritate* intelligatur *rerum gestarum memoriam utilissimam esse;*

memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit.

unde consequitur haec verba illorum virorum esse debere. Denique *sese* pronomen planissime indicat praegressae enunciationis subiectum etiam in hac haberi; *sese* enim, quo Fabius et ceteri praeclari viri *se ipsos* significant, nemo ad *ceram neque figuram* referet, quum et plenior forma nunquam, quantum sciam, de *rebus* usurpetur, neque Latine dicatur *haec res vim in se habet*, sed simpliciter *habet*. Haec de priore sententiae parte valent; sed Sallustius non ita uti coeperat orationem continuat, sed in media sententia quos cogitantes ac loquentes induxerat viros *obiectum* orationis facit, *sibi ipsi* iudicandi partes sumens. Quod si tenueris, *egregiis viris* nihil habet quod te offendat; non culpandam autem esse apud veteres eiusmodi cogitandi enunciandique mutatam rationem et docent infinita anacoluthorum genera (v. ad c. I, 4.), et cognosci potest quum ex iis locis, ubi orationi obliquae interpositus est indicativus (v. ad Catil. c. XIV, 7. et ad XXVII, 4.), tum maxime ex iis, ubi auctor non se ipsum, sed alium vel loquentem vel cogitantem inducit, et tamen pro reflexivo pronomine demonstrativum subiicit. cf. Cic. de Or. I, 54, 232. *Socrates respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur.* p. Sest. c. 24, 54. *Hac tanta perturbatione civitatis ne noctem quidem consules inter meum discrimen et eorum praedam interesse passi sunt.* Sall. Iug. XCVI, 2. *Sulla beneficia properantius, quam aes mutuum reddere; ipse ab nullo repetere; magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent.* cf. Vell. I, 1, 3. II, 15, 3. Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 34, 95. Georg. Lud. Walch. Emendd. Liv. c. XI. p. 219. — *Eorum*, quod cum verbis *famam atque gloriam* coniungendum est, non habet in antegressis vocabulum, quo referatur; sed cogitatione *maiorum* assumendum esse Cortius recte vidit. — *Virtus adaequaverit* auctor maluit dicere quam *virtute adaequaverint;* ne enim insolenter loqui videantur praeclari viri, sententiam sub finem prorsus generalem extulit, virorum loco *virtutem*, tanquam personam, subiectum faciens. — *Adaequare aliq. rem*, ut sit *parem fieri al. rei*, dixit etiam Tacit. Ann. XV, 19, extr. Germ. c. 14. in. — Ceterum *scilicet* non simpliciter explicandi vi positum est, sed propriam *ironiae* adiunctam habet (v. ad XXXI, 19. XLI, 3.) quippe qua significetur, imagines

7 At contra quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? Etiam homines novi, qui

ipsis maiorem quendam usum, *quam vulgo inerti*, praestare. Germanice h. l. commode reddas *freilich.*

§. 7. *At contra*] De his particulis sociatis, quarum posterior primitivam vim prioris distinctius declarat, v. Handium de Partt. Latt. Vol. I. p. 418. — *His moribus* i. e. hac tempestate, qua mores tam corrupti sunt; *hic* enim sensu praegranti ponitur ad statum et condicionem *praesentis* temporis significandam. cf. Gronov. ad Liv. XXV, 40, 2. *Inde primum initium mirandi Graecarum artium opera, licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est.* id. VI, 4, 12. *Capitolium quoque saxo quadrato substructum est, opus vel in hac magnificentia urbis conspiciendum.* cf. Ruhnken. ad Vell. I, 11, 5. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. II, 5, 1. Grysar Praeceptt. styli Lat. p. 64. Structuram quod attinet Herzogius ad Catil. c. XI, 7. *his mor.* pro ablativo praedicati habet, qui ad *quis* pertineat; sed Catilinae locus plane alius est, neque *omnium* h. l. permittit sequentia pronominis praedicatum esse, quae potius ablativi absoluti sunt, ut docent alia exempla, velut Cic. Epp. ad Attic. X, 11. *quid enim dicam hac iuventute?* Cic. de Divin. II, 2, 4. *Quod munus reipublicae afferre maius possimus, quam si docemus atque erudimus iuventutem, his praesertim moribus.* Id. de Legg. III, 16, 37. *Non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit tibi dicendum puto;* ubi Goerenzius perperam participium per ellipsin intelligendum censet, sc. *ita morato.* Quis enim non videt *hic* praedicatum esse? Ablativorum autem ratio ea est, quam illustravimus ad Cat. XI, 4. XXXIX, 3. Iug. XLIII, 5. cf. Beier ad Lael. 15, 54. Otto ad Cic. de Finn. I, 10, 33. — *Non probitate* qua ratione referatur ad praegressa ostendimus ad Catil. c. LII, 15. p. 270., ubi simul tetigimus verba §. 8. *ac non perinde* etc. — Pro *soliti erant* exspectes potius imperfectum, quoniam Sallustius id tempus significat, quod suum praecesserat, non quod praeterito quodam prius fuerat. Sed eiusdem generis videtur locus, ut Catil. L, 1. p. 232., ubi quomodo plusquamperf. *soleo* verbi possit imperfecti vim obtinere ostendimus. — *Latrocinium*, quo vocabulo Latini translato sensu utuntur ad invidiam faciendam, significat malas artes, insidias, *vim iniustam;* cf. Cic. p. Rosc. Am. c. 22, 61. *Confitere huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium, futurum.*

antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur, proinde quasi 8

v. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. I, 4, 4. Pariter *latro* haud leve convicium; cf. Cat. c. XXVIII, 4. LIX, 5. Fragm. Historr. I, 19, 7. — Verba *potius quam bonis artibus* in cod. Rem. 1. desunt; eo Cortius verba *q. p. art.* uncis inclusit, tanquam Sallustio indigna, quia *per virtutem* praecesserit. Sed non vidit *per virt.* pertinere ad *antevenire*, quae sequuntur autem, a praecedentibus diversa, gravitatis caussa nequitiae et virtutis oppositionem paene poscere.

§. 8. *proinde quasi*] *Proinde* legitur in codd. Rivii, Bas. 1. Sen. 2. Heuss. Vrat. 2. 3. Guelf. 1. 3. Leidd. A. B. C. D. E. F. I. K. L. M. Paris. x. z. m. sec. Berol. 1. 2. Goerl.; relicui *perinde* tenent, quam scripturae varietatem fere solennem ubi *quasi* additum est iam notavimus ad Catil. c. XII, 5. Ibi videndus etiam Herzogius, qui recte monuit in simplici comparatione non posse nisi *perinde* dici, ut statim post, *perinde habeantur*, Liv. IV, 3, 7. V, 42, 2. Ter. Heaut. I, 2, 21.; ubi vero comparatio eiusmodi sit, ut id, cui aliquam rem compares, ex antegressis collectum videri possit, *proinde* recte habere. Nostro loco igitur quum sensus sit: *quasi vero inde consequatur praeturam* etc. *per se ipsa clara esse*, commode positum est *proinde;* cf. etiam Walchium ad Tacit. Agric. c. 10. p. 191. et quae de eadem re diximus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 78 sq. — *Et* ante *magnifica* eiecit Cortius, quia in Bas. 1. deest; sed ne eo quidem, quod Vat. 4. et Med. 5. habet *atque magn.*, Bas. 4. vero *manificaque*, satis probari potest duorum adiectivorum asyndeton, quamquam maiore bonorum librorum auctoritate non damnandum; v. ad c. XXVIII, 4. — De vi particularum *ac non* in nectendis orationis membris v. ad Cat. LI, 15. p. 270. cf. Cic. Epp. ad Famm. III, 2, 6. *Si res verba desideraret, ac non per se ipsa loqueretur.* Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 473 sqq. — *Qui ea sustinent* in omnibus fere est libris; sed Incert. 2. *ea* non habet, quod negligentia factum esse patet ex Bas. 1. et Paris. x. in quibus alio errore scriptum *eas sust.*, *S* littera male geminata. Cortius pronomen abegit, assensum nactus Gerlachii in Commentt. p. 220. propter codd. Med. 3. 4. et Vat. 2., non item, quae est viri inconstantia, in ed. minore. — *Habeantur* non simpliciter significat *sint*, ut Gerlachio visum, sed potius *earum rerum possessio sit;* cf. ad Catil. c. I, 4. p. 7.

praetura et consulatus atque alia omnia huiuscemodi
per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde
habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est.
9 Verum ego liberius altiusque processi, dum me ci-
vitatis morum piget taedetque; nunc ad inceptum
redeo.

§. 9. *Altius* Gerlachius haud male explicat *quasi in mare altum*, coll. Liv. XXXI, 1, 5. *provideo animo, quicquid progredior, in vastiorem me altitudinem ac velut profundum invehi.* — *Redeo* non est *venio*, ut Cortius aliique volunt, qui vim *re* syllabae in compositis saepe nullam esse dicunt, sed proprie intelligendum de regressu ad consilium historiae scribendae. Nam eius rei studium quum excusare incepisset auctor, mox a proposito suo, dum acrius in malos civitatis mores invehitur, avocatus est.

V. §. 1. *variaque victoria*] Sensum interpretes recte monuerunt hunc esse: *vict. modo apud Iugurtham, modo apud Romanos fuit;* sed de constructione nihil dixerunt. Non dubium autem, quin ablativus habeatur, pariter atque praegressa adiectiva praedicati vices sustinens. Eodem modo locutus est Iustinus, a Cortio laudatus, IV, 2, 6. *diuque varia victoria cum tyrannis dimicatum.* — *Dein* plerique codd.; nonnulli *deinde*, pauci etiam *dehinc;* v. ad Catil. c. XXXII, 1. p. 149. — *Tunc* plerique, et in iis optimi codd. tenent; Cortius tamen *tum* edidit, quia hoc tantum Sallustii sit; quasi vero alii scriptores *tunc*, alii *tum* usurpent. Ad particularum discrimen cognoscendum nihil plane faciunt quae Goerenz. protulit ad Cic. de Finn. I, 8, 28., neque multum proficias Ramshornii parum perspicua explicatione in Gramm. Lat. §. 178. III. p. 510. proposita. Paullo certiora praecipit Gernhardus ad Cic Lael. I, 3. p. 7. quamquam ne haec quidem quid ubique verum sit quaerentibus plane satisfacient. Propius ad verum accedunt Weberus in Exercitatt. styli Lat. T. I. p. 93. Zumpt. Gramm. Lat. §. 63. p. 239. et imprimis Herzogius ad Caes. B. G. V, 33. p. 273. Is enim ut recte vidit *tum* et *tunc* particularum eandem esse rationem quae intercedat inter *iam* et *nunc*, ita vere praecepit *tunc* poni, ut significetur aliquid simul cum altera re *eodem temporis articulo* vel factum esse, vel futurum esse, quod tamquam fixum et immotum intueamur (v. nos ad Catil. c. LI, 40. p. 259.), *tum* vero usurpari, ubi procedat narratio, et quid aliquam rem secutum sit exponat. Patet autem Sallustium cogitatione ad superius tempus re-

V. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidarum, gessit; primum quia magnum et atrox variaque victoria fuit; dein quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est, quae contentio divina et humana cuncta 2
permiscuit eoque vecordiae processit, uti studiis ci-

dire idque praesenti vel certe posteriori opponere, cui sententiae *tunc* recte inservit, *tum* non est accommodatum. cf. Tursellin. de partt. c. CCXXXIII. p. 1311 sq. Paullo implicatior res est, praesertim in tanta scripturae incertitudine, ubi *quum* praecedit, vel sequitur; nam quum huic particulae, ubi temporalem vim habet, non nisi *tunc* respondere posse videatur, haud raro eius loco *tum* reperitur, cuius propria ratio nisi ad *quum* caussale referatur constare nequit; velut Cic. in Verr. IV, 21, 46. *Credo tum, quum Sicilia florebat opibus, magna artificia fuisse in ea insula;* sed in eadem sententiae ratione *tunc* reperitur, Cic. in Verr. V, 10, 27. *Quum rosam* (iste) *viderat, tunc incipere ver arbitrabatur.* Recte igitur Gernhardus ad Cat. M. c. XIX, 69. p. 134. *Quum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit, effluxit* — *tunc* significare statuit *illo ipso tempore*, nulla antegressarum rerum ratione habita; neque verum est, quod Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 11, 33. praecipit, *quum* particulam non aliam vocem sequi posse nisi *tum*, quam sententiam etiam Herzogius ad Caes. B. G. V, 33. amplecti videtur. Respectu *praegressorum* autem, quibus altera res tanquam *consequens* subiicitur, *tum* legitime ponitur, quae ratio non mutatur, sive caussae sive sola temporis significatio in priore membro inest. [Cf. Orell. ad Cic. Brut. §. 33. et ad Top. §. 91. ed. min. De primis huius cap. vv. *Bellum — Romanus* vid. adn. ad Cat. 19, 5. Fr.]

§. 2. *divina et humana cuncta*] *Cuncta* abest a Mark. *Γ.* Eius loco scribarum errore in Pal. 3. et Leid. O. exstat *omnia.* Vocem, Grutero perperam suspectam, Muellerus in hac formula quasi solenni fere semper addi recte observat; Gerlachius eam magis numero quam sententiae inservire censet, quod multum a veritate abhorret. Nam vim sententiae adiectivo addito mirifice augeri quis non sentit? cf. Iug. XXXI, 9. *Divina et humana omnia hostibus tradita sunt.* ibid. §. 20. *Divina et humana omnia penes paucos erant.* Liv. I, 38, 2. VII, 31, 4. Suet. Caes. c. LXV. Neque tamen verborum construendi ratio talis est, qualem illustravimus ad Catil. XXX, 4. Ibi enim

vilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret.
3 Sed priusquam huiuscemodi rei initium expedio,
pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia
4 illustria magis magisque in aperto sint. Bello Pu-

omnia substantive positum est, nostro loco epitheti potestatem retinet. Ceterum verba *uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret* hunc sensum habent: ut istae civium contentiones et factiones tandem in bellum erumperent, quod Italiae vastitatem attulit.

§. 3. *priusquam — expedio*] Muellerus scripsit *expediam*, quod sane in Bas. 1. Paris. z. Berol. 1. 2. Misn. Goerl. et praeterea in quinque et viginti aliis exstat; sed relicui, in quibus sunt Fabr. 1. Leid. L. Nazar. Commel. Teg. Guelf. 5., indicativum praebent, cuius quae ratio sit diximus ad Catil. c. IV, 5. p. 26. cf. Handium de Particc. Lat. Vol. I. p. 397. 9. — In dictione *supra repetere* (cf. Cat. V, 9. Tacit. Ann. XVI, 18, in.) Gerlachius *supra* prorsus mirifice dicit Graecorum more *nomen* esse; sed neque qui esset iste Graecorum mos docuit, neque Latina exempla ab eo allata perversam eius sententiam possunt stabilire. Praepositiones adverbiorum potestate positas saepe totius enunciationis vim sustinere monuimus ad Catil. c. XXX, 3. p. 137.; ut igitur dicitur *rem longe*, vel *longius repetere*, eàdem analogia dictum est *rem supra repetere*, quod sensu idem est atque rem *ex iis quae supra sunt*, sive ex paullo remotioribus repetere, verbo non idem. Ex Iug. XXIV, 5. autem, quem locum Gerlachius cum Tacit. Ann. VI, 39, extr. pro luculentissimo sententiae suae documento habet, hoc luculentissime patet, *supra* in priore loco adverbium, in posteriore praepositionem esse, cui casus suus ex antegressis cogitatione addi debeat. — *In aperto*, v. ad Cat. XLI, 1. Cortius praeterea contulit Tacit. Agric. c. 1. med. (ubi v. Walch. p. 107.); *in facili*, Liv. III, 8, 10. ubi v. Gronov. et Drakenb., qui plurima habent.

§. 4. *post magnitudinem nominis Romani*] Prorsus a vero aberrant qui cum Langio et Muellero horum verborum sensum hunc esse contendunt: *postquam Romanorum magnitudinem fregerat*; quasi vero ex *attriverat* verbo in antegressis *attritam* suppleri debeat (v. Teller. p. 256.), quae ratio non solum a Grammatica durissima est, sed alienissimam quoque sententiam praebet. Auctor enim *nomen Romanum* non opponit *Italiae opibus*, sed his ipsis nihil aliud significatur quam imperium Romanum totam Italiam iam complexum. Quare Cortius recte verba sic interpretatur: *postquam Romani magni facti sunt*, et

nico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani Italiae opes maxume attriverat, Masinissa rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano

ad tantum potentiae fastigium pervenerunt; auctorem enim in promptu est ad priora reipublicae tempora respicientem hoc dicere: quamquam Romani ante totam Italiam occupatam saepius graviter vexati fuerint, velut a Gallis, a Samnitibus, a Pyrrho, tamen post auctum et firmatum eorum imperium non maius, quam ab Hannibale periculum ipsis allatum esse. Mirum autem Viros Doctos tam planae sententiae verba *post magnitudinem n. R.* obesse ratos, quum ista praepositio cum substantivo coniuncta saepius vim totius enunciationis sustineat; cf. Cat. V, 6. *Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxima invaserat reip. capiundae.* Iug. XV, 4. *Neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari.* Nep. Attic. IX, 5. *Quum illa fundum emisset, neque post calamitatem versuram facere potuisset.* Tacit. Ann. I, 68. *Inguiomerus post vulnus pugnam deseruit.* Iustin. VIII, 1, 6. *Quasi post arma et bellum locum legibus reliquissent.* qui loci plerique Cortio debentur. Gerlachius autem parum intelligentem orationis Sallustianae se praebuit, insolentiam dicendi crepans, quae nulla est; certe quod usitatius dictum iudicat si Sallustius scripsisset *ex quo Romani magni facti*, id vulgata multo est deterius.

in amicitiam receptus] Paris. b. c. z. Misn. Bas. 1. 4. Fabr. 1. Vrat. 3. Guelf. 6. 11. *in amicitia*, quod Cortius, Langius, Muellerus Faber et Gerlachius tum in ed. mai., tum in Commentt. p. 221. amplexi sunt. Nos istam barbariem, quam Cortio et Gerlachio placuisse non debet mirum videri, non amplius ferendam censemus. Absurdum est enim, et rectae rationi repugnat, quod isti volunt, ablativum prisco more pro accusativo poni, quaeque ad eam rem probandam afferuntur exempla aut male intellecta sunt aut depravata omnia. Ita quod ex Phaedro, non optimo latinitatis auctore, laudant Fab. V, 1. 25. *Quinam cinaedus ille in conspectu meo audet venire*, minime huc pertinet, quum verba *in conspectu meo* non apta sint a *venire*, sed ad nomen pertineant ita ut verbum absolute positum sit, hoc sensu: quinam cinaedus ille, qui in conspectu meo est, audet huc accedere? Nihil insolentiae est etiam in his Planci ap. Cic. Epp. ad Famm. X, 11, 6. *Animadverti nullum alium receptum Antonium reliquiasque, quae cum eo essent, habere, nisi in his partibus;* non cogitat enim *motum* se recipientis, sed *locum in quo receptus est*, quod intelliges

cognomen ex virtute fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat, ob quae victis Carthagi-

si ita ceperis sententiam: Antonio *nusquam*, *nisi in his partibus*, est quo se recipiat. Et ita solet *recipi* verbum construi si *propria loci notio*, *ubi* aliquid recipitur, sola valet; v. Auct. B. Hisp. c. IV, 2. *Loricati viri in equis recipiuntur.* Ovid. Heroid. VI, 20. *In mihi promissi parte recepta tori.* Id. Met. I, 229. *Sideraque in coelo — recepta.* Pariter si apud Petron. c. XIX. legitur: *vetui in hoc diversorio quemquam admitti*, id respectu eorum qui *sunt in diversorio* dictum est, non eorum qui *in id admitti* cupiunt; et si Varro de L. L. IV. dixit *qua in Coelio monte itur*, id non alium sensum habet nisi hunc: qua ii, qui in Coelio monte iam sunt, eunt et incedunt, neque de iis cogitari potest, qui, quum non in Coelio sint, eum montem petant. Ubi enim id quod verbo enunciatur non aliter potest quam ita cogitari, ut ad aliquod obiectum, tanquam ad finem, spectet et pertineat, istud obiectum a tali verbo per *in* praepositionem aptum nullo pacto ablativo efferri potest, nisi quis contemptis omnibus recte cogitandi legibus rusticos potius, quam optimos dicendi auctores sequi velit. Quare praefracte negamus dici posse, aut unquam a probo scriptore dictum esse, *in senatu venire*, in qua sententia est Ger. Io. Voss. de Constr. c. LV. p. 585., aut *in agris abire*, aut *in hostibus proficisci*, aut *rem in potestate alicuius committere*, aut in *conspectu alicuius venire*, et quae sunt his stribliginibus similia; neque nos movet quod Cortius ad Sall. Cat. XLII, 3. Wassius ad Cat. XIX, 2. Burmann. et Scheffer. ad Phaedr. Fabb. V, 1, 25. Linacer VI. p. 631. Ruddiman. Institt. Gramm. T. II. p. 326. Vossius l. l., alii, talibus ineptiis patroni existunt. In grammaticis enim rebus subtiliter iudicandis nulla illis est auctoritas. Corruptis autem locis et a scriptura parum certis eos seductos fuisse neminem fugiet, qui exemplis, quibus nituntur, accuratius exploratis cognoverit, vix unum alterumque codicem ablativum exhibere, reliquos vel accusativum tenere, vel omnino de codicum scriptura parum constare. Quare unice probamus prudens et circumspectum Oudendorpii iudicium, ad Caesarem vel potius Hirt. de B. G. VIII, 8, 4. statuentis haec ad codicum auctoritatem *recte aestimatam* exigenda esse; a codicibus autem ubi nullum praesidium est, non dubitamus e coniectura quod recta ratio postulat reponere, velut in Sall. Fragmm. Hist. I, 9. Gerl. ubi *quorum in gratiam plerique concesserant* scribendum esse suo loco ostendemus. Quae quum ita sint, paucorum codd.

niensibus et capto Syphace, cuius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus quas-

auctoritas non tantum valet, ut vulgatae praeferamus *in amicitia receptus*, quae depravatio ex deleta super *a* litteram lineola, accusativi signo, orta est. — Ceterum de *Masinissa* rege iam Cortius contulit [Sil. Ital. 16, 117. Fr.] Liv. XXIX, 29 sqq Iustin. XXXVIII, 6.

Africano] Fabr. 2. et Guelf. 10. *Africanus*, quod Cortius non dicere debebat contra morem classicorum scriptorum esse, quum nominativum aeque ac dativum a scriptoribus usurpari ingens doceat exemplorum numerus. cf. Gell. XV, 29. Drakenb. ad Liv. I, 1, 5. et 11. eund. ad Sil. XI. 58 Ruddiman. Institt. Gramm. T. II. p. 125. Krueger de Attract. Ling. Lat. § 20. p. 43. Bremi ad Nep. Aristid. I, 2. qui scite monet nominativo nominis posito absolutam videri eius vocabuli structuram. Plura de eadem re protulit Hoffmannus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1828. T. II. Fasc 1. p. 13 nominativum eo maxime consilio poni observans, ut nominis forma quam accuratissime cognoscatur, idque fieri tum ubi vis quaedam orationis requiratur, tum in peregrinis vocabulis, tertio casu interdum minus conspicuis, quamquam scriptorum arbitrio in his multum concedendum sit. Quod Langius autem etiam *genitivum* in formula *mihi est nomen* poni posse censet, falsum est; quo enim unico exemplo ad id probandum utuntur, Plaut. Amphitr. Prol. vs. 19. *nomen Mercurii est mihi*, corruptum est, scribendumque *Mercurio*, ut poscit loquendi usus, recta ratione nisus. Nam quum genitivus significet id, unde aliquid desumptum est, isto casu nequit nomen efferri, quod quis revera habet. Alia res est, si cui ex abstracto vocabulo nomen fit; quominus enim dicatur *huic ex virtute Iusti cognomen fuit*, nihil impedit. — De *ex* praepositione caussam significante v. notata ad Cat. XII, 2. p. 63. — De copula, qua *multum* cum adiectivo alio iungitur, v. ad Iug. CII, 10. — *Rei militaris facinora* pro *militaria fac.* eodem modo dictum est, ut apud Cic. p. Mur. c. 10, 22. *rei militaris virtus*. Cort. Recte; sed h. l. Sallustius circumscriptione propterea uti maluit, ne adiectiva nimis cumularentur. — De *Syphace* v. Liv. XXIV, 48 sqq. XXX, 11 sqq. et c. 44 sqq. Appian. Punic. p. 14. ed. H. Steph.

magnum atque late imperium valuit] Quam Cortius praeiverat sententiam, adiectivum cum adverbio h. l. coniunctum haberi, Muellerus et Gerlachius fideliter repetivere, verba interpretati *magnum fuit atque late patuit*. Sed ad tam perversam rationem stabilien-

cumque urbis et agros manu ceperat regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta

dam nihil facit Ciceronis locus ab illis allatus, Epp. ad Famm. XIII, 69, 2. *ut intelligeres me non* *v u l g a r e n e c a m b i t i o s e* *scribere;* cum proposita autem a Gerlachio explicatione non convenit quod addit, dubium esse utrum adiectivum *pro* adverbio positum sit, an *magnum* appositionis vim habeat, quod quale sit non intelligitur. Tenendum potius est, quum accusativo id contineatur, cuius respectu illud fit, quod verbo enunciatur, adiectivorum quoque neutra isto casu posita eam vim habere, ut quo modo vel quo respectu cogitanda sit verbi notio significent. Usu autem factum est, ut talis accusativus, propria potestate plane oblitterata, in meram adverbii, verbum vulgari modo definientis, vim abiret, quae dicendi ratio, apud Graecos usitatissima (v. Aug. Matthiae Gramm. Graec. §. 424. 4, 5. p. 782 sqq. coll. §. 446. p. 833. ed. II.), a Latinis quoque usurpata fuit, quamquam angustioribus finibus coercita, quos poetae tantum et, qui Graecos pressius sequuntur, scriptores excedere ausi sunt. In pedestri oratione quid in usu fuerit satis diligenter complexus est Zumptius in Gramm. Lat. §. 62, 6. p. 228. ed. IV. coll. §. 71, 1. not. 1. p. 309. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 152. e. p. 302. Ruhnken. ad Ter. Eun. II, 3, 51. *Illa sese interea* *c o m m o d u m* *huc advorterat.* Phorm. IV, 3. 9. *Multum* simili modo positum illustravimus ad Catil. XXVII, 4. et ad Iug. I, 5. cf. Ruhnken. ad Ter. Hec. III, 5, 10. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 147. Tacit. Ann. III, 26, in. *Dominationes multos apud populos* *a e t e r n u m* *mansere.* ibid. IV, 60, med. *Tiberius* *f a l s u m* *renitens vultu.* VI, 37, in. *Nunciavere accolae Euphratem* *s p o n t e e t i m m e n s u m* *attolli.* Plaut. Mil. Glor. III, 2, 9. *P. An dormit Sceledrus intus? — I. Non naso quidem; nam eo* *m a g n u m* *clamat.* Gell. V, 9, extr. *Repente* *m a g n u m* *inclamavit.* Virg. Georg. III, 28. *M a g n u m* *que fluentem Nilum.* cf. Iul. Rufin XXXIX. p. 261. ed. Ruhnk. Vechner. Hellenol. p. 209 sqq. ed. Heusing. His igitur comparatis nemini potest obscurum esse quo modo *magnum* apud Sall capiendum sit; quem si quis statuat in isto vocabulo ad Graecam magis quam ad Latinam dicendi consuetudinem se composuisse, non repugno, modo teneatur nihil insolentiae neque h. l. neque apud Ciceronem in adverbii vi varie declarata inesse, quae orationis variatio non maior est, quam si, ubi duo ablativi instrumenti requiruntur, alterius loco accus. cum *per* praepos. ponitur, velut Iug. VII, 1. *Neque* *p e r v i m* *neque* *i n s i d i i s* *opprimi posse hominem.*

nobis permansit; imperi vitaeque eius finis idem fuit. Deinde Micipsa filius regnum solus obtinuit, Masta- 6

§. 5. *imperi vitaeque eius finis idem fuit*] In plerisque codd. est *s e d imp.;* in Fabric. 2. tamen *s e d e t imp.* Particulam adversativam non habet Gueif. 3. et Tegerns. eamque Cortius omisit. Quod quamquam exigua librorum auctoritate nititur, tamen verum videri debet, quum adversandi particulae nullus in tali sententiarum nexu locus sit. Nam quum verba *imperi — idem fuit* eam vim habeant, ut antegressa explicent et confirment, ad istam rationem indicandam potius explicativa quam adversativa particula opus erat. Sed Sallustium inter eiusmodi enunciationes particulam saepe omittere, sententiae vim satis esse ratum ad nexum prodendum, demonstravimus ad Catil. XVII, 4. p 84. et ad c. XXXIX, 4. p. 184. coll. Iug. XXVIII, 5. Perperam igitur Gerlachius *sed* retinuit, inanibus verbis id commendans, tanquam *ex more Sallustii* positum, qui quidem mos qualis sit ex Catil. LV, 4., quem locum affert, non cognoscitur, neque eum Gerlachius, quippe qui nullus sit, potuit cognitum habere. Improbandum etiam quod Muellerus scripsit *e t imp.*, quamquam id linguae non repugnat; *et* enim explicativis sententiis nectendis adhiberi ostendimus ad Catil. XIX, 2 p. 92. et XX, 17. p. 104 sq. cf. ad Iug. XVIII, 6. Ceterum recte monuerunt Langius, Muellerus et Gerlachius sensum loci esse: imperium Masinissae datum ei non ereptum vel imminutum a Romanis fuit, sed in perpetua ille usque ad vitae finem gratia permansit. Quod Cortius enim vult, Sallustium hoc dicere: imperium *in donatas urbes atque agros* non translatum esse ad filios, sed cum vita Masinissae desiisse, Syphacis regno in provinciae formam redacto, id neque in verbis inest, et obstant sequentia pariter atque diserta scriptorum testimonia. cf. Epit. Livii lib. L. Appian. Punice. p 64. B. ed. H. Steph. Iam quae antecedentium verborum sententia sit non est obscurum; nam quum coniunctis *boni et honesti* vocabulis significetur quicquid in suo genere rectum, incorruptum et laudabile est, sequitur sensum hunc esse: Masinissae amicitia, qua cum populo Romano iunctus fuit, *nunquam turbata est*, multisque utrinque officiis et egregia fide culta. Errat igitur Gerlachius, aliam h. l. horum vocabulorum vim esse censens, atque ceteris locis, velut Iug. VIII, 1. XXIX, 2. LXXXV, 49. neque ferenda eius sententia, *bonum esse utile, honestum* autem dici *quod honori sit;* quasi vero Sallustius hoc dixerit: laudi fuisse Romanis amicitiam, quam propter Masinissae virtutem cum eo inierint, nulla sui ipsorum commodi ratione habita. Non melius Muellerus *honesta* interpretatur *i p s i honorifica.*

7 nabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque, Mastanabalis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum dereliquerat, eodem cultu quo liberos suos domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit, sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cur-

§. 6. *deinde*] Ita plurimi optimique libri; sed Rem. 1. Guelf. 11. Merseb. Riv. Berol. 2. *dehinc;* in Fabric. autem 1. et 2. Vrat. 1. Guelf. 1. Rem. 2. et in codd. Rivii est *dein*, quod Cortius et post eum omnes reliqui receperunt. Nobis in eiusmodi rebus codd. auctoritatem plurimum valere declaravimus ad Cat. XXXII, 1.

§. 7. *Dereliquerat*, ut primi edidimus, non solum in codd. optimae notae Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Guelf. 5. et Leid. L., sed etiam in Fabr. 2. Rem. 1. 2. Acad. Inc. 2 Struv. Vratisl. 1. 3. Guelf. 3. 6. 7. 10. Leid. D. E. G. I. et Misn. legitur, quodammodo accedentibus Guelf. 2. 12. et Leid. K., qui habent *deliquerat;* in reliquis omnibus est *reliquerat.* Sed compositum praeter graviorem codd. auctoritatem etiam propter sensum multo commodiorem praeferendum. Nam quum verba cum *de* praepositione coniuncta vim simplicibus maiorem accipiant, ut ostendimus ad Catil. XXV, 3. p. 121., in promptu est contemptus et negligentiae notionem, ita verbo additam, mirifice loci sententiae convenire. cf. Cic. Brut. 4, 16. *Seremus aliquid tanquam in inculto et derelicto solo;* ad quem locum Ellendtius apposite comparavit de N. D. I, 5, 11. *Res desertae ac derelictae.* Liv. XXXIX, 50, 5. *Vacua praeter spem ingressi castra, quae derelicta inter nocturnam trepidationem erant, diripuerunt.* Quae exempla, opinor, ostendunt nostram explicationem quam Doederlini esse veriorem, qui in Synonymm. Latt. Vol. III. p. 290. *derelinquere* cum aliqua *vituperationis* significatione dici censet, cuius vim in vernacula vox *leider!* orationi intericcta exprimere valeat. *Cultus* quid complectatur dictum ad Catil. XLVIII, 2. p. 220. — De *habere* verbo v. ad Catil.

su cum aequalibus certare, et quum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse; ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurumum facere et minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Mici- 2
psa tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Iugurthae regno suo gloriae fore, tamen, postquam hominem adulescentem exacta sua aetate et parvis liberis magis magisque crescere intellegit, vehementer eo negotio permotus multa cum animo suo vol-

XI, 5. p. 59. — *Domi* brevius dictum significat *in domum suam ascitum.*

VI. §. 1. *luxu*] Hanc dativi formam praebent Naz. Commel. Fabric. 1. 2. Guelf. 5. Teg. praeterea codd. Riv. Vratisl. 2. Guelf. 9. Leid. C. M. Eam unice probasse Iul. Caesarem in libris de Analogia auctor est Gell. IV, 16. extr. Cortius comparavit Planc. apud Cicer. in Epp. ad Famm. X, 24, 6. ib. XIII, 71, extr. Caes. B. G. VI, 42. Adde Oudendorp. ad I, 16, 5. Drakenb. ad Liv. IV, 1, 10. XXIV, 19, 6. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 17, 58. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 332 sq. Apud Nostrum eadem forma etiam habetur Iug. XXXII, 2. XXXIX, 2. — *Quum* h. l. significare *quamquam* dictum ad Catil. XXXVI, 4. p. 167. — *In primis* h. l. recte divisim scribi docuimus ad Catil. LX, 6. p. 322. — *Et* ante *minumum* omnes codd. tenent, praeter Struv. quem secutus Cortius copulam eiecit; retinuit in textu maioris ed. Gerlachius; tum quia Vatic. 3. quoque et Neapol. 1. ignorant, in Commentt. p. 223. deletam vult; denique in ed. minore rursus defendit, quod sane verum putamus, in tanto paene omnium codd. consensu.

§. 2. *et parvis liberis*] Eandem ob caussam hic quoque *et* revocavimus, quod Cortius, quia ab Struv. et duobus Wassii abest, delevit. Neque Gerlachium moramur, qui in mai. ed. quidem reliquit, sed quum postea cognovisset non esse in cod. Eichhof. et Med. 2. cui secunda manus *ac* superscripsit, pro solita inconstantia sua in Commentt. p. 223. abiiciendum iudicat, ac nihilominus in minore ed. ad vulgatam redit. — *Intellegit* Cortius recte scripsit pro vulga-

3 vebat. Terrebat eum natura mortalium avida imperi et praeceps ad explendam animi cupidinem, praeterea opportunitas suae liberorumque aetatis, quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit, ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa, ex quibus,

to *intelligit;* illud praebent probatissimi libri Bas. 1. Fabr. 1. Senat. 1. Paris. b. c. x. z. Berol. 2. Misn. Eccard. Guelf. 6. v. ad Catil. XXVIII, 1. p. 130. Iug. XXI, 1. — Statim post *eo* ante *negotio* restituimus, quod non solum orationis perspicuitas et gravitas postulat, sed etiam summus codd. consensus. Temere enim Cortius unum Guelf. 4. secutus pronomen expunxit. — *Volvere* de difficili et diuturna deliberatione dicitur; cf. c. CVIII, 3. Similis est usus verbi *trahere;* v. ad LXXXIV, 4. De *cum* praepositione cf. notata ad c. XI, 8.

§. 3. *terrebat eum*] *Eum*, pro quo in solo Guelf. 2. a pr. m. legitur *enim*, Cortius omnibus libris invitis eiecit. — De potestate et structura *praeceps* vocabuli v. ad Catil. XXXVII, 4. p. 172. — *Suae liberorumque* omnes fere libri habent; Rivius tamen ex aliquot suis edidit *suaeque et liberorum*, quae scriptura, quam incertum est num Teg. et Leidd. A. B. C. F. G. N confirment, in omnes edd. transiit. Sed quum optimi plurimique libri in recepta lectione consentiant, tam exigua discrepantium auctoritas eam non potest infringere. Neque alicuius momenti est, quod tres Cortii codd. exhibent *liberorum suaeque aetatis*, aut quod in Bas. 1 ac Med 8. 11. sine ulla copula exstat *suae*, *liberorum aetatis.* Quam posteriorem rationem quomodo Gerlachius propterea ferri posse putaverit, *quod plura in hoc capite insint, a vulgari dicendi usu aliena*, nemo facile intelliget. — *Mediocris* h. l. est: non supra *vulgarem* modum nitens, modica rerum condicione contentus; quod quanquam non multum differt a notione *modesti*, tamen non plane est idem, ut volunt interpretes; cf. c. VIII, 1. *Iugurthae non mediocrem animum accendebant.* — *Transvorsos agit* i. e. a recta avertit et in pravum abstrahit. cf. c. XIV, 20. *vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae parum cognita transvorsos agat.* Cato apud Gell. VII, 3. *Secundae res laetitia transvorsos trudere solent a recte consulendo atque intelligendo.* Seneca Ep. CVIII. *in praecipitia cursus iste deducit — deinde ne resistere quidem licet, quum coepit transvorsos agere felicitas.* Corr.

si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur anxius erat.

VII. His difficultatibus circumventus ubi videt neque per vim neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu

in Iugurtham accensa] Vin. 2. Acad. Inc. 2. Vratisl. 3. Guelf. 6. et 11. *in Iugurtha accensa*, quod verum videri possit, quum eo modo dictum sit, quem multis illustravimus ad Catil. IX, 2. p. 46 sqq., praesertim quum in simili re eadem constructione usus sit Terentius Eun. III, 5, 19. *In hac commotus sum.* Sed si reputaveris ablativum codicibus haud magnae fidei deberi, non erit cur in vulgata offendas, quam confirmat Tacitus, iisdem verbis usus, ut ad Sallustium respexisse videri queat, Annall. III, 4. med. *Nihil Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam.* Orta autem scripturae discrepantia ex lineola super *a* litteram deleta. — *Dolis interfecisset* optime habet, quamquam *dolis* a Cortio eiectum est, non solum quia ab Guelf. 4. et Vratisl. 2. abest, sed etiam quia dolis callide factis non necesse fuerit seditionem oriri, et quia talis sane dolus fuerit Iugurthae in Hispaniam missio. Sed Langius recte monuit, hunc dolum talem fuisse, qui sine consciis patrandus omni periculo careret; omninoque errant, qui putant *dolis interficere* i. esse q. clam et ignaris omnibus interficere, quum potius sit insidiis structis caedisque ministris subornatis aut percussoribus immissis aliquem tollere, quod quam facile notescere possit etiamsi ab initio occultatum fuerit, quivis intelliget.

VII. §. 1. *circumventus*] *Circumvenire*, quod ad Catil. XXXI, 9. p. 149. docuimus de iis dici, qui aliquem insidiis opprimunt, h. l. cognata, sed aliquanto leviore vi positum significat *implicare* vel *impedire*. — De variata eiusdem sententiae structura (*neque per vim neque insidiis*), quam breviter tetigimus ad c. V, 4., Cortius multa tum ad h. l. tum ad Catil. c. XVII, 6. et ad XXV, 2. contulit. cf. Walch. Emendd. Livv. p. 78. eundemque ad Tac. Agricol. c. V. p. 147. et ad IX. p. 174. ubi v. etiam Hertel. Plura quam hi omnes habet Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 39, 10. Noster Iug. LXXXIV, 1. *Dictitare alia, magnifica pro se, et illis dolentia.* Ceterum verbis *opprimi non posse* non significatur *frustra* vi aut insidiis petitum esse Iugurtham, sed his artibus Mi-

promptus et appetens gloriae militaris, statuit eum
2 obiectare periculis et eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Micipsa quum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentando virtutem vel hostium saevitia facile eum occasurum, praefecit Numidis, quos in Hispaniam mitte-

cipsae plane *abstinendum fuisse*, propter magnam Iugurthae apud populares caritatem. — De ratione verborum *quod erat — gl. militaris* recte monuit Cortius, quod iam Servius ad Virg. Aen. X, 104. observaverat, Latinos saepe eas enunciationes, quibus cur aliquid fiat vel factum sit explicetur, iis praemittere, quibus factum ipsum continetur. cf. Cat. XI, 2. XV, 2. XVII, 7. LIX, 4. et 6. Iug. XX, 5. XXV, 5. XXXIX, 5. LXI, 4. Caes. B. C. I, 42, 1. Liv. I, 46, 1. Tac. Ann. XIII, 16, in. — Pro *periculis* codd. Fabr. 1. Franc. Guelf. 3. et 6. *periclis*, quod si plures ex melioribus praeberent, non spernendum ducerem, quum non improbabile sit *u* brevis syncopen, frequentem in vulgari vitae communis lingua (cf. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. I, 1. p. 172 sq.) interdum etiam a pedestris orationis scriptoribus retentam fuisse; v. Cort. ad h. l. Fr. Heusing. ad Cic. de Off. I, 35, 11. Goerenz. ad Acadd. II, 34, 108. p. 197.

§. 2. *bello Numantino*] De eo cf. Liv. Epit. LVII. et LIX. Flor. II, 17. et 18. Vell. II, 4 sq. Appian. Hisp. p. 285 sqq. et 302 sqq. ed. H. Steph. Plura notavit Car. Beier. ad Cic. de Off. I, 11, 35. p. 81. — *O s t e n t a n d o virtutem* quomodo sensu differat ab *ostentanda virtute* diximus ad Catil. IV, 1. p. 23 sq. cf. Iug. LXVI, 6. *Civitatis formidine aut o s t e n t a n d o p r a e m i a affectari.* LXXXV, 21. *Maiorum fortia f a c t a m e m o r a n d o clariores sese putant.* Fragm. Hist. II, 40. Gerl. *Adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem d e c l i n a n d o.* Non possumus igitur assentiri G. Ludov. Walchio ad Tac. Agricol. c. IX. p. 174. statuenti istam structuram eo tantum ab altera differre, quod antiquior sit. — *Saevitia* non est *crudelitate*, sed eodem fere modo ut *ferocia*, quod illustravimus ad Catil. XI, 5. et LXI, 4., de virtute militari eorum dicitur, qui ad extrema audenda et experiunda parati sunt. Cortius comparavit Virg. Aen. XI, 910. *Et s a e v u m Aeneam agnovit Turnus in armis.* — *Eum occasurum* non sollicitan

bat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. 3
Nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, 4
ubi naturam P. Scipionis, qui tunc Romanis impera-
tor erat, et morem hostium cognovit, multo labore
multaque cura, praeterea modestissume parendo et
saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem

dum; Cortius enim pronomen fide codd. Guelff. 4. 7. 6. 10. eiecerat. Quod quum Gerlachius quoque, qui in textu reliquerat, a Neap. 2. Med 1. 2. 11. Ven. 1. 2. Barb. 5. et Vat. 1. abesse vidisset, in Commentt. p. 224. tot librorum consensui cedendum putavit, quamquam eius consensus in ed. minore prorsus immemor. Nos vero cedimus auctoritati *optimorum* codd. Commel. Nazar. Bas. 1. Fabric. 1. Senat. 1. Teg. Leid. L. et relicuis plurimis, quos cur multo deterioribus Italis posthabeamus nulla caussa est. Neque suspicionem inserti a librariis pronominis movere potest quod in Guelf. 5. Fabric. 2. Med. 5. Min. 2. Vat. 6. *eum* post *occasurum* legitur, quae vel negligentia est, vel levis interpolatio librariorum, pronomen commodius ad sequens verbum referri posse putantium.

§. 4. *ut erat impigro ingenio*] De vi et usu *ut* particulae v. notata ad Catil. XXXI, 7. p. 146. — *Tunc* cur scripserimus pro *tum*, patet ex iis quae diximus ad c. V, 1. Codd. num assentiant incertum est, quum editores nihil notaverint; sed Par. 6. et Misn. *tunc* habent. — *Romanis imperator erat* non solum optimorum ac plurimorum codd. sed etiam Arus. Messi v. *imperator* (Gramm. Lat. Vol. I. p. 237. ed. Lindemann.) nititur testimonio. In structura offendentes alii scripserunt *Romanus*, alii *imperitabat*, quae interpolationem olent. Parum accurate autem Gerlachius Vol. II. P. I. p. 224. „dativus, inquit, apud historicos frequens, *maxime* quum *verbum* dativum regit." Dativus enim nunquam non a verbo aptus est, non ponendus, nisi ubi id quod verbo enunciatur ita cogitari potest, ut ad aliquam rem ea ratione pertineat, quam grammatici commodi vel incommodi vocabulo significant v. Goerenz. ad Cic. de Finn. II, 9, 27. p. 161 sq. F. A. Wolf. ad Cic. de N. D. I. §. 9. coll. iis quae monuimus ad Catil. XXXII, 1. et XL, 3. p. 188. v. infra c. XIV, 24. XXXV, 4. LV, 8. LIX, 1. — *Erat* non est in Guelf. 9. 10. Vrat. 3. Leid. D. II. Bern. 1.; pro eo Sen. 2. habet *fuit*; Leid. K. et L. *praeerat*. Sed quum praeter ceteros etiam Aru-

brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Nu-
5 mantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod dif-
ficillumum in primis est, et proelio strenuus erat et
bonus consilio, quorum alterum ex providentia timo-
rem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerum-
6 que solet. Igitur imperator omnis fere res asperas

sianus l. l. habeat, Gerlachius, in eo expellendo Cortium olim secutus, in novissima ed. merito vulgatam restituit.

§. 5. *difficillumum in primis*] *Imprimis* Gerlachius notavit contra morem cum superlativo iunctum esse; geminum tamen exemplum attulit ex Cic. in Verr. III, 27, 68. *Itaque homini in primis improbissimo respondent.* Sed valde errat V. D. *in primis* pro *adverbio* habens, quo superlativi vis augeatur; nam quae voces superlativo augendo addi solent, ita differunt, ut *multo* ac *longe* significent *quantum* id, quod summum est, a relicuis rebus e quibus eminere dicitur *distet*, *quam* vero et *vel* eminentiae notionem non per se augeant, sed ad cuiusque iudicium et opinionem referant. Superlativi autem absolute et sine relatione positi nulla gradatio esse potest; nam ineptum foret, id quod per se *optimum* vel *gravissimum* dicitur, *valde* vel *admodum optimum* dicere. Quod nonnulli autem volunt *maxime* superlativo addi, velut Ger. I. Voss. de Construct. c. XVII. p. 385. Ruddiman. Institt. Gramm. T. II. p. 306. Drakenb. ad Liv. XLI, 23, 6. Ernesti in Clav. Cic. v. *tam*, Ramshorn. Gramm. Lat. §. 156, 3. a. p. 320., id dudum explosum est a summo Ruhnkenio ad Vell. II, 27, 1. Nam quae eius structurae afferunt exempla, Cic. in Verr. II, 66, 160. *Taurominitani, qui maxime ab iniuriis nostrorum magistratuum remotissimi consuerant esse*, Liv. l. l. *Ego maxime gravissimam (rem) agi arbitror*, Colum. IX, 8. *Apis, si saevior, maxime pessima*, — haec, et si quae alia sunt, vel male scripta vel parum accurate edita habentur; corruptis autem probatorum scriptorum exemplis non meliora sunt petita ex iis, qui barbara oratione utuntur. Quare quum superlativi vis, praeter voces supra dictas, quarum peculiaris ratio est, nullo adverbio augeri possit, sequitur etiam *imprimis* talis adverbii vices sustinere non posse. Neque sustinet, modo teneas non *imprimis* adverbium, sed *in primis* substantivi potestate hic haberi, de quo dictionis discrimine v. ad Cat. LX, 6.

per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti; quippe cuius neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc 7 accedebat munificentia animi et ingeni sollertia, quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

Sensus est igitur: *quod inter ea, quae prima (i. e. gravia) sunt difficillimum est*, quae ratio superlativi augendi non diversa est ab genitivo *difficillimum omnium*, in quo nemo adverbii vim quaeret. — *Et* geminatum valet *non solum — sed etiam*; v. ad Catil. XXII, 3. p. 111. et Handium de Particc. Latt. Vol. II. p. 524 sqq. — *Strenuus* dictum de impigra agendi alacritate, v. Bremi ad Nep. Datam. I, 3. et Doederlin. Synonym. Latt. T. II. n. 49, 8. 9. p. 128 sq. — *Bonus*, ubi ablativum adiunctum habet quo definitur, praegnanti sensu est i. q. *eximius, praestans*; cf. Cort. ad c. XIII, 1. ubi affert Tacit. Ann. I, 3, in. *Agrippam bonum militia geminatis consnlatibus extulit.* v. Drakenb. ad Liv. IV, 2, 2. *Sic pace bonos, sic bello fieri.* ibid. c. 3, 16. *Vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus.* — *Ex* i. q. *propter*, v. ad Catil. XII, 2. et Hand. de Particc. II. p. 635. §. 40. Ceterum haec verba, *quorum alterum — solet*, addita sunt ad caussam explicandam, cur *difficillimum* sit et proelio strenuum esse et bonum consilio. Praeterea notandum priorem explicationis partem referri ad posterius explicandae sententiae vocabulum, quod autem in antegressis prius dictum erat, ei respondere in sequentibus posterius enunciatum; de qua sententiarum disponendarum ratione, quem chiasmum grammatici vocant, v. quae diximus ad Catil. LXI, 9. p. 326.

§. 6. *magisque eum in dies*] Pronomen revocavimus, eiectum a Cortio et Gerlachio, quum in Fabric. 1. 2. Struv. Franc. et Vratisl. 2. desit; sed reliquis id tenentibus omnibus, tam paucorum dissensus non sufficit ad id, quod per se ferri potest, in suspicionem vocandum. — De *quippe qui* c. indic. v. notata ad Catil. XLVIII, 2. p. 219. — *Frustra esse* eo modo dictum quem illustravimus ad Cat. LVIII. 9. p. 306 sq. et ad Iug. XIV, 11. cf. c. LXI, 1. LXIII, 2. LXXI, 5. LXXIII, 7. LXXXV, 6. XCIII, 1. et 26. CXII, 2. Tac. Ann. I, 72, 2. *Dicta impune erant.* Praeterea v. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 747. — De vocabulo *animi* cum *munificentia*

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi domi, potentes apud socios, clari magis quam honesti, qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperi Numi-

coniuncto v. ad Cat. LVIII, 2. p. 304. — *Quis rebus* est in codd. Vrat. 1. Sen. 1. Guelf. 1. 2. Palat. 1. 2. Berol. 2. Leid. N. relicui tenent *quibus*, quod librariis in proclivi fuit ponere pro *quis*, sed non contra. cf. Iug. XIII, 6. XXV, 4, XXXI, 3. LXXX, 5.

VIII. §. 1. *complures*] Struv. Guelf. 10. Vrat. 2. *quam plures*, quam formam damnavimus ad Cat. XIX, 2. p. 92. cf. Ephemerr. rei schol. a. 1829. II. No. 130. p. 1070. — In sequentibus interpunctionem a Muellero propositam secuti sumus; vulgo editur *factiosi, domi potentes, apud socios clari m. q. h.*, quod non solum verbis, sed etiam sententiis valde inconcinnum est. Nam praeterquam quod oppositorum ratio plane turbatur, paene ineptum est istos homines a p u d s o c i o s tantum *claros magis quam honestos* dici, quum luce clarius sit, Sallustium in universum de eorum ingenio et moribus iudicium tulisse. Tales iisdem fere verbis notavit Liv. VIII, 27, 6. *Quidam pretio asciti, c l a r i magis inter populares quam h o n e s t i*, et Tacit. Hist. II, 10, in. *Vibius Crispus, inter c l a r o s magis quam inter b o n o s.* Cort. — *Non mediocrem animum* quomodo intelligendum sit patebit ex dictis ad c. VI, 3. coll. cum notatis Catil. III, 1. — Pro *pollicitando* pauci tenent *pollicendo*, quod cur minus sententiae conveniat declaravimus ad Catil. XXXVIII, 1. p. 177. cf. Iug. XVI, 3. — De orationis obliquae ratione, sensu ex verbo *accendebant* pendentis, cf. quae disputavimus ad Catil. XXI, 3. p. 106. cf. Iug. c. XIV, 20. XVII, 3. XXXVIII, 2. LXXVII, 1. LXXXII, 3. LXXXVIII, 5. — *Imperii* habet Sen. 2. Fabr. 2. Heus. Inc. 2. Palat. 2. Bas. 1. Tur. 1.; in relicuis librarii ad no iorem ablativi structuram prolapsi sunt. Genitivum exemplis defendimus ad Cat. XLVII, 2. p. 215. Orationem ἀσύνδετον, particula caussali et ante verba *in ipso* etc. et §. 2. ante *periculose a paucis* etc. omissa, tetigimus ad Catil. XXXIX, 4. p. 184. — De vi locutionis, qua aliquid *in aliquo esse* vel *alicui inesse* dicitur, v. ad Catil. XVII, 2. p. 82.

diae potiretur; in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse. Sed postquam Numantia deleta 2
P. Scipio dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit, donatum atque laudatum magnifice pro concione Iugurtham in praetorium abduxit ibique secreto monuit, uti potius publice quam privatim amicitiam

§. 2. *et ipse revorti*] *Et* Cortius imprudenter unius Guelf. 11. ope expulit, Bipontt. et Muellero temere obsequentibus. — *Abduxit* est in Fabric. 1. Acad. Paris. C. Berol. 2.; reliqui omnes habent *adduxit*, quod huic loco minus convenit, quum *secreta* admonitio publicam *pro concione* laudationem *continuo secuta* multo significantius isto vocabulo declaretur. In concione enim non satis commode omnia, quae res poscebat, dici poterant; propterea *inde abductus* est Iugurtha, eaque abducendi caussa multo gravior est, quam locus quo *adducebatur*. Quam saepe autem in libris manu scriptis confundi soleant verba cum *ad* et *ab* praepositionibus coniuncta, ostendit Cortius ad Catil. L, 4. cf. notata ad Cat. LVII, 1. p. 298. Drakenb. ad Liv. XXVII, 29, 1. et ad I, 57, 8. Nostro loco fere ad amussim respondet Livianus XXX, 14, 3. *Scipioni Laelius et Masinissa supervenerunt; quos quum egregiis laudibus frequenti praetorio celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic alloquitur*, ad q. l. v. iterum Drakenborch. — *Publice* i. e. publicis erga universum populum Romanum officiis; *privatim*, muneribus singulorum gratiam captans, ut Muellerus recte explicavit. Posteriorem Scipionis sententiam sequentia apertius declarant; *largiri* enim invidioso sensu est *pecunia corrumpere*, quomodo etiam *largitionis* vocabulum usurpatur, cf. infra c. XV, 1. et §. 5. CIII, 6. — Pro *neu quibus* Bipontini vitiose scripserunt *nec quibus*, quod est in Guelf. 5. Fabr. 2. Rem. 2. Bern. 1.; continuata enim *consilii* significatione, ita ut in negativam sententiam transeat oratio, tantummodo *neu* vel *neve* poni posse satis ostendimus ad Catil. XXXIV, 2. p. 158. Adde F. A. Wolf. ad Tac. Ann. I, 35, med. — Verba *quod multorum esset* quum tecte spectent ad maiestatem et auctoritatem senatus populique Romani, hunc sensum habent: id, cuius deferendi ac tribuendi potestas penes universum populum esset. — *Illi venturum. Venire* alicui eae res dicuntur, quae non exspectatae neque quaesitae alicui obveniunt et contingunt. Cortius supra ad c.

populi Romani coleret neu quibus largiri insuesceret; periculose a paucis emi, quod multorum esset. Si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum; sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia praecipitem casurum.

IX. Sic locutus cum litteris eum, quas Mi-

IV, 4. comparavit Plaut. Captt. III, 4, 18. *Et illic i s t i qui sputatur morbus interdum v e n i t.* Cic. in Verr. II, 14, 35. *H u i c hereditas v e n i t testamento propinqui sui.* cf. Drakenborch. ad Liv. IX, 12, 1. et ad XLIV, 17, 7. Scheller. in Lex. ampl. p. 12125, sq. — Pro *venturum*, quod omnes codd. tenent, Perizon. ad Sanct. Min. IV, 10. T. II. p. 371. ed. Bau. coniecit scribendum esse *ventura*, huius scripturae vestigium reperisse sibi visus in cod. Daventriensi, in quo *venturam* exaratum est. Sed vulgata non sollicitanda; v. ad Catil. X, 2. p. 52. — *Illi*, quo pronomine significatur is, ad quem dirigitur eius, quem loquentem inducit auctor, oratio, insolentius dictum est pro *ei*, ut infra c. CXI, 1. *quem si Romanis tradidisset* (ita Sulla dicit Boccho) *fore uti i l l i* (Boccho) *plurimum deberetur.* c. LXIV, 2. Eius rei caussa in eo sita, quod auctor suam ipsius personam in eius, quem loquentem facit, locum substituit; a qua negligentia ut h. l. pronominis mutatio proficiscitur, ita eadem aliis locis modi subiunctivi in indicativum mutati caussa est. cf. ad c. LXIII, 1. et ad Catil. XIV, 7. p. 73 sq. Neque alienum fuerit contulisse, quae de cognato *ille* pronominis usu annotavimus ad c. LVI, 4. — *Sin properantius pergeret* non est, ut Gerlachius interpretatur, si consilia *nimis maturaret*, sed potius: si *inconsultius* ad id, quod vellet, contenderet. — *Suamet ipsum pecunia*, quae structura multis librariis offensionem praebuit, optimis sustentatur codd. Guelf. 5. Sen. 1. Leid. L. Nazar. Fabr. 1. Bas. 1. multisque aliis; eam vindicavimus ad Cat. XXIII, 2. p. 112 sq. cf. Gronov. ad Liv. II, 29, 5. ubi scribendum *suismet ipsi corporibus.* ibid. II, 9, 5. Tacit. Ann. III, 66, extr. Historr. III, 16, extr. Plura contulit Gahbler in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. IV. p. 389.

IX. 1. 2. *cum litteris eum*] *Eum*, quod in Guelf. 5. et Fabr. 2. deest, et in Vin. 2. Franc. Guelf. 11. Vrat. 2. locum mutat, Cortius eo delevit. Gerlachius in textu ed. maioris retinuit, in Commentt. vero p. 225., cognito etiam ab Ven. 3. id abesse, huius cod. auctori-

cipsae redderet, dimisit. Earum sententia haec erat:
„Iugurthae tui bello Numantino longe maxuma vir- 2
tus fuit, quam rem tibi certo scio gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est; uti idem senatui et populo Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. En habes virum

tate deletum vult; nihilo secius tamen in ed. minore non delevit. — *Certo scio* pari fere codd. auctoritate firmatur atque *certe scio*, quod Gerlachius in maiore ed. expressit, sed in novissima cum *certo* mutavit. Et sane usitatius dici videtur *certo scio*, quamquam non iam verum putamus discrimen, quod inter *certe* et *certo* intercedere diximus ad Catil. LI, 16. p. 246. Meliora docuit Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 15 sqq., *certo* particula declarari obiectivam veritatem, in re ipsa positam, *certe* vero usurpari ad subiectivam de veritate persuasionem, quae opinione aliqua aut iudicio constat, indicandam. Ut in aliis igitur dictionibus plerumque in aprico est, utra particula poni debeat, ita a scriptoris mente saepe pendet, utrum *certo scio* an *certe scio* dicere velit. — *Ob merita sua* codd. omnibus, praeter Vrat. 2. confirmatur; Cortius *sua* eiecit. — Pro *idem* Bothius coniecit scribendum esse *item*, quod sane commodum iudicarem, si codd. praeberent; cf. ad Catil. XXVII, 2. p. 127. Sed *idem* non solum vitio caret, sed etiam gravius dictum videri possit, eodem praedicato cum vi quadam repetito. — Sequentium verborum vulgatum ordinem reduximus, quem plurimi praestant libri; Cortius ex Guelf. 5. et Fabric. 2. scripserat *Senatui sit et pop. Rom.* Gerlachius vero in ed. minore edidit *Senatui populoque Rom.*, ut est in Paris. z. Einsiedel. Berol. 2. et Goerl. quae dictio ut est multo usitatior, ita non intelligitur, cur scribae in alteram abirent. — *Gratulor* Cortius parum commode interpretatur *gratum habeo tibi talem virum contigisse*, quod sententiarum nexui plane repugnat. Non minus aliena ab h. l. est Muelleri explicatio *laetor tecum*, quocum pariter neque verba *pro nostra am.* neque sequentia conveniunt. Sed optimum sensum habent verba vulgari eoque simplicissimo modo intellecta: quo sumus amico in te animo laetamur de tua felicitate, qui talem virum habeas, laetitiamque nostram tibi testificamur. — De *ex* particula, quae rem monstrat vel praesentem et ante oculos positam, vel in animi cogitatione sitam, v. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 367.

3 dignum te atque avo suo Masinissa." Igitur rex ubi ea quae fama acceperat ex litteris imperatoris ita esse cognovit, quum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iugurtham beneficiis vincere aggressus est, statimque eum adoptavit et testamento
4 pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos morbo atque aetate confectus quum sibi

§. 3. *ubi ea*] Ita omnes libri, nisi quod *ea* ab Vratisl 2. abest, quem Cortius temere secutus est. — *Quum virtute tum gratia viri* pariter omnium codd. auctoritate firmatur; Cortius tamen ex uno Fabric. 2. scripsit *cum virtute viri tum gratia.* Ceterum *gratia* intelligenda est qua florebat apud Romanos. — *Statimque eum adoptavit* edidimus, iterum relicta Cortii scriptura, qui *eum*, quod Guelf. 4. et Vratisl. 3. non habent, omisit. *Que* particula autem non simpliciter annectit sequentia, sed indicat ea consectaria esse ex antegressis ac valet *eoque*; v. ad Catil. III, 5. p. 21. coll. XLVIII, 6. Tacit. Ann. XV, 3, in. *Corbulo bellum habere quam gerere malebat, scripseratque Caesari proprio duce opus esse.* — *Intellegeret*, usitatam Sallustio formam, servarunt codd. Berol. 2. Sen. 1. Guelf. 6. et Eccard. — *Itemque* omnes habent libri praeter Med. 1. Vatic. 6. Bas. 2. 3. quibus fretus Gerlachius copulam, qua isti carent, in Commentt. p. 226. expellendam iudicat, id quod iam antea fecerat Cortius, ne commemorata quidem codd. suorum scriptura. Nullius autem auctoritatis esse tam paucos libros iam significavimus ad Catil. XLVII, 3. p. 217. neque sibi constitit Gerlachius in ed. minore. — *Verba habere* etiam Cicero dixit de Or. II, 47, 196. *Quibus omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor abfuisset.* id. Somn. Scip. 1. *Multis verbis ultro citroque habitis.* cf. Ter. Hec. III, 3, 21. Liv. X, 24, 4. Tac. Ann. II, 50, 3.

X. §. 1. *Parvum ego te, Iugurtha*] Cortius et Gerlach. mutato verborum ordine vulgato scripserunt *parv. ego, Iug., te*, ut sane est in multis codd. Sed quum paullo durior sit vocativi inter duo pronomina collocatio, non discedendum videbatur a vulgata, quam praeter multorum codd. numerum tuetur imprimis antiquissimi Vat. A. auctoritas et Donati ad Terent. Andr. I, 1, 8. testimonium. Vocum transpositio eo orta videtur, quod *te* iam mature in aliquo cod. errore omissum, ut sane deest in Einsiedel., ac deinde versui superscriptum,

finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis, itemque Adherbale et Hiempsale filiis, dicitur huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse.

X. Parvum ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus in meum regnum accepi, existumans non minus me tibi quam si genuissem ob beneficia carum fore; neque ea res falsum me habuit.

postea alieno loco in textum illatum est. — *Spes* et *opes* eodem sensu dictum, ut alias *opes* et *res* coniunguntur, de qua dictione v. ad Cat. XX, 13. — *In meum regnum accepi.* *Accipere* non eo sensu intelligendum, quo vulgo valet *res oblatas non reiicere,* sed propria vocis vi est *ad se capere*, i. e. recipere vel suscipere. cf. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. VII, 30, 4. *Ne nos in amicitiam accipiamur.* Cic. Epp. ad Attic. II, 22. *Numestium libenter accepi in amicitiam.* Drakenb. ad IV, 3, 14. *Claudiam gentem in civitatem accepimus.* v. etiam Forcellini Lex. Lat. ed. Germ. p. 27. Ceterum verba *in regnum accepi* non spectant ad c. V, 7. *Iugurtham eodem cultu, quo liberos suos domi habuit*, sed intelligenda sunt de *consortione imperii*, qua Micipsa Iugurtham simul cum filiis, ipso mortuo, uti voluit. cf. c. XI, 6. *Ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse.* XXII, 2. *Ob easdem artis in regnum adoptatum esse.* Tacit. Ann. II, 4, 1. Liv. XXXVII, 25, 11.

non minus me tibi quam si genuissem ob beneficia carum fore] In omnibus codd. post *quam* additum legitur *liberis*, quod sententia loci postulante eiicere non dubitavimus, idem iam Ursino et Ciacconio suadentibus. Nam quod Gerlachius dicit Micipsam tunc, quum Iugurtham in domum reciperet, liberos nondum habuisse, id neque ex c. V, 7. probari potest, quae verba potius eo ducunt Micipsae liberos iam fuisse (*Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque eodem cultu, quo liberos suos habuit*) neque omnino ad rem pertinet. Hoc enim vult Micipsa, *beneficia* sua apud Iugurtham non minorem vim habere debere, quam *naturae vincula*, quod ita dixit *quam si* (te) *genuissem;* multoque gravius est hanc naturae coniunctionem ad ipsum Iugurtham dirigi, quam ad liberos. Interpolationis caussa haud recondita; nam quum librarii oppositas sententias *si genuissem* et *ob beneficia* non caperent, sed *tibi* vocabulo alterum op-

2 Nam, ut alia magna et egregia tua omittam, novis-

poni debere censerent, verbis *si genuissem* facile eo adduci potuerunt, ut *liberis* intruderent. Praeterea non negligendum, si vulgatam retineas, *ob beneficia* etiam ad *liberos* referri debere, quod plane absonum est, quum Micipsa *Iugurthae* tantum respectu beneficia sua memoret. Inde etiam consequitur errare Gruterum et Muellerum, qui locum non sanum quidem putent, sed perinde esse statuant utrum *liberis* an *si genuissem* abiiciatur. — *Falsum me habuit* plerique omnes habent libri; *me* tamen deest in Guelf. 3. 4. 6., ante *falsum* legitur in Med. 4. Vat. 4., post *habuit* in Med. 8. Vat. 1., qua discrepantia confirmari ait Gerlachius Cortii rationem, qui voculam expulit. Nobis istae variationes tales videntur, quae potius scripto a Sallustio pronomine, quam eo omisso oriri potuerint, maxime proclivi ad eiusmodi errores describentium mente. Ad hoc *me* firmatur testimonio Quinctiliani Institt. or. IX, 3, 12. hunc Sall. locum afferentis. — *Falsum habuit* aliquanto gravius dictum esse quam *fefellit* patet ex notatis ad Catil. XXIII, 4. p. 114. cf. Iug. LXXXV, 7. Cortius h. l. comparavit Liv. XXXIX, 29, 9. *Qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant.*

§. 2. *alia magna et egregia tua*] Multi codd. post *tua* additum habent *facinora*, quod Langius quoque repetiit; in aliis *facta* legitur, sed neutrum conspicitur in Vat. A. Bas. 1. Sen. 1. Leid. L. Arond. Mark. *Γ. Δ.* Paris. c. x. z. nonnullisque aliis, quos Cortius recte secutus est. Ex glossa enim utrumque substantivum accessisse non solum ipsius loci ratio et codicum dissensus ostendit, sed etiam varia vocabuli sedes, siquidem *facta* in aliis ante *tua*, in aliis post pronomen habetur. cf. Liv. XXX, 30, 4. *Tibi inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit.* Nep. de Regg. I, 3. *Xerxi maxime est illustre, quod — bellum intulit Graeciae.* id. Thrasyb. III, 3. *Praeclarum hoc quoque Thrasybuli.*

rediens Numantia] *Rediens* Gerlachius vi plusquamperfecti significare putat *quum rediisses*, quod non plane accuratum iudicamus, quamvis plurimi sint, qui praesentis participio praeteritam planeque absolutam actionem significari censeant; cf. Ger. I. Voss. de Analog. IV, 14. p. 233. Drakenb. ad Liv. II, 19, 8. Ruhnken. ad Ter. Eun. II, 2, 3. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 5, 95. Kuehner. ad Cic. Tusc. II, 25, 61. Ramshorn. Grammat. Lat. §. 171. 1. not. 2. a. p. 465. F. A. Wolf. ad Suet. Caes. 20. et 37. Walch. in Emendatt. Livv. p. 82. et ad Tacit. Agricol. c. XXVIII. p. 322. Qui duo posteriores quamquam recte monuerunt inde ortum esse hunc participii praesentis usum.

sume rediens Numantia meque regnumque meum glo-

quod Latina lingua perfecti participiis careat, tamen non negligendum erat non plane ita defectum istum compensari, sed ubique propriam rei nondum absolutae notionem retineri, ut non tam perfecti aut plusquamperfecti, quam imperfecti vim eiusmodi participia sustineant. Ad unum enim omnia exempla docent verbi actionem participio contentam non absolutam cogitari, sed talem, quae usque ad alteram, verbo finito declaratam, pertineat ac duret, id quod recte perspexit Perizon. ad Sanct. Min. I, 15. p. 155. ed. Bau. Sanctius enim quum et multa alia et hoc Plauti attulisset: *Amphitruo cum uxore modo ex hostibus adveniens voluptatem capit*, explicatione addita i. e. *postquam advenit*, Perizonius „*Advenientes*, inquit, dicuntur non illi tantum, qui in itinere sunt, sed et qui iam pervenerunt in locum ad quem tendebant, et *speciem advenientium adhuc retinent.* Eo usque enim se extendit adveniendi significatio." Quare apud Horatium l. l. *Rubos fessi pervenimus*, *utpote longum carpentes iter* non est i. q. Heindorfius vult *emensi*, nam *carpendi itineris* notio non tanquam praegressa cogitatur, sed continuatur usque ad ipsum adventum. Ad nostram explicationem huius dicendi usus stabiliendam insigne est exemplum a Ramshornio l. l. allatum, Valer. Max. V, 2, 8. *C. Marius duas Camertium cohortes mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie civitate donavit*, ubi addita verba *in ipsa acie* clarissime ostendunt sensum non esse *quum sustinuissent*, sed *quum etiamtum sustinerent.* Igitur apud Sall. *rediens* non est *post reditum*, sed *simul cum ipso reditu*, *quum redires.* cf. Vell. II, 72, 4. *Statius Murcus Sext. Pompeium, qui ex Hispania revertens Siciliam armis occupaverat, petit.* quo significatur cum ipso reditu coniunctam fuisse Siciliae occupationem. Cic. Tusc. II, 25, 61. *Solebat narrare Pompeius, se, quum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium;* decessus autem non constat ipso abeundi momento, sed toto itinere ex Syria Romam facto. Liv. XXI, 32, 2. *P. Cornelius ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque descendenti ab Alpibus Hannibali occursurus*, i. e. in ipso in Italiae plana descensu. Tacit. Agric. c. IX. *Revertentem ab legatione legionis D. Vespasianus inter Patricios ascivit.* — *Meque regnumque.* cf. Cat. IX, 3. XXXVI, 4. Iug. XXI, 4. LXXIX. 9. LXXXV, 36. Tacit. Ann. II, 3., quae notare non opus duxissem, nisi viderem Zumptium Gram. Lat. §. 67. 1. not. p. 275. ed. IV. hunc *que* particulae geminatae usum poetis tantum tribuere, quod etiam Walchius ad Tac. Agric.

ria honoravisti tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti; in Hispania nomen familiae renovatum est; postremo, quod difficillumum inter
3 mortalis est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitae facit, per hanc dextram,

c. XLIV. p. 419. praecipit. — *Gloria honoravisti;* cf. Cat. XII, 4. *Domos suas gloria decorabant.* XXXV, 3. *Non dignos homines honore honestatos videbam.* Cort. — Pro *tuaque* Cortius ex Franc. et Guelf. 6., quibus accedit Leid. A., copulam abiecit, quod temere factum. — *Nomen familiae renovatum est* satis multi in iisque optimi libri tuentur; in quattuor et viginti tamen post *familiae* additum legitur *nostrae*, in duobus *meae*, quae merae sunt scribarum glossae. *Est* omittit Fabric. 1. quem Cortius perperam sequitur. — *Nomen* i. e. gloria, praeclara fama; v. Gronov. ad Liv. Praef. §. 3. Herzog. ad Caes. B. G. III, 9. p. 167. v. infra ad c. LVIII, 3. — *Est* post *mortalis* revocavimus auctoritate optimorum librorum Vatic. A. Bas. 1. Commel. Naz. Sen. 1. Leid. L. ac plurimorum aliorum; Cortium, qui propter paucissimos libros omiserat, secutus est Gerlachius in ed. maiore, non item in minore. Recte. Nam in his per se admodum incertis aut id quod optimi plurimique codd. tenent amplectendum est, aut *ubique* ii libri sequendi, qui talia non habent; quae posterior ratio quam lubrica et temeraria sit non est quod moneam. [*ex amicis.* cf. ad Rutil Lup. p. 189. Fr.]

§. 3. *finem vitae*] Hunc verborum ordinem omnes fere libri servant; Cortius tamen, nescio unde, edidit *vitae finem*, quod multas edd. invasit. Quamquam autem postea repertum est a Gerlachio hunc ordinem Vat. A. 3. Ven. 1. ac Med. 5. confirmari, tamen vulgato deterior videtur, quum vis sententiae in vocabulo *finem* insit. — *Te* post *obtestorque* in Vatic. A. Bas. 1. Fabric. 1. Guelf. 5. multisque aliis, etiam Berol. 1. 2. et Misn., additum legitur; alii tamen non habent, quos Cortius et Gerlachius secuti sunt. Nos retinendum putavimus, quum quod haud contemnenda codd. fide nititur, tum maxime quod orationis gravitas et oppositorum ratio flagitare videtur eum, ad quem haec cohortatio spectat, diserte nominari. Nihil enim valet Gerlachii argumentum, *te* a Sallustio omissum esse propter sequens *tibi.* — *Per regni fidem* i. e. per eam fidem, qua esse decet eum, qui regnum obtinet. — Verbis *alienos adiungere* Acad. et Incert. 1. inserunt *tibi*, scribis ignorantibus verba dativum

per regni fidem moneo obtestorque te, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiungere quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque 4
thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos ne-

personae regentia saepissime sine casu poni. Cortius contulit Ter. Adelph. I, 1, 47. *Ille, quem beneficio adiungas, ex animo faciet.* v. notata ad c. I, 3. *Alieni* autem opponuntur *propinquis* ut §. 5. cf. Ruhnken. ad Ter. Heaut. V, 4, 6. Cic. Lael. c. V, 19. Liv. XXIX, 29, 8.

§. 4—6. *non exercitus neque thes.*] De *non* — *neque* particulis v. ad Catil. LII, 6., qui locus etiam respectu sequentium verborum *off. et f. par.*, nulla particula cum antecedentibus sociatorum, conferendus est. Adde notata ad Cat. LVIII, 14. p. 309. — Pro *pariuntur* aliquot libri ex interpretatione *parantur*, quod Cortius recte respuit coll. Liv. VII, 40, 5. *Satis fuit eritque, unde belli decus pariatur*, et Cic. de Off. II, 9, 3. *Haec quibus rebus pariuntur a singulis, iisdem fere a multitudine*, ubi v. Fr. Heusing. Plura contulit Drakenborch. ad Liv. XLII, 11, 9. Ruhnk. ad Ter. Eun. I, 2, 69. — *Tuis hostis* Muellerus satis ieiune ait pro vulgari *tuorum hostis* dictum esse; ad damni enim notionem dativum esse multo significantiorem quis non videt? Cortius ascripsit Plaut. Poen. V, 4, 43. *Sed quis homo est? — Amicus tibi.* Liv. XXVI, 50, 7. 8. Praeterea cf. ad Cat. XL, 3. p. 188. *Hostis* autem cave putes h. l. pro *inimico* dictum esse. Inter quae vocabula quamquam recte ita distinguitur, ut hoc privatas ac verborum, illud publicas et armorum contentiones significet, tamen in gravi oratione *hostis* etiam is vocari potest, cuius odium in aliquem tanta vi erumpit, ut factis non abstineat, in bello tantum committi solitis; cf. Fragm. Hist. I, 19, 15. Cic. de Finn. V, 10, 29. in Verr. II, 24, 58. Doederlini Synon. Lat. Vol. IV. p. 394 sq. — *Equidem ego* ne amplius eo modo explicem, quem ad Cat. LI, 20. p. 248. proposui, permoveor Handii acumine, qui de Particc. Latt. Vol. II. p. 423 sqq, quamquam paullo in me, qui facio eum plurimi, laesi nunquam, iracundior, luculenter docuit *equidem* particulae, quippe ex *quidem* et *e* vocula intendendi ortae, non esse duplicem usum, sed unam vim eamque talem, ut non uni notioni, sed toti sententiae gravem confirmationem addat, ab eius, qui loquatur, iudicio profectam. Valet

que armis cogere neque auro parare queas; officio
5 et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam fra-
ter fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis
6 hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado fir-
mum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam
concordia parvae res crescunt, discordia maxumae
7 dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui

igitur *profecto*, *sane*, quae ratio non mutatur, si *ego* adiicitur. — *Sin*, quod ubi poni debeat diximus ad Cat. LI, 24., h. l. praestant Vat. A. Bas. 1. Fabr. 1. Leid. L. Paris. b. c. z. Berol. 2. Mark. *Γ. Δ.* et nonnulli alii; relicui *si* habent.

§. 7. *ante hos*] *Ante* h. l. non temporis, sed priorum partium vel praestantiae notionem habere vix est quod moneatur. cf. tamen ad Cat. LIII, 3. et Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 386. 3. — Pro *qui aet. et sap. pr. es* plurimi praebent libri *quia* etc.; relativum tamen exstat in Vatic. A. Paris. b. c. x. z. Einsiedel. Berol. 1. 2. Goerl. Vin. 2. Inc. 1. Heuss. Guelf. 1. 3. 4. Vrat. 1. 3. omnibusque Leidd., neque difficile est ad videndum vel prima sequentis vocis littera male geminata, vel ut caussali particula sensum iuvarent librarii, auctoris manum depravatam fuisse. Notandum tamen, *qui* cum *indicativo* coniunctum in caussalibus sententiis multum differre a subiunctivo. Hic enim modus ut arctum caussarum et effectuum nexum ipsa orationis forma declarat, ita indicativo posito talis nexus, quamvis *in rebus* insit, *grammatice* non significatur. Simpliciter enim id, quod caussam alterius rei continet, tanquam factum aliquod iuxta illam rem, quam ad caussam suam referri vult auctor, collocatur, ita, ut, qui inter utramque rem intercedat caussalis nexus, legentis vel audientis iudicio eruendum relinquatur. cf. Iug. LXXXV, 9. *Mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus egi, bene facere iam in naturam vertit.* Cic. Brut. c. 96, 329. *Fortunatus Hortensii exitus, qui ea non vidit quum fierent, quae providit futura?* id. p. Sext. c. 30, 64. *De Cyprio rege quererentur qui me — non modo non defenderunt, sed ne iacentem quidem protexerunt?* de quo loco v. Ed. Wunderum in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1827. T. III. F. 2. p. 147. Epp. ad Famm. V, 12, 23. Ter. Heaut. III, 3, 28. *Dii te eradicent, Syre, qui me istinc extrudis.* Omnino digna sunt quae de ea re ascribantur verba

aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat
providere decet; nam in omni certamine qui opu-
lentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen quia
plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal 8
et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum,
imitamini virtutem, et enitimini, ne ego meliores li-
beros sumpsisse videar, quam genuisse.

Aug. Matthiae, qui ad Cic. or. in Catil. III, 9. 22. p. 160. „ubi Latini, inquit, caussam plane et diserte exprimi volunt, semper coniunctivo post *qui* utuntur; sed non semper necesse est caussam diserte exprimi, ut Philipp. III, 6, 14. *si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, qui consulem reliquerunt; sceleratus Caesar, Brutus nefarius, qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt;* membra quae a *qui* incipiunt caussam continere apparet, cur illi scelerati ac nefarii appellentur, sed non necesse putavit Cicero h. l. caussam significare." cf. etiam Ramshorn. Gramm. Lat. §. 194. 1. not. 2. p. 612. — *Es* post *prior* deest in Vat. 3. idque Gerlachio in Commentt. p. 227. non contemnendum videtur. Sed merito in ed. minore iudicium mutavit, quum oratio sine verbo hiulca atque aspera fiat. — *Quid* post *aliter* in Fabr. 2. et Guelf. 5. deest, quos perperam secutus est Muellerus. Nam ut taceam relicuorum codd. omnium auctoritatem potiorem esse duobus, sensus ipse pronomen tuetur, quo apertum est significari singularem aliquem et pestiferum *casum*, quem maxime timebat Micipsa, dissidium fratrum, indeque ortam filiorum oppressionem. — *Etiamsi,* quod in edd. scribitur *etiam si*, cur in unum contraxerimus, patet ex dictis ad Cat. II, 1. p. 10. — *Tamen,* qua particula addita haud paullo augetur h. l. gravitas orationis, Cortius fide Guelf. 2. Senat. 1. et Franc. expulit; sed praeter sensum tuentur relicui codd. omnes, ac simul Quinctil. Institt. or. VIII, 5, 4. cf. Iug. LXXXIII, 1.

§. 8. *colite, observate*] Fabric. 1. Rem. 1. 2. Inc. 1. 2. Vin. 2. Struv. Heuss. Vrat. 2. 3. Acad. Misn. Goerl. Eichh. cum nonnullis aliis *et* inserunt, quo sententiae vis imminuitur, gradatione sublata. *Observare* autem *aliquem*, ut bene docuit Ludov. Doederlin. in Synonymm. Latt. Vol. II. p. 187 sq., dicitur is, qui nihil eorum omittit ac negligit, quae alteri *placere* posse videantur; *colit* aliquem is, qui gratam ei praestat *operam*, et re ipsa, quantum potest, eum iu-

XI. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intellegebat et ipse longe aliter animo agita-
2 bat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post diebus moritur. Postquam illi more re-

vare studet. Utrum gravius sit non certe dici potest, sed a rerum condicione et cuiusque iudicio pendet; quare modo hoc, modo illud priore loco ponitur. Ceterum Cortius frequenter haec verba apud Ciceronem coniungi observavit, coll. Epp. ad Famm. VI, 10, 7. XIII, 22, 1. ib. 78, 2. ad Attic. II, 19. p. Mur. c. 34, 70. — *Talem virum*, i. e. tam eximium. *Talis* enim saepissime adhibetur ad eum significandum, qui aliqua re vel bona, vel mala prae ceteris eminet; cf. Cort. ad Iug. LXIII, 6. *Is ad id locorum talis vir.* CXII, 3. *Quum talem virum in potestatem habuisset.* CII, 5. Cic. Epp. ad Famm. III, 13, 3. XIII, 73, 2. v. Ruhnken. ad Ter. Eun. I, 2, 81. Bremi ad Nep. Attic. V, 4. Gernhard. ad Cic. Lael. c. 3, 12. Vide infra ad c. XXXI, 9. XXXII, 5, extr.

XI. §. 1. *intellegebat*] Ita codd. Sen. 1. Ecc. Tur. 1. Plerique *intelligebat*, sed Guelf. 5. et Fabr. 1. *intellexisset.* — De *agitare* verbi potestate v. notata ad Cat. XXIII, 3. — *Pro tempore* i. e. prout rerum praesentium ratio poscebat. v. ad Cat. LI, 8. Iug. LXXIV, 3, *Numidae ab Iugurtha pro tempore parati.* coll. Aug. Matthia ad Cic. or. p. Rosc. Am. c. 47, 136. Herzog. ad Caes. B. G. V, 8. Duker. ad Liv. XXXIII, 9, 8. — *Paucis post diebus* omnes fere libri tenent, nisi quod in Guelf. 5. 9. et Ven. 3. legitur *p. d. post*, in Med. 1. autem et Guelf. 6. *post* deest, quo fisus Cortius praepositionem delevit. Quin utrumque dici possit non est dubium; tamen cavendum est, ne quis solius ablativi eandem vim esse credat atque alterius structurae, praepositione auctae. Nam quum *post* praepositione certus terminus designetur, quo expleto aliquid factum esse dicitur, id secus est ablativo nude posito. Quo quum proprie temporis punctum sive momentum significetur, in quod facta aliqua res incidit, tum longior quoque temporis ambitus, *intra quem* aliquid fit, isto casu comprehendi potest, ita ut quantum pateat iste ambitus dictum quidem sit, sed non necesse sit rem eo plane expleto factam cogitari. cf. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 18, 1. *Diebus decem omni opere perfecto exercitus transducitur.* id. B. C. II, 21. *Tarraconem paucis diebus pervenit.* Noster Iug. XIII, 6. *Paucis diebus Romam legatos mittit, quis praecepit.* XXXV, 9. *Ipse paucis diebus profectus est.* XXXVIII, 9. *Uti diebus decem*

gio iusta magnifice fecerant, reguli in unum convenere, uti inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis erat, natura 3 ferox et iam ante ignobilitatem Iugurthae, quia ma-

Numidia decederet. XXXIX, 4. *Paucis diebus in Africam proficiscitur.* XLVI, 5. LXIV, 5. LXXXVI, 4. v. Moebium ad Caes. B. G. I, 31, 11. Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXX, 21, 9. — *Postquam — fecerant* rarior est structura, hac particula plerumque cum perfecto coniuncta; sed recte monuit Herzogius ad Catil. c. LV, 1. p. 338. ubi plusquamperfectum habeatur auctorem non tam simpliciter narrantis, quam iudicantis et res inter se comparantis partes sustinere; cf. Iug. XLIV, 4. *Albinus postquam decreverat non egredi provincia, milites stativis castris habebat.* CVIII, 1. Liv. XXII, 48, 4. Tac. Ann. XIV, 49, 1. — In Bipont. et Langiana editione comma post *fecerant* sublatum post *reguli* vocabulum habetur, contra Sallustii morem, qui duabus sententiis ita comparatis, ut utrique idem subiectum sit, id semper primariae, nunquam secundariae attribuit; neque ad rem pertinet, quod secundaria antecedit alteram. Ceterum *illi* dativum esse per se patet. — De dictione *in unum* v. ad Cat. XVII, 2. p. 82. — *Convenere* omnes tenent Cortii, Gruteri, Wassii, Leidd. Teg. Erl. Goerl. et Priscian. III, 5, 26. p. 122. ed. Kr. *Convenerunt* est in Bas. 1. 4. Bern. 1. 3. Berol. 1. 2. Misn. idque Gerlachius in textu expressit, quamquam in Commentt. p. 227. improbat.

§. 3. *qui minumus ex illis erat*] *Erat* Cortius temere unius Vratisl. 3. fide expunxit. — *Minumus* paullo insolentius pro *minumus natu* dictum videtur, quamquam Livius quoque ita dixit I, 53, 5. *Sextus filius eius, qui minimus ex tribus erat.* — *Et iam* Gerlachius Rivio praeeunte recte scripsit pro *etiam*, quod omnes codd. et edd. obsidet; quam lenem emendationem (v. ad c. XLVII, 2. XXIV, 4.) non solum commendat durum bimembris sententiae asyndeton sublatum, sed flagitat *ante* particulae, cum vi positae, ratio. Ceterum Cortius de suis codd. nihil monens scripsit *antea;* sed *ante* habent omnes Gruteri, Wassii, Leidd. Bas. 1. 4. Berol. 1. 2. Misn. — Verba *quia materno genere impar erat* Cortius temere pro suppositis habuit, vix sibi temperans quin expelleret, quia iam supra c. V, 7. dictum sit Iugurtham ex concubina ortum esse, et c. CVIII, 1. iterum his ipsis verbis eius ignobilitas memoretur. Sed qui reputaverit Sallustium h. l. caussas exponere, cur ille Hiempsali tantopere despectui esset, perquam commode auctorem eius rei primariam caus-

terno genere impar erat, despiciens, dextera Adherbalem assedit, ne medius ex tribus, quod apud
4 Numidas honori ducitur, Iugurtha foret; dein tamen uti aetati concederet fatigatus a fratre, vix in partem
5 alteram transductus est. Ibi quum multa de admi-

am disertis verbis tetigisse sentiet. Omnino haec et similia eiusmodi sunt, ut qui incorrupto et sano iudicio praeditus sit, nisi aliae res suspicionem moveant, in ipsis verbis nullo modo offendere possit. v. ad Cat. XLVI, 2. p. 208.

§. 4. *Dein*] Ita fere omnes codd.; septem tamen *dehinc* exhibent. — *Concederet* maiore vi dictum est quam simplex *cederet;* cf. Fragm. Historr. I, 17. Gerl. *Curionem quaesivit, uti adolescentior aetati concederet Mamerci.* Iug. CII, 4. *Sullae facundiae, non aetati a Manlio concessum.* XIV, 24. *Si iniuriae concessissem.* Tacit. Ann. II, 74. *Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit.* Liv. II, 45, 12. *Fabius deinde, ad crescentem metum seditionis collega concedente, quum silentium classico fecisset.* — *Fatigatus* i. e. continuis et instantibus ac molestis precibus ita exercitus, ut non amplius resisteret, quo sensu nudum *fatigare* verbum aliquoties usurpatur; cf. c. XIV, 20. *Quos ego audio fatigare vos singulos, ne quid de absente statuatis.* LXXIII, 2. *Metellus Marium fatigantem de profectione domum dimittit.* CXI, 3. Tacit. Hist. I, 29, in. *Galba fatigabat alieni iam imperii deos.* Plerumque tamen *precibus*, vel similis vocabuli ablativus additur, ut multis ostendit Drakenborch. ad Liv. XXVII, 45, 10.; sed cave putes substantivum supplendum esse, ubi non adest.

§. 5. *inter alias res iacit*] Plerique libri *ait;* sed *iacit* exstat in Ms. Rivii, Bas. 1. Naz. m. pr. Leid. L. Rem. 1. Guelf. 1. 2. Paris. x. z. Einsiedel. idque huic loco multo accommodatius esse intppr. recte viderunt. *Iacere* enim proprie de iis dicitur, quae magis in transcursu proferuntur, vel obiter memorantur, quam de quibus data opera disputatur. Tacit. Annall. IV, 68, med. *Igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones.* ib. III, 8, med. *Drusus Pisoni, si vera forent quae iacerentur, respondit* etc. III, 66, in. *Mamercus antiqua exempla iaciens.* I, 10, extr. Cic. p. Rosc. com. c. 9, 25. Liv. II, 12, 12. Drakenb. ad XXV, 4, 7. et Gronov. ad XXXVIII, 25, 5. Bremi ad Suet. Ner. c. XXXVII. — *Consulta et decreta omnia* hoc ordine in plerisque omnibus codd. legitur; Cortius

nistrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit oportere quinquenni consulta et decreta omnia rescindi; nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal 6
placere sibi respondit; nam ipsum illum tribus proxu-

ex Vrat. 2. et Guelf. 11. edidit *cons. omnia et decr.*, pariter iudicio lapsus atque c. IX, 3. — *Rescindi* i. e. aboleri, dissolvi, irrita reddi; Noster Fragm. Histor. I, 19, 14. (Gerl.) *Belli iura rescindi.* Liv. XXVI, 31, 10. *Ne acta mea rescindendo alios segniores faciatis.* Suet. Tiber. c. XXXVIII. Valer. Max. VII, 7, in. Cort.

§. 6. *tribus proxumis annis*] Aliquot Guelff. Inc. 1. 2. Vin. 2. Acad. Rem. 1. *tribus his prox. an.*, quod Cortius in textu expressit; *his trib. prox. an.* exstat in Leid. C. I. K. Arond. Pembr. Bas. 1. Bern. 1. 3. quos Gerlachius secutus est. Relicui pronomen non habent; quod quum tanta varietate iam suspectum fiat, sensu autem plane otiosum sit, neque probis codd. velut Naz. Commel. Leid. L. Sen. 1. Teg. Tur. 1. sustentetur, non dubium est quin a librariis profectum sit, qui *proximum* eo vocabulo, quod hoc sensu usitatius est, explicare vellent. cf. infra c. XXXI, 2. *Piget dicere, his annis XX quam ludibrio fueritis superbiae paucorum.* Cic. Epp. ad Famm. VII, 9, 1. *Neque ego ad te his duobus mensibus scripseram.* id. de petit. cons. c. V; quibus exemplis a Cortio allatis adde quae plurima congessit Drakenborch. ad Liv. V, 51, 5. Unde simul intelligitur, *hic* tantummodo de eo tempore dici, quod *recta oratione utenti* proximum est, neque ad aliud nisi ad id, quod dicenti *vere praesens* est, referri posse. Quare *hic* de praeterito tempore non minus soloecum est, quam de remoto loco, ut ex eo quoque patet, quod Latini ubi praeteritam rem tanquam praesentem intuentur, non *nunc*, sed *tunc* dicunt, quod scite observavit Zumpt. Gramm. Lat. §. 63. p. 239. ed. IV. Walch. Emendd. Livv. p. 138. cf. ad c. XLVI, 1. Denique monendum, quo usi sunt Cortius et Gerlachius exemplo ad *his* tuendum, Cic. Lael. c. II, 7. *Ex me quaerunt, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, quod proxumis (his) Nonis tu non affuisti*, eo nihil effici, quum ibi quoque pronomen a librariis additum sit, recte a Gernhardo et Beiero multorum codd. fide eiectum. — *Adoptatione*, quod praebent Bas. 1. Arond. Reg. Mark. *Γ. Δ.* Pemb. Sen. 2. Inc. 1. Leid. L. m. p. M. N. et Misn., minus quidem usitatum altera forma *ado-*

7 mis annis adoptatione in regnum pervenisse; quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam
8 ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur.

ptione, in relicuis codd. conspicua, sed neque ab analogia neque ab usu suspectum est. cf. Cic. Tuscc. I, 14, 31. ubi Wolfius et Kuehnerus praeeunte Davisio scripserunt *adoptationes filiorum.* Gell. NN. AA. V, 19.

§. 7. *ratus erat*] *Erat*, quod Cortius nullo ex suis codd. nisus eiecit, sane non comparet in Palat. 8. tribus Wassii et Vat. 6. Ad hoc Vat. 4. ostendit *esse ratus*, quod Gerlachio satis fuit ad verbum in Commentt. p. 229. improbandum, quamquam in utraque ed. retinuit. Sed si quid valet relicuorum librorum auctoritas, equidem cur orationem omisso verbo impeditam reddamus non video. — *In pectus descendit;* cf. Liv. III, 52, 2. *Non prius curam in animos patrum descensuram.* Senec. Controvv. I. Praef. *Quaecunque in animum eius semel descenderant, in promptu erant.*

§. 8. *cum animo habere*] *Cum* plurimi, in iisque optimi libri habent; pauci eius loco *in* ostendunt, Palat. vero 5. 10. Fabr. 2. Guelf. 1. 5. 6. 11. neutram praepositionem agnoscunt, eosque Cortius secutus est. Ac quod ille dicit multo usitatius esse *aliquid animo habere*, verum quidem est multisque exemplis a Gronovio et Drakenborch. ad Liv. XLIV, 25, 1. comprobatum, sed tamen non est quod *cum* falsum putemus. Nam ad *deliberandi* et *consilia volvendi* notionem significandam valde aptam esse *cum* praepositionem in promptu est, similique modo dixit Plaut. Trinum. II, 1, 24. (34. ed. Herm.) *Haec ego quom agito cum meo animo et recolo.* Ad eandem analogiam dictum esse apud Nostrum Iug. XCIII, 1. *Trahere cum animo omitteretne inceptum*, recte vidit Gerlachius; neque dissimilia sunt haec, Iug. c. XIII, 5. *Facinus suum cum animo reputans*, ubi vid. Cort., LXX, 5, extr. *Proinde reputaret cum animo suo.* LXXXV, 10. *Reputate cum animis vestris.* CVIII, 3. *Multum cum animo suo volvere solitum.* VI, 2. *Multa cum animo suo volvebat.* — Non est autem probabile a librariis additam esse praepositionem, qua tantum abest ut oratio ad vulgarem dicendi modum revocetur, ut

Quae ubi tardius procedunt neque lenitur animus fe- 9
rox, statuit quovis modo inceptum perficere.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum
supra memoravi, propter dissensionem placuerat di-
vidi thesauros finisque imperi singulis constitui. Ita- 2

paullo insolentior evadat, quam si solus ablat. positus fuisset. De vi et usu vocis *animus* v. ad c. XXXIX, 5.

XII. §. 1. *ab regulis*] *Reguli* h. l. ut c. XI, 2. non dicuntur ob iuventutem, ut Gerlachius putat, sed isto vocabulo potius significantur *filii regis*, vel iustum imperium nondum adepti, vel omnino parvo imperio praediti, aetatis tamen nulla ratione habita. cf. Tacit. Ann. II, 50, in. *Auxilia Cilicum, quae reguli miserant.* Liv. XXI, 2, 5. *hospitiis regulorum rem Karthaginiensem auxit.* id. XXVII, 4, 9. *legati et alios Africae regulos adire iussi.* — Verba *quem ab r. f. s. memoravi* Kunhardtus, utpote a docta Sallustii brevitate aliena, librarii manu assuta censet. Sed qui talia iacit parum novit Crispum, idemque parum diligens codd. existimator est. — *Loca propinqua* mirifice idem Kunhardtus intelligit *diversas urbis capitalis partes*, *Thirmida* autem non oppidi, sed lictoris nomen esse, eoque scribendum *Thirmidae forte civis*, quibus opinionibus vix quicquam inconsultius cogitari potest. Recte vidit Langius regulos *alium alio concessisse* quum ob ortam simultatem, tum suspicionis vitandae caussa, ne quis, thesauris nondum divisis, clam relicuis aliquid ad se rapere videretur; concessere autem in *loca propinqua thesauris*, ut alter alterum observare et eius consilia speculari posset, quippe parum sibi fidentes et timentes ne parte pecuniae fraudarentur. Vana igitur Muelleri sententia, qui *thesauris* ab inepto interprete ascriptum censet; non vidit enim V. D. totius loci sensum isto vocabulo niti, quum *thesauros* regulis vehementer curae fuisse ostendant verba *sed maturius ad pec. distr.* Etiam *interea* ita dictum est, ut appareat regulos nunquam non de pecunia cogitasse, nihil antiquius habentes, nisi ut quam primum sua quisque parte potiretur. Quae quum ita sint, non opus est ut magnopere de *oppido Thirmida* quaeramus, alias non cognita; nam quum hoc oppidum ex iis locis esset, quae *thesauris propinqua* erant, non mirum est ignobile fuisse, erraveritque, qui illa loca magnas clarasque urbes esse voluerit. Quare quod Muellerus coniecit Sallu-

que tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in
3 loca propinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte eius domo utebatur, qui proxumus lictor Iugurthae carus acceptusque ei semper fuerat; quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat impellitque, uti tamquam suam

stium scripsisse: *in oppido* C i r t a N u m i d a e *forte eius* etc. nullius pretii est, neque ullam probabilitatis speciem habet. Quodsi quid in re narrata obscuritatis inest, quod non negaverim, id non Sallustio tribuendum puto, sed parum perspicuae Numidarum, a quibus haec habuit, narrationi.

§. 3. *proxumus lictor*] Apud Romanos *proximus lictor* vocabatur is, qui in serie incedentium ultimus erat, magistratum ipsum praecedens. v. Cort. ad h. l. Drakenb. ad Liv. XXIV, 44, 10. Lips. Elect. I, 23. Sed quum Romanis valde usitatum esset sua magistratuum vocabula ad alios populos transferre, quo similem modo rem significarent, Sallustius *lictoris* nomine latius patente aliquem e numero satellitum, qui Iugurtham comitari solebant, intelligi voluit, ut recte viderunt intprr. *Proximus* igitur sensu pariter variato est is, qui prae ceteris Iugurthae res curabat et negotia exsequebatur. — *Ei*, quod in Vin. 2. post *semper* legitur, a Guelf. 3. vero abest, Cortius delevit. Quod quamquam temere factum est, tamen cum Gerlachio non dixerim omisso pronomine „structuram durissimam" fieri, quae certe non durior est quam in sequente versu, ubi *oblatum* sine dativo habetur, aut in iis exemplis quae tetigimus ad c. I, 3. et ad Cat. LI, 28. Sed voluit V. D. haud dubie dicere sententiae perspicuitatem aliquantum pronomine adiuvari. Gravius peccarunt Bipontt., qui *ei* ad Hiempsalem referunt, ut ita caussa addatur, cur lictoris domo usus sit. Sed praeterquam quod sententiarum nexus cogit haec de Iugurtha intelligere, aperte repugnat *forte* vocabulum, quo Sallustius caussam significare voluit. — *Ille* ad proxime antegressum nomen relatum illustravimus ad Cat. XLV, 2. p. 205. — *Promissis* o n e r a r e est maximis promissis, quae summum quasi *pondus* habeant ad persuadendum, tentare. Cortius contulit Liv. XXIV, 13, 4. *Hannibal* o n e r a t o s *ingentibus* p r o m i s s i s *domum redire iubet*, ubi plura congessit Gebhardus. Tacit.

visens domum eat, portarum clavis adulterinas paret (nam verae ad Hiempsalem referebantur); ceterum ubi res postularet se ipsum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi confecit, atque, ut 4
doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit. Qui postquam in aedis irrupere, divorsi regem quaerere, 5
dormientis alios, alios occursantis interficere, scrutari

Historr. I, 25, in. *Proculum et Veturium pretio et promissis onerat.* — *Impellitque* Cortius, quia ex *onerat* intelligi possit, contra omnium codd. fidem eiecit. — *Referebantur* offendere possit, quum *relatae erant* simplicius videatur; sed auctor haud dubie significare voluit toties claves ad Hiempsalem relatas esse, quoties clausis aedibus opus esset. — *Cum magna manu venturum* hoc ordine exstat in Bas. 1. Fabr. 1. Teg. Erl. Goerl. Misn. Arond. Mart. Pembr. B. Publ. Mark. *Γ. Δ.* Tur. 1. Bern. 1. 3. Bas. 4. Fabr. 2. Guelf. 3. 5. nonnullisque aliis Cortii, quibus fortasse etiam Ital. Gerlachii accedunt. Relicui tenent *cum mag. vent. manu*, qui ordo ante Cortium vulgatus erat, sed, si quid video, numeri ratione altero paullo deterior est.

§. 4. *confecit*] Perfectum, ab Cortio et Gerlachio illatum, exstat in Guelf. 2. 5. 7. Sen. 1. Eccard. Tur. 1. Bas. 4. Bern. 1. Teg. Erl. Goerl. Par. c., neque alio ducunt ii, in quibus *perfecit* legitur. Ceteri plerumque *conficit*, pauci *perficit*, quod tempus propter *introducit* praeferendum videri possit. Sed videndum ne librarii propter hoc ipsum mutarint perfectum in praesens, quae suspicio eo confirmatur, quod alii, ut Eccard. Guelf. 4. 10. Leid. F. Bas. 4., temporum aequandorum caussa dederunt *introduxit.* De perfecto historico cum praesenti coniuncto v. quae diximus ad Cat. c. XX, 1. p. 95. Iug. XX, 1. XXVI, 3. XXXV, 4. XLIX, 1. LXIV, 3. Plurima eius generis ex Livio collegit Drakenb. ad III, 46, 9. *Appius domum se recepit, collegisque in castra scribit.* cf. eundem et Fr. Gronov. ad XXIX, 27, 5.

§. 5. *divorsi*] i. e. diversa via abeuntes, diversos locos petentes, loci significatione ad personas translata, ut infra c. LXXVII, 4. cf. Herzog. ad Caes. vel Hirt. B. G. VIII, 19. Plurima dabit Drakenb. ad Liv. X, 33, 10. *diversi consules ad vastandos agros urbesque oppugnandas discedunt.* De propria *diversus* vocabuli vi

loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu omnia miscere, quum interim Hiempsal reperitur, occultans se in tugurio mulieris ancillae, quo initio
6 pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput eius, uti iussi erant, ad Iugurtham referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem

cf. ad Cat. V, 8. Doederlin. Synonym. Lat. T. III. p. 269. 3. — *Quum interim Hiempsal* omnes tenent codd. praeter Bas. I. in quo inverso ordine est *quum Hiemps. interim*, ut Cortius et Gerlach. in ed. maiore inconsulto scripserunt, contempta tot codd. et Donati ad Ter. Phorm. II, 1, 62. auctoritate. Praeterea etiam usus dicendi particulas iuxta positas commendat; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 12. p. 424. ed. IV. qui hunc praesentis vel etiam perfecti usum in apodosi a *quum* particula pendentis luculenter persecutus est. cf. Iug. XLIX, 4. LX, 6. CVI, 5. Tac. Agricol. c. XXVI, in. et Walchii Emendd. Livv. p. 184. Interdum etiam praesentis loco infinitivus a particulis *quum interim* aptus reperitur, ut docuit Fr. Gronovius ad Liv. IV, 51, 4. — Pro *occultans se in tugurio* vulgo, etiam apud Cort. et Gerlachium, legitur *occultans sese tugurio.* Sed *sese* tantummodo exstat in Mers. Riv. Fabr. 1. et Tur. 1.; reliqui omnes *se* habent, quod quum etiam Donati testimonio ad Ter. Phorm. II, 1, 62. confirmetur, merito praeferatur. Eandem ob caussam *in* addendum censuimus, quod non solum Donatus l. l., Servius ad Virg. Aen. I, 413. et undecim codd. tuentur, sed etiam sensus flagitare videtur. *Occultare* enim paullo durius cum solo ablativo coniungitur, ubi diserte *locus* significatur, *in quem quis se abdit, ut ibi lateat*, quod secus est, ubi id nominatur, cuius ope aliquis aspectui aliorum subtrahitur, ut Iug. XLIX, 5. *neque plane occultati humilitate arborum.* cf. quae de consimili usu verbi *abdere* disputavit Daehnius ad Nep. Alcib. IX, 1. — Dicendi abundantiam in verbis *mulieris ancillae*, cuius multa similia reperiuntur, angustioris notionis voci latius patente vocabulo, quo alterum continetur, praemisso, iam veteres notarunt, ut Quintil. IX, 4. Serv. ad Virg. Aen. I, 413. Donat. ad Ter. Phorm. II, 1, 62. quibus Cortius ad h. l. plurima addidit. v. Bentl. et Ruhnken. ad Ter. Andr. IV, 4, 16. Ex Sallustio huc pertinent Cat. XXXVIII, 1. LII, 26. Iug. VI, 2. — *Tugurium* quid h. l. sit non plane certum est; nonnulli

Africam brevi divolgatur; Adherbalem omnisque, qui sub imperio Micipsae fuerant, metus invadit; in duas partis discedunt Numidae; plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur 2 Iugurtha quam maxumas potest copias armat, urbis partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit, omni

enim putant eius domus, qua Hiempsal utebatur, *conclave* aliquod vile et angustum significari, neque id abhorret a re narrata. Vocabulum ipsum tamen potius vilem casam ab ista domo aliquantum distantem designare videtur, quod etiam *perfugerat* verbum quodammodo confirmat. De voce *tugurium* v. infra c. XVIII, 5. et Scheller. in Lex. ampl. h. v. p. 11735. qui Pomponii verba in Pandectt. l. XVI. 180. attulit: *t u g u r i i appellatione omne a e d i f i c i u m, quod r u s t i c a e m a g i s c u s t o d i a e convenit, quam urbanis aedificiis, significatur.* — *Uti* permulti codd.; alii *ut*, quomodo Cort. et Gerlach. ediderunt, contra Sallustii morem.

XIII. §. 1. *Numidae*] Hoc vocabulum cum Gerlachio revocavimus. Cortius tanquam glossam expulerat, quum vidisset in Guelf. 10. deesse, in Fabric. 2. autem et Guelf. 5. puncto post *discedunt* posito, ad sequentia trahi, quae caussa sane levissima est, neque ullam veri speciem habet. — *Bello meliores* eodem modo dictum est, ut supra c. VII, 5. *bonus consilio*, ubi v. not. Cortius praeterea contulit Liv. III, 2, 13. *Aequos populationibus incursionibusque meliores esse.* XXV, 18, 6. *summotis aliis uter bello melior sit decernamus.* XXXVIII, 15, 9. *Pisidae longe optimi bello.* v. Drakenborch. ad VII, 9, 8. Ernest. ad Tacit. Ann. I, 3, in. Germ. c. XXXII, extr. Bentl. ad Hor. Epp. I, 10, 34.

§. 2. *quam maxumas potest*] *Potest* non legitur in cod. Franc., haud dubie negligentia librarii; *posse* enim cum *quam* particula saepissime ponitur ad superlativi vim augendam, v. infra c. XCI, 3. Moebius ad Caes. B. G. I, 7. Drakenborch. ad Liv. VII, 9, 8. — Pro *armat* quindecim libri, sed non optimi, *parat* exhibent, quam vocem, a Popma in textum receptam, ex interpretatione alterius verbi ortam esse inde patet, quod Guelf. 3. et cod. B. Publ. *parat armat* praebent. *Armare* autem, quod vix moneri opus est, quum *parandi* notionem comprehendat, gravius dictum videtur. Interpretes compararunt Tacit. Ann. I, 22, in. *per gladiatores suos, quos in*

3 Numidiae imperare parat. Adherbal tametsi Romam legatos miserat, qui Senatum docerent de caede fratris et fortunis suis, tamen fretus multitudine mi-
4 litum parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex proelio profugit in pro-

exitium militum habet atque a r m a t. Historr. I, 40, med. *Othoni tamen* a r m a r i p l e b e m *nunciabatur.* II, 8, p. med. III, 79, in. Flor. III, 22. — *Voluntate* i. e. ipsis volentibus, sponte sua. Diversa autem ablativorum relatio in ista oppositione satis frequens. Liv. XXI, 58, 2. *eam quoque gentem aut* v i *aut* v o l u n t a t e *adiuncturus.* XXXIV, 29, 1. *L. Quintius maritimae orae oppida partim* v o l u n t a t e, *partim* v i *aut metu cepit.* Epit. lib. XLIX. *Andriscus totam Macedoniam aut* v o l u n t a t e *incolentium, aut* a r m i s *occupavit.* v. Fr. Gronov. ad XXX, 9, 2. Drakenborch. ad V, 17, 9. — De *parat* verbo, i. e. *agitat*, sive *id agit, ut imperet*, v. ad Cat. XLVI, 3. p. 209.

§. 3. *tametsi*] Ita omnes codd. praeter Eccard. et unum Wassii, quos *tamen etsi* praebentes Cortius et Gerlachius in ed. maiore secuti sunt; v. XXXI, 21. — In verbis *de caede fratris et fortunis suis* exspectes fortasse *de* ante *fortunis* repeti, secundum ea, quae de hac re diximus ad Catil. c. XLIX, 1. p. 226. Sed Adherbalis fortunae arcte cum fratris caede coniunctae erant, eaque quasi continebantur, siquidem occiso Hiempsale quid alteri timendum esset maxime proditum erat. Quare utrumque una tanquam cogitatione comprehendendum duplicata praepositione non eget. *Fortunae* autem, qua voce opes et facultates designari docent grammatici, velut Zumptius Gramm. Lat. §. 22, 3. p. 80. ed. IV., apud Sallustium non differunt a *fortuna*, cf. XIV, 24. XXIII, 2. LXII, 1.

§. 4. *profugit*] Apud Non. IV, 68. est *fugit*, negligentia potius Grammatici, quam quod Sallustius re vera ita scripserit; neque vulgatae officiunt quae de *profugere* verbo diximus ad Cat. LIV, 3. p. 287. Quod quum pro vi sua respondeat vernaculo *davon fliehen*, patet proxime coniunctum cogitari debere cum verbis *ex proelio*, ita ut *in provinciam* non continuo a *profugit* pendeat, sed potius explicationis caussa additum sit, hoc fere sensu: *e t q u i d e m in prov. se recepit.* — *In provinciam* i. e. in eam Africae partem, quae olim Carthaginiensium fuerat, (v. c. XIX, 7.) sed a Romanis in formam

vinciam ac deinde Romam contendit. Tum Iugurtha 5
patratis consiliis postquam omnis Numidiae potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans timere populum Romanum neque advorsus iram eius usquam nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua spem

provinciae redacta nudo *provinciae* nomine appellabatur. cf. XXV, 5. *quam ocissume ad provinciam accedat.* XXXIX, 4. *nam omnis exercitus Numidia deductus in provincia hiemabat.* LXII, 1. De re v. etiam Vell. Paterc. II, 38, 3. Cort. — Pro *contendit* Nonius IV, 68. habet *contendere*, quod per se quidem ferri possit, sed infinitivo eodem vix praegresso molestum fit; cf. ad Cat. IX, 4. p. 49. Omnino autem Nonius hoc Iugurthae caput negligentius inspexisse videtur, quum ibidem verba secundae §. sic laudet: *omni Numidiae imperare sperat*, pro *parat.*

§. 5. *postquam omnis Numidiae potiebatur*] Haec verba, omnibus codd. egregie firmata, Cortius tanquam turpissimam glossam eiecit, quia sensu plane non differant a praegressis *patratis consiliis.* Gerlachius retinuit quidem, sed sententia non perspecta perquam leviter in h. l. explicando versatus est. His enim verbis, quae parenthesis signo inclusit, Sallustium antecedentia explicare voluisse statuit, ne quis *patr. cons.* de caede Hiempsalis et de clade ac fuga Adherbalis intelligeret. Quae periodi struendae ratio ut a Latinorum usu plane abhorret, ita eo perversior est, quod Gerlachius veram loci explicationem, a V. D. in Miscell. Obss. Amstel. Vol. VI. T. 2, 2. p. 318 sq. proditam, tanquam *non satis concinnam* respuit, sua nihil inconcinnius esse non animadvertens. *Consilia* enim intelligi de irae odiique in fratres explendi studio quis non videt, collatis superioribus, c. XI, 8. 9. et XIII, 1.? Tantum igitur abest, ut verbis *postq. om. Num. pot.* idem sensus sit, ut ablativis ea quae *proxime ante* agitaverat, quaeque paullo post in flagrantiorem imperii cupidinem eruperant, significarentur. Id sensit etiam Langius, perperam tamen *potiebatur* interpretatus *potitus erat*, quod aeque dicendi legibus atque huius loci sensui repugnat. Imperfecto enim a *postquam* apto quum incepta modo res et ab initiis suis ulterius progrediens designetur, apertum est sensum esse: *quum Iug. fratribus oppressis omnis Numidiae occupandae initium fecisset in eoque conatu pergeret.* Qui imperfecti usus quum non satis respici soleat,

6 habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo legatos Romam mittit, quis praecepit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos acquirant, postremo quaecumque possint lar-
7 giundo parare ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et ex praecepto regis hospitibus aliis-

exempla nonnulla afferemus: Sall. Cat. VI, 3. *postquam res eorum satis prospera videbatur*, i. e. quum *concepta* de eorum opulentia *opinio* aliorum animos *teneret*. LVI, 4. *postquam Antonius cum exercitu adventabat*, quo inceptus adventus isque adhuc *imminens* significatur. Iug. XXVIII, 2. *qui postquam Romam adventabant*, quod ita dictum est, ut non absolutus cogitetur adventus, ut clarissime declarant addita verba *Senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus*. XXXVI, 4. *postquam comitiorum dies adventabat*. LIII, 7. LVIII, 7. Fragm. Historr. III, 30. Gerl. Liv. I, 23, 6. V, 39, 2. XXXII, 23, 5. XXXVIII, 48, 12. XLII, 36, 5. Tac. Annall. I, 4, in. I, 39, extr. II, 23, extr. VI, 15, in. Plura vide in Boetticheri Lex. Tacit. p. 365. Si quis autem ex Fabri sententia *potiri* interpretari velit *possidere*, non repugno; hoc enim sensu interdum legitur, ut apud Cic. p. Rosc. Am. c. 25, 70. Acadd. II, 41, 126. Liv. VI, 33, 10. Tacit. Ann. II, 42, 1. Ut ad nostrum autem revertamur locum, protasis et apodosis ratio, quam non assecutus est Gerlachius, est talis, ut illa contineatur verbis *postq. potiebatur*, haec habeatur in verbis *timere pop. Rom.*, utrique membro praemissâ secundariâ sententiâ. Ceterum *omnis Numidiae* exstat in Bas. 1. Fabr. 1. m. pr. Paris. c. x. Berol. 1. Guelf. 6. et Leid. K.; reliqui codd. ablativum habent, a scribis genitivo, minus ipsis usitato, substitutum. v. ad Cat. XLVII, 2. p. 215. Drakenborch. ad Liv. XXV, 14, 5. Bremi ad Nep. Milt. II, 1. — *Cum animo reputans*, v. ad c. XI, 8. — *Usquam* Gerlachius parum accurate explicat *ullam*, *seu in ulla re*, quae posterior ratio sola valet; cf. ad Cat. V, 2. p. 27 sq. Iug. XIV, 8. et §. 22. Otto ad Cic. de Finn. I, 6, 19. Acad. II, 14, 44.

§. 6. *paucis diebus*] Vrat. 3. Guelf. 4. 11. Leid. H. *post pauc. dieb.*; Rem. 1. Inc. 1. Guelf. 1. 9. 10. *pauc. dieb. post*; Leid. K. Tur. *pauc. post dieb.* Relicui sine praepositione, de qua structura

que, quorum ea tempestate in Senatu auctoritas pollebat, magna munera misere, tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret, quorum pars spe, 8
alii praemio inducti singulos ex Senatu ambiundo nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur 9

diximus ad c. XI, 2. — *Legatos*, quae vox in Vat. 6. et in Struv. m. pr. deest, Cortius temere delevit. — *Quis* fere omnes codd. habent. *Praecepit*, quod Gerlachius in ed. maiore expressit, in novissima damnavit, exstat in Fabr. 1. 2. Vin. 2. Inc. 1. Vratisl. 1. Struv. Rivii codd. Bas. 1. 4. Tur. 1. Bern. 1. Franc. Heuss. Guelf. 4. 6. 7. 12. Teg. Erl. Leid. B. C. D. G. H. I. K. Goerl. Paris. b. z. Berol. 1. 2.; relicui *praecipit*, propter antegressum praesens *mittit*. Sed v. ad Catil. XLI, 5. p. 193 sq. — *Primum uti* primus Gerlachius scripsit; ita enim satis boni libri Bas. 1. Sen. 1. Leid. L. Paris. b. c. x. z. duo Pall. Guelf. 1. 2. 5. 9. Fabr. 2. Bern. 3. Misn. et nonnulli ex Itall. libris; reliqui *uti primum*, quod probabilius est a scribis pro altero ordine invectum esse, quam contra. — *Quaecunque* Cortius optime scripsit pro *quemcunque*, quod olim vulgabatur; neutrum enim, quod Bas. 1. Fabr. 1. 2. Sen. 1. Tur. 1. Teg. Erl. Paris. b. c. x. z. Einsiedel. ac tredecim alii tuentur, scribis non videbatur de personis dici posse, unde proclivis erat mutatio in *quemcunque*. Apte Cortius comparavit Liv. I, 53, 11. *in se ipsum postremo saeviturum*, *si alia desint*, ubi recte Drakenborchius observavit neutrum eam vim habere, ut oratio latius pateat, iis quae maxime ad rem faciunt i. e. personis generali notione comprehensis. cf. etiam notata ad Cat. XLVII, 1. p. 213. et v. ad Iug. XIV, 16. et ad LXXXVIII, 1.

§. 7. *in Senatu*] Haec verba Cortius non aliam ob caussam, quam quod in Fabr. 2. Vrat. 1. et tribus aliis legitur *auctoritas in senatu*, delevit. Idem eadem temeritate *munera*, quod in Guelf. 4. omissum est, expunxit. — *Incessit* Kunhardtus perperam interpretatur *erfolgen;* in latino enim vocabulo praecedentis caussae notio non continetur. v. ad Cat. X, 6. p. 54. — De positu *Iugurtha* vocabuli ab initio paullulum remotioris v. quae notavimus ad Cat. LX, 7. p. 322. Iug. XXXV, 7. *Fit reus magis ex aequo bonoque*, *quam ex iure gentium Bomilcar.*

ubi legati satis confidunt, die constituto Senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus.

XIV. „Patres conscripti. Micipsa pater meus moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existumarem meam, ceterum

XIV. §. 1. *mihi praecepit*] Pronomen *mihi*, a Cortio eiectum, quia in quinque codd. post *praecepit* legitur, cum Gerlachio revocavimus. Aegre enim eo careas, quum Adherbal in tota oratione ea maxime afferat, quae ad *suam personam* spectent, qua non significata vagam verba sententiam habere videntur. Sed multo perversius Cortius statim post edidit: *uti* ***regnum*** *Numidiae tantummodo* ***procuratione*** *existimarem* ***meum***, quae scriptura a librorum fide nulla est, a dicendi usu vitiosa, a sensu inepta. Vulgatam enim omnes codd. tuentur, nisi quod in Guelf. 10. et in Tur. 1. m. pr. legitur ***regno*** *Num.* et in Eccard. Guelf. 6. 9. Leid. C. Vat. 2. Min. 2. ***regnum*** *Num.* quo nisus Cortius quum in Guelf. 6. invenisset *procuratioc-nem* inconsultam tentavit mutationem. Tum videndum ne parum latinum sit, si aliqua res ablativo verbalis nominis posito *alicuius esse* vel *fieri* dicatur. Denique, quod gravissimum, non sibi opponuntur ***regnum*** *Numidiae* et ***eius imperium***, sed *Numidiae* ***procuratio*** et *eius* ***imperium et ius***, unde simul consequitur perperam a Cortio *eius* omissum esse, licet in codd. Rivii, aliquot Cortianis, Leid. E. Vat. 5. et Barb. 6. desit. Istud factum Gerlachius in textu improbavit, sed in Commentt. p. 232. Cortio assentitur, tum propter duos codd. Itall., tum quia *ceterum* membra orationis tam arcte copulet, ut *regni* etiam ad *ius* et *imperium* referri possit. Quod quamquam non nego, tamen *eius* sententiae perspicuitatem valde adiuvat, quae sine genitivo pronominis facile pro generali capi possit. Ad hoc praestantissimorum codd. omnium auctoritas aliquid valet, cui Gerlach. in ed. minore etiam paruit. *Ceterum* quomodo vim *sed* particulae accipiat dictum est ad c. II, 4.

vos affinium loco ducerem] Ita optimus et antiquissimus Vat. A. tum nonnulli ex Gruteri libris, quos ille tamen, verae lectionis ignarus, recentioris aetatis dicit, ex Wassianis Ball. Bodl. et Martin.; idem habent Struv. Leid. K. cod. Rittershus. Bas. 4. Bern. 4. Med. 8.

ius et imperium eius penes vos esse; simul eniterer domi militiaeque quam maxumo usui esse populo Romano, vos mihi cognatorum, vos affinium loco ducerem; si ea fecissem, in vostra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae 2
quum praecepta parentis mei agitarem, Iugurtha,

et Vat. 5. Proxime accedit scriptura Fabr. 1. Guelf. 9. 10. 12. Leid. E. *in loco*. Relicui *in locum*, ita ut *affinium* vel interiectum sit, ut apud Cort. et Gerlach., vel sequatur, ut apud Havercampium. Praeterea octo Cortii codd. *in* etiam priore loco inserunt, *vos mihi in cog. v. in aff. locum ducerem*. In qua tanta discrepantia patet *loco* veram scripturam esse; qui nudus ablat. quum librarios offenderet, alii *in* addiderunt, alii hoc ipsum non satis ex usu dictum esse animadvertentes accusativum posuerunt, quem casum ex interpolatione illatum esse arguit etiam varia verborum *in locum* collocatio. Neque reputarunt depravatae scripturae patroni prorsus soloecam fieri structuram, *in* praepositione, ex qua et *cognatorum* et *affinium* pendere debet, secundo nomini praemissa, quo fit ut primo quam praegressus genitivus rationem habeat nescias, mox inconcinnitate structurae valde offendaris. Cui incommodo qui mederi voluerunt, *in* etiam ante *cognatorum* inserentes, constructionem quidem fecerunt meliorem, ut fecit Sellingius in Lectt. Sall. p. 21., sed eo ipso declararunt vulgatam malae fidei esse. Quare levissimum est Gerlachii iudicium, qui, his omnibus neglectis, *loco* meram interpretationem esse dicit rarioris formulae *in locum*, duobus exemplis, Iustini XII, 12, 9. et Cic. in Verr. V, 28, 73., Sallustii verba satis confirmata ratus. De ablativo v. Davis. ad Caes. B. C. I, 67, 2. — *Me habiturum* cum Gerlachio reposuimus; Cortius enim non solum *me* deleverat, auctoritate Fabr. 1. et Guelf. 12. nisus, sed etiam pro futuro *habere* ex Fabr. 2. et Guelf. 5. ediderat. Sed hi codd. quorum alter in Catilina sane egregius est, alter non contemnendus, in Iugurtha mirifice in perversis scripturis ita consentiunt, ut uterque hic ex eodem exemplo non satis bono descriptus videatur. Quare ubi soli diversam scripturam exhibent, nulla iis fides est. Ceterum Gerlachius recte monuit *munimenta regni* non pro appositione praecedentium, sed pro sententiae parte tertia priores exaggerante esse habenda.

homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus, contempto imperio vostro Masinissae me nepotem et iam ab stirpe socium et amicum populi Romani
3 regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Pa-

§. 2. *praecepta parentis mei*] Haec Cortius sine idonea caussa tanquam spuria uncinis inclusit, iam Grutero idem suadente. Sed praeterquam quod *mei* ab nonnullis abest, et pro *parentis* in aliis *patris* ex interpretatione legitur, nihil est, quod tam levem suspicionem confirmet. *Praecepta agitare* cum vi dictum significat *totum esse in praeceptis observandis.* Ceterum non satis assequor quid Gerlachius voluerit haec annotans: „haec verba (*praec. par. m.*) mihi eodem fere modo, ut supra, addita videntur; ut scilicet explicarent, quod obscurius dictum esse videbatur;" nisi forte V. D. putavit *praec. par. m.* appositionem esse relativi nude positi, non sentiens *quae praecepta* coniungi debere. — *Sustinet* non ex sermone vulgari petitum est, ut Gerlachius vult; sed quum *sustinere* sit aliquid cum difficultate vel molestia ferre, v. ad Cat. LIII, 2., Sallustius eleganter hoc vocabulo Adherbalem de Iugurthae nequitia vix ferenda querentem facit. — *Ab stirpe* non est i. q. *stirpe* vel *per stirpem*, neque valet *inde a nascendi initio*, sed *respectu generis*, sive *maiorum habita ratione;* nam *ab* usurpatur ad significandum nos rem ex aliqua parte considerare. v. Hand. de Partt. Latt. Vol. I. p. 56. II, 1. sqq. coll. Fr. Heusinger. ad Cic. de Off. I, 2, 11. Goerenz. ad eund. de Finn. I, 5, 14. p. 19. Drakenborch. ad Liv. XXIV, 30, 1. XXVI, 1, 3. Paullo aliter, quamquam sensu non multum diverso, Hand. l. l. p. 24. §. 3. explicat *inde ab avo.* Unde tamen V. D. pro *et iam* scripserit *utique*, non assequor. — *Atque* ante *amicum* plerique codd. habent; Cortius *et* scripsit, caussa non addita. Pariter in omnibus fere libris est *am. populi Romani*, pro quo ille *a. populo Romano* edidit. Sed genitivus non solum auctoritate codd. verum etiam sensu praestat, quum propter praegressum nomen *nepotem* gravius et concinnius sit *socium* et *amicum* substantivi potestate intelligi. Minus ad rem pertinet, quod Gerlachius sequentes ablativos *regno fortunisque* dativo obstare dicit.

§. 3. *Atque ego*] *Atque* Handius de Particc. Latt. Vol. I. p. 495. *praesumptioni* inservire dicit, qua aliquid, quod opponi aut addi possit, antecapiatur, quae sententia mihi in hoc nexu parum probabilis videtur. Simplicior ratio est, si statuas per *atque* particu-

tres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse a vobis auxilium petere, ac maxume deberi mihi beneficia a populo Romano,

Iam transitum fieri ex praegressis ad sequentia, de quo usu v. Frotscherum ad Quinctil. X, 2, 20. p. 128. — *Meorum* Cortius temere delevit, uno cod. Franc. nisus. Idem verba *a vobis*, quae in Guelf. 10. 11. et Leid. F. desunt, expulit, quod cum sententiae detrimento factum esse recte iudicavit Gerlachius. Non optat enim in universum Adherbal, ut sibi auxilium petere liceat, sed ut iure quodam suo *a Romanis* petere possit. Sed *me* pronomen, quod vulgo ante verba *a vobis* legitur, Cortius recte omisit, Gerlachio non obsequente in ed. maiore, quamquam in Commentt. p. 233 non improbat, in ed. novissima tamen vulgatam rursus sequens. Deest enim in antiquissimo Vat. A., tum in Vat. 4. Guelf. 4. 12. Sen. 2. Heuss. Bern. 1. 4. Bas. 4. Leid. D. G; in Erl. vero ante *petere* legitur, unde patet a librariis insertum esse, qui subiecti ellipsin in tali structura non ferendam putarent. Sed v. ad Catil. XXXI, 7. p. 147. Praeterea cf. Krueger. de Attract. §. 133. p. 337—345. et Walchium ad Tac. Agric. c. XXVII. p. 319 sqq. egregie de hoc usu disputantes. Nostro igitur loco quum praecedat *v e l l e m* — *mea* — *meorum*, non est quod subiectum diserte positum desideres. cf. infra c. LXIV, 5. LXXVI, 1. — Quae sequuntur non uno nomine vexata sunt. Primum Cortius *beneficia* post *mihi* expunxit, nullo codicum praesidio, et aperte obstantibus sequentibus; nam *ea* — *desideranda* — *debitis* non dici potuisse, nisi ad praegressum nomen respiceretur, recte vidit Gerlachius. Tum pro *secundum ea si* permulti libri habent *sed ea si* vel *sed si ea;* vulgatam vero praeter Prisc. XIV, 1, 5. T. I. p. 584. ed. Kr. tuentur Vat. A. Bas. 1. Naz. Rem. 1. 2. Guelf. 2. 8. Vin. 1. 2. Heuss. Sen. 2. Vrat. 2. ex Wassianis Bodl. *Γ.* et Reg. Leidd. A. B. C. D. I. N. Tamen de sensu ac de grammatica ratione huius scripturae dissentiunt interpretes. Cortius enim, quem Gerlachius aliique sequuntur, Prisciano auctore *secundum* pro praepositione habet cum *ea* coniungenda, Bipontini autem, commate post *secundum* posito, adverbium esse volunt, id quod Langius quoque commendat, nobis assentientibus. In promptu est enim Adherbalem, quum in universum optasset *suamet ipsius merita exstare*, propter quae auxilio dignus videretur, huic optato subiungere duo alia, qui-

quibus non egerem; secundum, ea si desideranda
4 erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret, ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor
5 prius oneri quam usui esse. Ceteri reges aut bello

bus illud prius quasi corrigeretur. Optat igitur, si vel maxime de Romanis meruerit, *primum* talem esse condicionem suam, ut Romanorum auxilio non egeat; *tum*, si egeat, ut certe non immerito, sed tanquam debito sibi beneficio uti possit. Cui sententiarum nexui quum *secundum* praepositio non accommodata sit, quae vel temporis notione *post* significat, vel indicat aliquid alicui rei *convenienter* fieri (ut apud Caes. B. G. I, 33. quem locum Faber male intellexit), consequitur vocem adverbium esse, enumerandi vi positum, ut apud Varronem de vita pop. Rom. III. *Animadvertendum primum quibus de caussis et quemadmodum constiterint paces; secundum, qua fide et iustitia eas coluerint*, quae verba laudavit Non. II, 621. Patet igitur *secundum* idem esse atque *tum* vel *secundo loco*, ut est apud Cic. Philipp. VIII, 16, 31. *Huius industriam maxime equidem vellem ut imitarentur ii, quos oportebat; secundo autem loco, ne alterius labori inviderent.* Praeterea non negligendum, si coniungatur *secundum ea*, pluralem pronominis numerum prorsus repugnare Latinorum usui, quum in praecedd. de una tantum, non de pluribus rebus in unum comprehendendis dicatur, quemadmodum Cicero recte dixit in Vatin. c. 6, 15. *Secundum ea quaero;* de multis enim iam quaesiverat. Contra multo gravior fit oratio, si per pronomen ea res significatur, de qua maxime h. l. agitur. Neque obstat Priscianus, qui pariter ut interpretes iudicio lapsus est.

§. 4. *per se ipsa*] Libri satis boni Fabric. 1. 2. Bas. 1. Leid. L. Guelf. 5. praeterea Vin. 2. Acad. et Guelf. 10. antiquo lapsu habent *per se ipsam*, contra loci sensum. *Ipse* enim, quo subiecti quaedam eminentia significatur, quam h. l. spectavit auctor, accuratius et clarius indicat quod iam antegressis voculis *per se* continetur. v. notata ad Catil. XX, 6. p. 99 sq. coll. Beiero ad Cic. Lael. c. 20, 80. p. 124. Plura eiusdem structurae exempla Cortius congessit ad c. IV, 8. *proinde quasi alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sint.* XCVI, 2. *multis rogantibus, aliis*

victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vostram appetiverunt; familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem 6 vos, Patres conscripti, nolite pati me, nepotem Ma-

per se ipse dare beneficia. Cic. Epp. ad Famm. III, 2, 6. *si res verba desideraret, ac non per se ipsa loqueretur.* VI, 10, 8. *agam per me ipse et moliar.* de Legg. II, 17, 43. p. Mur. c. 14, 30. Liv. III, 6, 5. *ut per se ipsi Hernici cum Latinis res suas tutarentur.* Senec. Ep. XCII. *ideo virtus ad illam per se ipsa satis est.* — *Est* Cortius omisit, non monito lectore; sed omnes codd. retinere videntur, nisi quod unus ex Gerlachii Itall. non habet. Probat tamen omitti, et propter orationis numerum, et quia sequatur *fuit;* quae caussae levissimae sunt, neque ab ipso in ed. min. curatae. — *Mihi non in manu fuit*, i. e. per me non stetit; non *potui* illum ad observationem aequi et iusti adigere. cf. infra §. 13. *nos uti per otium tuti simus, in manu vostra est.* XXXI, 4. Ter. Hec. IV, 4, 44. *uxor quid faciat in manu non est mea.* ib. III, 5, 43. *tibi in manu est ne fiat.* Plaut. Poen. IV, 2, 90. *pol istud tibi et hero tuo est in manu.* id. Trinum. I, 2, 67. *est atque non est mihi in manu Megaronides.* Rud. IV, 3, 44. Bacch. I, 2, 36. Liv. XXI, 35, 9. Cic. Epp. ad Famm. XIV, 2, 7. Sueton. Ner. c. 23. Cort. — *Mihi* ante *miserrumum* et *est* post istam vocem Cortius sine iusta caussa delevit; quin pronomen in hac oratione Adherbalis omnia ad *se suamque condicionem* referentis paene necessarium est. — In sequentibus agnosce zeugma, concinnitatis studio ortum; nam *cogor* non potest ad nomen *usui* referri, quo potius *posse* verbum cogitatione referendum est. v. ad Catil. LI, 8. p. 240. Iug. LXXXV, 28. *Mihi summum honorem et maximum negotium imposuistis.* Tacit. Ann. I, 74, 1. *potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus dedit exemplum, quod secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi perniciem aliis ac postremum sibi invenere.* cf. infra ad §. 9.

§. 5. et 6. *recepti sunt*] *Sunt*, quod in paucis locum mutat, plane abest a Vin. 2., quo duce omisit Cortius; sed numeri ratio in enunciatione bimembri verbum flagitat. — *In* quomodo capiendum

7 sinissae, frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil caussae haberem praeter miserandam fortunam, quod paullo ante rex genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto, tamen erat maiestatis populi Romani prohibere iniuriam, neque pati cuius-

sit diximus ad Cat. II, 9. p. 15. sensus est enim: *quum res suae dubiae essent.* cf. infra §. 11. — Sequentia per se patet opposita esse praegressis, omissa adversandi particula. cf. ad c. II, 3. et ad Cat. LVIII, 14. p. 309. — *Petenda* Gerlachius ieiune explicat *appetenda.* Monendum potius erat participium fut. pass. h. l. non necessitatis vim habere, sed id quod fieri *possit* eo significari; sensus est: quo tempore talis erat populi Rom. condicio, ut fides quidem eius, sed non fortuna peti posset. De hoc participii usu v. notata ad Cat. X, 2. — *Quorum* per synesin refertur ad praegressum *familia nostra*, quasi dixisset *maiores nostri*, v. ad Cat. XXXIX, 3. coll. supra c. XIII, 7. Fragm. Historr. III, 22, 28. Gerl. — Verba *me nepotem Masinissae* Cortius praeeuntibus Bongarsio, Putschio et Grutero eiecit, tanquam ex §. 2. h. c. huc illata. Sed in summo omnium codd. consensu nihil est mutandum, quum appareat Adherbalem, maiorum meritis et gratia maxime confisum, quum alia petendi auxilii caussa non suppeteret, in hac re commemoranda nimium esse; quocirca non sufficere ratus in universum se progeniem dixisse talis familiae, Masinissam a Romanis magni olim factum diserte adhuc nominat. In universum Gerlachius pariter de h. l. statuit; male tamen in textu ed. mai. verba *me Mas. nep.* parenthesis signo inclusit; *me* enim ad primariam sententiam spectat, eandem ob caussam, ob quam paullo ante *mihi* ante *miserrumum* scribendum esse ostendimus. Tum verba *Mas. nep.*, quae appositionis rationem habent, non potuissent poni, nisi affuisset vocabulum, cui adhaerescerent.

§. 7. *Si ad impetrandum*] Sententiarum nexum non asseculi librarii *sed* ante *si* intulerunt, idque triginta duos codd. invasit. Gerlachius, qui, ut caussam interpolationis explicaret, librarios vim *asyndeti* non intellexisse dicit, ipse quae asyndeti natura et indoles sit non satis perspexisse videtur. Quod quum in omissa vel copulandi vel adversandi vel explicandi particula cernatur, qua *singulae*

quam regnum per scelus crescere. Verum ego his 8
finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avus meus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginiensis. Vostra beneficia mihi erepta sunt, Patres conscripti, vos in mea iniuria despecti estis. Eheu me miserum! 9

eiusdem sententiae partes grammatice comprehendendae erant, per se patet nullam hic particulae locum esse, ubi orator novam orditur argumentandi rationem, cum praecedd. nullo modo cohaerentem. Iam enim Romanos ipsos ostendit laesos esse, ita ut, etiamsi sua ipsius iniuria per se spectata sufficiat ad auxilium obtinendum, illi, quoniam ipsi despecti sint, Iugurthae scelus ulcisci debeant. Quum igitur quae a vv. *verum ego* incipiunt sensu pendeant ex proxime praecedd., haec ipsa, huc spectantia, nequeunt respectu superiorum dicta esse. — Post *rex* Cortius et Gerlachius perperam interpunxerunt; nam quae sequuntur non nova praedicata sunt, sed *rex* vocabulum definiunt eiusque priorem condicionem declarant, quam in deterius mutatam queritur Adherbal. Quod nisi tenueris, Adherbal se dicit paullo ante regem fuisse, nunc non esse, quod dicere noluit. — *Deformatus aerumnis* graviter dictum; *deformata* enim et *deformia* dicuntur quae magna labe correpta tristem aspectum praebent; cf. Liv. XXXVIII, 53, 10. *Asiatica legatio* (Scipionis) *filii casu deformata.* id. IX, 6, 13. *tantam miserationem fecit* (consulibus illata ignominia), *ut suae quisque condicionis oblitus ab illa deformatione tantae maiestatis velut ab nefando spectaculo averteret oculos.* ibid. §. 3. *deforme agmen.* Iustin. VII, 3, 1. Cic. p. Sulla c. 26, 73. — Pro *populi Rom.* Cortius et Gerlachius inverso ordine scripserunt *Rom. pop.* contra usum dicendi et invitis plurimis codd. — Sanissimam scripturam *neque pati cuiusquam regnum per scelus crescere*, quam omnes omnino confirmant codd., nisi quod Guelf. 6. *pati* incuria omissum in margine habet, Cortius temere corrupit, omisso *pati* verbo, ac *crescere* in *cresceret* mutato. Scilicet ut Sallustium elegantius loquentem faceret, structuram soloecam intulit, *neque* particula in prohibitiva sententia posita, ubi *neve* tantum recte dici potest. cf. ad Cat. XXXIV, 2. p. 158 sq.

§. 8. et 9. *his finibus*] Multi codd. *iis fin.*, quemadmodum etiam Cortius scripsit, quamquam in omnibus suis *his* esse testatur.

huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, uti, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuae exstinctor sit? Numquam ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Cartha-

Quod cur praetulerimus patet ex notatis ad Cat. II, 4. p. 11. coll. Herzog. ad Cat. X, 2. et ad XIII, 1. — Pronomina *m e u s* post *avus* ac *m i h i* ante *erepta* Cortius temere eiecit, non solum codd. sed etiam orationis colore obstantibus. — *Huccine evasere* i. e. talemne exitum habuere. cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 1, 100. ibid. I, 2, 5. *heri semper lenitas verebar quorsum evaderet.* Bremi ad Nep. Dion. VIII, 1. *quum quorsum (haec) evaderent timeret.* — *Tuis* non est in Sen. 2. Heus. Tegern. et Vatic. A. quorum auctoritate Cortius omisit, Gerlachius certe non dubitat quin omittendum sit. Sed quum Arus. Mess. in Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 253. ed. Lindem. v. *par* vocem agnoscat, huius fides ac tot codd. consensus paucissimorum auctoritate potior est. Eadem caussa nos permovit ut etiam paullo ante pronomen *t u a* post *beneficia* restitueremus, quod in Guelf. 6. Franc. Leid. H. et Bern. 3. desideratur et a Cortio omissum est. — *Parem c u m liberis* insolentius quidem dictum est, sed codicum et Arus. Messi auctoritate l. l. satis firmum; neque ista structura exemplis iustaque caussa caret. Nam quum *aequalitas* non sine aliqua *coniunctionis* notione cogitari possit, siquidem quae paria sunt non in diversum abeunt, sed quodam vinculo continentur, sane fieri potest ut id quod vulgo *alteri par* dicitur etiam *par c u m eo* vocari queat, h. e. ita coniunctum cum eo, ut nihil inter utrumque intersit. Qua coniunctionis potestate niti istam structuram ostendit locus Ciceronis Brut. c. 59, 215. ubi non personae secum pares, sed quae in personis erant alteri cum altero paria fuisse dicuntur: *erant ei quaedam ex his paria cum Crasso.* Sed plane geminum exemplum est apud eundem Philipp. I, 14, 34. *illa erat vita (Antonius), libertate esse p a r e m c u m c e t e r i s, principem dignitate.* cf. Ruddim. Institt. Gramm. T. II. p. 93. Neque abs re fuerit recordari, etiam *idem* simili poni modo, de quo v. Drakenb. ad Liv. XXX, 12, 15. *Numidae atque in e a d e m m e c u m Africa geniti fidem experiri malunt.* Tac. Ann. XV, 2. *hunc ego e o d e m m e c u m patre genitum, in possessionem Armeniae deduxi.* Videndum igitur ne Grysar in Praeceptt. styli Lat p. 59. hanc structuram per-

ginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur; hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, laeti pacem agitabamus; quippe quis hostis nullus erat, nisi forte quem vos iussissetis. Ecce 11

peram damnet. Ceterum nugatur Gerlachius, qui omissa *cum* et *que* vocula etiam scribi posse coniicit *quem tu parem liberis regni participem fecisti*, vanam coniecturam male interpretatus *aeque ac liberos part. fec.* — *Numquam ergo* scripsimus fide Vat. A. Leid. L. H. Vrat. 3. Guelf. 11. et Ecc.; relicui *numquamne ergo* tenent, quo Gerlachius sententiae vim augeri putat. Sed videndum ne loquendi usui repugnet *ne* particula cum *ergo* iuncta; ubicunque enim dolorem vel indignationem ita significare volunt Latini, ut ostendant id quod queruntur aut mirantur male convenire cum eo, quod fieri deceat, sola *ergo* particula utuntur. cf. Tacit. Annall. III, 17, a m. *id ergo fas aviae, interfectricem nepotis aspicere, alloqui, eripere senatui?* Plura ex poetis congessit Heindorf. ad Hor. Sat. II, 5, 101. *ergo nunc Dama sodalis nusquam est?* cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 454. §. 3. Eadem particulae ratio est etiam in bimembribus interrogationibus, ubi a maiori ad minus fit conclusio. cf. Car. Beier. ad Cic. de Off. I, 31, 114. p. 245. et Goerenz. ad Finn. II, 33, 110. p. 286. quae enunciationes licet aliter compositae sint, tamen cum illis respectu interrogationis sine *ne* elatae conveniunt. — *Versabimur* sat multi libri tenent; magna tamen pars *versabitur* habet ex antiqua interpolatione, quam Gerlachius, quum in Commentt. p. 235. primam personam elegantiorem iudicasset, in ed. minore recepit. Male. In aprico est enim scribas verbi personam nomini praegresso accommodandam censuisse, non sentientes oratorem graviter commotum iam *suas* res cum familiae fortuna coniungere. Nam quum *sanguine* ac *ferro* aeque ad Hiempsalem atque ad Adherbalem spectet, *fuga* certe de hoc solo intelligenda est. Praeterea etiam zeugma quoddam agnosci debet, quum *versari in ferro* per se non satis commode dici videatur; cf. Iug. XXXVIII, 9. *tametsi ipsum fame ferroque clausum tenet.* XLII, 4. *multos ferro aut fuga extinxit.* v. supra ad §. 4.

§. 10. *iure*] Hoc non est *meriti*, sive ob culpam aliquam nostram, sed *quia rerum condicio ita ferebat, ut necesse erat; aliter fieri non poterat, quam ut — pateremur.* cf. ad Histor. Fragm. Inc.

autem ex improviso Iugurtha intoleranda audacia, scelere atque superbia sese ecferens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui praedam fecit; post, ubi me isdem

17, 5. Gerl. Cic. Tuscc. III, 14, 31. *Iure erat Socratis idem voltus, quum mentis nulla fieret mutatio.* Quae sequuntur ἀσυνδέτως eius rei caussam afferunt, de qua structura v. ad Catil. XXXIX, 4. — *Erat* Cortius deletum cupit, quia Guelf. 2. eius loco *sita est* exhibet. Probat Gerlachius, quum in Vatic. 5. *incrat in armis* scriptum offendisset, simul numerum multo concinniorem fieri censens. Sed utraque caussa levior est, quam quae relicuorum librorum fidem tollat. Neque sibi constitit V. D. in minore ed. — *Ex Africa* Cortius temere delevit, unius Guelf. 11. auctoritate, quam non sustentat Guelf. 5. qui inverso ordine habet *eiecta est ex Africa.* Neque id rem confirmat, quod Cort. *eiicere* absolute positum i. esse dicit q. *extinguere*, *tollere*, *delere*. Quae potestas sane obtinet, etiam si *ex Afr.* retinetur. cf. Bremi ad Nep. Lysand. I, 5. p. 93. ed. IV. — Deinceps Cort. *est* post *eiecta*, et *erat* post *nullus* expunxit, in priore loco nullo libro, in posteriore duobus tantum consentientibus; neque manum importunam abstinuit *vos* pronomine, quod in Rem. 1. Guelf. 6. et Med. 11. deest, sed in officiosa in Romanos oratione omitti nequit. — Ne quis cum Fabro putet *iussissetis* contra usum dicendi cum *nisi forte* coniunctum esse, quae voces indicativum asciscunt, obiter monemus hoc verbum non ex istis particulis, sed ex relativo aptum esse.

§. 11. *ex improviso*] V. notata ad Catil. VIII, 1. p. 43. coll. Drakenb. ad Liv. VI, 33, 7. Walch. ad Tacit. Agric. c. 15. p. 219. Sall. Iug. XX, 3. LIII, 1. LVIII, 1. Nonnulli codd. *de improv.*, quod pariter dicitur. — *Ecferens* praeter Vat. A. nonnulli praestant Gruteri codd., item aliquot Wassii, et, si fides textui Havercampii, omnes Leidd. Hac forma praepositionis antiquiores in verbis compositis interdum usos esse certis exemplis docuit Wassius ad h. l. probante Cortio; neque dissentit Bentlei. ad Terent. Heaut. IV, 4, 23. ac Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. I, 2. p. 561. Tamen Sallustium non ubique ita scripsisse putaverim; sed h. l. propter exacerbatam sententiam et graviter commotum Adherbalis animum asperiorem formam consulto ab auctore positam esse probabile videtur. cf. Cic. Tuscull. IV, 29, 63. ubi in interpretandis Euripidis

dolis nequit capere, nihil minus quam vim aut bellum exspectantem in imperio vostro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius quam in meo regno es-

versibus gravi oratione utens eandem verbi formam, quamquam alio sensu, posuit. — *Atque eodem* non simpliciter annectit, sed ea est pronominis *idem* copulae additi potestas, ut alteram obiecti vel praedicati partem cum vi quadam efferat et maxime respiciendam proponat. cf. c. XXXI, 12. *nocentissumi iidemque superbissumi.* Bremi. ad Nep. Conon. c. II, 1. *contulit se ad Pharnabazum, satrapen Ioniae eundemque generum regis.* Heusinger. ad Cic. de Off. I, 6, 4. *quidam nimis magnum studium in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.* Goerenz. ad Acadd. II, 36, 114. p. 205. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84. c. 5. p. 483. — *Isdem* tenent Vat. A. Senat. 1. 2. Bas. 1. Guelf. 5. 1. 2. 9. Vrat. 3. Rem. 1. 2. Bern. 4. Heuss. Fabric. 2. Inc. 1. 2. Relicui *iisdem.* v. ad Catil. XXXIX, 6. XLII, 1. Iug. XVII, 2. XXV, 2. LIV, 1. 9. LXXXV, 1. — *In imperio vostro* i. e. quum vos imperetis, sive *vobis imperantibus.* Structurae rationem explicavimus ad Cat. II, 10. p. 15. Eam Cortius quoque ad h. l. assecutus est, cui assentimur apud Caes. B. G. II, 1, 4. scribendum esse: *qui minus facile eam rem in imperio nostro consequi poterant*, ut est apud eund. I, 33, 2. Cic. Epp. ad Famm. I, 4, 6. v. etiam infra ad c. XXXI, 24. — Sequentium verborum structuram Cortius, quem Langius sequitur, non recte intellexit; vult enim quod posterioris enunciationis subiectum esse debuerit, per attractionem prioris verbi obiectum factum esse, quemadmodum in his Plauti, Poen. II, 5 sq. „Sex immolavi agnos, nec potui tamen *Propitiam Venerem facere*, uti *esset* mihi," ut Sallustio proprie ita dicendum fuerit: Iugurtha *effecit*, ut *ego* nihil m. *exspectans*, *extorris*, *inops* et *coopertus* miseriis ubivis tutius quam in regno meo *essem*, quam Cortii explicationem amplectitur etiam Kruegerus in eximio libro de Attract. Ling. Lat. §. 61. p. 153 sq. Sed ut taceam valde contortam esse hanc structuram, atque eo multum dissimilem allatis a Cortio exemplis, quod *utrumque* verbum suum praedicatum habet, sententiae ipsius ratio postulat, ne id, quod gravissimum est in querela Adherbalis, quippe *extorrem se*, *inopem* et *coopertum miseriis* esse, delitescat, sed ut primarium locum obtineat. Quocirca locus ita intelligendus est, ut

12 sem. Ego sic existumabam, Patres conscripti, ut praedicantem audiveram patrem meum, qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse.
13 Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis adesset vobis; nos uti per otium tuti simus in
14 manu vostra est, Patres conscripti. Pater nos duos fratres reliquit; tertium, Iugurtham, beneficiis suis ratus est coniunctum nobis fore. Alter eorum neca-

extorrem, *inopem*, *coopertum effecit* praedicatum sit obiecti *nihil minus exspectantem*, quae verba non appositionis vi ad protasin pertinent, sed *apodosin* incipiunt. Quae sequuntur *ut ubivis — essem*, facile coeunt cum praegressis, modo teneas per epexegesin adiecta esse, cuius vim senties, si post *effecit* cogitatione suppleveris *ita quidem*. Ceterum Gerlachius *efficere* perperam poetice usurpatum iudicat, cuius propria potius potestas h. l. constat. Vero enim Herzogius ad Catil. XIV, 4. p. 72. docuit *effici* de eo dici, quod adhibito studio, labore, contentione et exercitatione plane tale existat, quale id esse velimus, aut res ipsa ostendat; cf. Fragm. Hist. I, 19, 3. *se e contempto metuendum effecit.* id. IV, 12, 8. *Attalum miserrumum servorum effecere.* Caes. B. G. IV, 1. *quae res et sibi genere et quotidiana exercitatione — vires alit et immani corporum magnitudine homines efficit.* id. B. C. III, 84, 3. *quae res in dies confirmatiorem eius exercitum efficiebat.* Noster Catil. XLII, 2. *festinando, agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant.* — De *extorris* vocabuli forma v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. T. I. P. I. p. 12 sq., de usu et structura Duker. ad Liv. VII, 4, 4. Sall. Fragm. Hist. II, 6. Pro *tutius* Guelf. 11. et Inc. 1. habent *tutior*, scribis ignorantibus ubi *esse* verbum praegnanti sensu universam alicuius status condicionem complectatur, istam condicionem legitime adverbio significari; de quo usu diximus ad Catil. LVIII, 9. p. 306 sq. et ad Iug. VII, 6. Quare haec ita capienda: dass ich überall *in einer sicherern Lage bin.*

§. 12. *praedicantem*] De potestate huius verbi v. ad Catil. XLVIII, 9. p. 225. — *Sic ante existumabam* quo dicendi usu posi-

tus est, alterius ipse ego manus impias vix effugi.
Quid agam? aut quo potissumum infelix accedam? 15
Generis praesidia omnia exstincta sunt; pater, uti
necesse erat, naturae concessit, fratri, quem minu-
me decuit, propinquus per scelus vitam eripuit, af-
fines, amicos, propinquos ceteros alium alia clades
oppressit; capti ab Iugurtha pars in crucem acti,
pars bestiis obiecti sunt; pauci, quibus relicta est
anima, clausi in tenebris cum moerore et luctu morte

tum sit declaravimus ad Catil. LI, 7. p. 239. — *Diligenter* abest a Fabric. 2. Vrat. 2. Vin. 2. Guelf. 3. Leid. L. Teg. Med. 7. 8. et uno Wassii; praeterea Vrat. 1. *col. dil.*, Guelf. 4. *dilienter*, 7. *libenter col.*, quo permotus Cortius vocabulum delevit, ratus glossam esse, ad *colere* verbum illustrandum ascriptam. Sed recte Gerlachius monuit id tale esse, ut nulli librario explicatione egere videri potuerit; quare in antiquo aliquo cod. casu aliquid turbatum puto, unde alii labem traxerunt, ut coniicere licet ex scriptura cod. Commel., ubi prima manus exaravit *diligerent colerent.* Ut igitur plurimorum librorum consensus vocem tuetur, ita etiam sententia eam quodammodo postulat, siquidem *multus labor* maxime amicitia *diligenter* colenda suscipitur. — *Ceterum* explic. ad c. II, 4.

§. 13 — 15. *adesset vobis*] Cortius inverso ordine numeroque verbi mutato edidit *vobis adessent;* sed pluralis uno tantum cod. Fabric. Rivii nititur, neque in tali nexu, ubi proxime praecedit *praestitit*, ferendus est; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 69, 2. not. 1. p. 295 sq. ed. IV. Ordo autem verborum invito Cortio mutatus videtur, quum omnes codd. in vulgato conspirent. Dictionem *adesse alicui*, quod significat *praesenti auxilio aliquem iuvare*, bene illustravit Herzogius ad Caes. B. G. VII, 62. cf. Drakenborch. ad Liv. VI, 38, 6. XXI, 6, 1. — *Per otium* i. e. *pace;* v. ad Cat. XXXVI, 4. p. 167. Iug. XLI, 4. LXVI, 2. Verba *ratus est coniunctum nobis fore* in plurimis Gruteri, Cortii et Gerlachii codd. hoc ordine leguntur; in Leidd. vero et nonnullis aliis est *rat. est nob. coni. fore*, quod minus placet. *Est* non comparet in Inc. 1. Guelf. 6. et 12., quorum fide Cortius et Gerlachius in ed. maiore deleverunt. Sed quum Adherbal singulas familiae suae res commemoret, aptius est,

16 graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex improviso accidisset, vos implorarem, Patres conscripti, quibus pro magnitudine imperi ius et iniurias omnis curae esse decet.
17 Nunc vero exsul patria, domo, solus atque omnium

brevibus eum incisis uti, quam id enunciationi praegressae subiungere, quod per se non commode secundarium locum obtinere potest. Eadem de caussa alterum *est* post *necatus*, quod solus Merseb. Rivii non habet, retinendum; Cortius pro more suo deleverat. — Idem *aut* post *agam*, uno nisus Guelf. 6. eiecit, scilicet ut oratio ardentior fieret. Gerlachius in ed. mai. tacite eum secutus in novissima particulam restituit. — In verbis *quem minume decuit* relativum spectat ad omissum *is*, cui enunciationi cum vi tanquam appositio subiicitur, *propinquus*. — Post *ceteros* plerique omnes codd. addunt *meos;* sed quum valde langueat et a Vatic. A. absit, delere non dubitavimus. Similiter paullo ante pro *generis* in Leidd. D. F. K. et Guelf. 2. scriptum est *gen. mei.* — *Sunt* post *obiecti*, quod in Fabr. 1. ante participium legitur, et a Leid. C. abest, Cortius expunxit. Idem nihil monito lectore *est* post *relicta*, quod omnes codd. tenent, omisit. — *Cum* praepositionis usus in tali structura, qualis est *cum moerore et luctu vitam exigere*, satis tritus est, quamquam per se non elegans, ut Cortius praecipit. Contulit ille Plaut. Rud. Prol. v. 29. Coel. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 14, 9. v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 11. p. 362. ed. IV. et quae infra notavimus ad c. LIII, 7. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 153 sqq. *Vitam exigere* Cortius ad h. l. et Ruhnken. ad Ter. Heaut. II, 3, 39. dictum censent pro simplici *agere* vel *degere;* sed omnibus fere locis *exigere* adiunctam habet notionem *longinqui temporis*, interdum non sine molestia, *explendi;* cf. c. LXXXV, 50.

§. 16. *quae ex necessariis advorsa facta sunt*] Haec Langius et Muellerus ita intelligunt: *quae mihi ex cognatorum et amicorum clade acciderunt*, cui rei verborum ratio et dicendi usus obstat. Acutius vidit Cortius, quem omnes errasse arguunt, *necessariis* neutro genere positum esse, ut praedicatum clare ostendit. Licet autem verba generali sensu omnes Adherbalis rationes, quae illi cum aliis erant, complecti videantur, tamen dubium non est, quin maxime

honestarum rerum egens, quo accidam, aut quos appellem? nationesne an reges, qui omnes familiae nostrae ob vostram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit?

eam necessitudinem, qua cum *Iugurtha* iunctus erat, intelligat. Igitur hoc dicit: *si omnia mihi incolumia essent, neque quidquam rerum mearum amisissem, neque Iugurtha aliique, qui mihi proximi et cognati sunt, mutato animo hostes et adversarii facti essent.* Neutro genere etiam personas significari supra ad c. XIII, 6. ostendimus; quae ratio cur hic valeat quivis videbit, qui animum adverterit, ad concinnitatem orationis servandam auctorem explicativas sententias, quarum altera ad res, altera ad personas spectat, unà ad praegressum *omnia* per relativum et *aut* particulas retulisse. Ceterum Faber recte vidit *quae* primum nominativum, tum accusativum esse, plane ut infra c. XXXI, 18. Nimirum hic quoque concinnitatis studium plus valuit, quam severa constructionis lex. — *Manerent* et *implorarem* Langius pro plusquamperfecto dictum censet, quae multorum est sententia de eiusmodi imperfectis, velut Heusingeri ad Cic. de Off. III, 19, 2. et intprr. ibi laudatorum, Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, 5. et II, 3, 93., aliorum; sed in promptu est Adherbalem haec non tanquam praeterito tempore absoluta enunciare, sed fingere etiamtum, quum dicebat, fieri; unde consequitur imperfectum propriam vim non deposuisse; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 2. not. 2. p. 393. Ramshorn. §. 190, I, 3. not. 1. p. 586 sq. et quae infra ad c. LIX, 3. uberius disputavimus. — *Mali* omnes codd. tenent post *improviso*; Gerlachius in ed. maiore post *quid* collocavit, Cortius plane omisit, codicis Eccard. fide. Quin abesse possit non est dubium; sed eo addito certiorem fieri orationem ac graviorem neminem fugit.

§. 17. *Nunc* eam vim habet, ut transitum paret ad praesentem aliquem rerum statum, cum eo, de quo antea dictum est, non congruentem et propterea illi *oppositum*, quae opponendi potestas h. l. non infertur, sed augetur *vero* particula; cf. infra §. 24. Fragm. Histor. III, 22, 2. Kuehner. ad Cic. Tuscc. III, 1, 2. Aug. Matthias ad Cic. p. Arch. poet. 11, 29. Heindorf. ad N. D. II, 36. Meiner de

18 Postremo Masinissa nos ita instituit, Patres conscripti,
ne quem coleremus nisi populum Romanum, ne so-
cietates, ne foedera nova acciperemus; abunde magna
praesidia nobis in vostra amicitia fore; si huic im-
perio fortuna mutaretur, una nobis occidendum esse.
19 Virtute ac dis volentibus magni estis et opulenti,
omnia secunda et obedientia sunt; quo facilius so-
20 ciorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor,

Particc. Latt. p. 329. — Pro *atque*, ante *omnium*, quod omnes paene codd. tenent, Cortius tacite scripsit *et*. — *Quo accidam, aut quos appellem?* Hunc locum Ruhnkenius ad Rut. Lup. II, 6. p. 96 sq. novandi studio indulgens non uno nomine tentavit; sed in plerisque audacius quam verius est eius iudicium. Nam quum Donat. ad Ter. Hecyr. III, 3, 18. referat Sallustium alicubi dixisse: *qua accidam, aut quo?* Ruhnkenius statuens nostrum locum a Donato respici primum scribendum censet *quo accidam*. Tum collato Ennii versu apud Cic. Tuscull. III, 19, 44. *arce et urbe orba sum; quo accidam? quo applicem?* quae verba quum, nescio quo iure, Sallustium imitatione expressisse dicat, *quos appellem* mutat in *quo appellam*, scilicet ut hoc respondeat Enniano vocabulo, e re nautica ducto. Denique ut sequentium verborum structura congruat, *ad nationesne* scribi iubet. Quae postrema ut omni verisimilitudinis specie destituta sunt, ita in verbo *accidam* recte vidisse Ruhnkenium putaverim. Nam quum de eo ita dicat Donatus, ut corruptelae suspicio esse nequeat, sensus autem talis sit, ut verbum nonnisi in supplici et miserabili cuiusdam oratione legi potuerit, talis autem oratio in Historiis fuisse non videatur, nihil obstat, quominus Donatum hoc dicendi exemplum ex Adherbalis oratione desumpsisse putemus. Neque obest ei sententiae quod priore loco *qua* pro *quo*, altero *quo* pro *quos* legitur, quum nihil frequentius sit relativi siglo perperam intellecto, praesertim ubi sententiarum nexus sublatus est. cf. Cat. XVIII, 1. XXXIX, 2. Drakenb. ad Liv. X, 14, 4. Quod Cortius autem *accedam* eo defendi credit, quod §. 15. legitur: *quo potissumum infelix accedam*, et statim post: *an quoquam adire licet*, isti loci Donati potius scripturam confirmant, aut certe non infringunt. De potestate et structura *accidere* verbi de suppli-

ne quos privata amicitia Iugurthae parum cognita
transvorsos agat, quos ego audio maxuma ope niti,
ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente
incognita caussa statuatis; fingere me verba et fu-
gam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod- 21
utinam illum, cuius impio facinore in has miserias
proiectus sum, eadem haec simulantem videam, et
aliquando aut apud vos, aut apud deos immortalis

cibus usurpati v. Ruhnken. ad Terentii et Rutilii ll. ll.; quam saepe autem cum *accedere* confusum sit cognoscas ex Cortio ad Iug. LXXXVIII, 6. Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 12, 41. Drakenb. ad Liv. XXI, 10, 12. Denique *accidam* in eo aliquid praesidii habere videtur, quod apud Wassium in cod. B. Pub. mendose scriptum est *quo acciderat.* — Relicua ab Ruhnkenio tentata sanissima sunt; nam *appellare aliquem* frequentissimum est de iis qui aliq. precibus adeunt, eiusque auxilium implorant; cf. Cort. ad h. l. qui laudat Cic. p. Flacco 2, 4. p. Quinct. 30, 94. v. Ernest. in Clav. Cic. h. v. Bremi. ad Nep. Attic. c. VIII, 3. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 4. et ad Sall. Cat. XVII, 1. — *Mihi* Cortius fide unius Guelf. 11. delevit. — Idem fecit verbo substantivo *sint*, quod in Guelf. 5. et Inc. 1. deest, et in quattuor aliis in *sunt* mutatum est, quae caussa non sufficit ad id omittendum. — Pro *aut quisquam* nonnulli libri, sed deteriores, exhibent *an quisq.*, scribis non intelligentibus non alteram interrogationis obliquae partem hic haberi, quum potius praegressae rectae nova adiungatur recta, qua illa retractetur. V. de isto loco Handium de Particc. Latt. T. I. p. 354. §. 15. coll. Ib. p. 551. Bene Faber ex Sallustio comparavit Fragm. Histor. I, 15, 21. *Quis eadem volt? aut quis non omnia mutata, praeter victoriam?* Incert. 17, 3. *Quis mihi vivo cruciatus satis est? aut quae poena mortuo?* — *Nostri* pronominis grammaticam rationem explicavimus ad Catil. c. XXXIII, 2. p. 154.

§. 19 — 21. *secunda et obedientia*] In Leid. II. ante *secunda* additum *vobis;* idem in tribus Cortii legitur post *obedientia*, scribis aegre ferentibus dativum abesse. cf. ad Cat. LI, 28. Iug. I, 3. X, 3. XII, 4. L, 4. LXXXII, 1. LXXXV, 5. — *Sociorum iniurias* i. e. sociis illatas iniur. v. ad Cat. c. LII, 6. p. 265. — De pronomine

rerum humanarum cura oriatur! ne ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis mearumque miseriarum gravis poe-
22 nas reddet. Iamiam frater, animo meo carissume, quamquam tibi immaturo et unde minume decuit

illud monitum ad Cat. c. LI, 7. p. 239. — *Transvorsos agat* explicatum est ad c. VI, 3. — *Et* post *verba* Cortius male eiecit, codd. omnibus, praeter Fabr. 2. et Vratisl. 1., repugnantibus. — *Me*, quod in cod. Eccard. non legitur, Cortius eleganter abesse putat; sed v. ad Catil. c XXXI, 7. p. 147. Structurae expediendae caussa in nonnullis codd. ante *fingere* additum est *dicunt*, de quo interpolationis genere diximus ad Catil. c. XXI, 3. p. 106. cf. Iug. c. VIII, 1. — *Quodutinam* illustravimus ad Catil. II, 2. p. 10. quibus confer quae Otto ad Cic. de Finn. I, 20, 67. diligentissime contulit, cui tamen concedere nequeo, *quod* in his significare ex ante dictis aliquid *colligi*. Nonnulla huius structurae exempla etiam Gronovius congessit ad Liv. XXVII, 7, 6. qui locus tamen ipse alienus est, quippe ubi *quod* pro *quia* positum sit. Ibidem Gronovius hunc Sallustii locum laudans invitis omnibus codd. *eadem sic* pro *eadem haec* scribi vult, recte a Cortio refutatus, qui multa exempla *idem* pronominis cum *demonstrativo* coniuncti attulit, velut Cat. XXXI, 4. LI, 7. LVIII, 10. Fragm. Historr. III, 22, 27. Liv. III, 14, 5. Cic. Epp. ad Famm. VII, 17, 10. de Finn. V, 27, 80. de Off. II, 1, 3. Alia v. apud Herzogium ad Caes. B. G. VII, 15, 1. — *Aliquando* cum vi dictum est *tandem aliq.*; v. ad c. LXII, 1. — *Ne ille — reddet* verissime a Cortio repositum pro vulgato *ut ille — reddat*, quae verborum depravatio in proclivi fuit, quum librarii his contineri censerent illud, quod Adherbal cura deorum effectum precaretur. Sed quum Vat. A. Nazar. Einsiedel. Paris. a. z. Bern. 4. et Paris. b. m. sec. pro *ut* exhibeant *ne*, quod etiam Heuss. et Sen. 2, in quibus est *ut ne*, aliquantum confirmant, patet talem esse Adherbalis orationem, ut optato finito *confidenter* addat, *profecto* poenas scelerum *daturum* Iugurtham, si modo dii preces suas audiant. Cui sententiae adeo repugnat coniunctivus, ut necessario etiam sine libris *reddet* scribendum sit; praesertim quum ita assurgat oratio, ut fratrem mortuum tanquam praesentem alloquatur. Nihil est au-

vita erepta est, tamen laetandum magis quam do-
lendum puto casum tuum; non enim regnum, sed 23
fugam, exsilium, egestatem et omnis has, quae me
premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At
ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio
regno, rerum humanarum spectaculum praebeo, in-

tem mirum eos quoque scribas, qui *ne* servarunt, in eius sensu et structura errasse, nedum illi, qui *ut* intulerunt, indicativum ferrent. Quare perperam Faber cum Gerlachio *nae ille — reddat* exhibuit, quod quomodo hic defendi possit non dixit. Similes turbas *ne* particula male intellecta dedit Catil. c. LII, 27. ubi v. Prorsus autem coecutit Langius, qui vulgatam retinens Cortium arguit hunc locum impeditiorem reddidisse, ac ne illud quidem reputavit, haudquaquam librarios *ut* in *ne* mutasse, si primitus in suis exemplis habuissent, sed plane pro suo captu egisse *ut* in alterius particulae locum substituendo. — *Praeclarus* perperam negat Gerlachius a *sceleribus* aptum esse; aliud est enim *praeclarum*, aliud *sceleribus praecl. esse;* in illo laus, in hoc acerba nequitiae sese efferentis exagitatio inest, quam spectat Adherbal. Neque verum est, quod idem Gerl. dicit, *poetas* tantum huic adiectivo ablativum addere; comparet V. D. Iug. XXXIX, 2. *Aulo omnes infesti, qui bello saepe praeclari fuerant.*

§. 22. *tibi immaturo*] Pronomen in cod. Struv. post *immaturo* legitur, in Vrat. 2. deest, quod Cortio satis fuit ad id delendum. Mirifice defendunt Bipp. eo, quod in sequentibus *unde* adverbio respondeat; neque minus perversa est Gerlachii sententia, qui retinendum censet, quia sequenti *tuum* respondeat. Non enim oppositionis ratione, sed quaesita orationis perspicuitate defendi voculam, omnium fere codd. consensu firmatam, vix est quod moneamus. — *Unde* i. e. *a quo*. v. ad c. XIII, 5. Cortius praeterea contulit Plaut. Menaechm. V, 2, 32. Gronov. ad Trucul. I, 1, 42. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 71. Ita etiam Tacit. Ann. I, 3, 2. *Nero solus e privignis erat; illuc cuncta vergere.*

§. 23. *non enim regnum — amisisti*] Quae regno opponuntur *fuga*, *exsilium*, *egestas*, *aerumnae*, quivis videt non per se cum *amittere* verbo coniungi posse, sed per zeugma tantum hoc verbum ad ista nomina referri. Proprie enim ita dicere debebat: nam ani-

certus quid agam, tuasne iniurias persequar, ipse auxili egens, an regno consulam, cuius vitae necis-
24 que potestas ex opibus alienis pendet. Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, neu vivere con-

ma amissa non tam *regnum amisisti*, quam fuga, exsilio, egestate, aerumnis *liberatus es*. V. supra §. 4. 9. et ad c. III, 1. — Pro *et omnis* Vatic. A. habet *sed omnis*, quod non cum Gerlachio ornatius, sed gravius et vehementius dictum putaverim; sed quominus probem anaphoram obstat relicuorum librorum omnium auctoritas. — *Persequar* quomodo dicatur monitum ad Cat. IX, 5. p. 50. cf. Drakenborch. ad Liv. XL, 11, 10. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 38. — *Cuius* paullo insolentius non ad substantivum proximum refertur, sed ad primae personae pronomen, in verbo latens, quae structura eo aliquantum excusari videtur, quod *ipse* praecessit. cf. Tacit. Ann. XV, 36, 3. *vidisse civium moestos vultus, quod tantum aditurus esset iter, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent.* Ceterum Cortius imperite *vitae necisque potestatem* pro circumscriptione nudarum vocum *vita nexque* habet, quemadmodum *ius regni* (v. ad c. III, 1.) dicatur pro ipso regno. Quae explicandi ratio ut per se inepta est, ita h. l. verbis *opibus alienis* improbatur. *Alienas* autem *opes* Muellerus pessime de Romanorum arbitrio capit, non sentiens supra modum servilem fieri Adherbalis animum, qui se, regem et Masinissae nepotem, tanquam vilissimum mancipium a Romanis pro lubitu vel necari, vel vita donari posse dicat. Sed verba etiam obstant, siquidem Adherbal, si Romanos intellexisset, non invidioso vocabulo *alienis*, sed potius, ut in tota oratione, *vestris* usus esset. Quare *opes alienae* Iugurthae sunt, a quo exutus imperio Adherbal sane mortem timere debebat, neque amplius libere vivendi arbitrium habebat.

§. 24. *emori*] Gernhardi sententiam ad Cic. Cat. Mai. c. XIX, 71. p. 135. *emori* ab *mori* pleniore tantum sono, sed non notione differre recte improbat Ludov. Doederlinus in Synon. Lat. T. III. p. 183 sq. secutus Forcellinum, qui *emori* esse dicit *omnino* vel *prorsus mori;* quam explicationem veram esse non modo praefixae voculae vis, quam illustravimus ad Cat. XLVIII, 4. XLIX, 4. et LI, 20., sed etiam exempla ipsa satis comprobant. cf. Cat. XX, 9. *nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram — per dedecus amittere*, in quo, Doederlino iudice, hoc inest: quam

temptus viderer, si defessus malis iniuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentis vostros, per maiestatem po-

vitam miseram trahere, et paullo serius tamen amittere. Ita h. l. *emori* dicitur respectu sequentium verborum *contemptus vivere*, quo Adherb. significat talem vitam non multum ab ipsa morte differre. Pessime autem Muellerus *fortunis* contendit ex nomine *exitus* aptum esse, quod cur fieri nequeat ostendimus ad Cat. c. XXXII, 1. p. 150. et ad XXXIX, 3. p. 180. cf. Tac. Ann. XIII, 51, med. *quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* — *Neu* tantummodo exstat in Vat. A. Paris. z. Einsiedel. Commel. Guelf. 4. et nonnullis Popmae libris; relicui omnes habent *ne*, quod Langius cum Havercampio in textu expresserunt, prorsus ineptâ sententiâ. *Duo* enim optare Adherbalem, aut honestam mortem, aut non contemptam vitam, patet ex sequentibus, ubi *neutrum* sibi datum esse conqueritur; quare *ne* particulae nullus locus est. In tanta perspicuitate Sellingius in Lectt. Sall. p. 21 sq. verba mirifice depravavit scribendum coniiciens *neu iure contemptus viderer*, praeterea novo errore *neu* interpretatus *quum!!* Non verius est, quod idem *fortunis meis* pro sexto casu habet, provocans ad Cat. XL, 2., et quod ad *concessissem* suppleri vult *morte voluntaria!* v. ad c. XI, 4. — In postremis verbis libri paullulum turbant, maxime propter repetitum *per*, quod pauci medio loco non habent; praeterea Inc. 2. Guelf. 11. et Rem. 1. *obtestor*, Franc. et Vrat. 3. *oro* inserunt, quae additamenta Cortius bene reiecit comparato Cic. p. Planc. c. 42, 103. *Nolite, iudices, per vos, per fortunas vestras, per liberos, inimicis meis dare laetitiam.* cf. Sall. Iug. XXIV, 10. *me manibus impiis eripite, per maiestatem imperi, per amicitiae fidem.* Historr. Fragm. Inc. 17, 13. Gerl. *Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa.* Liv. XXIX, 18, 9. *quibus, per vos fidemque vestram, neque in Italia neque in Africa quicquam rei gesseritis*, ubi v. Drakenborch. Sed pessime Cortius cod. Eccard. et duos alios secutus scripsit *per, vos, liberos atque parentes*, peius etiam *vos* primo casu positum esse iudicans, ita ut pronomen cum *subvenite* coniungatur, *per* autem poetarum more a suo accusativo seiunctum sit. Quam licentiam, Kruegero quoque in libro de Attract. Ling. Lat.

puli Romani, subvenite misero mihi, ite obviam iniuriae, nolite pati regnum Numidiae, quod vostrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere."

XV. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthae, largitione magis quam caussa freti,

§. 86. p. 212. probatam, perperam Sallustio obtrudes, quum probatissimi codd. omnes aliique plurimi in recepta a nobis scriptura consentiant. Unus tantum Vat. A. verba *per vos p. l. a. p. v. p. m. p. Romani* omisit, quod casu factum, non, ut Gerlachius censet, ad medelam vexatissimo loco (qui planissimus est) adhibendam. v. ad c. XCII, 2. — *Per scelus atque sanguinem* insolentius coniunctum videtur; quamvis enim utrumque nomen ex *per* praepositione pendeat, tamen varia utriusque ratio est. Nam *per scelus* ex linguae usu non potest aliam nisi adverbii vim habere, ut ostendimus ad Cat. c. XX, 20. p. 96 sq. coll. Herzog. ad c. XII, 5. p. 61.; quare *scelus* nequit aptum esse ex genitivo *familiae*, ad quem tantummodo *sanguinem* pertinet; inde consequitur *et* duo ista nomina non pari potestate copulare, sed cum vi addere quod ad augendum sensum verborum *per scelus* pertineat, qua potestate copula valet *et quidem*; cf. ad c. XXXII, 2. et v. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 16, 57. p. 111. Cort. ad Epp. ad Famm. XI, 29, 6. Herzog. ad Quintil. X, 1, 7. p. 95. Kiessling. ad Tac. Ann. I, 55, 1. IV, 51, 3. Daehne ad Nep. Milt. III, 4. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 477. §. 6. Sensus est igitur: nolite pati regnum Numidiae *nefarie*, *et quidem per propinquum meum* tabescere. Si quis vero *per sanguinem familiae nostrae* intelligere malit *per caedem meam*, non multum repugno; certe membrorum ratio eadem manet. *Tabescere* autem Cortius bene explicat, dignitate sua privari et paullatim interire, coll. Cic. Epp. ad Attic. III, 25. *litterae mihi Roma allatae sunt, ex quibus perspicio nobis in hac calamitate t a b e s c e n d u m esse.*

XV. §. 1. *finem loquendi*] Weissius ex corruptis edd. suis scripsit *loquendi finem*, lepide vituperans ceteros, qui codd. secuti sunt. — *Suam* post *saevitiam* quum Cortius h. l. intactum reliquerit, Gerlachius satis ieiune observat tum ex hoc, tum ex multis aliis exemplis colligi, multo saepius a Sallustio pronomen additum

paucis respondent: Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidis interfectum; Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisset. Iugurtham ab Senatu petere, ne se alium putarent ac Numantiae cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent.

fuisse, quam *vulgus interpretum* autumet. Utilius certe erat monere, sententiam addito pronomine prorsus aliam evadere, quam sine eo. Ea est enim pronominis vis, ut significet *saevitiam* Hiempsali fuisse *propriam*, saevamque eius *naturam* Numidas ad caedem impulisse. Quae caussa ut valere poterat ad factum excusandum, ita multo levius foret, si *ob saevitiam* occisus diceretur; nam sic magis singulare aliquod factum, quam universum morem significari patet. De usu pronominis v. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 158, 4. p. 340. — *Ultro bellum inferentem* i. e. *eo iniuriarum progressum ut bel. inferret.* cf. de huius particulae potestate et usu acute disputantem Ludov. Doederlinum in Synonym. Lat. T. III. p. 102. Herzog. ad Caes. B. G. I, 9. p. 29. Exempla multa praebebit Drakenborch. ad Liv. XL, 12, 4. — *Nequivisset* Cortius ex melioribus libris recte scripsit pro vulgato *nequisset*, quod Weissius non aliam ob caussam, quam quia in interpolatis edd. legitur, repetiit. — *Se* ante *alium* unus Wassii et tres ex Italis Gerlachii codd. non habent. Cortium, qui abiecit, sequerer, si meliores libri in omisso pronomine consentirent; nam abesse posse ostendimus ad Cat. XXXI, 7. et ad Iug. XIV, 3.; sed h. l. proxima *ne* vocula facile intercipi potuit. — *Putarent* per synesin ad *Senatum* relatum; de qua numeri ex sensu potius quam ex grammatica forma pendentis ratione diximus ad Catil. XXXIX, 3. p. 183. Quam familiare autem fuerit Romanis *senatus* et *senatorum* notionem cogitatione permiscere, ingenti exemplorum copia docuit Drakenborch. ad Liv. IV, 58, 4. — De dictione *verba ante facta ponere* v. notata ad Cat. LIII, 3. Cic. de Off. I, 24. 84. *Non hic ponebat rumores ante salutem.* cf. Hand. de Particc. Lat. T. I. p. 386., qui verissime monuit, inde a vergente demum aurea aetate hunc dicendi modum invaluisse. Iaumanno Gerlachius persuasit *tmesin* esse, ex usu antiquiorum scriptorum petitam, quasi legitima ratio esset *neu verba anteponerent facta.*

2 Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur. Fautores legatorum, praeterea magna pars gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagi-
3 tio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra

§. 2. *magna pars gratia depravata*] Ante Gruterum vulgabatur *senatus magna pars* etc. Eum in expellendo *senatus* vocabulo recte Cortius aliique secuti sunt, quum absit a Nazar. Rem. 1. Leid. A. B. C. K. N. Balliol. B. Publ. Arondel. Reg. Laud. 1. 2. 3. Berol. 2. Paris. b. c. duobus Cortii codd. Praeterea varius eius locus, quippe in Fabr. 1. Struv. Leid. D. H. M. post *pars* legitur, ostendit explicationis caussa versui superscriptum, quam rem testatur Paris. z., in ipsa auctoris verba irrepsisse. Quae quamquam certissima sunt, ita tamen fluctuat Gerlachii de hoc vocabulo iudicium, ut, probet necne, prorsus nesciat. — Pro *depravata* Cortius ex uno cod. Fabr. 2. scripsit *depravati*, provocans ad c. XIV, 15. *pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt*, et ad LXVI, 4. *pars edocti ab nobilitate*, LVIII, 2. *magna pars volnerati aut occisi*, quibus locis addi possunt quae plurima eiusdem generis congessit Drakenborch. ad Liv. XXVII, 1, 12. Quare facile concedimus Sallustium ita scribere potuisse; sed quum vulgata proba sit, unum librum sequi temerarium foret. Minus valet Gerlachii ratio, *fautores* non dici *depravatos;* per se enim nihil obstat, quominus etiam *depravati* ad senatores referatur, quum ex verbis *senatus statim consulitur,* et fautores et gratia depravatos *in senatu* fuisse pateat. — *Contemnere* h. l. non de *sensu* contemptus intelligendum est, sed significat *verbis declarare quam vilia Adherbalis dicta haberent*, id quod patet ex opposito *extollere laudibus*. Apte Faber contulit Cic. p. Mur. 7, 15. *Contempsisti L. Murenae genus, extulisti tuum.* id. de Orat. III, 16, 59. *Inventi sunt, qui hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent.* — Pro *nitebantur* in Guelf. 11. ex interpolatione scriptum est *niti*, scilicet ut structura eadem maneret; sed v. ad Cat. XVI, 2. p. 79. Iug. XXX, 3. XXXII, 3. XLIII, 4.

§. 3—5. *at contra*] Has particulas coniunctas iam legimus Cat. c. XII, 5. *Contra* autem accuratius designare vim *at* particu-

pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius erat,
subveniundum Adherbali et Hiempsalis mortem se-
vere vindicandam censebant; sed ex omnibus maxu- 4
me Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factio-
sus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum
vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis 5

lae propriam, quae cernitur in oppositione rerum diversarum vel contrariarum, monuit Handius de Particc. Lat. T. I. p. 418. — *Bonum* i. e. *honestum* observante Cortio eodem modo cum *aequo* coniunctum est apud Ter. Heaut. IV, 1, 29. *quid cum illis agas, qui neque ius neque bonum et aequom sciunt?* id. Adelph. V, 9, 30. Flor. III, 14, 3. — *Erat* post *carius* Cortius tacite omisit; ex omnibus codd. unus Vatic. 3. non habet, quem Gerlachius in Commentt. p. 239. perperam sequendum censet, quamquam in textu vulgatam retinuit. — Post *censebant* Cortius et Gerlach. incommode punctum posuerunt, non sentientes sequentia quasi epexegesin priorum esse. De *M. Aemilio Scauro*, Senatus principe (v. infra c. XXV, 4.), multa habentur Ciceronis honorificentissima testimonia, ab interpretibus iam laudata, velut p. Fontei. 7, 14. p. Mur. 7, 16. p. Sext. 47, 101. Brut. 29, 111. de Off. I, 22, 76. ubi v. Heusing. et Car. Beier. Adde Rupertum ad Taciti Ann. III, 66, med. et Freinshem. in Supplemm. Liv. lib. LXII, sqq. Divitiarum cupidine interdum abreptum fuisse praeter Sallustium c. XXIX, 2. haud obscure significat ipse Cicero de Orat. II, 70, 283. — Pro *solet*, quod absolute dictum explicavimus ad Cat. XXIX, 2., nonnulli codd. habent *fieri solet*. — Animum a temeraria coniectandi libidine non continuit I. Fr. Gronovius, scribendum censens *ne polluti licentia invidiam accenderent*, quod neque propter structuram necessarium est, et sententiam multo deteriorem reddit. Non enim ad omnes pecunia regis corruptos haec spectant, sed ad unum Scaurum, qui verebatur ne in gravissimam invidiam incurreret (*invidiam accenderet* sc. *sibi*) si *polluta licentia* ageret i. e. supra modum aequi honestique negligens esset. *Pollutus* enim, quo proprie significatur res *maculis contaminata*, translate de omni, quod foedum et detestabile factum est, usurpatur; sed tamen audacius Sallustius *id ipsum pollutum* dicit, quo proprie *homines* vel *hominum animi polluti* dicuntur; polluuntur enim quae suapte natura pura, integra

largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in Senatu pars illa, quae
2 vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dividerent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus

et incorrupta esse debent, cf. Ludov. Doederlin. Synonym. Lat. T. II. p. 54 sqq.; *licentia* autem quum per se iam bonos dedeceat, polluit potius, quam polluitur. Sed auctor latiore sensu, ut diximus, licentiam modum omnem egressam significat; *polluta* igitur h. l. idem est atque *foeda ac detestabilis.*

XVI. §. 1. *quae — anteferebat*] Casu vel errore librarii in Bas. 1. exstat *antefereb a n t*, unde Cortius contempto reliquorum codd. consensu ex libidine fecit *q u i — anteferebant*, ad insolentem in pedestri oratione structuram probandam parum idoneis exemplis usus. Nam qui loquendi usus est Latinis, ut *collectivo* nomini pluralem *praedicati* iungant, et finibus ita circumscribitur, ut nonnisi pluribus verbis interiectis pluralis inferatur (cf. Iug. XXII, 4. Zumpt. Gramm. Lat. §. 69, 2. not. 1.), neque ea licentia, commoda ratione non destituta, eo progredi potest, ut *relativum plurale iuxta nomen singularis formae* collocari queat, quum aures nimis ingrato sensu affici quivis sentiat. Quare hoc Cortii commentum, simillimum eius, quod ad Cat. XVIII, 1. explodimus, coecis eius admiratoribus, si qui etiamnum sunt, relinquimus. — *Verum* i. q. rectum, incorruptum, bonum. cf. infra c. XXX, 2. *Eos potentia Scauri a v e r o b o n o q u e impediebat.* Fragm. Histor. I, 73. Gerl. *Ea paucis, quibus peritia et v e r u m ingenium est, abnuentibus.*

§. 2. *L. Opimius*] De hoc celeberrimo C. Gracchi interfectore v. Cic. in Cat. I, 2, 4. ubi Aug. Matthias contulit Vell. II, 6. 7. Plut. v. C. Gracchi c. 13 sqq. Appian. de B. C. I, 21. p. 365. ed. H. Steph. Adde Flor. III, 15. Cic. Philipp. VIII, 4, 14. Freinshem. Supplem. Liv. LXI, 20—32. et Ernest. in Clav. Cic. — De C. Graccho et Fulvio Flacco praeter l. l. cf. infra c. XXXI, 7. et XLII, 1. — De propria *clarus* vocis potestate v. Herzog. ad Catil. VIII, 1.

et tunc in Senatu potens, quia consul C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha 3
tametsi Romae in inimicis habuerat, tamen accuratissume recepit; dando et pollicitando multa perfecit, uti fama, fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Relicuos legatos ea- 4
dem via aggressus, plerosque capit; paucis carior

p. 39. — Pro *tum*, quod omnes codd. habere videntur, scripsimus *tunc*, ut sententia postulat, quum ad certum praeteriti temporis punctum respiciatur. V. ad c. V, 1. et VII, 4. XXXII, 1. — *Quia* recte inde a Popma et Grutero editur pro *qui*, quod plurimi codd. tenent; confirmant tamen nostram scripturam Nazar. Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Rem. 2. Guelf. 3. Leid. H. I. K. L. M. N. Tur. m. pr. Bern. 1. 3. Erl. Teg. Berol. 2. et Goerl. Caussam, cur *quia* praeferendum sit, recte perspexit Gronov. in Observatt. IV, 5. p. 567. ed. Lips. In promptu est enim his verbis non describi Opimii ingenium, ut antecedentibus, sed rationem reddi, *cur in Senatu potens fuerit.* — Pro *consul* in plerisque libris scribarum ignorantia dedit *consulibus;* nominativum tamen servant Nazar. Bas. 1. Fabric. 1. 2. Acad. Erl. Teg. et Goerl. — *Victoriam exercere* eodem modo dictum Cat. XXXVIII, 4. ubi v. coll. Drakenborch. ad Liv. VI, 22, 4.

§. 3. *in inimicis*] Ita scripsi, praeeuntibus Bipp. Langio, Muellero et Fabro, pro vulgato *in amicis*, quod Gerlachius in ed. mai. reliquit, in Commentt. p. 239. ut falsum damnavit, in ed. novissima autem pro incredibili inconstantia sua rursus repetiit, Weissium habens acuminis socium. Sed qui sequentia accurate consideraverit, intelliget Opimium Romae non fuisse Iugurthae *amicum;* cur enim opus fuisset *dando et pollicitando multa* eum sibi adiungere, qui iam a partibus suis staret? Ipsumque *perfecit* verbum, (de cuius propria vi cf. Herzog. ad Catil. XIV, 3. p. 72) ostendit, non sine multo labore id consecutum esse Iugurtham, ut Opimium sibi conciliaret. Denique etiam *tametsi* particula eandem scripturam suadet, siquidem maxime in iis enunciationibus concessivis locum habet, ubi id quod consectarium est, insolens esse dicitur, et ei, quod condicione continetur, quasi repugnat; v. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 191, 1.

fides quam pecunia fuit. In divisione quae pars

p. 595. Iug. XX, 5.; tale est autem *inimicum accuratissime recipere*, quod a natura ingenii humani abhorret. Postremo si Sallustius Opimium Iugurthae amicum fuisse voluisset dicere, non debebat ita loqui, ut in vulgata est, sed sic: *eum Iug. quum iam Romae in amicis habuisset, accurat. recepit.* Quae quum ita sint, non dubium est quin unice verum sit *in inimicis*, quam scripturam integram servavit cod. Commelin. Proxime accedit Vin. 2. *inimicis*, sine *in*, quod absorberi potuit. Paullo depravatior est scriptura Palat. 7. *inimicos*, unde Gronovius ad sensum satis bene fecit *inimicum*. — *Pollicitando* tantummodo tenent Fabr. 1. Paris. z. Berol. 1. Mark. *Γ*. Vin. 2. Inc. 1. Struv. Guelf. 7. 12. Erl. Teg. Tur. 1. m. sec.; in relicuis est *pollicendo*, quod minus probandum esse diximus ad Cat. XXXVIII, 1. p. 177. Iug. VIII, 1. — *Multa* Cortius unius Franc. fide delevit.

fama, *fide*] Ita scripsit Cortius ex Nazar. Commel. Bas. 1. Fabr. 1. 2. quibus accedunt Wassii B. Publ. Pembroch. Teg. Turic. Bern. 3. Paris. b. c. x. z. Einsiedel. Ex ceteris aliquot habent *famae*, *fide*, plerique autem *famae*, *fidei*, quod Havercamp. Bipp. Langius et Muellerus in textu expresserunt. Sed ablativus ut verissimus est, ita eum alius alio peius explicavit. Cortius enim quum primo de antiquo dativo *fama* somniasset, scilicet ex *famai* decurtato, ut *usu* factum ex *usui*, postea, his nugis abiectis, ablativum vi dativi positum censet, alienissimis exemplis usus, velut Cat. II, 9. *aliquo negotio intentus*, ubi v. quae diximus; Cic. Epp. ad Attic. X, 18, in. *tranquillitates maiore impedimento fuerunt, quam custodiae*, qua variata structura nihil est tritius; Tacit. Ann. III, 19, 2. *is finis fuit ulciscenda Germanici morte*, qui locus, nostri eo tantum similis, quod dativo posito structurae insolentia tollitur, etiam Kunhardto ablativum stabilire videtur. Aliter Gerlachius constructionem explicare conatus est, qui „quum multis locis, inquit, ad liquidum perduci non possit, tertius an sextus casus huic verbo iungatur, tum haec structura eo defendi potest, quod ex Graeco πρὸ πάντων ποιεῖσθαί τι, πρὸ πάντων ἑλέσθαι τι expressa esse videtur,“ quo vix quicquam ineptius cogitari aut scribi potuit. Neque sibi constitit V. D., in ed. novissima *famae*, *fide* scribens. Verum perspexit Georg. Ludov. Walch. in Emendd. Liv. c. III. p. 52., qui quum in *anteferre* verbo comparativi notionem inesse vidisset, ablativum non alia ratione positum esse monuit, quam quae comparativo adiectivi praegresso obtinet, et primaria

Numidiae Mauretaniam attingit, agro virisque opu-

ablativi potestate nititur. Nam quum sexto casu omnino significetur id, per quod aliquid fit aut tale evadit, quale habetur (cf. notata ad XXX, 3.), ablativi post comparativum ea vis est, ut contineat id, per quod, sive cuius respectu aliud eminet. Quamquam igitur, ut hoc utar, *aurum praestantius est argento* sensu idem est atque *aur. pr. est quam argentum*, tamen multo aliter cogitatur; nam ablativo proprie hoc dicitur, *per argenti naturam fieri, ut aurum, ad illud relatum, praestantius sit.* Idem valet de *anteferre* verbo; nam secundum eandem analogiam ea res, *cui* altera antefertur, ita potest cogitari, ut *per eam fiat*, ut altera *anteferatur.* Scite enim monuit Walchius *anteferre*, quod sensu non differat a *potius ducere*, eandem atque hoc structuram admittere, ut Iug. LXII, 9. vel *potius reri* Iug. XXII, 2. Neque alienum fuerit meminisse, Romanos simili modo dicere *contemnere alqd. aliqua re*, v. c. Cic. Or. 13, 41. *Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere;* in Catil. II, 3, 5. ubi v. Aug. Matthias, qui quum ablativum et *prae* praepositione et *propter* explicari posse censet, posteriore tantum interpretatione verum tetigit; nam *contemnere* c. ablat. proprie est *aliquid per alq. rem cont.*, i. e. *minoris facere alio.* Sed ut ad nostrum locum redeamus, geminum exemplum attulit Cortius ex Cic. p. Balbo 8, 21. *quum magna pars libertatem civitate anteferret;* quod licet non omnibus satis certum videatur, tamen idoneis argumentis, ex ipsa rei natura petitis, structuram firmasse nos confidimus. — *Postremo* i. e. *omnino*, sive *ut paucis dicam*; v. ad Cat. XIV, 6. p. 73. Iug. XXXV, 5. XLIII, 4. XLVI, 5.

§. 5. *Mauretaniam*] Ita Cortius scripsit pro vulgato *Mauritaniam*, auctoritate veterum monumentorum et antiquissimi cod. Bas. 1. cui accedit Paris. z. et Einsiedel. Obloquitur Vossius ad Caes. B. C. III, 79, 3; sed eo maxime nititur eius ratio, quia Graeci dicant *Μαυρετανία*, inde *non necessario sequi* eandem formam etiam apud Latinos in usu fuisse. cf. Cort. ad Catil. XXI, 3. Duker. ad Flor. IV, 2, 65. — *Agro virisque* paene omnes libri habent; Cortius tamen inconsulto copulam omisit, quae in Struv. Guelf. 2. 4. 12. deest; hic locus enim non eius est generis, quod explicavimus ad Cat. XI, 2. — *Agro* in nonnullis codd. scribae mutarunt in *agris*, ut nomina pari numero essent; non salvâ sententiâ. *Agri* enim singulas terrae alicuius partes ab incolis cultas significant; *ager* de universa terra in unam dicionem comprehensa dicitur. cf. Rhenan. ad Liv.

lentior, Iugurthae traditur; illam alteram, specie quam usu potiorem, quae portuosior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

XVII. Res postulare videtur Africae situm paucis exponere, et eas gentis, quibuscum nobis bellum
2 aut amicitia fuit, attingere. Sed quae loca et na-

XXX, 14, 9. Herzog. ad Caes. B. G. I, 2. — *Illam* ab Sallustio additum esse, quia rem legentibus notam esse statuat, satis probabiliter censet Gerlachius; sed tum recta ratione caret, quod idem paullo ante praecipit *ille* pronomen aliquoties redundare. Cum nostro loco convenit laudatus a Gerlachio Cic. in Catil. IV, 5, 9. *si eritis secuti sententiam C. Caesaris, fortasse minus erunt mihi populares impetus pertimescendi; sim i l l a m a l t e r a m, nescio an amplius mihi negotii contrahatur.* v. etiam ad c. XXV, 2. — *Speciem et usum* contraponit etiam Plaut. Most. I, 2, 42. *ut et in u s u m boni et in s p e c i e m populo sint.* Flor. III, 13. *ut non in u s u m, ita ad imperii s p e c i e m magna nomina acquisisse pulchrum atque decorum.* Cort. — *Possedit*, quod hic desendit a *possido*, v. F. A. Wolf. ad Tac. Ann. II, 5, 3. Hertel. ad Agric. c. XVIII, med. p. 36., non est *accepit*, ut Langius explicat, sed *occupavit;* cf. XVIII, 11. *Persae a parentibus digressi possedere ea loca, quae proxuma Carthaginem Numidia appellatur;* ibid. §. 12. XLVIII, 3. et Tacit. Ann. XIV, 21, 1.

XVII. §. 1. et 2. *Res postulare videtur — exponere*] Infinitivum ex *postulare* aptum Gerlach. pro poetica structura habet, immemor praecepti sui, ad Catil. V, 4. Commentt. p. 44. propositi, Sallustium poeticis structuris prorsus abstinere. Qua ratione post verba voluntatis aut consilii infinitivus nobis quidem positus videatur, diximus ad Cat. LII, 24. p. 273. cf. Iug. XIX, 2. *alio p r o p e r a r e tempus monet.* Tacit. Ann. VI, 45, 4. *Macro i m p u l e r a t Enniam amore iuvenem i l l i c e r e.* XI, 29, extr. *Narcissus duas pellices p e r p u l i t delationem subire.* cf. Ruperti ad eund. XI, 1. Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 49, 7. id. XL, 38, 3. *Cornelius et Baebius e d i x e r u n t, Ligures ab Anido montibus d e s c e n d e r e.* Ruddimann. Institt. Gramm. T. II. p. 235. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 168. B. 2. not. 4. p. 429. — Pro *frequentata* in Sen. 2. Heuss. et Vratis. 2.

tiones ob calorem aut asperitatem item solitudines minus frequentata sunt, de is haud facile compertum narraverim; cetera quam paucissumis absolvam.

In divisione orbis terrae plerique in partem ter- 3
tiam Africam posuere; pauci tantummodo Asiam et

legitur *frequentatae*, ut genus proximo nomini responderet, quo de usu v. notata ad Cat. X, 2. Sed si subiectum pluribus nominibus varii generis constat, praedicati genus et numerus legitime ad id refertur, cuius notio in sententia praeminet et primaria est. Ut igitur in exemplis l. l. allatis haec caussa valuit ad praedicatum postremo nomini aptandum, ita h. l., ubi auctor de *situ* regionum disserit, praedicati genus cum voce *loca* congruit. cf. c. XLIX, 5. *ipsi atque signa militaria obscurati.* quippe *militum* notio praevalet. cf. Herzog. ad Caes. B. G. II. 7. Ceterum *frequentata* non significat *culta et habitata ab hominibus*, ut Cort. interpretatur; nam quaedam loca *ob solitudines* inculta esse ineptum est. Quare *quae frequentata sunt* significat *quae adeuntur* vel *adiri solent.* — *De is* tantummodo exstat in Guelf. 4. et 6. et Paris. c. Recte ita scripsit Cort. et Gerlach. pro vulgato *iis*, quod ipsum non est in codd., sed *his;* v. ad Iug. XIV, 11. — *Compertum* Cortius recte observavit de eo dici, quod aliis *auctoribus* cognoscimus, ut vere habet; quare h. l. est *certum*, *veritati consentaneum.* cf. Herzog. ad Catil. XXXVI, 2. Caes. B. G. VII, 42. *Impellit alios temeritas, quae illi generi est innata, ut levem auditionem habeat pro re comperta.* Sall. Cat. XXII, 4. Iug. XXXIX, 1. LXVII, 2. LXXV, 1. Tacit. Ann. II, 12, 2. *tribunos laeta saepius quam comperta nunciare.* Quare *compertus alicuius rei* dicitur is, qui certissimis argumentis convictus est aliquid fecisse; v. Drakenborch. ad Liv. VII, 4, 4.

§. 3. *in partem tertiam*] Hanc scripturam tuentur antiquissimus cod. Commelin. et Augustin. de Civ. D. XVI, 17., praeterea Inc. 2. Franc. Guelf. 4. 6. 12. Leid. II. Bern. 1. Med. 2. 4. Vat. 3. 4. et duo Paris. Burnufii. Praepositionem omisit Ven. 4. Relicui habent *in parte tertia*, exceptis Ven. 1. et Flor. 1. in quibus ablativus solus sine *in* legitur. Quid h. l. intersit inter quartum et sextum casum ex *ponere* verbo et *in* praepositione pendentem nemo interpretum assecutus est; quin Gerlachius, qui in ed. mai. accusativum

4 Europam esse, sed Africam in Europa. Ea finis habet ab occidente fretum nostri maris et Oceani;

habet, in novissima ablativum, in Commentt. p. 240. nihil interesse contendit, quum antiquioribus scriptoribus accusativum pro ablativo ponere usitatissimum fuerit, quam futilem sententiam, saepius ab eo prolatam, velut Commentt. p. 58. ad Cat. XI, 5., p. 77. ad Cat. XIX, 3., et p. 221. ad Iug. V, 4. perstrinximus in Iahnii Annall. philol. et paedog. a. 1829. T. II. Fasc. I. (sive Tom. IX. Fasc. I.) p. 51. et 62. Eiusdem farinae est quod cod. Ven. 4. scripturam, *pl. partem tertiam Afr. pos.*, longe *elegantissimam* putat, quo iudicio de elegantia quid tribuendum sit in eorundem Annall. philol. l. l. p. 55. sq. declaravimus; in talibus enim non elegantiae sensus audiendus, sed quid grammaticae leges et dicendi usus, analogia nisus, suadeat, dispiciendum. Ut igitur ad Catil. LI, 21. ostendimus recte dici, sed diverso sensu, *addere in sententia* et *in sententiam*, *referre in numero* et *in numerum*, et ad Iug. XLI, 6. *plebis vis dispersa in multitudine* et *multitudinem*, ita aliud est *in parte tertia ponere Africam*, et *in partem tertiam.* Accusativo enim significatur eorum ratio, qui non accepta ab aliis tripartita divisione, ipsi primi tres partes orbis terrae faciunt, ac tertiae Africam assignant; ablativo posito ii intelligendi sunt, qui factam iam ab aliis in tres partes divisionem sequuntur et amplectuntur; illi quaerunt, quot partes faciendae sint, hi iam pro explorato habent tres partes esse. Quae quum ita sint, possis adhuc dubitare, utram scripturam probes; sed prior ratio ipsâ rei naturâ magis commendatur. Tum accusativus Augustini auctoritate aliquanto maiorem quam codd. fidem habet; denique scribis ablativus cum *ponere* verbo iunctus notior erat quarto casu, quem eam ob caussam facilius mutarunt in alterum, quam contra. Ceterum notanda sequentium verborum structura, ad sensum potius quam ad grammaticae leges instituta; nam accus. c. inf. non accurate pendet ex *posuere* verbo, sed repetendus est a *iudicii* notione, quae in eo inest, quum auctor talem fere sententiam mente conceperit: in divis. orb. ter. pl. eam rationem sequuntur, *ut tres partes esse statuant, pauci duas tantum.* Quod ignorantes scribae in Guelf. 10. *dicunt*, in Struv. *voluerunt* intulere. cf. ad Cat. XXI, 3. XL, 3. Iug. VIII, 1. XXVI, 1. LXXXII, 3. Tripartitae divisionis auctores Cortius refert Strabonem et Plinium, coll. Duker. ad Flor. II, 8, 1. Duas orbis terrarum partes faciunt Agathemerus de Geogr. II,

ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae appellant. Mare saevum, impor-

2. Varro de L. L. IV, 5. cf. Broukhus. ad Tibull. IV, 1, 176. Morus et Spohn. ad Isocrat. Panegyr. c. XLVIII.

§. 4. *Ea*] Pronomen non refertur ad proximum substantivum, sed ad *Africam;* v. ad c. XVIII, 9. — Pro *latitudinem*, quod omnes libri tuentur, perperam nonnulli, inter quos Voss. ad Melam I, 8. maluerunt *altitudinem*, quo alienissima sententia infertur, et rei et verbis repugnans. *Declivis* enim non dici potest locus, nisi unde lenis est descensus; *latitudo* autem, quo vocabulo significatur regio late patens, optime locorum illorum naturam exprimit, qui paullum editi *per longum tractum aequaliter porriguntur*, et Aegyptum versus desidunt, unde etiam Graecum nomen *Κατάβαθμος*, haud dubie a Cyrenensibus regioni inditum, originem habuit. Ubi is fuerit tradit etiam Strabo XVII, 3. p. 499. Tauchn. p. 1195. C. Almelov. *Μετὰ δὲ τὸν μέγαν λιμένα ἄλλος λιμὴν Πλῦνος· καὶ ὑπὲρ αὐτὸν Τετραπύργια. Τὸ δὲ λοιπὸν μέχρι Παραιτονίου, κἀκεῖθεν εἰς Ἀλεξάνδρειαν· καλεῖται δὲ ὁ τόπος Κατάβαθμος.* cf. infra c. XIX, 3. Paullo altiorem situm eius regionis, ex qua transitus fit in Catabothmon, testatur etiam Herodotus IV, 199. *ἡ Κυρηναίη χώρη, ἐοῦσα ὑψηλοτάτη ταύτης τῆς Λιβύης;* Cyrenaicam enim continuo excipit Catabathmos. Mela I, 1. *deinde a Catabathmo magno continuus est in Aegyptum descensus;* et I, 8. *Catabathmos, vallis devexa in Aegyptum, finit Africam.* v. Mannerti Geogr. Graec. et Romm. Vol. X. P. II. p. 33 sqq.

§. 5. *bonus pecori*] Similiter Liv. XXI, 31, 9. *mons pecori bonus alendo erat.* — *Arbore infecundus* scripsimus auctoritate Arus. Messi, qui (in Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 230.) v. *ferax illo* hunc Sallustii locum affert. Plerique codd. habent *arbori;* in aliis est *arboribus*, vel *arboris* vel *arborum*, quae omnia tum ex interpolatione orta, tum soloeca sunt. Plurali iure spreto, quippe quem librarii finxerint, singulari offensi, de quo v. ad LVII, 4., Gerlachius dativum, nullo modo ferendum, ineptissimis exemplis in Commentt. p. 242. defendere conatus est, ut Tac. Ann. XI, 10, 3. *subiectis intolerantior.* Cic. p. Planc. 8. *multitudo vobis supplex.* Ovid. Epp. ex Pont. IV, 6, 32. *sontibus esse trucem.* Senec. Herc. Oet. 1027. *patriae scelestus.* Quibus locis ut trita obtinet dativi potestas, ita is casus alienissimus est ad eam rem significandam, *in qua infecunditas cernitur*, sive *per quam* aliquid infecundum

tuosum; ager frugum fertilis, bonus pecori, arbore
6 infecundus; coelo terraque penuria aquarum; genus
hominum salubri corpore, velox, patiens laborum;
plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut be-

fit. Quae sententia quam commode ablativo contineatur, quivis sentiet, qui *fecundus* et *infecundus* cum adiectivis *plenus*, *dignus*, *contentus*, aliis, contulerit, quorum ratio eadem est, ut ostendimus in Iahnii Annall. philol. et paedag. a. 1829. T. II. Fasc. I. p. 43 sq. ubi simul monitum est, quid intersit inter ablat. et genitivum, cui casui *fecundus* usitatius iungitur, ut apud Catull. LXV, 281. Tacit. Ann. IV, 65, 1. Germ. c. 5, 2. Ablativi exemplum idem praebet Ann. XIII, 57, 1. *flumen gignendo sale fecundum.* Virg. Georg. II, 222. *illa ferax oleo.* Weissius ex corruptis edd. edidit *arboribus infecundus;* Gerl. in ed. novissima verum habet. — *Que*, *terra* voci additum, Cortius sine codd. delevit; Gerlachius in textu retinuit, in Commentt. p. 242., quia ab Vatic. 5. abest, deletum vult, sed in ed. min. pro inconstantia sua non delevit. Copulam abesse posse, si codd. iuvarent, probant notata ad Cat. XI, 2. et Liv. XLIV, 22, 8. *sunt qui sciant qua terra, mari subvehantur commeatus;* sed quum praeter omnes codd. etiam Serv. ad Virg. Aen. I, 26. voculam tueatur, ista negligere temerarii est. cf. Curt. IV, 7, 6. *terra coeloque aquarum penuria est.* Tacit. Hist. I, 3. Nobiscum facit etiam Zumptius in Annall. critt. Beroll. a. 1828. N. 47. p. 373; Cortium sequuntur Weissius et Faber.

§. 6. *salubri corpore*] *Salubre*, ut vernaculum *gesund*, transitivo sensu significat id, quod sanitatem affert, intransitivo id, quod sanitatem habet sive *sanum* est, quamquam ab hoc vocabulo rursus ita differt, ut *sanum* magis sit *morbo non affectum*, *salubre* vero *suapte natura robustum;* unde patet *salubre* maius quoddam et praestantius esse, quam *sanum.* v. Doederlini Synonym. Lat. Vol. I. p. 32. §. 9. et 10. qui laudavit Tac. Histor. V, 6. *Corpora hominum salubria et ferentia laborum.* id. Dialog. c. 41, med. *Gentes, quae firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur.* Liv. I, 31, 5. — De *velox* vocis propria potestate v. doctam Doederlini commentat. in Synonymm. Latt. T. II. n. 49, 3. 4. 16 et 17. p. 125 sqq. Is quamquam concedit usu parum distinxisse Latinos inter *velox* et *celere*, inter *velocitatem* et *celeritatem*, acute tamen ostendit *velox*, a *velum* vocabulo derivatum, maxime dici de

stiis interiere, nam morbus haud saepe quemquam superat; ad hoc malefici generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique 7
postea accesserint, aut quomodo inter se permixti

re, quae suopte quasi impetu moveatur et brevissimo temporis momento aliquod spatium percurrat; *celere* autem, quod a *cellere* verbo i. e. *impellere* descendit, proprie de eo motu usurpari, qui ab aliqua re cum vi aliquid propellente proficiscatur, unde etiam vehementiae et non moderati consilii notionem adiunctam habeat. Quod Herzogius ad Caes. B. C. VIII, 36. praecipit *celeritatem* obiectivam potestatem habere, *velocitatem* subiective intelligi, id Doederlinus l. l. p. 126. non verum esse ostendit, quum utrumque vocabulum movendi actionem significet, quatenus eius effectus *sensibus* percipitur; *animi* vero nisum, unde motus tanquam ex caussa et fonte proficiscitur, *pernicitas* et *strenuitas* designat. — De aoristi potestate, quam praeteritum *interiere* habet, iam diximus ad Catil. c. X, 4. Sensus est enim: exceptis iis, qui ferro aut bestiis *intereunt* vel *interire solent*. cf. Cat. II, 8. *multi mortales vitam sicuti peregrinantes transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit*. Iug. XLII, 4. *quae res plerumque magnas civitatis pessumdedit*. LXXIV, 3. *Numidas pedes magis quam arma tuta sunt*. Tacit. Ann. III, 66, 3. *Quod multos etiam bonos pessumdedit, qui praemature vel cum exitio properant*. Plura v. apud G. Ludov. Walch. ad Tacit. Agric. c. I. p. 104 sq. et apud Frotscherum ad Quintil. X, 1, 2. et X, 7, 14. — Verba *ad hoc — animalia*, quoniam structurae ratio multis interpositis turbata est, Gruterus vel loco mota esse suspicatur, multo aptius post *aquarum* collocanda, vel ex glossa accessisse. Prior sententia quamquam non plane displicet, tamen nihil mutandum est, quum Sallustius nimio brevitatis studio a describendi simplicitate paullum abiisse videatur. Similia turbatae perpetuitatis verborum exempla contulit Perizon. ad Sanct. Min. IV, 11. T. II. p. 381. ed. B.

§. 7. *quae plerosque obtinet*] In ista scriptura omnes libri consentiunt, neque dubitant interpretes explicare *quae apud plerosque valet*. Nihilominus offendit, quod *fama* dicitur *homines obtinere*, sententiâ cum dicendi usu non satis congruâ. Nam ut significetur aliquid vel per quoddam tempus durare, vel usu quasi stabilitum in consuetudinem abiisse auctoritatemque nactum esse, *id*

sint, quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est, tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores eius terrae putant,

obtinere vel *tenere* absolute dicitur; cf. Liv. XXI, 46, 10. *malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere et fama obtinet.* id. I, 4, 6. *tenet fama lupam ad puerilem vagitum cursum flexisse.* Auctor Ep. I. ad Caes. de Rep. ordin. c. I, 1. *pro vero antea obtinebat.* cf. Spalding. ad Quintil. II, 1, 1. Duker. ad Liv. IV, 7. 7. Heusinger. ad Vechneri Hellenolex. p. 129. Vere igitur Ursinum pro *plerosque* coniecisse puto *plerumque*, quod si vel pauci codd. haberent, non dubitassem in textum recipere, quum vulgatum durissimum sit, quod etiam Heusinger. l. l. improbat; tamen tolerari fortasse potest, etsi liberius dictum videbitur. — *Interpretatum* passive; de quo usu v. ad Cat. VII, 3. XLVIII, 7. Quod Sall. autem plurali *interpr. nobis est* subiicit *dicam*, fecit ex more Latinorum scriptorum, qui de se ipsis loquentes non solum plurali numero utuntur, sed etiam ex singulari in pluralem, et contra, transire solent. cf. infra c. XCV, 2. *Neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus et L. Sisenna parum mihi libero ore locutus videtur.* Catil. VII, 7. *Memorare possem quibus in locis maxumas copias P. R. fuderit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.* Cic. Epp. ad Famm. II, 11, 2. *Totum negotium non est dignum viribus nostris, qui maiora in republ. onera sustinere et possim et soleam.* ad Attic. IV, 1. a med. *Pridie nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis.* Ceterum hic pluralis, quem grammatici *maiestatis* vocant, tantum abest ut fastus et arrogantiae speciem habeat, ut modeste loquentis sit, qui quod ad ipsum solum pertinet, ad alios quoque referre videatur; cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 203. 1. 7. b. p. 659. ed. I. Aug. Grotefend. Gramm. Lat. schol. P. II. Sect. I. c. 4. §. 187. p. 153. Daehnius ad Nep. Praef. §. 8. Roth. ad Taciti Agric. Excurs III. p. 110. Frotscher. Obs. in Cic. or. pro Arch. p. 16.

XVIII. §. 1. *Gaetuli*] Plerique codd. habent *Getuli*; sed quum nomen Graece *Γαιτοῦλοι* scribatur, et antepenultima longa sit, ut docet Virgilii versus Aen. IV, 40. *Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello*, rectior est per diphthongum scriptura, quam etiam tituli antiqui confirmant. cf. Orellii Inscriptt. Lat. Vol. I. p. 150.

quam paucissumis dicam; ceterum fides eius rei penes auctores erit.

XVIII. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi incultique, quis cibus erat caro ferina

n. 559. et 560. — *Incultique* in omnibus paene libris est; sed cod. Goerlit. et Schol. Iuvenal. V, 53. habent *et inculti*, Guelf. 12. vero Paris. x. et Vatic. 5. nullam copulam agnoscunt, quam ob caussam Cortius eam delevit, Gerlachius in Commentt. p. 243. deletam vult, quamquam, quae est viri inconstantia, in ed. novissima non delevit. Sed qui dederunt *et*, negligentia quadam sensum modo spectarunt, unde saepe ortae variae scripturae; omissae autem voculae caussa fuit sequens vocabulum, iisdem litteris incipiens. Ad hoc *que*, quod loquendi usus poscit, (v. ad c. XXVIII, 4. coll. nota ad XXX, 3.) non magnum quidem, sed praesidium tamen habet Melae testimonio, qui III, 3. ad Sallustii verba respiciens *asperi incultique* refert. — *Quis* omnes codd. tenent.

§. 2. *aut imperio*] Cortius ex suis, ut videtur, codd. scripsit *neque* imperio; sed *aut* exhibent omnes Leidd. excepto A., Bas. 1. 4. Bern. 1. 3. Misn. Goerlit. Berol. 1. 2. Paris. b. c. x. z. Ven. 1. quam scripturam Gerlachius, quamquam ratione non reddita, recte recepit. Nam saepe ubi triplex *neque* exspectes tertio loco *aut* ponitur, quo fit, ut disiunctio non tribus partibus constet, sed *bimembris* tantum sit, posterioris membri notione cum alia commutata; cf. infra LXXII, 2. *neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis credere.* LXXIV, 1. *neque illi res, neque consilium aut quisquam hominum satis placebat.* LXXXV, 29. *non possum imagines, neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare.* Fragm. Hist. I, 24. *formidine attonitus neque animo, neque auribus aut lingua competere.* cf. Bentl. ad Hor. Serm. I, 6, 68. Moebius ad Caes. B. G. III, 14. p. 170. Goerenz. ad Cic. Acadd. II, 7, 21. Hand. de Particc. Latt. T. I. v. *aut*, II, 9. p. 543 sq. — De verbis *vagi* et *palantes* v. infra ad c. XLIV, 5.

qua nox coegerat] *Qua* exstat in uno Rivii, omnibus, ut videtur, Putschii, pluribus Gruteri et Wassii, Fabric. 1. Struv. Inc. 1. 2. Rem. 2. Vin. 2. Franc. Vratisl. 3. Eccard. Acad. Guelf. 2. 3. 7. 9. 10. 11. 12. Erl. Teg. Misn. Goerlit. Berol. 1. 2. Paris. b. c. Vatic. 1. 2. 3. 4. 6. Med. 2. 4. 5. Ven. 1. Eichhof. Ex relicuis haud pauci habent *quas n. coeg.*; praeterea in edd. antiqq. uno

2 atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes qua nox coegerat sedes habebant.

Wassii, Med. 9. Vat. 5. et Neap. 4. legitur *quo*, in Wassii autem Mart. et B. Pub. *quam*. Quibus discrepantiis inter se collatis iam patet ex primitiva scriptura *qua* ceteras diversitates esse natas, quum scribae *qua* non intelligentes diversa via *quo* et *quas* tentarent, aut calami lapsu in *quam* aberrarent. Exigua est igitur ad *quas* defendendum Sulpicii Severi auctoritas, ex cuius Diall. I, 15. laudant haec ex Sallustio desumpta: *ne ab hominibus frequententur, quas nox coegerit sedes habent;* nam ibi quoque duo codd. *qua* exhibent. Idem fortasse valet de Hieronymo, qui in Ep. IV, 3. haec habet: *qui habitabant in tentoriis, et quas nox compulerat sedes habebant*, nisi his testimoniis probatur, iam mature in Sallustii codd. quibus illi usi sunt, veram scripturam depravatam fuisse. Saepe autem *qua* adverbii potestate positum male habuisse librarios, notissimum est; v. Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 6, 1. ad II, 8, 5. Drakenborch. ad. Liv. V, 43, 2. et ad X, 14, 4. Heusinger. ad Cic. de Off. III, 25, 2. coll. iis, quae notavimus ad Cat. LVII, 3. Sed etiam totius loci sensus, accurate consideratus, docet *quas*, quam scripturam Gerlachius, elegans criticus, elegantissimam censet, prorsus alienam esse. Sallustius enim, ut vagam et non certis sedibus fixam Libyum vitam describeret, neque voluit nec potuit *naturam et condicionem* harum sedium significare, sed hoc dixit, *locum* earum quavis nocte *alium* esse, cui sententiae *qua* unice convenit.

§. 3. *sibi quisque*] Deest *quisque* in quattuor Wassii codd., tum in Struv. Franc. Guelf. 4. 9. 11. 12. Leidd. G. H. et Medic. 7., librariis structuram non intelligentibus. Eadem caussa fuit, cur Cortius ad concinnitatem constructionis efficiendam ex coniectura *quique*, i. e. *quoque*, scriberet, scilicet id demum Latinum ratus, quod plane inauditum et nullo exemplo stabilitum est. Idem valet de Langii, Muelleri et Gerlachii sententia, qui *quisque* pro *quibusque* dictum censent, inconsulto quam ablativi formam *qui* relativum habet ad *quisque* transferentes, neque reputantes nunquam pluralis numeri substantivo pluralem *quisque* pronominis per appositionem addi. Rectius de h. l. iudicavit Lechnerus, qui in scriptione scholastica Hofae a. 1828 edita, p. 14 sqq. nominativi singularis patrocinium suscepit, unde quae ad rem faciunt petivimus. Quum vul-

Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri pu- 3
tant, interiit, exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque

gari consuetudine *quisque* ita usurpetur, ut ei praedicatum pluralis numeri aptetur (v. ad Catil. VII, 1.), progressa paullulum licentia factum est, ut hoc pronomen subiecto pluralis numeri quasi appositionis vi adderetur, sed ita, ut relicuorum verborum structura non comprehensum tanquam absolutae enunciationis instar esset, qua dicendi ratione Latini utuntur ad indicandum idem a pluribus seorsum fieri, v. Herzog. ad Catil. XLIII, 1. p. 219. collatis iis, quae supra annotavimus ad c. I, 4. Infra LVII, 4. *Romani pro ingenio quisque pars eminus pugnare.* LVIII, 2. *at nostri sibi quisque pro moribus consulunt.* Drakenborch. ad Liv. VII, 19, 2. Id. II, 12, 16. *ceteri, ut cuique ceciderit primo, suo quisque tempore aderunt.* II, 7, 1. *ambo exercitus, Veiens Tarquiniensisque, suas quisque abirent domos.* XLV, 38, 14. *si quis vos interroget, quid moremini hic, et non diversi domos quisque abeatis vestras.* Consimili, sed liberiore modo Lechnerus vidit illud *quisque* etiam ablativis absolutis interiectum esse, ita ut, spreta appositionis lege, potius rectae, quam dicunt, orationis naturam sequatur. Nam si auctor dixisset: *quum amisso duce multi sibi quisque imperium peterent*, quis eo offenderet? Geminus est Iustini locus, XXIX, 1, 8. *his regibus pueris, etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quisque maiorum vestigia nitentibus, magna indoles virtutis enituit.* Caussam audacioris structurae hic vides in eo positam fuisse, quod scriptor cavere volebat, ne *quoque* pro particula haberetur; nam quominus *quibusque* scriberetur ad pronominis casum alteri nomini aequandum constans obstat *singularis numeri* in hoc pronomine usus. Ulterius etiam processit Livius, qui adeo passivae ablativorum absoll. structurae *quisque* intulit, ubi pronomen non alio modo, nisi sententia in activum mutata, excusari potest. Verba sunt haec: XXI, 45, 9. *tum vero omnes, velut Diis auctoribus, in spem suam quisque acceptis, id morae, quod nondum pugnarent, ad potienda sperata rati, proelium uno animo et voce una poscunt.* Livii menti autem obversabatur: *quos quisque in spem suam acceperat.* — *Passim* Langius inepte explicat *divisim* seu *inter se discordes;* recte Cortius: *variis locis*, neque ordine, coll. Mela I, 8. *passim, ac sine lege dispersi.* Brut. in Cic. Epp. ad Famm. XI, 13, 4. *ille*

4 imperium petentibus brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere, sed

iit passim, ego ordinatim. Tacit. Ann. XV, 43, in. *ceterum urbis quae domuum supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus.* cf. Drakenb. ad Liv. XL, 32, 6. — Pro *dilabitur* Eccard. et Bas. 1. a. m. sec. habent *dilabuntur*, quod Cortius putavit ab *exercitus*, propter collectivam eius potestatem, aptum esse posse; sed in hoc vocabulo neque in usu est cum plurali constructio, neque, si esset, huic loco conveniret, quum addito participio *compositus* singularis numeri notio urgeatur et quasi fixa teneatur, de qua re v. notata ad Cat. XLVIII, 1. p. 219.

§. 4. et 5. *Ex eo numero*] De pronomine per attractionem ad *numero* vocem relato, quum proprie dicendum erat *ex eorum numero*, v. ad c. XXXV, 6. — Pro *Armenii* Cortius et Gerlachius scripsere *Armeni*, quomodo sane in aliqua codd. parte legitur. Sed quam caussam Cortius attulit, huius formae eandem rationem esse, quae obtineat in *Dis*, *is*, *isdem*, falsissima est; quare vulgarem formam retinemus. — *Nostro mari* i. e. mediterraneo; cf. c. XVII, 4. Fragm. Historr. I, 7. Davis. ad Caes. B. G. V, 1, 2. Liv. XXVI, 42, 4. — *Intra Oceanum* contrario modo explicant; Cortius enim, Muellerus et Gerlachius intelligunt loca, quae ab oceano ambiuntur, eique proxima sunt, quippe ad occidentem solem spectantia; Langius vero interpretatur „remotius ab oceano occidentali seu Atlantico, orientem versus; altera enim explicatione admissa totum hoc caput difficultatibus laborat.“ Sed non reputavit Langius, qui *alveos navium inversos* pro tuguriis habuerint non potuisse procul ab oceani littore sedes ponere, sed navibus in terram tractis *locis mari proximis* agitare debuisse. Neque aliud verbis *intra oceanum* significatur. Nam *intra aliquam rem esse* paullo rariore usu dicitur non id, quod illa re continetur, et eius quasi finibus circumscribitur, sed quod ad eam vergit tantum et accedit, ita ut iustum rei modum non habeat. cf. Cic. Epp. ad Famm. IV, 4, 14. *modice hoc faciam, aut etiam intra modum*, i. e. etiam minus, quam permittit modus. ib. IX, 26, 9. *epulamur non modo non contra legem, sed etiam intra legem*, i. e. ut Cortius recte explicat, parcius etiam, quam leges permittunt. Quintil. XI, 3. 8. *Hortensii scripta tantum intra famam sunt.* cf. Servium ad Virg. Aen.

Persae intra Oceanum magis; hique alveos navium invorsos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emundi aut mutandi

V, 409. et ad VI, 304. qui Varronem refert *iuveniorem* explicasse *non satis iuvenem*, sive *intra iuvenem.* Inde ad eas res translatum, quae sensibus percipiuntur, et maxime de *loco* dictum *intra* significat *propinquitatem* eius rei, quae *intra aliam esse* dicitur, ut *locus intra oceanum* non sit in ipso oceano, sed qui prope ab oceano absit. Ita Livius XXV, 11, 7. *fossa ingens ducta, et vallum intra eam erigitur*, i. e. ad fossam versus, sive ea parte, quae ad fossam spectat neque multum ab ea abest. Cic. p. Sext. c. 27, 58. *Antiochum illum Magnum maiores nostri intra montem Taurum regnare iusserunt*, i. e. Antiochi regnum usque ad Tauri vicinitatem pertinere voluerunt. id. in Verr. III, 89, 207. *locus intra oceanum iam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit*, i. e. locus oceano conterminus. cf. Gell. XII, 13. G. Ludov. Walch. Emendd. Livv. c. VII. p. 134. Gronov. Observatt. I, 10. p. 72 sq. ed. Lips. Ceterum eum Persae cursum tenuere, ut fretum Herculis transgressi, navibus ea Africae parte, quae est inter Mauretaniam Tingitanam et Fortunatas Insulas, appellerent; inde in interiorem Africae partem versi, ubi Gaetulorum sedes, postea terras septentrionem versus sitas invaserunt. — Pro *materia* Putschius ex Bongarsiano libro scribi vult *materies*, quomodo etiam in Guelf. 10. et in Eccard. m. sec. legitur, prorsus contra receptam opinionem *materia* tantum de rebus corporeis et maxime de ligno dici, unde aliquid fiat, *materiem* translate de iis quae ingenii sint, usurpari; cf. Fronto de differentt. verbb. p. 481. ed. Mai. Davisius et Oudendorp. ad Caes. B. G. III, 29, 1. Drakenb. ad Liv. V, 55, 3. Otto ad Cic. de Fin. III, 18, 61. et Lindemannus in Seebodii Miscell. Crit. II. p. 93. Sed non accurate servatum esse discrimen alii, ac mea sententia verius, observarunt, velut Iani Lex. philol. crit. p. 1063. Kraft. ad Mureti oratt. p. 270. Bergman. ad Ruhnkenii vit. p. 419. Idem testantur veterum exempla, ut Cic. in Verr. V, 18, 47. *relicua est materies; hanc Rheginis, ut ipsi dicunt, publice, quod Mamertini materiem non habent, imperavisti.* Contra Liv. XXXV, 12, 10. *erat etiam maior orationi materia.* Id. XXVI, 35, 4. Non est igitur quod apud Sallustium paucissimos codd. relicuorum auctoritati praeferamus.

6 copia erat; mare magnum et ignara lingua commer-
7 cia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gaetulos secum miscuere, et quia saepe tentantes agros

§. 6. *mare magnum*] Putschius *magnum* perperam explicat *saevum*, *importuosum*, seductus Iug. LXXVIII, 3. *ubi mare magnum esse et saevire ventis coepit;* non vidit enim aliam esse epitheti, aliam praedicati vim. Aeque absona Langii est sententia, qui *magnum maris* inter Numidiam Hispaniamque *spatium* designari putat. Quin potius *Oceanum* sive mare Atlanticum intelligendum esse, et loquendi usus ostendit, quod iam a Cortio observatum, et res ipsa documento est. Cic. Somn. Scip. c. VI. *terra parva quaedam insula est; circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod oceanum appellatis in terris.* Seneca Natt. Quaestt. VI, 6. *Thales Milesius totam terram subiecto iudicat humore portari et innatare, sive illud oceanum vocas, sive magnum mare.* De eo autem loqui Sallustium patet ex iis, quae §. 5. de cursu Persarum monuimus. — Ante *mare* in Guelf. 1. additur *et*, Cortio iudice haud male, cui non repugno, quum hac particula saepe enunciationes explicativae antecedentibus addantur; v. ad Cat. XIX, 2. Sed non minus usitata est talium enunciationum ἀσύνδετος ratio, de qua diximus ad Cat. XXXIX, 4. p. 184. — *Ignara* passive pro *incognita;* cf. Iug. LII, 4. *regio hostibus ignara.* XCIII, 3. *cupido ignara visundi.* CIII, 6. *etiamtum largitio multis ignara.* Nonnulla Taciti exempla iam laudavimus ad Cat. X, 5. p. 54. Ex eodem genere est, quod idem *gnarus* passive usurpat, de quo v. Lipsium ad Annall. I, 5, 2. Mureti VV. LL. XI, 2.

§. 7. *Gaetulos secum miscuere*] *Secum* abest a Guelf. 4. Arond. et Reg.; in Eccard. a. m. sec. est *Gaetulis miscuere se;* in Med. 11. *se Gaetulis misc.;* in Struv. et Bern. 3. *Gaetulos sibi miscuere;* reliqui in vulgata conspirant, quam nihil plane est cur deseramus. Cortius tamen pronomine omisso scripsit *Gaetulos miscuere*, quod obscuritate impeditum vix eum sensum qui in vulgata inest, ut ille vult, habere potest. Melius ad sensum Bipp. *sibi* receperunt, sed sine idonea codd. auctoritate. — *Tentantes agros*, sc. num habitando et frugibus ferendis idonei essent. Inepte igitur Palmerius coniecit *tendentes*, sc. tentoria vel mapalia. — *Alia*, *deinde alia loca* satis multi, in iisque optimi codd. tenent, ut Bas. 1. Fabr. 1. 2. Teg. Erl. Goerlit. Leid. L. B. C. D. E. F. G. K. Struv. Acad. Eccard. sex Guelff. Misn. Paris. b. c. x. z. In aliis alterum *alia*

alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi Nomadas appellavere. Ceterum adhuc aedificia Numida- 8
rum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga,

deest; Sen. 1. a m. sec. habet *alia deinde atque alia*, quemadmodum et in antiquioribus edd. et in Gruteriana, Wassiana et Havercamp. editum est. Sed Cortius recte monuit *atque* glossam esse *deinde* vocabuli, ex margine in textum illatam, quum usitatius sit *alia atque alia* dicere. Geminum nostro exemplum est infra c. XXXVI, 2. *Iugurtha alias, deinde alias morae caussas facere.* — *Semet ipsi* exstat in Bas. 1. Fabr. 1. 2. Teg. Leid. L. B. C. D. Eccard. Guelf. 1. et Bern. 3. Berol. 2. Paris. b. c. x. z. et Einsiedel. Relicui consueta diversitate *semet ipsos*. V. ad Catil. XX, 6. p. 100. — *Nomadas* Gerlachius recte scripsit ex Paris. z. pro *Numidas*, quod in ceteris omnibus est codd. Nam immature vulgatam formam hic esse illatam, tum ex eo patet, quod Sallustius ex Graecis ἐτυμολογεῖ (quam recte, nihil ad rem), tum quod infra §. 11. aperte declarat *Numidarum* nomen *mutatione* esse ortum, dicens *Persae postea nomine Numidae digressi* etc. Non ipso autem Numidas sibi hoc nomen indidisse, sed a *Graecis*, quibus cum ipsis et in Sicilia et in Africa, Agathocle invadente, res erat, propter vitae genus *Νομάδας* esse appellatos, idque nomen a Graecis auditum *Romanos* sua lingua in *Numidas* mutasse acute monuit Mannertus Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 195. et 199.

§. 8. *mapalia*] De altera huius vocabuli forma *magalia* v. Serv. ad Virg. Aen. IV, 259. unde cognoscimus, id quod etiam poetarum loci ostendunt, in *mapalia* primam corripi, in *magalia* produci, sed nullo sensus discrimine. In vulgari usu *mapalia* fuisse videtur, poetis alteram formam tantummodo metri caussa usurpantibus. De eorum forma v. Festum h. v. (Gramm. Lat. T. II. p. 169. Lindem.) qui ex Catonis Origg. IV. haec affert: *mapalia quasi cohortes rotundae sunt.* Exstruendi modum obiter descripsit Livius XXX, 3, 8., quocum cf. Tacit. Ann. III, 74. ubi v. Ernesti. Adde ibid. IV, 25, 1. Historr. IV, 50, extr. Liv. XXIX, 31, 8. Plin. H. N. V. 3. Lucan. IV, 684. Ex quibus locis omnibus patet mapalia proprie eiusmodi habitacula fuisse, quae facile ex uno loco in alterum transferri possent; quare non mirum hoc nomine etiam vilissimi generis domus, quales in suburbiis esse solent, fuisse nuncupatas, quibus nos consimili modo nomen *Baraken* tribuere solemus. Nihil egit igitur Wassius ad h. l., totas casas *magalia* appellatas fuisse

incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt.
9 Medi autem et Armenii accessere Libyes; nam hi propius mare Africum agitabant, Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus; hique mature oppida habuere; nam freto divisi ab Hispania mutare

contendens, recte refutatus a Cortio, quem etiam Schellerus in Lex. ampl. p. 6046. sequitur.

§. 9. *Medi autem et Armenii accessere Libyes*] Ita scriptum exstat in nonnullis codd. Glareani, uno Ciaccon., Wassii Reg. Laud. 1. 2. Arondel. B. Publ. Balliol. Bodlei., Commel. Fabr. 2. Struv. m. pr. Rem. 1. Inc. 1. 2. Franc. Vrat. 1. 3. Eccard. Guelf. 4. 7. 10. 11. 12. Bas. 4. Bern. 1., multis Leidd., Misn. et Berol. 1. m. sec. Relicui habent *M e d i s a. et A r m e n i i s acc. Libyes*, quod, quum iam Glareanus verum vidisset, temere ab omnibus editoribus uno Fabro excepto, in textu expressum fuit. Nam quod *accessere* interpretantur *coaluerunt*, *consanguinitatis foedere cum iis se iunxerunt* (v. Gerlach. Commentt. p. 245.), id nullo modo hoc verbo potest significari, et, ut posset, prorsus alienum est, quum auctor de *mutatis advenarum sedibus* loquatur. Igitur §. 4. in universum nominatis gentibus, quae in Africam transierant, deinde de singulis dicit, ac primum *Persas* narrat ex regionibus Oceanum attingentibus *ad G a e t u l o s progressos esse* et cum iis se miscuisse; tum de *Medis* et *Armeniis* agens, hos quoque docet non in primis sedibus permansisse, sed iis relictis *ad L i b y e s accessisse.* Qui sensus ut consilio auctoris et totius loci ingenio optime congruit, ita etiam structura verbi legitima commendatur. Sallustius enim *accedere*, ubi valet *se conferre ad aliq.* semper cum accusat. coniungit; cf. infra XX, 3. LXII, 1. LXXI, 5. XCVII, 3. Vulgatâ igitur scripturâ vides rerum rationem prorsus perverti, quasi *Medi* et *Armenii stabiles* sedes habuerint, Libyes *vagantes* ab his recepti fuerint, quod plane contra fuit. — *Agitabant* explicavimus ad Cat. XXIII, 3. Cort. h. l. adhuc comparat c. XIX, 5. LXXXIX, 7. Tacit. Annall. I, 50, 1. Adde ibid. I, 68, 1. III, 19, 2. IV, 46, 1. — Falso Kunhardtus et *hi* et *hique* ad *Medos* referendum putat. Priore enim *Libyes* significari eo patet, quod auctor *Gaetulos* iis opponit; sed posterius ad *Medos et Armenios* spectare ostendunt sequentia *d i v i s i — nomen e o r u m Libyes corrupere.* Omnino enim tenendum est tum relativum, tum demonstrativa pronomina non unice ad proxime praegressum sub-

res inter se instituerant. Nomen eorum paullatim 10
Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis
appellantes. Sed res Persarum brevi adolevit; ac 11
postea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digressi, possedere ea loca, quae proxuma

stantivum referri, sed ad id, quod in sententia primarium est, (quod de *hic* pronomine luculenter persecutus est Car. Henr. Frotscher in Obss. in Sall. P. I. p. 32.) neque Latinos, quippe recti sensus vi nitentes, ambiguitatis periculum vereri solitos. Nonnulla huc facientia notavimus ad Catil. XLVIII, 1. quibuscum cf. dicta ad Iug. XIV, 23. et ad XXIV, 8. Eodem modo intellexit nostrum locum Perizon. ad Sanct. Min. II, 9, extr. T. I. p. 277. ed. Bauer. cf. supra c. XVII, 4. *sed Africam in Europa. Ea finis habet* etc. — Pro *freto* Wassii cod. Martin. habet *fretu*, quod ille recepit. Istam formam usurpatam fuisse et ostendunt poetarum, velut Lucretii, exempla, et confirmatur grammaticorum testimoniis, v. c. Priscian. VI, 16, 79. T. I. p. 274. ed. Kr. Quin Gellio auctore NN. AA. XIII, 20. ipse Cicero in Verr. V, 66, 169. dixit *perangusto fretu*. Nihil igitur obstat, quominus Sallustium quoque ita dicere potuisse credamus. Sed quum unus tantum cod., neque is insignis, rariorem formam praebeat, eam potius a docto librario, quod genus antiquarios vocant, quam a Sallustio profectam iudico. *Fretum* autem intelligitur *Gaditanum*. Quod quum opponatur *mari magno*, quo auctor §. 5. dixerat Persas a commerciis prohibitos fuisse, ita intelligendum est, ut notio *angusti maris* emineat, quippe quae caussa fuerit rerum inter se mutandarum. Quare ad nexum sententiarum Weissius non male explicat: *quia non nisi freto divisi erant.* — Verba *inter se* per synesin spectant ad nomen *Hispanorum*, quod latet in *Hispania* (v. ad Cat. XXXIX, 3. p. 183.); quo fit, ut *instituerant* non solum Medos et Armenios, sed etiam Hispanos subiectum habeat.

§. 11. *nomine Numidae*] Pessime Gruterus ex coniectura dedit *Nomo-Numidae*, quod et in Havercampii editione repetitum est. Longe plurimi libri in recepta scriptura consentiunt; alii levi discrepantia *nomine Numidiae* praebent. Ac verum esse *nomine* iam Cortius eo demonstravit, quod in Guelf. 10. itemque in Leid. F. est *nomine mutato Numidae*; in Leid. A. et M. *sub nomine Numidae*; in Sen. 1. *de nomine Num.*; in Acad. Vin. 2. et Vratisl. 2. *sub*

12 Carthaginem Numidia appellatur. Deinde utrique, alteris freti, finitumos armis aut metu sub imperium suum coegere, nomen gloriamque sibi addidere, magis hi, qui ad nostrum mare processerant, quia

nomine Numidiae; quippe in promptu est, nullam harum interpolationum procudi potuisse, nisi librarii in primitiva scriptura *nomine* offendissent. — *Possedere* explicatum ad c. XVI, 5. Male Gerlachius in ed. mai. Cortium secutus scripsit *possidere*, quod in Fabric. 1. 2. Acad. Struv. Franc. Vrat. 2. Ecc. Guelf. 2. 3. 9. 11. 12. Bas. 1. 4. Bern. 1. 3. Paris. B. D. Teg. Misn. et Goerlit. reperitur. Relicui vulgatam praebent, quae sola huic loco convenit; nam inf. historicus quum per se a nuda rei factae relatione alienus est, tum a tota huius loci ratione abhorret, ubi auctor omnia per praeteritum extulit. Nam quis credat Sallustium tam parum sibi in narrando constare, ut, quum inde a §. 4. dixisset *occupavere*, *habuere*, *miscuere*, *appellavere*, *accessere*, *habuere*, *corrupere*, *adolevit*, *coegere*, *addidere*, *possessa est*, *concessere*, ut his praes. infinitivum inferret, rebus non mutatis? Sed maxime perfectum eo confirmatur, quod narratio particulis *ac postea* continuatur. Neque sibi constitit Gerl. in ed. novissima. — Quod *proxuma* scripsimus, audacius videri potest; et sane profiteor ita fluctuare de huius loci constituenda scriptura iudicium, ut veram auctoris manum me dedisse non pro certo affirmaverim. Codices enim fere omnes tenent *proxume Carthaginem*, quod per se ne minimam quidem corruptelae suspicionem praebet. Sed Arus. Messus v. *proxumus illo* (Gramm. Lat. Vol. I. p. 252. Lind.) hunc locum ita refert: *proxuma Carthagine*, quod mirifice a vulgata discrepat. Quum autem nullo scriptorum exemplo constet Latinos *proximus* cum ablativo coniunxisse (quamquam fortasse iste casus defendi possit, si statuas propinquitatis notionem concipi non quatenus *acceditur* ad locum, sed quatenus *disceditur ab loco*, ut in vernacula dici potest *nahe von etwas ab*), Arusianum non satis emendato exemplo deceptum puto; nam *M* littera facile absorberi potuit. Idem valet de altero loco, ex Iug. c. XIX, 5. ab eodem sic allato: *proxumi Hispania Mauri sunt*, pro quo codd. *proxume Hispaniam* habent. In his ut nihil tribuendum puto testimonio de ablativo casu, ita non est cur *adiectivum* pro *adverbio* exhibitum pro falso habeam, praesertim quum codd. hoc quidem loco non plane repugnare videantur. Nam quum Wassius tacito edidisset *proxuma Carthaginem*, quemadmodum apud

Libyes quam Gaetuli minus bellicosi. Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.

Frontonem i. e. Arus. Messum exstare dixit A. Manutius, Cortius haec annotavit: „Sic Wassius, nec quid, nec quare. Gruteriana enim omnesque vett. edd. recentiores etiam ante Hackianam, quae cum Crispino Wassio praeiverunt, habent: *quae* p r o x i m e *Carthaginem;* et sic etiam omnes nostri Mss. *exceptis tribus quatuorve* imi subsellii, *qui ita latine sciverunt, ut isti editores.*" Quae quamquam haud uno nomine perplexe dicta sunt, tamen hoc voluisse videtur Cortius, tres quattuorve ex suis codd. *proxima*, ut habet Wassius, praebere. Quare adiectivum satis defensum puto. Sed videant acutiores, quemadmodum has tenebras ita discutiant, ut omni ambiguitate remota quid auctor scripserit *certa via* intelligatur. De accusativo ex *proximus* pendente v. ad Catil. c. XI, 1. coll. Fr. Gronov. ad Liv. VIII, 32, 12. et Perizon. ad Sanct. Min. I, 16. T. I. p. 180. ed. Bau. Muret. VV. LL. XIX, 17. — *Appellatur* multi librarii non concoxerunt, unde in parte codd. *appellantur* illatum reperitur. Sed singularis numerus attractionis lege nititur, qua verbum non ad subiectum, sed ad praedicati nomen refertur. cf. ad Catil. XXV, 3. p. 121. Apposite Cortius laudavit Fragm. Historr. I, 15, 17. Gerl. *nisi approbaritis* b o n a *civium miserorum quasi Cimbricam* p r a e d a m *venum aut dono* d a t a m. ibid. I, 19, 12. *videmini intenta* m a l a *quasi* f u l m e n *optare se quisque ne* a t t i n g a t. Terent. Andr. III, 3, 23. *amantium* i r a e *amoris* i n t e g r a t i o e s t. cf. Krueger de Attractione Lat. Ling. §. 25. p. 57.

§. 12. *deinde*] Ita omnes habent libri, exceptis uno Rivii, uno Gruteri et Guelf. 4. in quibus *dein* legitur, quod Cortius et Gerlachius non idoneam ob caussam vulgatae praetulerunt. cf. ad Cat. XXXII, 1. XL, 6. — *Utrique* non sunt, ut Muellerus perperam censet, *ab una parte Persae cum Gaetulis, ab altera Libyes cum Medis et Armeniis*, sed *Numidae parentes eorumque filii* i. e. Persae cum Gaetulis mixti indeque orti Numidae. His enim quoniam Libyes cum Mauris iuncti statim post *opponuntur*, non possunt iidem vocabulo *utrique* comprehendi. — Statim post Cortius scripsit *sub imperium cogere*, in omittendo pronomine secutus Guelf. 9. et Vrat. 2. Infinitivus quem praebent Eccard. a m. pr. Sen. 2. Heuss. Guelf. 7. 9. 11. Vrat. 2., cur ferri nequeat, iam dixi ad §. 11. Insolentia

XIX. Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperi cupidine sollicitata plebe et aliis, novarum rerum avidis, Hipponem,

eo augetur, quod in *eodem orationis membro* sequitur perfectum, neque afferendi Cortio erant tales loci, ubi infinit. a verbo finito interpunctione maiore disiungitur, ut Cat. XXI, 4. et Iug. XV, 2. Denique in promptu est scribas facilius ex *coegere* aberrare potuisse in *cogere*, quam contra. — Pro *possessa est* Sen. 2. et Heuss. *obsessa est*, scribis verbi rationem non capientibus, quam explicavi ad c. XVI, 5. — *Concedere in gentem* proprie dicuntur, qui aliis subiecti cum iis quasi coalescunt; cf. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 16, 9. XXIX, 29, 10. XXXIX, 2, 4. Iustin. IV, 2.

XIX. §. 1. *Phoenices, alii — pars*] In partitiva sententia Sallustium saepe *alii — pars* pro geminato *alii* dicere monitum est ad Cat. II, 1. Sed quod partium significationi non genitivum, quo eae comprehendantur, sed nominativum praemisit, eius rei caussa haec est, quod respiciens ad superiora *totos populos* sibi opponit, ita ut Persis, Medis et Armeniis respondeant *Phoenices.* Quare primaria sententia non pendet ex vocibus *alii — pars*, quae ratio valeret genitivo antecedente, sed potius ex *universae gentis nomine*, cui sequentia per appositionem addita sunt, ut statim post et §. 5. iterum factum; cf. c. L, 4. *Numidae, alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextera tentare;* XIV, 15. XLVI, 4. LVII, 4. CIV, 3. LXXIV, 1. Cat. II, 1. Eodem modo Tacit. Ann. XIV, 23, 2. *Barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos.* — *Et aliis novarum rerum avidis* exstat in Naz. Commel. Bas. 1. Fabric. 1. a m. pr. Leid. L. Teg. Goerlit. Sen. 1. 2. ac praeterea in multis Cortii, Havercampii, Gerlachii, aliorum codd. Aliquantus tamen numerus *et alii nov. rer. avidi* habet, quae scriptura olim vulgata inde a Grutero et Cortio recte improbata est. Vere vidit Cortius *alios* non respectu antecedentium *alii — pars* dici, ut tertia caussa coloniarum condendarum commemoretur, sed bimembrem esse sententiam ex *sollicitata* pendentem, ita ut ex singulari ad *aliis* suplendum sit *sollicitatis*, quod apte confirmat exemplis Ciceronis ex Epp. ad Famm. I, 9, 63. *eius omni et gratia et opibus sic fruor, ut meis.* ibid. XVI, 1, 5. *et comites, et tempestates, et navem idoneam ut habeas diligenter videbis.* — *Hipponem* non intelligi *Regium*, sed *Diarrhytum* sive *Zarytum*, in regione Zeugitana haud procul ab Utica situm locorum ordo ostendit,

Hadrumetum, Leptim aliasque urbis in ora maritima condidere, haeque brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere. Nam 2

ut Cortius iam monuit. cf. Plin. H. N. V, 3. Strab. XVII, 3. p. 488. et Tauchn. p. 1188. D. ed. Almelov; et Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 297 — 300. — De Hadrumeto, (Graece *Ἀδρύμη*, *Ἀδρύμητος*, *Ἀδρούμετος*.) v. Mannert ibid. p. 243 sq. et Cellarii Not. orb. ant. IV, 4. p. 868. ed. Schw. — *Leptis* h. l. intelligitur *minor*, quae sita inter Hadrumetum et Thapsum (cf. Sickleri Geogr. antiq. p. 822. Mannert. l. l. p. 241 sq.). *Leptim maiorem*, quae est inter Syrtes, mox memorat §. 3. ac de eius origine plura infra c. LXXVIII. v. Mannert. l. l. p. 124 sqq. Cellar. Not. orb. ant. IV, 4. p. 857 sq. Liv. XXXIV, 62, 3. — *Suis* Cortius omisit, unius Guelf. 10. fide. — *Origines* sunt *metropoles*, unde coloniae emissae, nam *origo* non solum dicitur nascendi sive oriendi ratio, sed etiam *id, unde aliquid ortum suum habet*; cf. Walch. Emendd. Liv. c. XI. p. 226. Liv. XXXVIII, 39, 10. *Iliensibus Rhoetum et Gergithum addiderunt originum memoriâ.* id. XXVI, 13, 16. *Albam a fundamentis proruerunt, ne memoria originum suarum exstaret.*

§. 2. *Nam de Carthagine tacere melius puto*] *Nam* ita positum est, ut non referatur ad id, quod in antecedentibus est dictum, sed ad omissam sententiam, tali fere modo supplendam: *haec de illis urbibus sufficiant; sed Carthaginem consulto non nominavi; nam de ea* etc. cf. Catil. LII, 34. Iug. c. XXVIII, 5. XXXI, 2. LXIII, 6. LXXXII, 2. LXXXVIII, 5. Tac. Ann. XIV, 12, 5. *Nero feminas illustres Iuniam et Calpurniam, praefectura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum sedibus patriis reddidit. Etiam Lollia Paullinae cineres sepulcrumque exstrui permisit, quosque ipse nuper relegaverat, Iturium et Calvisium poena exsolvit. Nam Silana fato functa erat;* supple: *sed in iis, qui hanc gratiam experirentur, Silana non fuit; nam ea* etc. ibid. XIV, 44, 4. *At quidam insontes peribunt. Nam et ex fuso exercitu decimus quisque fusti feritur;* ubi Gronovius recte vidit *nam* spectare ad omissam sententiam: *pereant sane, neque tamen id sine exemplo est.* id Agric. c. XLVI, extr. ibique Walch. Adde Gernhard. et Beier. ad Cic. de Off. III, 21, 84. in Verr. I, 57. 150. II, 29. 72, extr. Kuehner. ad Tusc. I, 6, 11. ibid. I, 31, 76. Ramshorn. Gr. Lat. §. 187. p. 564. Creuzer ad Cic. de Rep. II, 15. p. 250.

de Carthagine tacere melius puto, quam parum
3 dicere, quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Afri-

Otto ad Cic. de Finn. I, 7, 25. Frotscher ad Quintil. X, 1, 12. Spalding. ad II, 11, 7. — Quod scripsimus *tacere melius puto*, fortasse erunt qui improbent; omnes enim codd. tenent *silere melius puto*, excepto uno Eccard. qui receptam a nobis scripturam servavit. Quam ut probaremus multum fecit Quintiliani auctoritas, qui Instit. orat. II, 13, 14. nostrum locum sic refert: *tacere satius puto*; sed plurimum valuit dicendi usus. Nam si Sallustius auctore Gellio NN. AA. X, 20. proprietatum in verbis retinentissimus fuit, vix tibi persuadeas *silere* eum dixisse. Verissime enim Ludov. Doederlinus in Synonymm. Latt. T. I. p. 85 sqq. docuit *silere* ita differre ab *tacere*, ut illud latius pateat et omnino significet *nihil soni edere*, hoc *nullum verbum proferre*. Igitur *silere*, cui in vernacula respondent dictiones *still sein*, *sich still und ruhig verhalten*, dicitur is, qui nullum sonitum vel strepitum reddit, qui ne mussitat quidem et hiscere non audet; *tacet* vero is, qui *non loquitur* et *quae dicenda habet*, *premit*. Quippe *dicendo* non oppositum est *silere*, sed *tacere*, ut Doederlinus demonstravit his exemplis: Cato ap. Gell. I, 15. *frusto panis conduci potest vel ut taceat, vel ut loquatur*. Plaut. Rud. IV, 4, 72. *quia enim neque loquens es, neque tacens unquam bonus*. Ter. Eun. IV, 4, 54. *utrum taceamne, an praedicem?* Adde Sall. Iug. XXXIII, 1. *ubi Iugurtha respondere iussus est, C. Baebius regem tacere iubet*. Virg. Aen. I, 148 sqq. *Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est Seditio, saevitque animis ignobile vulgus, Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat; Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent arrectisque auribus astant*. Cum Doederlini praeceptis fere congruunt, quae Herzogius ad Cat. I, 1. de verborum *silere* et *tacere* discrimine disseruit, nisi quod illud graece *σιγᾶν*, hoc *σιωπᾶν* esse dicit; nam plane contra esse quivis accurate inspectis exemplis, a Doederlino allatis, sentiet. Quae quum ita sint, vides quam perverse *silere* verbum de *omissa* rerum Carthaginiensium *commemoratione* positum sit. Sed scrupulum fortasse iniicit, quod Quintilianus etiam pro *melius* habet *satius*, ut, quum memoriter locum laudare videatur, eius testimonio nihil tribuendum sit. Memoriter laudasse concedo, sed loquendi usu duce intelligentissimus linguae existimator in *tacere* verbo

ca dividit, secundo mari prima Cyrene est, colonia Theraeon, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis, deinde Philaenon arae, quem locum Aegy-

errare non potuit, quamquam potuit, non mutata sententia, memoriae lapsu *satius* pro *melius* dicere. Quibus haec non satis faciunt frustra auxilium petent a Sallustii imitatoribus; nam vulgatam expressit Appulei. de Mundo p. 68. *de rectore quippe omnium non, ut ait ille, s i l e r e melius est, sed vel parum dicere;* contra Quintilianum sequitur Hieronym. Ep. ad Paullin. CIII. *super quo t a c e r e melius puto, quam pauca scribere;* unde si non aliud, hoc certe intelligitur, iam primis nostrae aerae seculis hic illic quaedam in codd. turbata fuisse, nisi et Appuleium et Hieronymum Sallustii verba memoriter tantum, neque accurate imitatos esse apparet.

§. 3. *ad Catabathmon — secundo mari prima Cyrene est*] Haec ut recte intelligantur tenendum est Sallustium in Africae parte ea, quae mare mediterraneum attingit, describenda ita versari, ut ab oriente profectus et vultu quasi in occidentem solem conversus, breviter quae inter Aegyptum et fretum Herculis interiacent percurrat, locorum ordinem ad oram maris sitorum servans. Quare *ad Catabathmon* non esse potest *prope Catabathmon;* erravit enim Handius de Particc. Lat. Vol. I. p. 90. hunc locum iis annumerans, in quibus *ad* vicinitatem loci indicat ab *accedendi* notione; Catabathmon enim *initium* ponens Sallustius ab eo *discedit* potius in descriptione terrae, quam accedit. Quod sentiens Ciacconius coniecit scribendum esse *a Catabathmo*, ut sane exstat in Wassii cod. L. 3. Sed vulgata non est sollicitanda. *Ad* enim de *ordine* dicitur, quo res *se excipiunt*, quo sensu Germani praepositiones *auf* et *nach* usurpant. cf. Cic. de Finn. III, 16, 52. *quorum ordo proxime accedit, ut s e c u n d u s sit a d regium principatum*, quem locum perperam a Goerenzio intellectum recte explicavit Handius de Particc. Vol. I. p. 91. Sallustium verbotenus sequitur Mela I, 8. *inde a d Catabathmon Cyrenaica provincia est.* cf. Plin. H. N. XXVIII, 9, post init. *Dulcissimum a d hominis camelinum lac. — Secundo mari* Cortius, Kunhardtus et Muellerus pessime ita capiunt, quasi auctor dixerit: post Catabathmum Cyrenen primam esse; *secundo*, i. e. *altero loco*, sive proxime post Cyrenen esse *mare.* Non meliorem rationem iniit Fr. Gronovius, ex cuius scholiis in Sallustium Cortius hanc protulit explicationem, Gerlachio probatam, *secundo mari* dictum esse ut *secundo flumine*, scilicet *quia mare ab Asiae angulo*

ptum vorsus finem imperi habuere Carthaginienses,
4 post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad

repressum in partem illam, quae est Carthaginem versus, feratur et fluat! Sed unice vera Wassii sententia est, qui ostendit ista verba significare *secundum mare*, vel *si quis secundum mare pergat*, sive *maris oram sequatur*. Nam ut *secundo flumine* non solum de iis dicitur, qui ipso flumine deorsum feruntur, quae Gronovii est sententia, sed etiam de iis, qui fluminis tractum sive decursum *in ripa sequuntur*, cf. Caes. B. G. VII, 58. *refecto ponte, quem superioribus diebus hostes resciderunt, exercitum transducit et secundo flumine (vernacula längs dem Flusse) ad Lutetiam iter facere coepit*, ita nihil obstat quominus Sallustii verba eundem sensum habeant. Qui enim ita iter facit, ut non, maris ora relicta, interiora terrae petat, sed pari semper intervallo a mari absit, is *secundo mari* iter facit.

Theraeon] In codd. et edd. omnibus scribitur *Thereon*, ac statim post *Philenon;* sed diphthongum poscit graeca scribendi ratio Θηραῖοι, Φίλαινοι, quare etiam sine codd. verum reposuimus. Graecam *genitivi* formam Conr. Leop. Schneiderus Gramm. Lat. T. II. P. I. p. 83. recte observat in rarioribus tantum nominibus geographicis fuisse admissam. De *Cyrene* Theraeorum colonia, Batto duce Ol. XXXVI. sive a. 631. a. Chr. n. condita, v. Herod. IV, 145 sqq. Strab. XVII, 3. p. 497. Tauchn. p. 1194. B. ed. Almelov. cf. Boeckh. ad Pind. Pyth. IV. Explic. p. 263. 265. Car. Ritteri Geograph. P. I. quae *Africam* complectitur, p. 945 — 949. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Tom X. P. II. p. 57 sqq. — *Syrtes* ac *Philaenon aras* infra accuratius describit auctor c. LXXVIII et LXXIX; sed quem Philaenon aris locum hic assignat, multum diversus videtur ab eo, quem reliqui scriptores summo consensu tradunt. Nam qui has aras commemorant, velut Ptolem. IV, 4. Strabo XVII, 3. p. 495. Tauchn. p. 1193. B. ed. Almelov. Mela I, 7. Plin. H. N. V, 4. clarissime docent eas in extremo sinu Syrtis magnae, qua inter septentrionem et orientem ad Barcam et Cyrenaicam vergit, sitas esse, neque alio loco ponunt recentiores, ut Cellarius Not. Orb. ant. IV, 3. p. 855. ed. Schw. D'Anvillius, Heerenius, Car. Ritterus *Africa* p. 934. Sicklerus Geogr. ant. p. 820. alii. Ex Sallustii autem verbis coniicias eum post minorem demum Syrtim, aut certe post Leptim magnam has aras collocare; nam isto ordine procedere eius narrationem ostendunt verba *prima — ac deinceps — deinde — post*, eoque Glareanus Nostrum erroris

Mauretaniam Numidae tenent; proxumi Hispaniam Mauri sunt. Super Numidiam Gaetulos accepimus

arguit; Langius vero scribarum turbas suspicatus verbis *dein Philaenon arae — Carthaginienses* post *Theraeon* collocandis difficultatem tolli censet. Sed quum talis confusionis ne minimum quidem vestigium in codd. deprehendatur, nobis cautioribus esse convenit. In universum enim assentimur Cortio Sallustium eodem aras Philaenorum loco collocare, quo ceteros scriptores; sed quod dicit verba *ac deinceps duae Syrtes interque eas Leptis* quasi per parenthesin interiecta esse, propter commemorationem maris, ita ut *deinde Phil. a.* proxime spectent ad verba *prima Cyrene est*, id, quamquam etiam Faber suadet, fieri nequit. Sed paullo inconsultius a Cyrene statim ad Syrtes progressus auctor, prius Lepti, quae duas Syrtes interiacet, nominata, redit cogitatione ad initium maioris Syrtis, quod quum sane ultra aras porrigeretur, hoc quoque iis locis annumeravit, *quae inter duas Syrtes sunt*, sed ita, ut proxime Cyrenen esse cogitaretur, quam ob rem etiam addit *quem locum Aeg. v. f. i. h. Carth.* Patet igitur inscientiae culpa vacare Sallustium, sed negligentiae crimine non liberari posse, qui, quum significare vellet ad Cyrenen usque pertinere Syrtim, in regione *Syrtica* autem *aras Philaenon* proxime a Cyrenaica abesse, his immiscuerit Syrtium descriptionem, quo inceptus ordo impeditus est. Idem fere sentit Mannertus Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 117. — *Leptis*, cuius mentio iterum fit c. LXXVII, 1. et LXXVIII, 1., intelligitur *magna*, cui etiam nomen *Neapolis*. v. supra §. 1. Strab. XVII, 3. p. 493. Tauchn. p. 1192. A. ed. Almelov. Sickleri Geogr. ant. p. 820. Car. Ritteri *Africa* p. 923. — Pro *deinde* Cortius ex uno cod. Guelf. 4. scripsit *dein*, quod Gerlachius sine caussa secutus est; v. ad c. XVIII, 12. — *Locum* Cortius omisit auctoritate Sen. 2. et Heuss.; nobis hi duo libri, saepissime in vitiosis scripturis conspirantes, non tanti momenti videntur, ut relicuis, in quibus optimi et veterrimi omnes, praeferendi sint, quamquam concedimus omisso *locum* vocabulo structuram et sensum satis bonum esse; v. ad Cat. LV, 3.

§. 4 — 6. *proxumi Hispaniam*] Codd. fere omnes et edd. tenent *proxime Hispaniam*; Ursini liber et Sen. 1. *proxime Hispanias*; Goerlit. *proxime Hispanos*; Guelf. 3. *proximam Hispaniam*; Guelf. 7. *et prope Hispaniam.* Nostra scriptura nititur testimonio Arus. Messi v. *proximus*. V. ad c. XVIII, 11. — De *Gaetulorum* sedibus cf. LXXX, 1. Strab. XVII, 3. p. 479. Tauchn. ibid. p. 485. et

partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare,
6 post eos Aethiopas esse, dein loca exusta solis ar-
7 doribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat, Gaetulorum magna pars et Numidae

49[1]. Mannert. l. l. p. 200. — *Aethiopas* vetustissimi codd., ut Bas. 1. Fabr. 1. et plurimi alii. cf. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. T. II, 1. p. 313. et Cort. ad h. l.

§. 7. *Igitur*] Haec particula h. l. eam vim habet, qua significatur auctorem post aliquam degressionem ad rem ipsam accedere. cf. c. XCVI, 1. *Igitur Sulla, ut supra dictum est, postquam in Africam venit.* Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 20, 65. *Sed iam ad rem redeamus. Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum.* v. etiam Ellendt. ad Brut. c. 48, 177. et Bremi. ad Nep. Epamin. II, 1. p. 212. — *Finis Carthaginiensium, quos novissume habuerant* Gerlach. contra linguam et historiam explicat *ante secundum bellum Pun.* Nam *secundum bellum* non fuit *novissumum*; tum patet Sallustium respicere ad illud tempus, quo Carthaginiensium fines in Africa iam imminuti erant, quod non *ante* secundum bellum, sed *eo finito* factum, Masinissa non nolentibus Romanis illorum dicionem infestante. — *Numidae* exstat in longe plurimis Rivii, Gruteri, Wassii, aliorumque codd. Sed in Fabr. 1. Inc. 1. 2. Sen. 1. 2. Heuss. Acad. Struv. Rem. 1. multis Guelf. Leidd. A. B. E. H. I. K. M. Erl. Misn. Berol. 2. et Goerlit. habetur *Numidiae*, in uno Vin. 2. *Numidia*, quod Cortius perperam recepit, Bipp. Kunhardto, Langio, Muellero obsequentibus. Quamquam enim in ista dicendi ratione nihil perversi inest, tamen codd. discrepantiae recte consideratae aliud verum esse ostendunt. Ex *Numidae* enim, quod Sallustii fuit, *Numidiae* factum interpolatione scribarum, qui hoc *nomen* vel ob grammaticas, vel ob geographicas rationes a *pars* vocabulo pendere debere autumarent; *Numidiae* autem scriba cod. Vin. 2. secunda interpolatione mutavit in *Numidia*, haud dubie quia pro pluralis nominativo habuit, quem et a loquendi usu et ab huius loci sensu alienum esse sentiret. — *Mulucha* flumen, cuius iterum mentio fit c. XCII, 5., apud Strabonem XVII, 3. p. 484. ed. Tauchn. p. 1185. Almelov. *Μολοχάθ* vocatur. v. Cellar. Not. Orb.

usque ad flumen Mulucham sub Iugurtha erant, Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen cetera ignarus populi Romani, itemque nobis neque bello neque pace antea cognitus. De Africa 8
et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam, diviso regno, legati Africa

ant. IV, 5. p. 915. et Mannert Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 429. — De insolito verborum *rex Bocchus* ordine, appellativo praeposito, v. quae notavimus ad Catil. c. LI, 5. Quippe sententia est, Mauros *regio imperio* gubernari, idque tunc tenuisse Bocchum. cf. Iug. LXXIV, 1. *ceteri ad regem Bocchum profugerunt.* LXXIII, 7. *populus a tribuno plebis Manlio Mancino rogatus.* Fragm. Historr. II, 3. Gerl. *nam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem tribunus plebis C. Herennius prohibuerat.* Tacit. Ann. XIV, 22, 3. *ita Rubellius istuc cum coniuge Antistia et paucis familiarium concessit.* cf. Ottonem ad Cic. de Finn. III, 2, 7. *Quum vellem e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti.* Goerenz. ad Acad. II, 6, 18. Tuscc. V, 32, 89. Lael. 1, 1. Drakenborch. ad Liv. XXII, 14, 13. — *Imperitabat* frequentativo offensi scribae in nonnullis libris dederunt *imperabat*, contra auctoris consuetudinem; v. ad Cat. XXXVIII, 1. p. 177. — Vim *cetera* accusativi, quae patebit ex dictis ad Iug. V, 4., non assecuti librarii in aliquot codd. scripserunt *per cetera.* cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 132, 5. p. 236. ed. I. Vechner. Hellenol. II, 2. c. 20. p. 301. Intprr. ad. Liv. I, 32, 2. et Drakenb. ad eund. XXXVII, 7, 15. Passov. ad Tac. Germ. c. XXV. — *Ad necessitudinem* sensu idem est atque *pro necess.* sive *quod attinet ad necess.* V. Heusinger. ad Cic. de Off. III, 21, 10. Bremi. ad Nep. Epam. c. II, 3. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 106. II, 1. — De forma *necessitudo*, cuius loco pauci libri *necessitatem* habent, cf. ad Cat. c. XVII, 2.

XX. §. 1. *diviso regno*] Ita omnes codd., excepto solo Bas. 1., in quo librarius negligentia lapsus scripsit *regno diviso*, quem ordinem Cortius perperam in textu secutus est. *Diviso* enim necessario praeponendum, quia in hoc vocabulo sententiae vis inest; nam *ut dividerent* regnum legati in Africam missi erant. cf. c. X, 3. XXII, 3. XXV, 11. — *Decessere* legitur in codd. Gruteri, Wassii,

decessere, et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt, certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia esse, simul et illorum pollicitationibus ac-

Havercampi, multis Guelf. Fabric. 1. Rem. 2. Struv. Bas. 4. Turic. 1. 3. et compluribus Itall. Reliqui habent *discessere*, quod Cortius recepit. Gerlachius in textu quidem *decessere* edidit, sed ita titubat, ut in Commentt. p. 246. qua in re haec verba differant se docere non posse profiteatur, quod nemo mirabitur, qui quid ille de vi *de* et *dis* vocularum statuat recordatur; v. supra ad I, 4. et Iahnii Annall. philol. et paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. 1. p. 64. Si quid valet ratio, eaque nitens loquendi usus, non aliud scripsit auctor quam *decessere*. Nam pro peculiari *de* et *dis* vocum potestate *discedere* est in *varias partes abire*, vel omnino *alium locum petere*, ita ut *mutati loci* notio praemineat. cf. c. XIII, 1. *in duas partis discedunt Numidae.* XXVIII, 3. *Numidae infectis rebus domum discedunt.* LIV, 4. *Numidae quo cuiusque animus fert, eo discedunt.* ibid. §. 10. *Numidae in proxumos collis discedunt.* LVI, 6. *milites Iugurthini paucis amissis profugi discedunt.* Inde patet cur dicatur *discedere ab armis*, Cat. XXXIV, 1. XXXVI, 2. Iug. XXI, 4., *discedere victum*, de quo v. ad Cat. XLIX, 2., *discedere in sententiam*, quod tetigimus ad Cat. L, 4. Contra *decedere* significat *relicto quem quis tenuit loco abire*; quare proprie de magistratibus dicitur, qui provinciam relinquunt, cf. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 28, 7. et ad XXIX, 20, 5. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 49, in. Bremi. ad Nep. Attic. c. IV, 1. Daehnius ad eiusd. Cat. I, 4. Kuehner. ad Cic. Tusc. II, 25, 61. Ellendt. ad Brut. c. I, 1. Consimili significatione de eo dicitur, qui locum, *ubi diutius versari volebat*, relinquere iubetur. Sall. Iug. XXVIII, 2. *decrevere, uti legati in diebus proxumis decem Italia decederent.* XXXV, 8. *ipse paucis diebus profectus est, iussus ab senatu Italia decedere.* XXXVIII, 9. Ex propria potestate fluxit translatus usus, quo de *omittendis* iis rebus usurpatur, quae *tuenda* et *retinenda* sunt, quemadmodum Cicero dixit in Verr. II, 17, 43. *de suis bonis omnibus decedere*, aut Liv. III, 33, 10. *decessitque iure suo*, ubi Drakenborchius plura huius generis exempla attulit. Huic usui cognatus est is, quo Latini hoc verbum ponunt, ut significent aliquem *non*

census, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, 2
bellicosus; at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis

iam sequi id, quod antea amplexus erat, v. c. Tacit. Ann. XIV, 49, 3. *non ideo aut consules mutavere relationem, aut Thrasea decessit sententia, ceterive quae probaverant deseruere.* Liv. XXXVII, 54, 9. *ne decederetis instituto vestro.* cf. etiam ad c. XLI, 3. Haec sufficiant ad propriam utriusque verbi *significationem* declarandam. De structura *decedere* verbi, non tantum cum solo ablativo, sed etiam cum *de* et *e* praepositionibus coniuncti, v. Ellendt. ad Cic. Brut. c. I, 1. — *Timor animi* quomodo dictum sit, monuimus ad Cat. LVIII, 2. — Pro *videt* in Guelf. 7. Leid. F. I. legitur *vidit*, propter praegressum *decessere*. De hac praesentis et perfecti coniunctione satis dictum ad c. XII, 4. — *Certum ratus* confirmant omnes Rivii, Gruteri, et, ut videtur, etiam Wassii codd., tres Cortii, quinque Leidd. Paris. c. x. z. Einsiedel. Tur. 1. Reliqui, in quibus, quod mireris, satis boni, habent *certum esse ratus*, quod cur damnandum sit patet ex notatis ad Cat. I, 3. p. 6. — *Simul et* longe plurimis codd. firmatur; in nonnullis tamen Cortii *et* deest, quod haud multum abest quin probet, quum *simul* per se vim copulae habeat, ut demonstratum est ad Cat. XIX, 2. Sed in promptu est, *et*, quod *etiam* valet (v. Beier. ad Cic. de Off. I, 40, 142. et nostra ad Cat. XXXV, 4.) augere copulandi vim, quae in *simul* inest, eodemque modo auctor infra locutus est c. XXV, 5. *Legati, quod in invidia res erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere.* LXXXIV, 5. *Marius hortandi caussa, simul et nobilitatem exagitandi concionem advocavit.* XCII, 2. *milites modesto imperio habiti, simul et locupletes ad coelum ferre.* XCVII, 1.

§. 2. *acer, bellicosus*] Ita Livius quoque de talis ingenii hominibus loquitur, XXVI, 26, 11. XXVII, 34, 2. XXIX, 32, 1. Noster infra c. XLIII, 1. Cort. — *Is* in Guelf. 10. deest, quod Cortio elegans visum; sed v. ad Cat. LI, 33. p. 256. — *At* est *ex altera parte*; hac enim particula distingui res diversas docuit Handius de Partt. Latt. Vol. I. p. 420. I, 1. cf. h. c. §. 5. XXXIII, 3. LXXIII, 4. LXXVI, 2. LXXXV, 33. — Dictionem *opportunus iniuriae* Cortius his exemplis illustravit: Liv. XXVIII, 19, 8. *ne*

3 quam metuendus. Igitur ex improviso finis eius
cum magna manu invadit, multos mortalis cum pe-
core atque alia praeda capit, aedificia incendit, ple-
4 raque loca hostiliter cum equitatu accedit, deinde
cum omni multitudine in regnum suum convortit,
existumans dolore permotum Adherbalem iniurias
suas manu vindicaturum, eamque rem belli caussam

quis unquam civem militemve opportunum iniuriae duceret. Flor. IV, 4, 2. *tenerum, obnoxium et opportunum iniuriae iuvenem.* cf. Drakenb. ad Liv. XXV, 30, 3.

§. 3—5. *invadit*] Cortius nihil monito lectore edidit *invasit;* sed quum omnes aliorum codices praesens habeant, vix dubium est, quin praeteritum codicum auctoritate prorsus destituatur, et eo invito in textum irrepserit. — *Deinde* Cortius pro more suo mutavit in *dein*, quamquam unus tantum Sen. 1. ita habet, cui scripturae nihil praesidii eo est, quod Guelf. 7. *dehinc* ostendit. Nihilominus Gerlachius in mai. ed. Cortium secutus est. — Pro *convortit* perpauci codd. habent *se convertit*, alii *convertitur*, utrumque ex interpolatione. V. ad Cat. VI, 7. — *Dolore permotum Adherbalem* omnes confirmant Cortii codd., quinque exceptis; eundem verborum ordinem habent codd. Rivii, et si ex silentio editorum est argumentandum, etiam Gruteri, Wassii et Erl. cum Tegerns.; praeterea Med. 4. 6. 9. Einsiedel. Tur. 1. Relicui habent *Adherb. dolore permotum*, quem ordinem Cortius, praeeunte Rivio, recte deseruit. Nam multo gravius est et rei convenientius, caussam, qua Iugurtha Adherbalem ad agendum impulsum iri crederet, praemitti, quam appositionis instar secundario loco commemorari. cf. notata ad c. VII, 1. — *Iniurias suas* i. e. sibi illatas; v. ad Cat. LI, 11. p. 243. Iug. XIV, 8. LXXXII, 3. — *Erat* post *fretus*, quamvis omnibus omnino codd. firmatum, Cortio valde displicuit; quid quod Gerlachio tam certo persuasit a librario appictum esse, qui etiam alterum membrum a *quod* pendere crederet, ut is in Commentt. p. 247. fidenter delendum esse pronunciaverit, quum insolentissimum sit, et participium eandem vim atque verbum finitum a caussali particula aptum habeat. Quo indicio isti viri se ostendunt intelligendo nihil intelligere. Quippe intellexerunt, quod etiam pueri

fore. At ille, quod neque se parem armis existu- 5
mabat, et amicitia populi Romani magis quam Nu-
midis fretus erat, legatos ad Iugurtham de iniuriis
questum misit; qui tametsi contumeliosa dicta retule-
rant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum
sumere, quia tentatum antea secus cesserat. Neque 6
eo magis cupido Iugurthae minuebatur; quippe qui

sciunt, participium vim enunciationis caussalis habere; at non intellexerunt *et* istud referri ad praegressum *neque* (de quo v. ad Iug. I, 5.), quae particulae *parem* ubique constructionem poscunt; non perspexerunt propter id ipsum ex *quod* particula *existumabat* et *fretus erat* aptum esse debere; denique quid in Latina lingua „insolentissimum“ sit, quid „ex more Sallustii,“ prorsus eos latet. Quare melius fuisset, si etiam illud, quod intellexerunt, non intellexissent. — *Bellum sumere* dictio apud rerum gestarum scriptores haud infrequens. Infra c. LXII, 9. *de integro bellum sumit.* LXXXIII, 1. *omne bellum sumi facile.* Liv. I, 42, 2 XXXVIII, 19, 3. Tacit. Ann. II, 45, 1. XIII, 34, 2. XV, 5, 2. ibid. c. 7, 1. Agric. c. 16, in. ubi v. Walch. qui Graecum *πόλεμον ἄρασθαι* expressum censet. Gerlachius vero ad h. l. locutionem profectam putat a cognata *sumere arma.* Neutrum probabile videtur; Latini enim usu proprio, non Graeco, multoque latius patente, *sumere* ita usurpabant, ut valeret *aliquid aggredi*, *incipere*, vel omnino *id, a quo quis antea alienus erat*, *amplecti ac sequi*, quae est etiam Schelleri in Lex. ampl. p. 10878. de hoc verbo sententia. cf. etiam Kreyssig. Commentat. II. de Sall. Historr. Lib. III. Fragmm. p. 28. et Boetticheri Lex. Tacit. in h. v. p. 447. qui plurima contulit. — Usum *secus* vocabuli, de cuius propria vi cf. notata ad c. XCII, 4. Gerlachius haud male ad euphemismi quoddam genus refert, consimile ei, quod tetigit Aug. Matthias ad Cic. p. leg. Man. c. 20, 59. cf. infra c. XXV, 10. LXII, 1. et v. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. VII, 6, 8. Praecipue autem consule utilem notam Kuehneri ad Cic. Tuscc. I, 43, 104.

§. 6 — 8. *Neque eo magis*] Cortius, dubium ex ingenio, an casu, edidit *neque tamen eo magis*, quod per se satis commodum est (v. ad Catil. c. LVII, 4.), sed ne in uno quidem cod. legitur.

7 totum eius regnum animo iam invaserat. Itaque non, ut antea, cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit et aperte
8 totius Numidiae imperium petere. Ceterum qua

Eo facilius autem ista coniectura carere possumus, quum *neque* per se eam vim habeat, ut praegressae enunciationi, non formâ sed sensu *concessivae*, consectariam sententiam negativam adiiciat, quae ratio addita *tamen* particula non mutatur, sed tantummodo clarior redditur. cf. Bremium ad Nep. Agesil. c. I, 4. Kuehner ad Cic. Tuscc. I, 2. 4. v. infra c. LVII, 3. Ceterum nihili est, quod Gerlachius *magis* non cum *minuebatur*, sed cum *eo* coniungi vult; quasi non utraque vox ad verbum pertineat? Eadem est ratio locorum ab ipso laudatorum, Nep. Eum. IV, 2. Pelop. I, 3. Paus. III, 5. quae simul ad usum *neque* particulae confirmandum valent. — Ad sensum verborum *regnum animo iam invaserat* Wassius bene comparavit Cic. in Verr. I, 51, 135. *Iste, qui iam spe et opinione praedam illam devorasset.* Id. Epp. ad Attic. I, 16, p. med. *ille autem regis hereditatem spe devoraverat.* Cetera exempla a Cortio et Gerlachio allata plane aliena sunt. — Pro *totius Numidiae imperium* in Struv. et Guelf. 4. est *tot. imp. Num.*, quod non reiicerem, si plures ac meliores libri confirmarent; v. ad Cat. LI, 33. — Post *urbis* scribae in Leidd. D. E. inserunt *atque*, scilicet asyndeton non ferentes, de quo diximus ad Cat. XX, 2. et ad XLIII, 2. Exemplis ibi laudatis iam addimus Cat. X, 2. *his otium, divitiae oneri miseriaeque fuere.* Iug. XIV, 11. *me extorrem patria, domo effecit.* LXXXV, 7. *ita fui, ut omnes labores, pericula consueta habeam.* Tac. Ann. XI, 24, 2. *ut terrae, gentes in nomen vostrum coalescerent.* XIV, 31, 4. *veterani (incolas) pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando.* *Praedas* pluralis a nostro usu abhorret, non item a Latino. cf. Iug. XXXII, 4. XLI, 7. XLIV, 5. LXXXVIII, 8. Liv. XXIV, 20, 4. Nep. Chabr. c. II, 3. Caussa pluralis numeri patebit ex dictis ad Cat. XV, 4. p. 77. — *Hostibus terrorem*, quem ordinem omnes libri praestant, Cortius, fidem unius Acad. secutus, invertit, scilicet ut membrorum chiasmus existeret, de quo verborum ordine v. notata ad Cat. LXI, 9. Sine multorum et bonorum codd. praesidio a vulgata non recedendum.

XXI. §. 1. et 2. *intellegit*] Plerique codd. habent *intelligit*; sed Sallustianam formam servarunt Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Guelf.

pergebat urbis, agros vastare, praedas agere; suis animum, hostibus terrorem augere.

XXI. Adherbal ubi intellegit eo processum, uti regnum aut relinquendum esset, aut armis reti-

4. Berol. 2. fortasse etiam Paris. b. c. x. z. Erl. et Teg.; v. supra ad VI, 2. — *Obvius procedit* non est quod cum Gerlachio *poetice* dictum putes; nam ut saepe in pedestri oratione adiectivum pro adverbio ponitur (v. ad Cat. XXVI, 5.), ita *obvius* haud raro pro *obviam* dicitur, Liv. III, 6, 7. *quum obvius nemo fieret.* I, 26, 2. *cui soror obvia fuit.* XXVI, 25, 15. *castra obvia hosti posuerunt.* v. infra ad c. XLVI, 5. — De *Cirta* urbe v. Auct. belli Afric. c. 25. Liv. XXX, 12. Pomp. Mela I, 6. *Cirta procul a mari, nunc Sittianorum colonia.* et Strabo XVII, 3. p. 488. ed. Tauchn. p. 1188. D. Almelov. cuius verba haec sunt: *Κίρτα τέ ἐστιν ἐν μεσογαίᾳ, τὸ Μασσανίσσου καὶ τῶν ἑξῆς διαδόχων βασίλειον, πόλις εὐερκεστάτη, κατεσκευασμένη καλῶς τοῖς πᾶσι, καὶ μάλιστα ὑπὸ Μικίψα, ὅστις καὶ Ἕλληνας συνῴκισεν ἐν αὐτῇ καὶ τοσαύτην ἐποίησεν, ὥστ' ἐκπέμπειν μυρίους ἱππέας, διπλασίους δὲ πεζούς.* cf. Cellar. Not. orb. ant. IV, 5. p. 902. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 310 sqq. Quod Noster in situ urbis constituendo a Mela et Strabone dissentire videtur, id bene expedivit Cortius, monens temporis et loci voces, ut *procul, longe, nuper, diu* non certam et absolutam mensuram habere, sed pro varia rerum, mente comparatarum, ratione varie intelligi, ut quod alteri *longum* videatur, id alter *haud longum* putet, et sic porro. Ad hoc Cirta non amplius quattuor itinerum spatio a mari distat.

die extremum] Plerique omnes codd. praebent *diei;* forma a Cortio et a nobis recepta comparet tantummodo in Vrat. 1. a. m. pr. et in Med. 8., sed neque scribis deberi videtur, et ab usu Sallustii omninoque eius aetatis non abhorret. cf. Priscian. VII, 19, 93. p. 354. ed. Kr. Gell. IX, 14, extr. Valer. Prob. p. 1460. Ger. I. Voss. Aristarch. II, 19. p. 769. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 356. Oudendorp. ad Caes. B. G. II, 23, 1. Drakenb. ad Liv. IX, 37, 4. Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 45, 131. Sall. Iug. LII, 3. *et iam die vesper erat.* XCVII, 3. *vix decima parte die relicua.* Fragm. Historr. I, 41. Gerl. *at inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum.* ibid. I, 67. *dubitavit acie pars.* — *Sed* ante *ubi* scribae errore in Eccard. ex-

nendum, necessario copias parat, et Iugurthae ob-
2 vius procedit. Interim haud longe a mari, prope Cirtam oppidum, utriusque consedit exercitus, et quia die extremum erat, proelium non inceptum. Sed ubi plerumque noctis processit, obscuro etiamtum lumine, milites Iugurthini signo dato castra

cidit, quem defectum Cortius pro vera scriptura arripuit, male provocans ad id omissae *sed* particulae genus, quod illustravimus ad Cat. XXXV, 2. et ad LVIII, 14. ubi contrariae sententiae, iuxta collocatae, facile particulâ, nexum monstrante, carere possunt, qui usus magis *rhetoricus* quam grammaticus est. Nostro autem loco *sed* per oppositionem *transitum* parat ad sequentia; cf. XXXIII, 4. — *Plerumque noctis processit* iisdem verbis recurrit c. CIX, 4. cf. LI, 2. *itaque multum diei processerat.* — De *etiamtum* particula v. ad Cat. II, 1. Fragm. Historr. IV, 23. Gerl. *lumine etiamtum incerto duae mulieres montem ascendunt.* Hoc loco simul utitur Gerlachius, ut demonstret Sallustium *lumen* poetarum more pro *luce* usurpare, quasi eo haec vocabula differant, ut *lumen* tantummodo a poetis, *lux* tantummodo a prosae orationis scriptoribus dicatur, ceterum utriusque sensus idem sit. Discrimen luculenter exposuit Ludov. Doederlin. in Synonymm. Lat. T. II. p. 66 sqq. *lumine* docens *lucem diffundi. Lumen* est enim *id*, *unde claritas exit*, sive *corpus lucidum; lux* vero significat *claritatem lumine effectam*, sive *splendorem ipsum*, *quo res illustrantur.* Quare *lumen* nunquam *diem* significat, sed ubi hunc sensum habere videtur, ad *solem* potius referendum est, *unde dies suam lucem accipit.* Igitur nostro loco sensus est: *quum sol adhuc tegeretur*, neque luce sua regionem illustraret; pariter in Hist. IV, 23. *incerto lumine* intelligendum est de sole nondum plane conspicuo, necdum clare lucente. Ubi vero *dies* simpliciter opponitur *nocti* i. e. tenebris, recte dicitur *lux*; cf. infra c. XCI, 3. *Tertia nocte, multo ante lucis adventum.* Liv. XXXI, 23, 4. *Primis tenebris movit, et paullo ante lucem turrim proximam cepit.* id IV, 39, 5. *Nec pugnae finis ante noctem fuit; consul, dum quicquam superfuit lucis, hostem tenuit.* Nullo autem iudicio Gerlachius cum nostro loco contulit Ennii versum apud Cic. p. Rabir. c. 11, 29. *Si te secundo lumine hic offendero, moriere*, et Virg. Aen.

hostium invadunt; semisomnos partim, alios arma sumentis fugant funduntque; Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit, et ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentis moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum 3

VI, 356. *vix lumine quarto prospexi Italiam;* nam quis non videt poetas pro licentia sua *lumen* nuda *temporis* significatione posuisse? — *fugant funduntque.* Hunc verborum ordinem Dukerus ad Flor. III, 4, 4. observat contra morem omnium scriptorum esse, qui *fugare* postponant, et ita sane est Iug. LVIII, 3. cf. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 53, 2. Sed eundem atque Sallustius ordinem habet etiam Vellei. II, 46, 4. ubi v. Ruhnken. cf. etiam Drakenb. ad Liv. II, 6, 11. — *Togati* sunt *cives Romani*; cf. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 46, 135. Ernesti in Clav. Cic. h. v. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 24. Hos homines Sall. infra c. XXVI, 1. *Italicos,* et ibid. §. 3. *negotiatores* vocat, quocum convenit quod eos c. XLVII, 1. in pluribus Africae oppidis *incolere et mercari* solitos dicit. v. etiam ad Cat. XL, 2. — Ante *moenibus* aliquot codd. *a* praepositionem inserunt, qua non opus est; cf. Cat. XXVIII, 3. Quae autem perfecti *prohibuit* ratio sit diximus ad Cat. XVII, 2 — *Uno die coeptum atque patratum bellum foret*, iisdem paene verbis legitur apud Tacit. XII, 16, 2. *ac ni proelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eundem intra diem foret.* Frequens dictio est *patrare bellum;* v. infra c. LXXV, 2. LXXXVIII, 4. XCII, 1. Tac. Ann. II, 26, 2. Hist. III, 64, extr. Drakenb. ad Liv. XLII, 30, 11. Nihilominus Quintil. VIII, 3, 44. nonnullos fuisse narrat, quibus et haec verba, et *ductare exercitum* (quod exemplis illustravimus ad Cat. XI, 5.) in obscenum intellectum detorqueri posse viderentur. Nobis de turpi re non libet quaerere; vere enim Quintilianus censet hanc κακεμφάτον culpam legentium potius esse quam scribentium. Ceterum Doederlinus Synonym. Lat. Vol. IV, p. 367. §. 11. *patrare* recte censet nonnisi antiquitatis quodam colore a *perficere* differre, et plerumque in gravioribus rebus dici.

§. 3. *vineis turribusque et machinis*] De *vineis* cf. infra c. XXXVII, 4. LXXVI, 3. XCII, 8. Veget. IV, 15. Voss. ad Caes. B.

circumsedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare aggreditur, maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos ante proelium factum ab Adherbale Romam missos audiverat.

C. II, 2. Drakenb. ad Liv. V, 7, 3. Lips. Poliorc. I. Dial. 7. Herzog. ad Caes. B. G. II, 12. Daehne ad Nep. Milt. c. VII, 2. De *turribus* egit Lips. l. l. II. Dial. 4. Stewech. ad Veget. IV, 17. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 17. p. 400. De *machinis* iisdem locis dicitur; ad eas pertinent arietes, ballistae, catapultae, musculi, scorpiones, aliae. — *Tempus legatorum antecapere* paullo insolentius dictum videtur; sensus est enim *eo tempore uti*, *quod reditum legatorum*, Romam missorum, *antecederet*, sive *quam plurima ante reditum legatorum agere et parare*. cf. Cat. LV, 1. Muellerus *legatorum* pro *legatis* dictum putat, quod obsoletam et hodie ab omnibus, qui Latine sciunt, explosam doctrinam grammaticam olet. — *Ab* ante *Adherbale* ab Eccard. Guelf. 4. Fabr. 1. et Reg. abest, quos Cortius perperam est secutus; prorsus enim ab usu bonorum scriptorum abhorret ablativus instrumenti, ad significandum aliquid *a persona factum esse*, ita quidem, ut notio *auctoris*, a cuius voluntate et consilio illud proficiscitur, emineat, neque committendum est, ut exemplis alienis aut corruptis soloecismus defendendus suscipiatur. Nam quod Cortius provocat ad Flor. I, 1, 1. *Marte genitus et Rhea Silvia*, ex participiis *editus*, *genitus*, etc. ablativus solus pendet legitime, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 1. p. 353. ed. IV. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 25. Apud Iustin. I, 2. 8. *non contenta acquisitos viro terminos tueri; viro*, quod Cortius ipse negare non ausus est, pro dativo habendum. In aliis locis lectio vel non satis emendata est ex codicibus, vel plane corrupta. Ita apud Suetonium legitur in Caes. c. 19, med. *opera optimatibus data est*, ubi boni codd. habent *ab optimatibus*, quod probat Wolfius. Sed ex coniectura bis emendandus est Vell. II, 39, 1. *Gallias primum Domitio, Fabio, nepote Pauli, intratas*, ubi Ruhnkenius vel cum Aldo *a Domit.*, vel cum Lipsio *nepoti* scribendum censet. id. II, 96, 2. *bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio, per Neronem gestum est;* dudum ibi Lipsius, Casaubonus et Ruhnkenius *ab Agrippa* reponendum esse iudicarunt. Non maioris auctoritatis ad stabiliendum ablativum locus est Taciti Annal. III, 8, 3. *crediderim*

Sed postquam Senatus de bello eorum accepit, 4
tres adulescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, Senatus populique Romani verbis nuncient velle et censere eos ab armis discedere,

Tiberio et Augusta cohibitam; nam quis non videt *Augustae* esse scribendum. Alia res est, ubi in personae commemoratione non tam eius voluntas et consilium, quam opera seu ministerium et actio respicitur, eâque effecta rei condicio, cuius generis sententiae sine praepositione enunciantur. Singularem in re militari usum ex eodem fonte repetendum illustravimus ad Cat. LVII, 4. p. 301. cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 25 sq. Tacit. Ann. XIV, 8, 4. *Agrippina respicit Anicatum trierarcho et centurione comitatum*, de quo loco uberius dixi in Diurnis scholl. a. 1831. Sect. II. N. 13. p. 99 sqq. cf. Nep. Dion. c. V, 5. *Dion iis ipsis, qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus expressit*, cuius loci retionem cum nostra coniunctam bene perspexit Daehnius. Videndum igitur an non apud Pomp. Melam III, 6, in. *In Lusitania Erythia, quam Geryone habitatam accepimus*, defendi possit, siquidem magis effectus rei, quam voluntas eius efficiendae declaratur. Nostro autem loco corruptela inde orta, quod praepositio primis litteris *adherbal* nominis absorpta est. — Quem Cortius ex paucissimis codd. exhibuit verborum ordinem *Romam Adherbale missos* Gerlachius iure reliquit. Ridiculum est enim, quod ille ad transpositionem defendendam dicit Sallustium *eleganter* terminum ad quem primo loco ponere solere.

§. 4. *tres adulescentes*] Intoleranda audacia, vel potius incredibili iudicii perversitate Cortius haec verba pro spuriis habuit, quia in uno cod. Eccard. inter versus comparent. Inde coniicit librarios, quum c. XXV, 4. in altera legatione *maiores natu* fuisse legissent, ex illo loco auctorem emendare voluisse, praesertim quum nude *legantur qui nuncient* dici non posse autumarent. Credat, qui velit! — *Ambos* omnes libri tuentur, nisi quod Guelf. 4. a. m. pr. habet *ambo*, quam formam Cortius ut antiquiorem cupide arripuit. Pluribus bonisque libris firmatam ipse probarem, motus iis quae Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. IX, 13, 3. Goerenz. ad Legg. III, 13, 30. Gernhard. ad Lael. c. 5, 20. et Drakenborch. ad Liv. XXXV, 21, 5. monuerunt; sed sine codd. nihil mutandum. — *Verbis alicuius* idem significat, quod recentiores dicunt *alicuius no-*

de controvorsiis suis iure potius quam bello disceptare; ita seque illisque dignum esse.

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt,

mine; cf. infra c. XXV, 11. Liv. VI, 17, 8. ubi v. Drakenborch. Cic. Epp. ad Famm. IX, 6, 1. Plaut. Mil. Glor. III, 3, 38. ib. IV, 4, 43. quae exempla Cortio debentur. cf. Bremium ad Nep. Themist. c. IV, 3. — *Velle* proprie populus dicebatur, Iug. XL, 3.; *censere* senatus, v. ad Cat. XXIX, 3. p. 135. Sed h. l. utrumque verbum de senatusconsulto intelligendum est, ut recte censet Brisson. de Form. II, 74. p. 181. ed. Lips. — Verba *de controvorsiis suis iure potius quam bello disceptare* in longe plurimis codd. desunt, primum a Cypr. Popma ex Rivii cod. Parcensi in textum illata. Postea etiam reperta sunt in Vin. 2. Sen. 2. Heuss. Franc. Guelf. 3. in marg. Struv. Acad. Leid. G. N. Bern. 1. Berol. 1. Tur. 1. Paris. b. c. et ex Wassianis in Balliol. Bodl. et fortasse etiam in Laud. 2. 3. et Reg. Quae dubia auctoritas quamquam suspicionem interpolationis movere possit, praesertim quum pleriqne ex codd. ceteroquin non eximii sint, tamen certum videtur veram in iis Sallustii manum servatam esse. Elucet enim sine his verbis sententiam mancam esse, neque intelligi quo spectent postrema *ita seque illisque dignum esse*, quae nisi iis additis commodum sensum non habent. A librariis autem profecta esse minime est probabile, quum nihil scribarum ingenium prodat, verbis in tali re legitimis et usu stabilitis, cf. Caes. B. C. III, 107, 2. *ostendit sibi placere regem Ptolemaeum atque sororem eius Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere, et de controversiis iure apud se potius, quam inter se armis disceptare.* Liv. XXXVIII, 38, 17. *controversias inter se iure ac iudicio disceptanto, aut, si utrisque placebit, bello.* XXXIX, 24, 13. *Senatus ne quid absente rege statueret, legatos ad eas controversias disceptandas misit.* v. Gronov. et Drakenborch. ad XXXVIII, 35, 1. Caes. B. G. VIII, 55, 2. *omnia patienda esse statuit, quoad sibi spes aliqua relinqueretur iure potius disceptandi, quam belli gerundi.* cf. Cic. de Off. I, 11, 34. ibique Car. Beierum. Caussam defectus iam Cortius perspexit; quippe aberravit scribae mens vel oculi a *discedere* ad *disceptare*, idque factum iam antiquissimo tempore in eo codice, ex quo omnes fluxerunt, qui istis verbis carent. Erraverit tamen, qui hos propterea unius familiae esse putet, aut adeo deterioris notae quam ceteros, qui locum incorruptum habent; v.

eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de proelio facto et oppugnatione Cirtae audiebatur; sed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha ac- 2

ad c. XCII, 2. Supinae autem negligentiae accusandus est Gerlachius, qui quid Italici codd. praebeant ne verbo quidem monuerit. — Pro *ita* decem codd. *ita q u e*, quod ex interpolatione additum vulgata deterius est; nam asyndeton gravitati Senatus, brevibus verbis usi, magis respondere quivis, opinor, facile sentiet. Idem valet de *esse* post *dignum*, pro quo novem codd. *fore* exhibent, a Cortio receptum. *Certam* enim Senatus expromit sententiam; futurum eventum, qui dubius est, non curat. Aliter Adherbal in supplici oratione in senatu habita c. XIV, 18. *Masinissa nos ita instituit, ne quem coleremus nisi populum Romanum; abunde magna praesidia nobis in vostra amicitia f o r e.* *Seque illisque* Weissius bene explicat: *Romanis*, quia minime decebat, illos, qui in eorum tutela essent, bellum inter se gerere; *Adherbale et Iugurtha*, quia inter se cognati erant.

XXII. §. 1. *proficisci parant*] Fabric. 1. *parent*, soloece; v. Drakenb. ad Liv. I, 40, 7. Gronov. ad II, 47, 5. De *parare* verbo cf. ad Cat. XLVI, 3. — *Clemens* Priscian. XVIII, 26, 277. T. II. p. 250. ed. Kr. ad h. l. respiciens satis bene explicat *non nimius;* accuratius Gruterus illum rumorem clementem vocari dicit, quia infra verum fuerit, minusque atrocia, quam re vera essent, vulgaverit. Omnino enim, translata a moribus ad res significatione, *clemens* dicitur quicquid mediocre est, neque magnitudine aut asperitate sua offendit. cf. Tacit. Annall. XIII, 38, 3. *locum delegit, cuius pars altera colles erant c l e m e n t e r assurgentes.* Germ. c. 1. *Danubius m o l l i e t c l e m e n t e r edito montis Abnobae iugo effusus*, ubi v. Franc. Passov. Similiter *lenis* et *leniter* ab animo ad res transfertur, de quo usu v. Drakenborch. ad Liv. II, 50, 10.

§. 2. *quorum Iugurtha accepta oratione*] Verborum ordo paullo insolentior simillimus eius est, qui habetur Cat. XXXVII, 9. *Praeterea q u o r u m victoria Sullae p a r e n t e s proscripti;* v. ad Cat. XXIX, 3. p. 135. — *Senati esse* longe plurimi codd. habent; in nonnullis tamen infinitivus est post *carius*, in Commelin. post *quicquam;* Guelf. vero 11. et decem Leidd. plane non agnoscunt, quare Cortius et Gerlach. in ed. mai. omiserunt. Sed optimorum codd. consensus maximus esse iure tueri videtur. — In nonnullis codd.

cepta oratione respondit: sibi neque maius quicquam neque carius auctoritate Senati esse; ab adulescentia ita se enisum, uti ab optumo quoque probaretur; virtute, non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse; ob easdem artis a Micipsa, non
3 penuria liberorum, in regnum adoptatum esse. Ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare. Adherbalem

sua additum legitur, quod ex glossa accessisse recte Cortius iudicat. Sed perperam idem *se* eiecit, quod omnes omnino libri tenent; quippe ad id tuendum sola valet codd. auctoritas, non ea, quae Gerlachius in Commentt. p. 249. confuse et sine acumine protulit. — Pro *enisum* Inc. 1. Guelf. 7. et 11. habent *enixum*, quod Ger. I. Vossius de Analog. III, 31. p. 129. tanquam certam scripturam amplectitur. Sed recepta forma usitatior; altera feminino genere de iis usurpatur, quae partum ediderunt. — *Malitia* nihil aliud est, quam quas Sallustius alibi dicit *malas artes*, sive vitia. cf. Tac. Annall. XIII, 30, 3. *L. Volusio inoffensa tot imperatorum m a l i t i a fuit.* — *Esse* post *adoptatum* omnes libri retinent, nisi quod scriba in Fabric. 2. facili lapsu *fuisse* exaravit; nihilominus Cortius expulit, ad Sallustii usum provocans, quem nemo minus ipso perspectum habuit.

§. 3. *quo plura*] Haud pauci libri *q u o d plura* exhibent, quae scriptura Cortio adeo placuit, ut deliberari posse dicat utra praeferatur. Sed ineptum aliquid diceret Iugurtha, si propterea, *quod p l u r a* bene atque strenue (sc. *quam male*) fecisset, iniuriam se pati non posse affirmaret. Sed comparat ex diverso virtutis magnitudinem cum iniuriae odio, ut est apud Cic. Epp. ad Famm. XII, 23, 1. *q u o tua m a i o r dignitas est, e o quae tibi acciderunt m i n u s ferenda.* — *Eius* omnes tuentur codd.; sed Cortius expulit, quia in aliis libris ante *sceleri*, in aliis post hoc nomen legitur, quae caussa nimis debilis est. Ut Iugurtha se excuset, paene necessarium est, eius orationem diserte ad Adherbalis personam referri. Ceterum Gerlachius recte edidit *sceleri eius*, qui verborum ordo non solum est in melioribus codd., sed eo etiam commendatur, quod vis sententiae in *sceleri* vocabulo inest; v. ad c. XX, 1.

dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset,
sceleri eius obviam isse. Populum Romanum ne- 4
que recte neque pro bono facturum, si ab iure gen-
tium sese prohibuerit. Postremo de omnibus rebus
legatos Romam brevi missurum. Ita utrique digre- 5
diuntur. Adherbalis appellandi copia non fuit.

XXIII. Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter loci naturam Cirtam armis

— *Pro bono* sensu non diversum est ab adverbio, quem usum illustravimus ad Cat. VIII, 1. XV, 2. Cavendum tamen, ne his exemplis ea admisceantur, ubi *pro* suam potestatem retinet, qua significatur unam rem loco alterius esse, ut apud Caes. B. G. I, 22, 4. *Considium quod non vidisset* p r o *v i s o sibi renunciasse.* Tac. Agric. c. 30, 4. *atqui omne ignotum* p r o *magnifico est.* Noster Iug. XXXI, 23. LXI, 3. Perverse Weissius *bono* masculinum esse et ad *populum* spectare censens interpretatur: *ut bonum* (sc. *populum*) *decet.* — *Prohibuerit* in omnibus est codd. excepto Fabr. 1. qui *prohibuerint* habet, quod a Cortio receptum Gerlachius merito respuit. Nam si in omnibus, quae dici *possunt*, unius cod. auctoritas plus valebit, quam centum alii, qui in legitima structura conspirant, libido etiam certissima mutandi nullo modo coerceri poterit. — *Utrique* Langius pessime intelligit de *Adherbale* et legatis; recte Cortius ad *Iugurtham* et legatos refert. — Statim post Vratisl. 2. Struv. et Inc. 2. *Adherbali* exhibent, quasi hic de *legatis* appellandis agatur, quibus id negotium datum erat, ut *ipsum* adirent. Genitivum necessario postulat non usus Sallustii, ut Cortius putat, sed sententia, quae plenior haec est: Adherbalis appellandi copia *legatis a Iugurtha non data est.* Apparet enim Iugurthae maxime interfuisse, ne legati Adherbalem convenirent; quare callido consilio prohibuit, quominus illi regem, qui Cirtae inclusus tenebatur, adirent.

XXIII. §. 1. *decessisse*] Multi codd. *discessisse*, solenni paene discrepantia; sed v. ad c. XX, 1. — *Armis* est *impetu militum.* cf. Bremi ad Nep. Miltiad. I, 2. Perperam Gerlachius *a r m i s expugnare* h. l. pro proverbiali locutione habet, quam nullo indicio comparat cum loco Cic. de Off. II, 24, 84. *Armis et castris tenta-*

expugnare potest; vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit, easque praesidiis firmat; praeterea dies noctisque aut per vim, aut dolis tentare, defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare, suos hortando ad virtutem arrige-

ta res est ab omni genere hominum. — *Vallum atque fossa* in diuturna obsidione adhibita, ne ab erumpentibus damnum paterentur obsidentes. Veget. IV, 28. *Propter quod obsidentes ultra iactum teli fossam faciunt, eamque non solum vallo et sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus ex civitatibus possent obsistere.* Liv. XXV, 22, 8. Cic. Epp. XV, 4, 21. Cort. cf. infra c. LXXVI, 2. Drakenborch. ad Liv. VI, 8, 9 Nitschii Antiqq. Rom. T. II. p. 1495. — *Noctisque* omnes libri firmant, excepto Inc. 1. in quo copula deest. Eum secutus est Cortius, tam parum iudicio sibi constans, ut, quum in Guelf. 9. Sen. 2. et Heuss. invenisset *noctes diesque*, hoc quoque genuinum esse affirmaret. — *Ostentare* ad *formidinem* relatum non est zeugma, quemadmodum ad germanicam dicendi rationem videri possit; nam *ostentare aliquid* est *alicui aliquid* non solum *conspiciendum et considerandum*, sed etiam *exspectandum* vel *timendum praebere*, sive aliquid *expetendum* vel *fugiendum proponere.* Tacit. Ann. XII, 12, 3. *vocante Carrhene et res promptas ostentante — Armeniam petunt.* ib. XIII, 35, 4. *Corbulo laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere.* Historr. V, 24, in. *Cerialis Batavis pacem, Civili veniam ostentans, Veledam admonebat.* Similiter Annall. I, 24, 2. *Seianus ceteris periculorum praemiorumque ostentator.* Angustioribus igitur finibus verbi significatum comprehendit Dukerus ad Liv. VI, 5, 2., interpretatus *promittere spem, facere. Ostentare* autem apud Sallustium, Livium et Tacitum nonnisi antiquitatis quodam colore differre ab *ostendere* recte monuit G. Ludov. Walch. ad Tacit. Agric. c. II. p. 112. et Boetticher. Lex. Tacit. p. 336. v. etiam ad Catil. XXXVIII, 1. p. 177. Ceterum fortasse simplicior etiam structurae atque sensus ratio erit, si *formidinem* paullo rariore dicendi usu ita usurpatum statuas, ut non significet metum ipsum, quo animus tenetur, sed id, quod metum vel formidinem facere et excitare possit, *rem formidolosam*, quemadmodum *odium* et *invidiam* dici pro re quae *odium* vel *invidiam excitet* docuit Walch. Emendd. Livv. c. XI. p. 226. cf. Iug. LXXXIX, 1. *Consul oppida*

re; prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi 2
intellegit omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxili spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse, ex his, qui una Cirtam profugerant, duos maxume impigros

metu aut praemia ostentando avortere ab hostibus. LXVI, 1. *civitatis, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare.* ibid. §. 2. *dies festus lusum et lasciviam magis, quam formidinem ostentabat.* cf. etiam ad c. LXXXVII, 1. Quid *formido* proprie significet, et quomodo a *metu* ac *timore* differat diximus ad c. LXXII, 2. — *Arrigere* est in Leid. L. Bas. 1. Paris. z. Sen. 1. 2. Mark. *A.* Pemb. B. Publ. Bern. 3. ac praeterea in duodeviginti Cortii et longe plurimis Italicis. Relicui habent *erigere*, quod Cortius unice verum iudicavit. Quo differat utrumque verbum diximus ad Cat. XXXIX, 3. p. 183 sq.; quae si vera sunt, *arrigere* sine dubio huic loco accommodatius, siquidem Iugurthae milites non demisso et abiecto animo fuerunt, ut confirmari et attolli debuerint, sed eo consilio a duce inflammati sunt, ut *virtutis memores* alacriter opus aggrederentur. Ita apud Liv. VIII, 37, 2. quantumvis Cortius pro *erigere* verbo pugnet, scribendum est: *arrecti ad bellandum animi sunt*, i. e. *animum appulerunt ad bell.* — *Prorsus* explicavimus ad Cat. XV, 5. p. 77. cf. infra XXX, 3.

§. 2. *intellegit*] Confirmant hanc formam Fabr. 1. Bas. 1. Sen. 1. — *Omnis suas fortunas* in plurimis libris est; minor numerus inverso ordine habet *omnis fortunas suas.* — Pro *necessariarum* haud pauci codd. ostendunt *necessarium*, quam genitivi formam Cortius perquam inconsulto ferri posse censet; *adiectiva* enim genitivum plur. in *um* terminasse nullo plane exemplo comprobari potest, neque substantivorum usus pro argumento est, adiectiva eandem analogiam sequi. Insolens error, ut recte vidit Cortius, inde natus, quod scribae adiectivum compendio scriptum ad *bellum* traxerunt. — *Ex his* Cortius recte scripsit ex plurimis suis pro vulgato *ex iis*; v. supra ad c. XIV, 8. — *Duos* summo consensu omnes codd. tenent; nihilomius Cortius *duo* scripsit, ut supra c. XXI, 4. *ambo* pro *ambos.* — *Delegit* explicavimus ad Cat. VI, 6. cf. exempla a Drakenborch. ad Liv. VII, 25, 13. et ad IX, 17, 15. congesta, Aug. Matthias ad Cic. p. Mil. c. 8, 23. — Pro *pol-*

delegit; eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

XXIV. Numidae paucis diebus iussa efficiunt; litterae Adherbalis in Senatu recitatae, quarum sententia haec fuit.

2 Non mea culpa saepe ad vos oratum mitto, Patres conscripti, sed vis Iugurthae subigit, quem

licendo Bodlei. Leid. D. H. et Rem. 1. *pollicitando*, quod si paullo plures libri praeberent, non repudiarem, quum Sallustius pleniorem formam amasse videatur, (cf. ad c. VIII, 1. XVI, 3.) neque probabile sit scribas *polliceri* consulto in *pollicitari* mutasse, eorum consuetudine ad contrarium potius ducente. Quare h. l. *pollicitari* paucis illis, quibus fortasse memoria haerebat, quasi invitis excidisse puto. — *Casum* in Guelf. 2. depravatum in *caussam;* v. ad Cat. XXXV, 4. p. 164. Tac. III, 17, 1. *ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus.* Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 17, 7. ubi pariter vocabula *casus* et *caussa* confusa. — *Confirmat* i. e. dubitantes et recusantes tandem permovet; v. Herzog. ad Cat. XLVI, 3. et ad Caes. B. G. I, 33, 1. — *Dein* h. l. plurimi exhibent; perpauci *dehinc*, duo *deinde.* — De imperf. coni. post praesens historicum diximus ad Cat. XXXIV, 1.

XXIV. §. 2 *oratum*] *Orare* Gerlachius dicit h. l. non esse i. q. *rogare;* sed quum *oratores* saepe pro *legatis* dicantur (de quo usu v. Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 26, 9.) *oratum mitto* idem valere atque *legatos mitto.* Sed *orare* verbi hoc sensu usurpati non certa exstant exempla. Ad hoc vulgaris explicatio multo melius convenit Adherbalis consilio, qui quum sese excusare studeat, haud dubie non eo veniam patrum expetendam censuit, quod *legatos iterum misit*, sed quod timuit ne *precibus molestus fieret.* Quare *oratum mitto* est *precibus adeo.* — Post *subigit* pauci codd. *me* inserunt, quod merito ab editorr. repudiatum est. Eiusdem farinae est *subegit*, quod duodecim codd. pro praesenti exhibent. — Pro *exstinguendi me* Rivius non male, sed praeter necessitatem, coniecit *exstinguendi m e i*; v. ad Cat. XXXI, 5. — Verba *sanguinem meum*

tanta lubido exstinguendi me invasit, uti neque vos neque deos immortalis in animo habeat, sanguinem meum quam omnia malit. Itaque quintum iam men- 3
sem socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor, neque mihi Micipsae patris mei beneficia, neque vostra decreta auxiliantur; ferro an fame acrius urgear incertus sum. Plura de Iugurtha scri- 4
bere dehortatur me fortuna mea, et iam antea ex-

etc. supplendâ *sed* particulâ ad priora referuntur; v. infra §. 10. et ad c. XXI, 2.

§. 3. *socius et amicus populi Romani*] Frequens mentio apud scriptores huius artificii Romanorum, reges nomine amicorum, sociorum deliniendi et honesta specie suo imperio subiectos reddendi. cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 3. ib. I, 43. *Caesar commemoravit, quod r e x a p p e l l a t u s esset a senatu, quod a m i c u s, quod munera amplissima missa.* Qualia ista munera fuerint cognoscas ex Liv. XXVII, 4, 8. Etiam *civitates* isto honoris titulo ornatae, ut multis patet Livii locis, v. c. XXXV, 38, 8. ubi v. Drakenb XLV, 20, 8. — *Neque* prius non respondere alteri *neque*, sed pro *et non* positum sententiam, cui praemissum est, annectere priori iam monuimus ad Cat. LVIII, 1. p. 303. — *Mei* post *patris* omnes omnino codd. servant, uno excepto, quem Cortius secutus est. Gerlachius retinuit, quia sequenti *vostra* respondeat. Nobis potius caritatis quendam affectum prodere videtur.

§. 4. *dehortatur me*] *Me* non reperitur in Eccard. Sen. 2. Guelf. 9. Leid. A. C. D. E. F. M. N. nonnullis Rivii, Bas. 4. et Bern. 3. Sed aliquantum nos movet *optimorum* librorum, velut Vat. A. Bas. 1. Leid. L. Fabr. 1. Sen. 1. Fabr. Rivii, Paris. c. x. z. auctoritas, quibuscum longe plurimi consentiunt; quare non expellendum duximus, quod Cortius fecit, praesertim quum pronomen per se haudquaquam suspectum sit. Nam quod Gerlachius, qui in ed. mai. omisit, in min. recepit, in Commentt. p. 251. id „quam maxime inconcinnum" dicit, ignoscendum est V. D., qui quid concinnum aut inconcinnum sit, non cogitaverit. Ceterum Muellerus sensum male ita cepit: impedit *festinatio*, quam calamitas mea mihi imponit. Quin potius Adherbal se dicit tam *despectum et negle-*

5 pertus sum parum fidei miseris esse; nisi tamen intellego illum supra quam ego sum petere, neque

ctum esse in miseriis suis, ut plura scribere et nolit, neque id sibi profuturum speret, cuius rei caussam sequentibus addit. Quare sensu postulante *etiam*, quod est in omnibus codd. et edd., mutavimus in *et iam*. Explicativa *et* particulae vis abunde firmatur loco Cat. XIX, 2. iisque, quae ibi notavimus.

§. 5. *nisi tamen*] Hae particulae qua ratione spectent ad antecedentia quamquam prolixe ab intppr. disputatum est, tamen res non ita est expedita, ut nova quaestione supersedere possimus. Ald. enim Manutius *nisi* i. q. *sed* esse contendit; Gerlachius magna variorum exemplorum copia congesta omnibus locis vim particulae adversativam esse et exceptionem addere dicit, quae fere congruunt cum Cortii explicatione, nisi quod hic significavit exceptionem referri ad verba *parum fidei esse miseris*, Gerlachius quo ipse particulam referat non monuit. Sed ita parum proficimus ad verum sensum assequendum. Singulari enim ratione *nisi* ita ponitur, ut praegresso *negandi verbo* non cum *aiente*, quod huic respondeat, coniungatur, sed eo plane omisso per attractionem continuo ei societur, quod vel ex illo aptum esse debet, vel secundarium in altera sententia locum obtinet. cf. Iug. LXVII, 3. *Turpilius unus profugit. Id misericordiane hospitis an pactione aut casu ita evenerit, parum comperimus, nisi, quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur;* quod plene sic debebat enunciari: *nisi hoc constat*, eum improbum *videri*. Cic. Epp. ad Famm. XIII, 1, 10. *Equidem nec cur ille tantopere contendat video, nec cur tu repugnes, nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quam illi, laborare sine caussa*, i. e. *nisi hoc video*, m. m. t. *concedi posse* etc. Ter. Adelph. IV, 5, 53. Ae. *Obsecro, num ludis tu nunc me?* M. *ego te? quamobrem?* Ae. *nescio; Nisi, tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis*, i. e. *nisi hoc scio, me vereri* eo magis. Ante Bentleium legebatur *nisi quia tam* etc.; ad perspicuitatem sensus comma post *nisi* posuimus, ut clarius intelligeretur *nisi* ad *vereor* pertinere Id. Eun. III, 4, 9. *Nequeo satis mirari neque coniicere; Nisi, quicquid est, procul hinc lubet prius quid sit sciscitari*, i. e. prorsus *dubito* quid sentiam, *nisi hoc mihi certum est, mihi lubere*, quicquid est, sciscitari prius quid sit. Id. Phorm. III, 1, 10. *A. Ecquid spei porro'st. G. nescio. A. ah! G. Nisi Phaedria haud cessavit pro te eniti*, i. e. *nisi hoc scio* Phaedriam *haud cessavisse* etc. Sed interdum etiam sine ista ellipsi et attra-

simul amicitiam vostram et regnum meum sperare. Utrum gravius existumet nemini occultum est. Nam

ctione pleno modo loquuntur scriptores, velut Ter. Phorm. V, 7, 60. C. *quo pacto aut unde haec hic rescivit?* D. *nescio; nisi me dixisse nemini, id certo scio*, quod poterat sensu non mutato etiam ita efferre: *nisi nemini dixi*. Cic. p. Rosc. Am. c. 35, 99. *Quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit? Nescio; nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium*, pro quo brevius dicere licebat: *nisi* Capito *est socius;* plane ut Sall. Iug. LXXII, 3. dixit: — *parum comperimus; nisi improbus videtur.* Cic. Epp. ad Famm. XIII, 73, 2. *Antipatro te vehementer succensuisse audivi, et moleste tuli. De re nihil possum iudicare, nisi illud mihi certe persuadeo, te nihil temere fecisse*, quod per attractionem et ellipsin elatum tale foret: *mihi tu* certe nihil *temere fecisti.* Sed ut iam ad nostrum revertamur locum, *nisi tamen* non spectat, ut iam monuimus, ad proxime praegressa *et iam antea — miseris esse*, quippe quae explicationis caussa addita secundarium in sententia locum habeant, sed ad verba *plura scribere dehortatur me*, unde cogitatione assumendum est *nisi tamen hoc scribere placet, me intelligere* etc. Sensus est igitur: de Iug. *plura* scribere *nolo* (nam miseris nulla fides); *hoc unum addere placet*, mihi persuasum esse, illum etc. *Tamen* additum rem non mutat; non aliam enim vim habet, quam ut id, quod *nisi* particula exceptum est ex ante dictis, gravius efferat. Quare omittitur, ubi oppositio levior est. Ceterum Manutium, *nisi* in tali nexu simpliciter pro *sed* positum esse statuentem, presse sequuntur Vechner. Hellenolex. II. c. 3. p. 425. ed. Heus. Ruhnken. ad Ter. Andr. IV, 1, 40. Drakenb. ad Liv. XXIV, 20, 10. Ellipticam huius dicendi generis esse rationem solus agnovit Faber ad h. l. et G. Ludov. Walch. ad Tacit. Agric. c. VI. p. 154. Plura dicemus ad Iug. c. C, 5.

supra quam ego sum petere] Haec quid significent non est obscurum; tecte enim ostendit Adherbal Iugurtham, ipso oppresso non contentum, adeo Romanis bellum parare eorumque imperium contemnere, id quod sequentibus accuratius declarat. Sed grammaticam *supra* vocis rationem intprr. non satis assecuti sunt. Ad unum omnes enim praeeunte Cortio in Excursu III. p. 925. *supra* explicant *aliquid quod supra me est*, alienissimis exemplis usi, ut demonstrent *supra* adiectivi loco positum esse. Sed *supra* adverbium est, ut ostendimus ad c. V, 3.; igitur cum *petere* coniunctum si-

6 initio occidit Hiempsalem fratrem meum, deinde patrio regno me expulit; quae sane fuerint nostrae
7 iniuriae, nihil ad vos. Verum nunc vostrum regnum armis tenet, me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet; legatorum verba quanti

gnificat *ulterius tendere.* — *Neque simul* — *sperare*, i. e. amicitiam vestram non curare, si modo regno meo potiatur.

§. 6. et 7. *deinde*] Cortius de suis codd. nihil monens scripsit *dein;* sed omnes Gruteri, Wassii et Havercampi libri *deinde* tueri videntur. Id certe est in Bas. 1. 4. Bern. 3. Misn. Goerlit. Berol. 1. 2. Quare certiorem formam recipere non dubitavimus. — *Nihil ad vos.* Ita solet *ad* c. accus. elliptice poni. Cic. Epp. ad Famm. III, 13, 6. *Sed hoc nihil ad te; nostrum est onus.* in Pison. c. 28, 68. *Audistis Epicureos omnes res voluptate metiri; recte an secus, nihil ad nos; aut si ad nos, nihil ad hoc tempus.* v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 117. Zumpt. Gramm. Lat. §. 86, 12. p. 515. ed. IV. — *Vos*, quod in Acad. Palat. 3. et Vat. 5. deest, Cortius inconsulto delevit. Eo opus est, ut Iugurthae contemptus Romanorum magis eluceat. cf. ad XIV, 10. — *Imperator* h. l. latiore sensu eum significat, qui civitati praeest; v. ad Cat. II, 3. p. 11. Iug. XXXI, 20. — *Ponere*, pro quo Gruterus maluit *imponere*, habet *auctoritatis* significationem. Apte Cortius contulit Cic. p. Flacco c. 19, 45. *Hermippus custos frumento publico est positus.* Nep. Hannib. c. II, 6. *Te ipsum frustraberis, si non Hannibalem in eo bello principem posueris.*

§. 8. *Quid relicuum*] Multi codd. habent *quid rel. est;* alii *quid est rel.;* Tur. 1. *quid enim rel.;* Bas. 1. *quid quidem rel.*, quae discrepantia satis ostendit verbum substantivum non esse a Sallustio. Id confirmat etiam loquendi usus, quem satis illustravimus ad Cat. LI, 23. Tacit. Ann. V, 4, 3. cf. Car. Beier. ad Cic. de Off. III, 14, 58. p. 280. — *Quo* exstat in Vat A. Tur. 1. Fabr. 1. Guelf. 1. Vrat. 2. Teg. Proxime accedunt Leid. L. Paris. z. Einsiedel. Sen. 1. Bern. 3. Erl. in quibus est *a quo;* relicui servant *qua*, quod ab iis effictum, qui relativum ad *vis* referrent. Sed hoc pronomen ad *relicuum* spectare, quod primariam sententiam continet, loci ratio docet; neque in vitio esse, si inter relativum et id nomen, ad quod refertur, aliud nomen interpositum est, monui-

fecerit pericula mea declarant. Quid relicuum, nisi 8
vis vostra, quo moveri possit? Nam ego quidem 9
vellem et haec, quae scribo, et illa, quae antea in
Senatu questus sum, vana forent potius, quam mi-
seria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo 10

mus ad c. XVIII, 9. et ad Catil. XLVIII, 1. cf. Liv. XXI, 26, 2. *C. Atilium cum sua legione auxilium ferre Manlio iubent, qui sine ullo certamine Tanetum pervenit.* id. IV, 58, 4. *tarditatis caussa in senatu magis fuit, quam in tribunis, qui, quia summa vi restare nunciabantur, parum cogitaverunt nulla virtute superari humanarum virium modum.* Flor. III, 5, 16. *fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens adventare Lucullum, qui per medias hostium naves utre suspensus evaserat.* Ter. Phorm. II, 3, 24. *nunquam tam gravis Ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam, Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter,* ubi v. Donat. Nostro loco etiam minorem esse sententiae ambiguitatem propter varium proximi nominis genus, vix est quod moneam. Quod Gerlachius autem *quo* pronomine *vostra* excusari statuit, id, ne quid gravius dicam, ineptum est. Turpiter idem caecutit, si ullam similitudinem inter nostrum locum et c. XXXVIII, 6. CIII, 1. Cic. Epp. ad Famm. III, 5, 3. et XIII, 75, 4. intercedere putat.

§. 9. *et haec, quae scribo, et illa, quae antea*] Leviter libri discrepant; Acad. omisit *antea;* Guelf. 11. habet *et reliqua antea quae in Senatu;* in Vat. 5. Med. 11. Min. 1. deest *illa*, cuius loco in Ven. 3. *ea* habetur. Sed haec omnia eiusmodi sunt, ut scribarum negligentiae vel lapsui debeantur. Optimorum codd. auctoritatem in vulgata conspirantium firmat etiam Serv. ad Virg. Aen. I, 396. Quare Cortius *illa* imprudenter delevit. — *Forent* idem cum Grutero omittendum censet; cui stultae opinioni, a linguae ignorantia profectae, Gerlachius hoc tantum opponit, elegantem orationis *numerum* ita fieri impeditiorem. Sed *sensum* etiam fieri alium, eumque perquam incommodum, id non curat V. D.; cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 80, 9. not. 1. p. 443. ed. IV.

§. 10. *ut Iugurthae scelerum ostentui essem*] I. e. ut Iugurtha *omnibus quasi spectantibus* scelera in me exercere et ostentare posset. cf. Tacit. Annall. XII, 14, 5. *Parrhaces Meherdatem auribus*

natus sum, ut Iugurthae scelerum ostentui essem, non iam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiae, quod vostrum est, uti lubet consulite; me manibus impiis eripite, per maiestatem imperi, per amicitiae fidem, si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.

decisis vivere iubet, ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento. id. I, 29, 3. XV, 29, 4. Quippe *ostentui esse* significat *aspectum praebere.* Aliis tamen locis *ostentui* idem valet atque *specie*, ut Iug. XLVI, 6. *deditionis signa ostentui credere.* De hoc et similibus vocabulis v. Kiessling. ad Tac. Ann. I, 10, 1. — *Non-neque* illustratum ad Cat. LII, 6. — De adversativa sententia *tantummodo inimici* etc. sine particula antecedentibus subiecta v. ad c. XXI, 2. — Pro *deprecor* Weissius ex interpolatis libris scripsit *ut evadam deprecor*, quod sententiam valde levem habet. — *Manibus impiis* legitur in codd. optimis, Vat. A. Bas. 1. Sen. 1. Leid. L. Paris. b. x. et z. m. sec. ac praeterea in Acad. Vin. 2. Struv. Inc. 2. Vrat. 3. Guelf 11. Leid. H. N. Bern. 4. Misn. Wassii L. 3. Arond. B. Publ. Bodl. Mark. *A.* Pembr. et in plurimis Gerlachii Italicis. Relicui fere omnes habent *ex man. imp.*; Bern. 1. *a man. imp.*; Wassii L. 2. *de m. imp.*; Aldina *man. ab imp.*; unde luce clarius patet Sallustium nulla praepositione usum esse. Cortius *ex* retinuit propter Catil. XLVIII, 1. et §. 4. Sed in tali re exempla nihil probant. Gerlachius pro inconstantia sua, quum in ed. mai. omisisset, in Commentt. p. 252. omissum probasset, in ed. novissima rursus recepit. — *Per* c. accus. in obtestando sine verbo poni monuimus ad c. XIV, 24. Ex interpolatione in Struv. additum *oro*, in Vrat. *rogo.* — *Memoria remanet* omnes tuentur libri; verbum tantummodo abest a Struv. et Guelf. 4., quos Cortius pro ingenio suo est secutus. Sed nihil est quod verbum suspectum reddat.

XXV. §. 1. *fuere qui mittendum censerent* etc.] Duplicem saepe ex eodem verbo structuram pendere iam observavimus ad Catil. V, 9.; sed imprimis frequens est apud historicos, maxime apud Livium, ea constructionis ratio, ut verbis *iubere*, *imperare*,

XXV. His litteris recitatis fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quam primum Adherbali subveniundum; de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam legatis non paruisset. Sed 2
ab isdem illis regis fautoribus summa ope enisum, ne tale decretum fieret. Ita bonum publicum, ut 3
in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum.

decernere, *censere*, *placere* et similibus *infinitivus*, *vel accus. c. infin.* et *ut c. coni.* simul subiungatur. v. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 14, 9. *Consules aedilibus curulibus imperarunt, ut sacerdotes eius sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi ad quaesitionem servarent; aediles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent.* XXXVIII, 35, 9. *Comparare inter se aut sortiri iussi, et novos exercitus scribere, et ut sociis Latini nominis quina dena millia peditum imperarent.* Alia, sed similis generis, habet Duker. ad XXVII, 33, 9. et Cortius ad Sall. Fragm. Historr. I, 15, 23. Gerl. Ceterum *uti* ante *consuleretur* deest in Inc. 1. Fabr. 2. Ecc. Vrat. 3. Guelf. 7. 9. 11. Leid. H. Bas. 4. Berol. 1. quod non contra usum Latini sermonis esse exemplis ostendimus ad Cat. XXIX, 2. et ad XXXII, 2. p. 152. Liv. XXXIII, 31, 11. *decretum est Corinthus redderetur, Chalcidem ac Demetriadem retineri.* Sed h. l. codicum meliorum auctoritas particulam satis tueri videtur. — Cum Gerlachio vulgatum verborum ordinem *quoniam non paruisset legatis* mutavimus, auctoritate cod. Bas. 1. 4. Tur. 1. Bern. 1. Paris. b. c. x. z. Einsiedel. Berol. 1. 2. Misn. et Goerlit. in quibus est, *quon. leg. non paruisset.* Nam ita sane quod in ista re maximum erat, verbis gravius cadit; neque incuria editorr. certo constat de relicuorum librorum scriptura.

§. 2. et 3. *ab isdem illis*] *Isdem* praebent codd. Sen. 1. Eccard. Guelf. 1. 3. 4. 9. cf. c. XIV, 11. — *Illis* Cortius fide unius Fabr. 2. expunxit, quod cum detrimento perspicuitatis factum esse recte vidit Gerlachius. Hoc enim pronomine significatur iam supra eorum mentionem esse factam. cf. Cat. LVII, 2. *Metellus eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare.* XXXI, 4. *At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat.* LVIII, 10. *Ea-*

4 Legantur tamen in Africam maiores natu, nobiles,
amplis honoribus usi, in quis fuit M. Scaurus, de
quo supra memoravimus, consularis et tunc in Se-
5 natu princeps. Hi, quod res in invidia erat, simul
et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere;

dem illa adversa fient. Iug. XXVII, 1. *idem illi regis ministri atrocitatem facti leniebant.* Liv. III, 14, 5. *nihil iisdem illis placidius aut quietius erat.* cf. supra ad c. XVI, 5. — *Enisum* passive, ut *adeptus* Cat. VII, 3., *machinatus* XLVIII, 7., *interpretatus* Iug. XVII, 7. — *Tale* ante *decretum* Cortius eiiciendum duxit, quia eius loco Vrat. 2. habet *id*, Fabr. 2. vero plane omisit. Sed ne omnino decretum fieret de re tam acriter agitata, illi regis fautores haud dubie perficere non potuerunt; id tantummodo agebant, ne *tam grave* et Iugurthae damnosum senatus consultum fieret. — *Bonum publicum* i. e. reipublicae commodum, quae dictio haud infrequens est, ut docet diligens harum rerum observator Drakenborch. ad Liv. II, 1, 3. Tacit. Annall. XIV, 38, 2. Eodem sensu idem dixit Ann. III, 70, 3. *egregium publicum.* Gell. NN. AA. VII, 3. *optimum publicum.* Contrarium est *malum publicum*, Sall. Catil. XXXVII, 7. Drakenb. l. l. et Gronov. ad IV, 4, 4. docuerunt interdum etiam dictum esse *pessimum publicum.* cf. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. p. 199. — *Ut solet* illustravimus ad Cat. XXIX, 2. In Struv. Eccard. Guelf. 7. et 11. ex interpolatione additum *fieri.* — *Devictum* non est, ut Gerlachius interpretatur, *perversum*, coll. Plaut. Pseudol. I, 3, 12. sed valet *plane victum* (v. ad Cat. XXV, 3. ad Iug. V, 6.) i. e. *prorsus cedere debuit* privatae gratiae. Septem codd. addunt *est*; sed editores recte relicuos secuti sunt.

§. 4. *amplis honoribus usi*] *Usi* non est in Commel. Fabr. 1. 2. Tur. 1. m. pr. Paris. B. E. Einsiedel. Quapropter Cortius delevit, quem secutus est Gerlachius in ed. mai., non item, ut est ad mutandas opiniones proclivis, in novissima. Sed nihil nos movet quod ille dicit eo sententiam corrumpi, quod absurdum est. Excidit vocabulum similitudine proximae syllabae, quae res innumeras corruptelas peperit, ut statim post §. 5. in Bas. 1. Fabr. 2. Ecc. et Guelf. 9. *invidia* habetur pro *in invidia.* Ceterorum librorum consensum firmat usus loquendi; cf. Cat. XLIX, 2. *Catulus maxumis honoribus usus*, ubi Cortius laudavit Cic. p. Flacco c. 19, 45. Flor.

deinde brevi Uticam appulsi litteras ad Iugurtham mittunt, quam ocissume ad provinciam accedat, seque ad eum ab Senatu missos. Ille ubi accepit 6 homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse, primo

I, 13, 9. Weissius ex corrupta ed. aliqua inepte scripsit *viri* pro *usi*. — *In quis* tenent Fabr. 1. 2. Bas. 1. Sen. 1. Berol. 1. 2. Misn. aliique vetusti. — *Fuit*, quod ad unum omnes codd. tuentur, Cortius suopte Marte expulit, absurdissimum scribarum additamentum dicens. Quid in hac re absurdum sit, periti iudicent. — De *M. Scauro* v. supra ad c. XV, 4. Perpauci codd. *Aemilius* nomen addunt, quod debetur scribarum diligentiae. — *In senatu princeps* legitur in Bas. 1. Vin. 2. Heuss. Sen. 2. Acad. Inc. 1. 2. Strov. Eccard. Guelf. 10. 11. 12. Bern. 1. Berol. 1. 2. Misn Goerlit. Paris. b. c. x. z. et permulti Itall. Reliqui exhibent *Senatus princeps*, quod Cortius non debebat recipere. Quid enim librarios impellere potuerit, ut planissimae et in hac re notissimae structurae alteram substituerent, nullo modo intelligitur. Contra facilius erat paullo minus usitatam locutionem in tritiorem mutari; vel *in* vocula casu deleta, in promptu erat *Senatus* emendatio. Eodem modo locutus est Liv. XXVII, 11, 12. qui locus omnino ad rem illustrandam pertinet. cf. Ernesti Clav. Cic. v. *princeps;* Nitzsch. Antiqq. Rom. T. II. p. 952. ed. III. — *Tunc* sententia poscit, v. ad c. V, 1. Codd. et edd. *tum*.

§. 5. *quod res in invidia erat*] De usu explicativae sententiae ante eam collocandae, quae explicatur, v. ad c. VII, I. — *In invidia esse* habetur etiam apud Cic. Epp. ad Attic. II, 9, a med. Liv. XXIX, 37, 17. Cort. — *Simul et* Cortius male interpunctione disiunxit, ut *simul* vi *et* particulae, cui alterum *et* respondeat, ad antecedentia referatur; v. ad c. XX, 1. — *Triduo* est intra trium dierum spatium sive non ultra tris dies morati. — *Ascendere* plerique omnes codd. praebent, nullus *escendere*, quod Cortius temeraria coniectura in contextum intulit. — *Deinde* idem contra optimorum codicum fidem in *dein* mutavit, quam formam in deliciis habere videtur. — *Seque* Cortius recte scripsit longe plurimorum codd. auctoritate; alii tantummodo *se* habent, ut olim vulgabatur. *Que* explicativa potestate positum valet *nam;* v. ad c. II, 3.

§. 7. *ni paruisset legatis*] Haec verba Cortius temere pro

commotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur.
7 Timebat iram Senati, ni paruisset legatis; porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebat.
8 Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium.
9 Igitur exercitu circumdato summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans diducta manu hostium

spuriis habuit uncinisque inclusit, quia similia h. c. §. 1. leguntur. Talia refellere non est opus. — *Porro* proprie non est *ex altera parte*, ut Langius et Muellerus explicant, sed continuat narrationem, ita ut etiam ad contraria transeat. cf. Catil. XLVI, 2. qui locus nostri simillimus est. Ter. Adelph. V, 4, 14. Iustin. II, 10, 3. IX, 4, 6. v. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. VI, 7, 10. id. p. Mil. c. 9, 25. de Divin. II, 2, 6. Auct. ad Herenn. III, 16, 28. — *Rapiebat*, quod Naz. Commel. Bongars. duo Rivii, aliquot Cortii, Leid. L. Tur. 1. Einsiedel. et complures ex Itall. Gerlachii tenent, unice verum; *rapiebatur*, ut in relicuis est, ortum ex interpolatione scribarum, qui accusativum pronominis demonstrativi supplendum esse non caperent; v. ad c. XLVI, 7. Gerlachius, ut solet fluctuari, in novissima ed. passivum exhibuit.

§. 9. *casum victoriae*] Haec Kunhardtus imperite nihil aliud esse censet, quam *victoriam ipsam*, valde miratus, cur Sallustius non hac simplici voce usus sit. Sed *casus*, quo vocabulo in universum significatur id, quod incertum eventum habet vel affert, h. l. praegnanti sensu dicitur pro *commoda occasione*; cf. c. LVI, 4. *fortunam illis praeclari facinoris casum dare*. Tac. Annal. I, 13, 1. *L. Arruntium, si casus daretur, ausurum*. ib. XI, 9, 1. *casus Mithradati datus est occupandi Armeniam*. XII, 50, 1. *Vologeses casum invadendae Armeniae obvenisse ratus*. XIII, 36, 2. *quamquam bene gerendae rei casum offerri scripserat*. Alieni autem generis sunt exempla a Gerlachio allata Tac. Ann. XII, 14, 3. *rem in casum dare statuit*, et Liv. IV, 27, 6. *rem in casum ancipitis eventus committunt*; nam ibi *casus* non de *commoda occasione*, sed de *incerto eventu* est intelligendum, quod Livius nimia prolixitate addidit.

§. 10. *uti prius — potiretur*] Haec omnia Gruterus vel pro glossa habenda censet, vel sic corrigenda, *neque prius — potiri*; quae iudicii perversitas inde repetenda est, quod non perspectum

aut vi aut dolis sese casum victoriae inventurum.
Quod ubi secus procedit, neque quod intenderat 10
efficere potest, uti prius, quam legatos conveniret,
Adherbalis potiretur, ne amplius morando Scaurum,
quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis
equitibus in provinciam venit. Ac tametsi Senati 11

habuit Latinorum usum indefinitae sententiae explicationis caussa definitiorem sine particulis *minirum*, *nempe* aut similibus subiiciendi, de quo diximus ad Cat. XXIX, 3. p. 134. et ad LI, 7. Apposite Cortius laudavit Caes. B. G. I, 13, 2. *Helvetii quum id, quod ipsi diebus viginti aegerrime confecerant, ut flumen transirent, uno illum die fecisse intelligerent*, ubi Davisius contulit ib. I, 5, 1. I, 31, 14. — *Adherbalis* non solum plurimi optimique libri tuentur, sed etiam Priscian. XVIII, 25, 251. p. 229. ed. Kr. et Serv. ad Virg. Aen. III, 278. Decem fere codd. habent *Adherbale*, Guelf. 9. et quinque, quos Vossius inspexit, *Adherbalem*, quod probavit Bongarsius ad Iustin. I, 2, 10. Sed quamquam accusativus exemplorum auctoritate non destituitur, (v. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 23, 81. *urbem est potitus;* Tuscc. I, 37, 90. de Fato c. 7. Ter. Adelph. V, 4, 17. *patria potitur commoda*, et statim post v. 22. *hic potitur gaudia;* intprr. ad Auct. B. Afric. c. XXXVI, 4. et ad LXXXVII, 4. Bremi ad Nep. Milt. II, 1.) tamen h. l. nihil mutandum. Genitivum enim satis firmant Grammaticorum testimonia; eum librarii nonnulli interpolatrice manu mutarunt in ablativum, quod etiam Cat. XLVII, 2. factum vidimus; ex ablativo autem vel casu, vel a scriba antiquario, profectus est accusativus. — De vi *metuebat* verbi v. notata ad c. LXX, 5.

§. 11. *Ac tametsi*] Cortius contra codicum fidem edidit *tamen etsi.* Ceterum multi libri pro *ac* habent *at*, quod ab huius loci ratione alienum est. — *Senati* ita exstat in Einsiedel. v. ad Cat. XXX, 3. — *Graves minae*, qui verborum ordo ante Cortium vulgatus erat, cum Gerlachio auctoritate fere omnium librorum rescripsimus. Cortius ex paucis Rivii dederat *minae graves*, non satis gravi sententia; nam vis inest in voce *graves;* v. ad c. XX, 1 — *Ab* ante *oppugnatione* non habet unus Rivii, Commelin. et Struv., eosque secutus est Cortius, orationem ratus suavius ita cadere. Sed certum videtur praepositionem casu excidisse, cuius rei clarissimum vestigium exstat in

verbis graves minae nunciabantur, quod ab oppugnatione non desisteret, multa tamen oratione consumpta legati frustra discessere.

XXVI. Ea postquam Cirtae audita sunt, Italici, quorum virtute moenia defensabantur, confisi deditione facta propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti

cod. Goerlit. ubi legitur *abpugnatione;* quippe quum *a b obpugnatione* scriptum esset, prima substantivi syllaba voculam absorpsit. — *Consumere orationem*, *verba*, *tempus*, *diem* plerumque ita dicitur, ut significetur inutilem harum rerum usum fuisse; cf. c. LXII, 9. *multis diebus per dubitationem consumptis.* XCIII, 1. *Multis diebus et laboribus consumptis.* XCVIII, 2. *iamque dies consumptus erat.* cf. Drakenborch. ad Liv. XXIX, 33, 9. Neque tamen semper hoc verbo ita utuntur Latini; cf. Caes. B. G. V, 11, 6. *In his rebus dies circiter decem consumit*, i. e. has res d. d. perfecit. Est igitur huius verbi similis duplex usus, ut verborum *terere* et *conterere*, de quibus v. ad Cat. IV, 1. Ceterum *frustra*, quod cum *discessere* coniungitur, re spectat non ad discessum ipsum, qui non frustra fuit, sed ad id, quod ante discessum erat factum. Sensus est igitur: multa oratione consumpta discesserunt, et ita quidem, *ut nihil plane eorum, quorum caussa venerant, effectum esset.* cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 746. §. 2. et v. infra ad XXXI, 5.

XXVI. §. 1. et 2. *Italici*] Iidem sunt, quos supra c. XXI, 2. togatos vocaverat. — Pro *defensabantur* pauci codd. exhibent *defendebantur*; sed frequentativum magis est ex Sallustii usu. Iam Cortius contulit c. LX, 3. XCVII, 5. v. etiam ad c. XXIII, 1. — *Tamen* ante *quia* Cortius male omisit, unius Fabr. 2. auctoritate permotus, qua ceterorum librorum consensus elevari non potest, quem confirmat etiam Sallustii usus. Praeter exempla ad Cat. III, 2. allata cf. Iug. XXIX, 2. XXXI, 21. XXXIV, 2. — *Advorsaretur* ita exstat in Fabriciano Rivii, et Cortii Fabr. 1. — *Cogundi* praebet Med. 10. — *Italici*, quod omnes codd. retinent, Cortio certo certius a glossatoribus illatum videtur. Quae sententia ut per se absurda est, ita quivis videt Sallustium de industria quam accuratissime docere, Adherbalem consilium sibi perniciosissimum non sua sponte, sed aliis

seque et oppidum Iugurthae tradat; tantum ab eo vitam paciscatur, de ceteris Senatui curae fore. At 2
ille tametsi omnia potiora fide Iugurthae rebatur, tamen, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogundi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excru- 3
ciatum necat; deinde omnis puberes Numidas et

impulsoribus iniisse. — *Facit* optimi exhibent libri, ut Naz. Commelin. Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Leid. L. Paris. b. c. x. z. multique alii; *fecit*, quod in relicuis est, scribarum ingenio praesens historicum non ferentium debetur.

§. 3. *in primis*] Hae voces cur h. l. divisim scribendae sint diximus ad Cat. LX, 6. — *Necat*, cui statim post subiicitur *interfecit*, sensu aliquantum ab eo differt. *Interficere* enim latius patet, et quemvis occidendi alicuius modum et caussam significat; *necare* vero notionem habet immanis facti ac crudelitatis, qua vita alicui eripitur; cf. Ludov. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. III. p. 186 sq. Cic. p. l. Man. c. 5, 11. *qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit.* Curt. IX, 7, 8. *Boxum protinus placuit interfici; Biconem etiam percruciatum necari.* Caes. B. G. VII, 7, 9. *magnitudine supplicii dubitantes cogit; nam maiore commisso delicto igni atque omnibus tormentis necat.* Lactant. I, 4. *itaque ii, quorum peccata et arguebantur et prohibebantur, excruciatos eos acerbissime necaverat.* quae exempla Cortio debentur. cf. infra c. LXXIV, 1. Perperam igitur Gruterus *interfecit* tollendum censet; nam promiscuae Numidarum et negotiatorum caedi *necat*, quod ille etiam huc trahi vult, non convenit. Ridicule autem et somniculose Gerlachius „*miror*, inquit, neminem in voce *interfecit* offendisse," qui ipse adeo offenderit, ut in textu ed. mai. tanquam spurium uncinis includeret. Sed ea est V. D. insolens inconsiderantia. — *Deinde* omnes habent Gruteri, Wassii et Havercampi codd., etiam complures Cortii, in iisque Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1.; nonnulli tamen *dein*, quod ille amplexus est. — Pro *armatis*, quod plerique editores receperunt, in Eccard. Bas. 1. Paris. x. et z. m. sec. Acad. Struv. Guelf. 4. 7. 9. 10. 11. et omnibus Gruteri,

negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interfecit.

XXVII. Quod postquam Romae cognitum est, et res in Senatu agitari coepta, idem illi ministri regis interpellando ac saepe gratia, interdum iurgiis

ut videtur, atque Leidd. excepto N. exstat *armatus*, quemadmodum Gruterus et Langius scripserunt. Et sane probum videri possit, quum et per se intelligatur Iugurthinos armatos fuisse, neque probabile sit a victoribus in alios nisi in armatos saevitum esse. Sed obstat, quod *omnes puberes* Numidae et negotiatores dicuntur *promiscue*, i. e. nullius rei ratione habita, interfecti esse. Neque omnino armis uti potuerunt, qui *deditione facta* in manus victoris venissent; ceteroquin iure caesos diceres. Quare *armatis* recte habet, et intelligendum de Iugurthinis hostili modo urbem intrantibus. cf. notata ad c. XXIII, 1. Gerlachius, in sola inconstantia sibi constans, in ed. mai. *armatis* dedit, in minore *armatus* amplectitur. — *Fuerat*, pro quo unus Fabr. 1. lapsu scribae *fuit* exhibet, Cortius delevit. Vim plusquamperfecti explicavimus ad Cat. XXXVII, 1. — *Interfecit* in Bas. 1. Sen. 1. Vrat. 1. Acad. Franc. mutatum in *interficit*, scilicet ut congrueret cum praegresso *necat*, quae caussa Gerlachium quoque movit, ut in ed. min. praesens reciperet. Sed perfectum et praesens historicum saepe in eadem periodo simul haberi iam supra monuimus ad c. XII, 4. Apte Cortius contulit Liv. IV, 7, 1. *magistratum ineunt A. Sempronius, L. Atilius, T. Caecilius, quorum in magistratu concordia domi pacem etiam foris praebuit.*

XXVII. §. 1. *cognitum est*] Cortius de codd. suis prorsus silens *est* omisit; sed quum omnes Gruteri, Wassii, Gerlachii cum reliquis teneant, non dubium est, quin in Cortianis quoque habeatur. Unus Vat. 5. non agnoscit, cuius auctoritate Gerlachius, licet in textum receperit, in Commentt. p. 254. delendum censet. Sed vir mutabilis iudicii sibi in ed. novissima non constitit. — *Coepta* plurimis optimisque libris firmatur; alii *coepit* habent ex interpolatione scribarum, qui passiva forma offenderent. Sed ea satis frequens est, ubi infinitivus *passivi* ab *coepisse* verbo pendet. v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 59. p. 201. ed. IV. Cic. Brut. c. 7, 26. de Or. I, 87, 168. Ger. Io. Voss. de Analog. III, 39. p. 158. ed. II. Vechner.

trahendo tempus atrocitatem facti leniebant. Ac ni 2
C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuisset id agi, uti per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur, profecto omnis invidia

Helleno l. p. 103. ed. Heus. Drakenb. ad Liv. II, 1, 7. Bremi. ad Nep. Epam. c. X, 3. Kreyssig. Commentt. II. de Sall. Fragm. p. 16. A vero igitur aberravit Gerlachius, in Commentt. p. 254. hanc structuram *antiquiorum* scriptorum esse dicens. — *Idem*, non *iidem*, omnes praebent codd. — *Iurgiis*, v. ad Cat. XXXI, 5. p. 145 sq — *Leniebant* Faber recte vidit valere *lenire studebant* vel *incipiebant*. Nam quum imperfecto actio praeteriti temporis *nondum absoluta* designetur, hoc tam late patet, ut, *inceptae* actionis notione praevalente, conatus etiam ac *studium* rei agendae imperfecto contineatur. cf. c. XXIX, 3. *Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat.* XXXIV, 1. *Tametsi multitudo terrebat eum, vicit tamen impudentia.* cf. Herzog. ad Cat. XXXI, 7. p. 160. et ad Caes. B. G. III, 1, 1. Bremium ad Sueton. Caes. c. 15. Weberi Exercit. styli Lat. T. I. p. 201 sq.

§. 2. *C. Memmius*] De huius ingenio v. notata ad c. XXX, 4. — *Potentiae* vocabulum, quod in Eccard. deest, Cortium adeo male habuit, ut eo omisso *nobilitati* scribendum censeret, nihil curans et eadem verba infra recurrere c. XXX, 3. et, quod gravissimum est, nobilitatem non per se, sed *potentiae* nomine omnibus invisam fuisse, qui antiquam libertatem tuerentur. Quantam invidiam apud Sallustium *potentia* habeat patet ex dictis ad Cat. XX, 7. et ad XXXVIII, 1. — *Id agi, uti* h. e. *id esse consilium, eo spectare contentiones, ut.* Nep. Themist. c. V, 1. Liv. XXXVI, 11, 11. Cic. Epp. ad Famm. III, 7, 18. Haec Cortius recte; sed perperam cum his confert Catil. LII, 10. et 23. V. nostra ad ei. cap. §. 6 p. 265. Imperite igitur Muellerus: *id agi, ut* est formula, inquit, usitata pro: tantam tamque turpem rem tentari. — Verba *uti per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur* Cortius non recte intellexisse videtur, coniecturae indulgens pro *per paucos factiosos* etiam *paucis factiosis* scribi posse; nam sic *Iugurthae* genitivus foret, quo sententia plane in alienum detorquetur; v. ad Cat. LII, 8. Locis ibi laudatis adde Liv. III, 12, 8. — Loco verbi *prolatan-*

prolatandis consultationibus dilapsa foret; tanta vis
3 gratiae atque pecuniae regis erat. Sed ubi Senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia provinciae futuris consulibus Numidia atque Italia
4 decretae, consules declarati P. Scipio Nasica, L.

dis in cod. Ursini, Tur. 1. et Inc. 2. est *protelandis*, quod Manutio magis antiquitatem olere videbatur. Sed florente Latinitate *protelare* tantummodo erat *vi propellere*, vel *abigere*, ut recte observavit Cortius ad Catil. XLIII, 3. Postremae vero aetatis scriptores usurparunt pro *trahere*, *differre*, *procrastinare*, quam potestatem apud probatos auctores *prolatare* habet. v. Drakenborch. ad Liv. VII, 21. 2. cf. Sall. Fragmm. Historr. I, 19, 16. Gerl. ib. IV, 12, 12. Cic. in Catil. IV, 3, 6 extr. Liv. II, 36, 5. Tacit. Ann. VI, 42, 4. XIII, 34, 2. — *Foret* constans fere omnium codd. scriptura est, nisi quod Guelf. 1. et Sen. 2. *erat* habent, quod Cortius recepit. Quin id ex Latinorum usu recte habeat, non potest dubitari; v. Cort. ad h. l. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 77, 2. not. 1. p. 388 sq. ed. IV.; sed coniunctivum propterea nemo falsum dixerit. Praeterea mirum videatur, neminem librariorum *erat* in *esset* mutasse, si illud Sallustii fuisset, sed omnes singulari vel constantia vel casu in *foret* conspirare. Denique *erat* eo quoque suspectum est, quod cod. Heuss., qui cum Sen. 2. ita consentit, ut uterque ex eodem fonte fluxisse statuendus sit, illud non habet, sed vulgatam praebet; unde coniicias peculiari lapsui vel interpolationi *erat* in Guelf. 1. et Sen. 2. deberi. — Quod in fine periodi legitur *erat*, Cortius non habet, quia in Guelf. 1. ante *regis*, in tribus aliis post *gratiae* collocatum invenit, in Guelf. 2. autem *incesserat* eius locum obtinet. Quodsi in optimis codd. plane deesset, hae caussae aliquid valerent; nunc nihil mutandum censeo, neque video, quomodo sine verbo melior fiat oratio, ut Gerlachius in Comm. p. 254. statuit. cf. c. XL, 3.

§. 3 — 5. *lege Sempronia*] Hac lege a C. Sempronio Graccho anno u. c. 630. a. Chr. n. 124. lata, cautum erat, ut ante comitia consularia senatus decerneret, in quas provincias Consules designati inito consulatu mitterentur, eique senatus consulto ne intercedi posset. Provinciis autem constitutis, quae consulares vocabantur, Consules eas vel comparabant inter se, vel sortiebantur. cf. Ernesti

Bestia Calpurnius. Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur; stipendium aliaque, quae bello usui forent, decernuntur.

XXVIII. At Iugurtha contra spem nuncio ac-

Argum. orat. de provv. conss. Heineccii Antiqq. Iur. Rom. Append. libri I. c. 4. §. 107. p. 321. ed. Haubold. Cic. Epp. ad Famm. I, 7, 26. or. p. Balbo c. 27, 61. — Post *decretae* in aliqua codd. parte *sunt* additur; cuius h. l. exigua auctoritas. — Pro *declarati* Cortius, nescio unde, scripsit *declarantur;* de suis enim libris nihil monuit, relicui autem in vulgata consentiunt, nisi quod Leid. E. F. ita habent, ut Cort. edidit. — *P. Scip. Nasica* filius erat eius, qui Tib. Gracchum occiderat; v. Cic. de Off. I, 30, 109. De eius dicendi arte v. Brut. 34, 128. *P. Scipio, qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem nec saepe dicebat, sed et Latine loquendo cuivis erat par, et omnes sale facetiisque superabat.* De ordine nominum alterius consulis v. Praef. Vol. I. p. XXII. quibus adde quae Ellendtius, doctus aeque atque humanus censor editionis nostrae Vol. I., in Annall. critt. Berol. a. 1830. N. 22. p. 174. monuit. — *Aliaque quae* nonnullorum codd. discrepantiis non satis firmatum videtur. Nam Commel. et Ecc. a. m. pr. habent *alia q u a e q u e;* Guelf. 7. *aliaque o m n i a quae;* Bas. 1. et Guelf. 9. *a t q u e alia quae;* Inc. 2. *et alia quae;* Ven. 2. *alia q u e;* Vat. 1. *alia q u a e.* His motus Cortius *que* delevit, cui etiam Gerlachius in Commentt. p. 255. astipulatur, mutatum iudicium in ed. novissima, ut solet, rursus mutans. Sed turbas istas ex confinio *que quae* syllabarum maximam partem ortas esse, quis non videt? cf. ad Cat. III, 5. Drakenborch. ad Liv. XLI, 2, 11. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 21, 72. et ad Acadd. I, 2, 8. Non gravioris momenti est, quod duo codd. *atque*, unus *et* pro *que* habent; nam hoc quoque frequens, ut eiusdem potestatis particulae, maxime copulativae, incuria scribarum permutentur. Denique, quod gravissimum est, contra usum est Latini sermonis, *uno* tantum nomine praegresso *alius* vel simile adiectivum, quo singulae eiusdem generis res comprehendantur, sine copula ponere; cf. ad Cat. XV, 1.

XXVIII. §. 1. *venum ire*] Ita longe maxima pars codd. exhibet; alii *venire,* quod Gruterus recepit; unus *venum datum iri*, duo *venundari*, pauci *venalia*, quae omnia receptam dictionem librariis

cepto, quippe cui Romae omnia venum ire in animo haeserat, filium et cum eo duos familiaris ad Senatum legatos mittit, hisque ut illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecepit, omnis mortalis
2 pecunia aggrediantur. Qui postquam Romam adventabant, Senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus; iique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti

insolentiorem interpretantur. cf. Liv. III, 55, 7. *Familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venum iret.* Gell. NN. AA. VII, 4. — De dictione *in animo haeserat* cf. Curt. VI, 2, 8. *Adhuc in animo regis tenues reliquiae pristini moris haerebant.* Plin. Epp. X, 31. *Sed et illud haereat nobis.* ib. X, 96. *Quam parce haec beneficia tribuam, utique haeret tibi.* Cort. — *Duos* omnes libri servant, praeter Guelf. 9. et 10., qui *duo* habent, quod Cortius cupide arripuit. — *Hisque* fere omnes libri; Bas. tamen 1. *isque.* — *Praecepit* tenent Cortii codd. septemdecim, Leidd. D. H. I. L. Erl. Teg. Tur. 1. Einsiedel. Paris. b. Berol. 1. 2. Misn. et Goerl. Reliqui *praecipit* habent, scilicet ut tempus responderet sequenti *aggrediantur.* In duobus, qui perfectum retinent, aequalitas temporum ita tentata, ut *aggrediantur* mutarent in *aggrederentur;* v. ad Cat. XLI, 5. Gerlachius, qui in ed. mai. *praecepit* habet, in minore, scilicet *accuratius* tractata, praesens praetulit. — Solum coniunctivum sine *ut* frequenter poni post *praecipiendi* verba exposuimus ad Cat. XXIX, 2. et XXXII, 2. cf. Iug. XXXV, 2. et 4. Ex interpolatione igitur in Sen. 1. Fabr. 2 Vin. 2. Acad. Guelf. 4. 11. Leid. A. E. Bas. 4. Tur. 1. Bern. 1. 3. Vat. 1. 3. 4. Berol. 1. Misn. legitur *ut omnis;* in Fabr. 1. Guelf. 2. Erl. *omnis ut mortalis;* in Vat. 2 *ut aggrediantur;* in Vat. 5. *ut pecunia.* Reliqui recte *ut* particula carent.

§. 2. *adventabant*] *Postquam* quo sensu cum imperfecto construatur diximus ad c. XIII, 5. — *Est* post *consultus* omnes codd. retinent, tribus Cortii exceptis, quos is secutus est. — *Iique decrevere* per synesin refertur ad senatum, de qua structurae ad sensum conformatae ratione v. notata ad Cat. XXXIX, 3. p. 183. Imprimis autem frequens esse pluralem verbi ad *senatus* vocabulum singulari numero positum referre, plurimis exemplis demonstravit Drakenb. ad Liv.

in diebus proxumis decem Italia decederent. Con- 3
sul Numidis ex senati decreto nunciari iubet; ita in-
fectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpur- 4
nius parato exercitu legat sibi homines nobilis,
factiosos, quorum auctoritate quae deliquisset munita
fore sperabat; in quis fuit Scaurus, cuius de natura
et habitu supra memoravimus. Nam in consule no- 5
stro multae bonaeque artes animi et corporis erant,

IV, 58, 4. — *Proxumis* immerito impugnavit Cortius, levi caussa permotus, quod in Fabr. 1. alia manu superscriptum legitur. Recte vidit Gerlachius hoc vocabulum valere ad severitatem senatusconsulti significandam. Ceterum *in* ablativo temporis additum sensu non differt ab *intra c. acc.*, ut iam monuimus ad Cat. XLVIII, 5. cf. Iug. XCVI, 1. *sollertissumus in paucis tempestatibus factus est*, ubi v. plura. Ter. Andr. I, 1, 77. *Fere in diebus paucis; quibus haec acta sunt, Chrysis vicina haec moritur.* Sueton. Claud. c. 12, fin. *in brevi spatio tantum amoris collegit.* id. Ner. c. 30, in. Vespas. c. 4, in. Plin. H. N. IX, 51. *ceterae feminae in triduo excludunt.* Cic. Epp. ad Famm. XV, 16, 5. *in hoc anno.* Paullo accuratiorem et certiorem fieri *in* addito temporis mensuram, cui etiam solus ablativus inservit, nemo non videbit. — *Decederent*, pro quo in paucis codd. est *discederent*, explicavimus ad c. XX, 1.

§. 4. *legat*] Habebant duces sive imperatores adiunctos sibi viros militiae gnaros, quorum munus consulere, administrare, curare et, uno verbo, vicariam operam imperatori dare. Ii *legati* dicebantur. Quamquam autem ipsi duces eligerent, tamen consilium consensusque intervenit patrum. v. Lips. de Milit. II, 11. RUPERT. cf. etiam Nitschii Antiqq. Romm. Vol. II. p. 1443. ed. III. Herzog. ad Caes. B. G. I, 52, 1. et imprimis Creuzeri Antiqq. Rom. §. 181. 2. p. 272 sq. *Legare* est igitur *legatos sibi asciscere.* cf. Cic. Epp. ad Famm. VI, 6, 20. *Caesar Cassium sibi legavit.* Epp. ad Attic. XV, 11. *Dolabella me sibi legavit.* p. l. Man. c. 19, 57. *quo mihi indignius videtur obtrectatum esse Gabinio, ne legaretur A. Gabinius Pompeio expetenti ac postulanti.* Vell. II, 32. *Pompeius multis et praeclaris viris in id bellum assumptis brevi terrarum orbem liberavit*, i. e. quos sibi legaverat. Nihili est igitur quod multi

quas omnis avaritia praepediebat; patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, fir-
6 missumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde Siciliam, porro ex
7 Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius ini-

codd. *legit* vel *eligit* habent. — Verba *homines nobilis, factiosos*, infra c. LXXVII, 1. iterum posuit auctor de Hamilcare. Nota autem copulam inter adiectiva duo, nomini postposita, omissam, ut Catil. XI, 5. *Loca amoena, voluptaria.* Facile autem senties istam ellipsin gradatione quadam excusari, quod etiam de substantivis duobus ἀσυνδέτως positis valet, ut ostendimus ad Cat. c. XLIII, 2. — *Munita* temere in Vin. 2. mutatum in *impunita*, quod Rivius iam ex coniectura proposuerat. *Munita* est *defensa*, *tuta*, *praesidio quasi firmata.* cf. c. XXXIII, 2. *Iugurtha C. Baebium magna mercede parat, cuius impudentia contra ius et iniurias omnis munitus foret.* XXXI, 14. *Caedem in vos fecisse pro munimento habent.* Q. Cic. de petit. cons. c. 7, extr. *Ut homo iners, nullis amicis septus hominem plurimorum studio atque omnium bona existimatione munitum praecurrat, sine magna culpa negligentiae fieri non potest*, quem locum Gerlachius misere corruptum et detortum exhibuit. — *Habitus* quid sit accurate explicat Cicero de Invent. I, 24, 35. *Quae natura data animo et corpori considerabuntur, in natura consideranda sunt; nam quae industria comparantur, ad habitum pertinent.* ibid. statim post c. 25, 36. *Habitum appellamus animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem, ut virtutis aut artis perceptionem alicuius, aut quamvis scientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio industriaque partam.* ibid. II, 13. 42. Non satis recte igitur Cortius *habitum* esse dicit „condicionem et indolem, quomodo se quis habeat naturâ.“ Intelliguntur potius *mores* consuetudine, litteris, studiis civilibus, ambitione, aliisque rebus formati, itaque effectus ingenii continuus quidam status. Alias Sallustius *naturae* simpliciter opponit *mores*, velut Catil. LIII, 6. LVIII, 2.

§. 5—7. *Nam*] In promptu est hanc particulam non spectare ad antegressa verba, sed ad sententiam cogitatione supplendam, de quo usu diximus ad c. XIX, 2. Supplebis autem fere haec: quam pravitatem *consulis*, mature delictis praesidium quaerentis, iure mireris; *nam in eo multae bonaeque artes erant; sed eas omnis* etc. —

tio paratis commeatibus acriter Numidiam ingressus est, multosque mortalis et urbis aliquot pugnando cepit.

XXIX. Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem

De copulae usu *multus* adiectivo additae, ubi ex nostrae linguae ratione nudum adiectivum ponitur, dicemus ad c. CII, 10. ubi v. — Quae sequuntur, *patiens laborum* etc. explicant ante dicta, omisso tamen verbi substantivi imperfecto et *nam* particula, de quo posteriore ellipsis genere v. notata ad Cat. XXXIX, 4. Iug. V, 5. XXX, 1. XXXI, 28. XXXVIII, 2. LXIII, 6. LXVII, 1. — *Firmissumus* i. e. intrepidus, obfirmato animo; *firmus* est enim qui non facile percelli et collabefactari potest. cf. Davisium et Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 3, 8. *Potentissimos et firmissimos populos.* v. Gronov. ad Liv. XXIII, 25, 6. Cortius ad Cic. Epp. ad Famm. II, 17, 5. — *Siciliam* sine *in* praepositione plurimi optimique libri praestant; interdum enim etiam maiorum insularum nomina sine praepositione ponuntur. cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 71, 8. not. 1. p. 318. ed. IV. Ruddiman. Institutt. Gramm. Vol. II. p. 283 sq ed. Stallb. Cic. p. l. Man. 12, 34. *Inde Sardiniam cum classe venit.* v. Bremi. ad Nep. Milt. I, 1. — *Transvectae* verbum, quod accurate non nisi ad voces *Italiam* et *in Africam* spectat, per zeugma etiam ad *Rhegium* trahi, recte vidit Faber. Assumendus igitur ad primum nomen generalis sensus *ducendi;* cf. ad c. XIV, 4. 9. XXXVIII, 9. — Copulam post *multos*, quae in Franc. et Fabric. 2. deest, Cortius omisit. Idem *capit*, quod in Inc. 1. ac duobus aliis pro vulgato *cepit* legitur, praetulit. Quam temporum mutationem ferri posse, facile largior; v. ad c. XXVI, 3. Sed tam paucorum, neque insignium codd. fide nihil mutandum.

XXIX. §. 1. *Sed ubi*] Haec spectant ad ultima praegressi capitis verba *initio acriter Numidiam ingressus est*, unde rectius novum caput inciperetur. — *Administrare bellum* Cortius non satis recte explicat *bellum ex alius voluntate gerere.* Quin potius est *belli gerendi curam habere*, bello praeesse omninoque ea, quae bello usui sunt, curare, quo fit ut et de imperatore eiusque legatis, et de militibus dicatur. cf. Herzog. ad Caes. B. G. II, 20, extr. Cic. p. l. Man. c. 2, 5. *Non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum.* ib. c. 16, 49. *Quum bellum ita magnum sit, ut ac-*

ostendere coepit, animus aeger avaritia facile con-
2 vorsus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus; qui tametsi a principio, plerisque ex factione eius corruptis, acerrume regem impugnaverat, tamen magnitudine pecuniae a
3 bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Iu-

curatissime sit administrandum. Caes. B. C. I, 25, 3. *Quo facilius ex utraque parte bellum administrare posset.* Liv. X, 24, 16. Cic. de Divin. II, 36, 76. Ceterum *administrabat* ad Calpurnium referendum est, non obstante ei sententiae indicativo; v. ad LXIII, 1. — *Asperitatem* i. e. difficultatem cum periculo coniunctam, vocabulum hoc sensu a Sallustio amatum. cf. c. XLVIII, 1. LXVII, 3. LXXV, 2. XCII, 4. Eodem modo frequenter legitur *res aspera*, *res asperae*, *negotium asperum*, ut Cat. X, 2. LII, 28. Iug. VII, 6. LXXXIX, 6. XCVIII, 1. — *Ostendere* explicatum c. XXIII, 1. — *Avaritiā* Cortius perperam refert ad *conversus est;* nam animus consulis, multis virtutibus insignis, non potest in universum *aeger* dici. Quare coniungendum est *avaritia aeger*, ut aegritudo ad certam aliquam caussam revocetur.

§. 2. *et administer*] Struv. Guelf. 4. 9. 12. *ac minister;* Franc. Inc. 1. Guelf. 10. Leid. II. *et minister;* utrumque factum lapsu scribarum. *Administer* a Wassio explicatur *praecipuus minister* vel *adiutor;* nobis ita potius a *ministro* differre videtur, ut non tam gerendorum negotiorum socium significet (cf. Cic. p. Flacc. c. 2, 5. *socii consiliorum*, *ministri comitesque vexantur.*) quam eum, qui alicui obnoxius quaecunque illi collibuerunt exsequi et parare non recusat. cf. Cic. in Verr. II, 54, 136. *Timarchides erat administer istius cupiditatum*, qui locus inde a §. 134. quasi commentarii instar est huius vocabuli. id. p. Quint. c. 25, 80. *Administri et satellites Sex. Naevii.* v. infra c. LXXIV, 1. Quamquam tenue esse istud discrimen, neque ubique observatum facile concedo. — *Assumitur* sc. a Bestia. — *Factione eius* Langius pessime refert ad Iugurtham, quum iam Cortius monuisset Scaurum intelligendum esse; neque aliter loci sensus et linguae ratio intelligere sinit. Bene Muellerus sic interpretatur: „quum iam plurimi ex eius amicis Romae pecunia Iugurthae corrupti essent." *A principio* autem non est *initio*, ita ut priori tempori serius aliquod opponatur, sed ista dictione per-

gurtha primo tantummodo belli moram redimebat, existumans sese aliquid interim Romae pretio aut gratia effecturum; postea vero quam participem negoti Scaurum accepit, in maxumam spem adductus recuperandae pacis statuit cum eis de omnibus pactionibus praesens agere. Ceterum interea fidei 4

petuitas temporis significatur, quae ab aliquo progressa initio usque ad certum finem extenditur. Hoc enim dicit Sallustius, per totum temporis spatium inde a primo gratiae quaerendae conamine usque ad susceptum in Numidia bellum Scaurum regi adversatum esse. De eius avaritia non male Florus ait III, 1, 5. *Quum Iugurtha in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnavisset.*

§. 3. et 4. *primo tantummodo*] *Primo* scripsimus ex Fabric. 1. 2. Struv. Inc. 1. Paris. z. Einsiedel. Tur. 1. Goerl. Erl. Ceteri omnes habent *primum*, ut vulgo editur, sed falso. Nam quum non variae causae aut rationes enumerentur, sed priori tempori posterius opponatur, dicendi usus *primo* postulat; cf. notata ad Cat. XXIV, 1. p. 118. Weberi Exercitat. Styli Lat. T. I. p. 30. Cat. XXIV, 3. *Mulieres primo ingentis sumptus toleraverant, post aes alienum grande conflaverant.* — De vi *redimebat* imperfecti v. ad c. XXVII, 1. — Pro *accepit* Cortius dedit *acceperat*, quod est in Commel., duobus Wassii, tribus Guelff. Fabr. 1. 2. Acad. Struv. Einsiedel. Tur. 1. et Med. 7. Reliqui constanter *perfectum* retinent, quod cum Gerlachio reponere non dubitavimus, quum praeter maiorem codd. auctoritatem etiam loquendi usu commendetur. Multo frequentius enim perfectum quam plusquamperfectum particulae *postquam* coniungitur; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 13. not. p. 426. ed. IV. coll. quae diximus ad c. XI, 2. Cat. XI, 7. XII, 1. XX, 1. XLI, 3. Quae ratio quum a nostrae linguae ingenio aliena sit, veri est similius perfectum a scribis in plusquamperfectum esse mutatum, quam contra. — *Vagam* plurimi libri tenent, eamque formam etiam alii, tum Graeci tum Latini scriptores sequuntur. v. Cellar. Not. Orb. ant. IV, 5, 16. p. 903. ed. II. In aliis codd. est *Vaca*, in aliis *Vacca*, quod Gerlachius in Commentt. p. 257. et Mannertus in Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 373. probant. Vereor ut recte. Quantum enim in nominibus propriis a scribis peccari soleat, satis notum est; quare plurimorum *scriptorum* consensus plus valet, quam paucorum

caussa mittitur a consule Sextius quaestor in oppidum Iugurthae Vagam, cuius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat, quoniam deditionis mora induciae agitābantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit,

librorum, quamquam bonorum, auctoritas. — *Palam* i. e. praesenti consilio, quo haud obscure significatur, Calpurnium clam et inscientibus ceteris suis cum Iugurthae legatis de huius impunitate pactum esse, donis corruptum. — *Deditionis mora* Cortius recte intellexit, quamquam non satis perspicue interpretatus „per moram, quam faciebat deditio;" sensus est enim: *induciae agitabantur*, *donec deditio, quae trahebatur, facta esset*. A vero igitur aberravit Muellerus, qui *mora* passivo sensu dictum censet, hac sententia: ad deditionem differendam, sive, ut deditionis mora Iugurthae fieret. Ablativo enim nullo pacto id, *quo* consilium aliquod *spectat*, enunciari potest; cf. quae de hac re uberius disputavimus in Diurnis scholl. a. 1831. Sect. II. N. 13. p. 101 sq. et v. infra ad c. XCI, 7. — *Agitabantur* i. e. habebantur, erant; cf. Cat. LXI, 9. Iug. XIV, 10. LXXXI, 4.

§. 5. *praesenti consilio*] De tali consilio ab imperatore habito v. ad c. LXII, 4. *Metellus cunctas senatorii ordinis arcessiri iubet; eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet.* cf. CIV, 1. Liv. XXXIV, 13, 4. *Consul convocari tribunos praefectosque et equites omnes et centuriones iussit*, quamquam isto loco in vocibus *et equites* mendum inesse videtur. Perperam in uno alteroque Sall. cod. legitur *concilio*; v. ad Cat. XLII, 2. Davis. ad Caes. B. C. II, 30, 1. — *Uti in deditionem acciperetur* duriuscule pendet ex verbo *locutus*, quamquam satis frequenter ex eodem verbo in eadem enunciatione duplex structura apta est, de quo usu diximus ad Cat. V, 9. Iug. I, 2. XXV, 1. v. Cort. Excurs. II. n. 4. ad Iug. p. 924. — *Sui* post *facti* Cortius sine ulla codd. auctoritate eiecit. — Pro *secreta* Fabr. 2. Vrat. 2. Vin. 2. Acad. Guelf. 3. et 2. m. sec. habent *secreto*, quod haud scio an melius sit, quum Sallustius maxime hoc dicere videatur, *clam* iis, qui in consilium advocati erant, de relicuis rebus *actum esse*. cf. Duker. ad Liv. XXXII, 35, 8. *quum aliquamdiu secreto locuti essent.* Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 31, 1. Hor. Sat. I, 9, 67. *Nescio quid secreto velle loqui te Aiebas mecum.* Adverbium etiam eo confirmari videtur, quod in Vrat. 3. est *secrete*,

ac pauca praesenti consilio locutus de invidia facti sui, atque in deditionem uti acciperetur, relicua cum Bestia et Scauro secreta transigit; dein postero die, quasi per saturam exquisitis sententiis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum erat, 6

in Guelf. 9. autem *furtim transegit secreta*; nam *furtim* glossa *secreto* adverbii male in textum irrepsit. Sed quum optimi plurimique codd. *secreta* teneant, possis hoc fortasse ita defendere, ut statuas quasi per prolepsin *secreta transacta* dici, quae Bestia clam transigendo studebat *ut secreta fierent.* — *Transigit* exstat in Nazar. B. Publ. Bas. 1. Leid. L. O. N. Bern. 1. 3. Guelf. 2. Relicui habent *transegit*, quod probabilius est a scribis pro praesenti positum esse, quam contra. cf. c. LVIII, 5. — *Dein* h. l. omnes libri, praeter Guelf. 11., servant; habet etiam Festus p. 249 ed. Lindemann.

quasi per saturam] Multi codd. sed in iis nulli optimae notae *quasi per saturam legem*, quam ineptam interpolationem editt. dudum respuerunt. Quae ad rem pertinent uberrime explicantur verbis Is. Casauboni in libro de Romanor. Satira II, 4. „„*Saturam* veteres Romani dixerunt, compendio sermonis usi, quum *saturam lancem* intelligerent. Erat mos antiquorum, quando Cereri, Baccho aut aliis diis agri annua vota solverent pro laeto frugum fructuumque proventu, ut primitias rerum collectarum in lancem congestas cuique Deo pro ratione eius cultus offerrent. In ritibus Graecorum huiusmodi sacra miscella vocantur πάγκαρπος θυσία et πολυσπερμία. Latini vero lances ita refertas *variarum rerum* copia *lances saturas*, vel simpliciter *saturas* appellarunt. *Satur* enim pro *pleno* et cui nihil deesset usurpabant. Sic *color satur* etc. A similitudine huius lancis etiam aliarum rerum mixturas appellarunt *saturas*. Festus (p. 194. et 425. ed. Gothofr. a. 1595. = p. 145. et 249. Lindem.): „*satura*, cibi genus ex variis rebus conditum.“ Postea etiam ad res ingenio factas eadem vox translata est. Unde *lex satura* h. e. miscella, uti est lex Iulia Papia Poppaea, quia et multa et diversa capita continebat. Festus l. l.: „*satura* est lex multis aliis legibus conferta.“ Capita legum Romani *leges* vocant, et ita hic Festus. Glossarium: *satura*, νόμος πολλὰ περιέχων. Hinc natum proverbium: *per saturam legem ferre*, quum raptim neque viritim dictis sententiis aliquid senatores decernebant, et, ut apud Festum loquitur Laelius, *quasi per saturam sententiis exquisitis*.““ Postrema Festi

elephanti triginta, pecus atque equi multi cum parvo argenti pondere quaestori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

corrupta esse, et Laelii verba una cum Sallustii nomine excidisse verissime iudicat Cortius. *Per saturam* igitur adverbii potestate significabat *confuse ac perturbate*, *nullo ordine*, *variis rebus inter se permixtis*. cf. Diomed. III. p. 483. Charis. II. p. 175. Lactant. I, 22, 3. Festus l. l. *Itaque in sanctione legum ascribitur: neve per saturam abrogato aut derogato. — T. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Tib. Gracchum: imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est. — Exquirere sententiam* etiam legitur c. CXII, 1. Caes. B. G. III, 3, 1. Cort.

§. 6. *pro consilio*] *Pro* Cortius et Gerlachius idem esse dicunt atque *in*, quae explicatio si vulgarem sensum spectas, ferri potest, quamquam non est ex praepositionis natura ducta. Quippe *pro aliqua re esse* id dicitur, quod ita collocatum est, ut eam rem a tergo habeat, sive ut utriusque frons eodem spectet. Quae ratio etiam tum valet, ubi aliquid in anteriore alicuius rei parte versatur, ita ut relicua eaque longe maior rei pars pone illud sit, de quo usu v. ad c. LXVII, 1. Inde profectae sunt locutiones *dicere pro rostris, pro tribunali, pro concione;* nam qui *in rostris* verba facit, in anteriore parte stat, rostra maximam partem pone habet; item qui *in concione* loquitur non in postrema parte versatur, sed *prodit*, ut omnes ipsum intueri et audire possint. Iam liberiore usu *ea* quoque, *quae fiunt* ab aliquo, qui pro rostris, vel pro concione stat, dicuntur *pro concione fieri*, loci comparatione a rebus vel personis ad *actionem* translata. Igitur nostro loco *quod pro consilio imperatum erat* proprie dicitur respectu eius, qui imperatum pronuncians primum consilii locum obtinebat; sed frequenti formulae usu factum, ut *pro* in tali nexu generalem loci notionem, *ubi* aliquid fieret, acciperet, oblitterata diversorum locorum comparatione. cf. supra c. VIII, 2. Gell. XI, 3. *Pontifices pro collegio decrevisse.* Liv. XXXVIII, 36, 4. *Supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata fuit.* IV, 26, 9. *Tribuni secedunt proque collegio pronunciant.* Gronov. ad Liv. XLV, 2, 12. et in Obss. IV, 1. p. 526. ed. Lips. Faber negans *pro* loci potestatem habere *pro consilio* interpretatur *ex consilii decreto*, quae explicatio certe non probatur, ut ille putat, Livii exemplo IV, 44, 12. *Pro collegii sententia*

XXX. Postquam res in Africa gestas, quoque modo actae forent, fama divolgavit, Romae per omnis locos et conventus de facto consulis agitari. Apud plebem gravis invidia; Patres solliciti erant;

pontifex abstinere iocis iussit. Erat post imperatum Cortius omisit; cuius facti non alia caussa est, nisi quod in Rem. I., cui postea Bern. 1. accessit, *est* legitur. — *Cum parvo argenti pondere* vera est plurimorum codd. scriptura; aliquot inferioris ordinis libri *non* tum ante tum post *cum* addunt, scribis non intelligentibus hoc ipso constitisse pacis avaritiâ factae fraudem, ut parva pecuniae summa traderetur quaestori, in aerarium conferenda, longe maximam Bestia atque Scaurus privatim acciperent. Weissius, corruptelarum patronus, *non* defendit. — *Ad magistratus rogandos*, i. e. ut praeesset comitiis magistratuum creandorum. cf. Ernesti Clav. Cic. v. *rogare*. Fest. v. *rogatio*, p. 135. et v. *rogat*, p. 138. ed. Lindemann. et Gothofr. ad h. l. p. 633. Drakenborch. ad Liv. III, 30, 6. XXXVIII, 42, 1, 2. Gell. XIII, 15. Manut. de Comitt. c. VI. Ferdin. Schulzius de Comitt. Rom. p. 147.

XXX. §. 1. 2. *res in Africa gestas* etc.] De structurae ratione v. ad Cat. V, 9. — *Que* a nonnullis codd. minus bonis abest, incuria scribarum puto. Ceterum Cortius inutili opera ostendit quid intersit inter *rem gerere* et *agere*, ne Sallustius pleonasmum admisisse videatur; nam quum voces *res gestae* unius nominis vim obtineant, nihil obstat quominus *agere* vulgari potestate ad eas referatur. Quod Gerlachius igitur Cortii sententiam repetiit, *agere* verbum ad *condicionem* rei gestae declarandam pertinere, acu rem non tetigit; condicio enim continetur verbis *quo modo*. — *Per* Cortius esse dicit *in*, quam explicationem etiam Gerlachius ad Cat. LI, 43. in Commentt. p. 135. proposuit, nisi quod addit, *per* pro *in* positum notionem vocis *omnis* in se continere. Id falsum esse omnia exempla docent et monuimus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 67. Ita autem differt *per* ab *in* praepositione, ut haec locum in universum significet, illa aliquid compluribus locis fieri ostendat. cf. Herzog. ad Catil. XXIV, 2. Plurima ex Tacito collegit Boettieherus in Lex. Tac. h. v. §. 3. p. 349. — *Solliciti erant* Cortius, iudicio turpiter lapsus, contra omnium codd. fidem, qui ne minimum quidem variant, expunxit; quippe eandem in his verbis sententiam atque in sequentibus inesse sibi persuasit, non animadvertens *plebis invidiae* opponi *patrum sollici-*

probarentne tantum flagitium, an decretum consulis
2 subvorterent, parum constabat. Ac maxume eos
potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae fe-
3 rebatur, a vero bonoque impediebat. At C. Mem-

tudinem, quae sequuntur autem eo consilio addita esse, ut quomodo se exseruerit ista sollicitudo intelligeretur, omissa particula caussali, de quo v. ad V, 5. et XXVIII, 5., eamque sententiarum rationem recte perspexit Langius. *Constabat* autem non indefinite capiendum est, ut plerumque in hoc vocabulo fit, sed ad *patres* referendum (cf. Cat. LIII, 4. Caes. B. G. III, 14, 3.); simplicius est igitur supplere *iis*, quam *eorum animis*, ut editorr. Bipp., Muellero et Langio placuit. Cortii ineptias solus Kunhardtus repetiit. Alio modo erravit Iaumannus, interrogationem obliquam, ex *constabat* pendentem, censens ex verbis *solliciti erant* aptam esse. Quod ut intelligeretur, maiore interpunctione post *erant* in comma mutata, semicolon post *subverterent* posuit; profecto pingui Minerva! — *Que* copulam post *bono* Cortius eiecit, fide Acad., temeritati praesidium quaerens ex Inc. 2. qui habet *et bono*. Sed vulgatam tuentur codd. probatissimi omnes una cum Arus. Messo v. *impedio* in Gramm. Lat. Vol. I. p. 241. ed. Lindemann. Dictionem *impedire aliquem ab aliqua re* Faber illustravit coll. C c. de Rep. V, 3. p. Mur. c. 18, 39. p. Balbo c. 20, 47.

§. 3. *ingeni*] Ita h. l. cod. Eccard., ut paullo post §. 4. *Memmi*. — Verba *cuius de — odio potentiae nobilitatis*, quamquam propter cumulatos genitivos impedita videri possint, tamen nihil habent obscuritatis, quum is genitivus, qui proxime cum diverso casu cohaeret, iuxta istum casum collocari soleat, altero genitivo vel praecedente, vel subsequente, vel vocibus nonnullis seiuncto. cf. Cic. Epp. ad Famm. II, 13, 5. *Genus institutorum et rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione provinciae.* ib. V, 17, 4. *Invidia annonae inimici tui.* X, 24, 5. *quanta sit aviditas hominum talis victoriae scio.* de Finn. III, 15, 51, extr. *Non alienum est rationem huius verbi faciendi Zenonis exponere*, ubi v. Goerenz. cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 30, 2. Aug. Matthias ad Cic. in Catil. I, 5. 12. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 8, 28. p. 58. v. etiam infra ad c. LXV, 3. — *Concionibus* nude positum non tulere multi scribae; unde Guelf. 10. habet *in conc.*; Rem. I. Franc. Fabr. 2 *conc. habitis*; Guelf. 9. conc.

mius, cuius de libertate ingeni et odio potentiae nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras senati concionibus populum ad vindicandum hortari, monere ne rempublicam, ne libertatem suam dese-

factis; Guelf. 7. *advocatis conc.* relicui ablativum solum praestant, propria vi ita positum, ut quomodo et temporis et loci significatio eo contineri possit, facillime perspiciatur. In promptu est enim caussalem sive instrumenti potestatem (cf. ad XVI, 3.) hic obtinere; sed quod *per conciones* fit, fit etiam *in concionibus*, et *loci* et *temporis* ratione habita, ut interdum difficile dictu sit, utra ex his notionibus praevaleat. cf. infra LXXIII, 5. *Metellum omnibus concionibus capitis arcessere.* Cic. Epp. ad Famm. VII, 1, 14. *Ludis scenicis dirupi paene me iudicio Galli Caninii.* plurima contulit Drakenborch. ad Liv. II, 36, 1. *Ludis mane servum quidam paterfamiliae medio egerat circo.* Eodem modo dictum *comitiis*, cf. Gronov. ad Liv. XXXI, 7, 1. Ita etiam *adventu* i. e. quum quis advenisset, de quo usu v. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 23, 81. et Aug. Matthiam ad or. p. l. Man. c. 8, 20. *Dico eius adventu maximas Mithridatis copias instructas fuisse.* Tac. Ann. I, 53, 4. *Quorum adventu breve tempus petivit.* Neque alius generis est quod Iug LXIV, 4. legitur: *Metelli filius contubernio patris militabat.* Verba *monere ne rempublicam* etc. varie turbantur in libris. In Vrat. enim 1. 2. 3. Sen. 1. Vin. 2. Rem. 1. Bas. 1. Inc. 2. Leid. I. K. L. Bodl. Mark. Γ. Misn. pro omissis verbis *ne rempubl.* legitur *populum Romanum;* utrumque (*pop. Rom. ne remp.*) habetur in Fabr. 1. Franc. Struv. Sen. 2. Heuss. Acad. Rem. 2. Guelf. 2. 9. 10. Leid. A. B. C. D. E. H. Erl. Goerl. Ad hoc *monere* deest in Eccard.; duo Cortii et Bas. 4. prius *ne* omittunt; tres Cort. et Erl. habent *neque libert.*, unus *neu libert.* Relicui in recepta scriptura consentiunt, quam tantae varietates non infringunt. Nam, quod maxime offendit, *populum Romanum*, inde ortum est, quod *rempublicam* compendio *R. P.* scriptum fuit; ex quo in proclivi fuit librariis *P. R.* facere, quod vel solum, vel simul cum vera scriptura amplexi sunt. Eodem plane modo Iug. XXXI, 25. in tribus Cortii codd. pro *respublica venalis fuit* legitur *populus Rom. ven. fuit.* Similes turbas etiam vidimus Cat. XXXI, 7; longe plurima exempla collegit Drakenborch. ad Liv. II, 48, 9. IX, 29, 8. X, 29, 5. XXVI, 37, 12. ceterae h. l. discrepantiae in censum non veniunt. Quare operae pretium non est Cortii somnia redarguere,

rerent, multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere; prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. 4 Sed quoniam ea tempestate Romae Memmi facundia clara pollensque fuit, decere existumavi unam ex tam multis orationem eius perscribere, ac potissumum ea dicam, quae in con-

qui Sallustium ita scripsisse coniecit: *concionibus populum ad vindicandum hortari, rempublicam, libertatem ne desererent.* Recte sensit Gerlachius quae ille deleri velit, *monere* verbum, particulae prohibitivae anaphoram, *suam* pronomen, ea singula pro Sallustii consiliis magnam vim habere ad acrem Memmii animum, qui plebem ad odium nobilitatis stimularet, declarandum.

et crudelia] *Et* Cortius omisit fide trium codd. Guelff., Eccard. Fabr. 1. 2. et Rem. 1.; sed praeter relicuorum consensum maxime obstat loquendi usus. Qua lege duo adiectiva substantivo postposita copula carere possint, diximus ad c. XXVIII, 4. Alia ratio est si adiectiva nomen praecedunt. Ubi enim ita comparata sunt, ut neutrum arctiore quodam nexu cum substantivo cohaereat, copula abesse nequit; recte vero omittitur si alterum cum nomine in unam quasi notionem coalescit, ut prius tantummodo veri praedicati potestatem habeat, quo substantivum cum altero adiectivo simul definiatur. cf. Bauerum ad Sanct. Minerv. II, 8. p. 240 sqq. Wilh. Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat. Vol. I. p. 27. not. 63. Bremi. ad Nep. Datam. c. III, 2. *Ipse agresti duplici amiculo circumdatus.* Noster Iug. XXXVIII, 6. *Cohors una Ligurum cum paucis gregariis militibus transiere ad regem.* Plurima ex Livio contulit Drakenborchius ad I, 14, 7. ex quibus nonnulla huc transcribere liceat, ut I, 31, 8. *Quum ibi quaedam occulta sollennia sacrificia Iovi Elicio facta invenisset.* I, 57, 11. *Et tum quidem ab nocturno iuvenili ludo in castra redeunt.* XLII, 50, 6. *Cervicibus eorum praepotentem finitimum regem imposuisse.* XXXVIII, 52, 1. *Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni illuxit.* Adde Catull. I, 1. *Quoi dono lepidum novum libellum?* Cic. de Legg. I, 9, 26. *Natura rerum plurimarum obscuras necessarias intelligentias enodavit,* quod Goerenzius perperam explicat *obsc. intell. quae necessariae sunt*, quum potius contra sit *necess. intell. quae obscurae sunt.* Neque omnino usus rationem intellexit V. D., qui

cione post reditum Bestiae huiuscemodi verbis disseruit.

XXXI. Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet, opes factionis, vostra patientia, ius nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi quam honoris est.

ista adiectiva a se invicem velut ex appositione pendere dicat, et aliena, quae ad id genus pertinent, de quo egimus ad Catil. XI, 2., admiscuerit. Nostro autem loco alterum adiectivum non tale est, ut cum substantivi notione in unum coeat, et singulare aliquod facinorum genus definiat, sed utroque adiectivo *diversa* facinorum genera designantur. Quare copula necessaria est. — *Prorsus* eodem modo legimus c. XXIII, 1. LXVI, 1. LXXVI, 4. — *Accendebat* imperfectum qua ratione subiectum sit infinitivis historicis ostendimus ad Cat. c. LX, 4. p. 321.

§. 4. *Romae*] Hanc vocem, quae non exstat in Rem. 1. Leid. B. Ven. 4. et in Pembroch. a m. pr., Cortius omisit, brevibus defunctus „inculcant passim eam vocem." De *C. Memmii* facundia v. Cic. Brut. c. 36, 136. *C. et L. Memmii fuerunt oratores medicores, accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocarunt, pro reis non saepe dixerunt.* id. de Orat. II, 59, 240. et II, 70, 283. Plura vide in Fr. Ellendtii succincta eloquentiae Romanae historia, *Bruti* editioni praemissa, p. LX sqq. — *Unam ex tam multis orationem* dictum est ut supra c. XIX, 7. *Pleraque ex Punicis oppida.* Ceterum *eius* non habetur in Cortii editione; quippe deest in Guelf. 9. et 10. — *Ea dicam quae* probatissimi tenent codd.; in multis tamen legitur *eam dicam*, *quam*, quia scribae haec ad orationem referebant, non curantes absurde dici *orationem disserere.* Ulterius processit Cortius, qui *ea dicam* prorsus delevit, ineptis i. e. nullis rationibus usus, ut merito Gerlachio assentiaris, qui quomodo ille refellendus sit se vix reperire fatetur.

XXXI. §. 1. *me dehortantur a vobis*] *Me* Cortius omisit, non aliam ob caussam, nisi quod in Bas. 1. Struv. et Rem. 1. post *dehortantur* est, et in Guelf. 4. inter versus comparet. Sed praeter codd. fidem sententia ipsa pronomen sustentat; eo enim omisso non perit quidem loci *elegantia*, ut Gerlachius veretur, sed sententia generalis fit, a Memmii mente aliena, qui de se loquitur, non in

2 Nam illa quidem piget dicere, his annis XX quam
ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede
3 quamque inulti perierint vostri defensores, ut vobis

universum de aliis. Ad hoc vix dubium est, quin Sallustius hoc orationis exordium ex Catone desumpserit, cuius ex oratione de Lusitanis hoc exstat fragmentum apud Gell. XIII, 24. (Vett. Histor. Fragm. X, 305. p. 409. ed. Frotscher.) *Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus.* — *A vobis* Cortius mirifice refert ad *multa*, interpretatus *multa vestra*, i. e. *multa a vel ex parte vestra*, quam rationem nuperrime etiam probavit Handius de Particc. Latt. Vol. I, p. 36. Sed obstat verborum collocatio, quae sponte ad coniungenda verba *dehort. a vob.* ducit; repugnat etiam, quod, quae Memmius affert, una *patientia* excepta, non sunt *ex* vel *a parte populi*, sed potius adversariorum, ut factiones, iuris dissolutio, innocentium pericula. Quare ad veram Sallustii mentem redeamus, quae haec est: multa me hortantur, ne rerum vestrarum curam suscipiam.

§. 2. *Nam illa*] Quae adiiciuntur per *nam* particulam non spectant ad ea quae in antecedentibus vere dicta sunt, sed ad omissam sententiam huius fere modi: haec iam satis gravia sunt, et sufficiant ad id quod dixi confirmandum. *Nam superiora repetere piget.* cf. ad c. XIX, 2. — *His* i. e. qui proxime elapsi sunt; v. ad c. XI, 6. Liv. XXV, 31, 4. Ruhnken. ad Ter. Eun. 1, 2, 71. Grysar Praeceptt. styli Lat. p. 65. — Numerus annorum XV, quem codd. praebent, valde suspectus est. Memmium enim Gracchorum maxime caedem spectare quum per se probabile est, tum aperte significatur verbis proximis et §. 7. Quum autem a Tib. Graccho occiso vigesimus secundus annus esset, a Caio decimus, non intelligitur, cur Memmius inde a quindecim demum annis populum a paucis potentibus vexatum esse dicat. Rotundiorem enim esse istum numerum, quod Cortius vult, nemo facile credet. Quare quum etiam in Guelf. 1. 7. et Acad. legatur *his annis XII*, in Fabr. 1. autem *his a. X*, numerus omnino corruptus videtur, quem XX fuisse satis probabiliter coniecit Cortius. Harum rationum vim assecutus Gerlachius in Commentt. p. 260. nihilominus in ed. novissima *quindecim* scripsit. — *Paucorum* explic. ad Cat. XX, 7. — *Foede* adverbio respondet adiectivum *inulti*, re ipsa istam diversitatem flagitante; nam quum ultio ad *personas* spectet, rei naturae plane convenit subiectum potius quam praedicatum definiri, idque loquendi usus satis comprobat. cf.

animus ab ignavia atque socordia corruptus sit, qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori esse.

ad h. c. §. 10. et Cat. LVIII, 21. ubi Cortius comparavit Hor. Sat. II, 8, 34. Iustin. XX, 3, 5. Curt. IV, 4, 13. Flor. III, 3, 18. De adiectivi et adverbii in tali nexu discrimine conferri etiam possunt, quae observavit Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 13, 44. Facile autem patet, ut satis commode dictum est *inulti*, ita non dici potuisse *foedi*. Nam *foeditatis* notio non in *subiecto* conspicua est cum verbo coniuncto, sed nonnisi in *actionis modo* cernitur. Nam qui *perierunt inulti*, iidem et *inulti sunt*; sed qui *foede perierunt*, propterea non *sunt foedi*. — *Vostri defensores* intelligendi Tib. et C. Gracchi. Quare perspicitur *multi*, quod in aliquot codd. pro *inulti* exstat, non esse *memorabilem* lectionem, ut Faber censet, sed calami lapsum, saepissime in codd. obvium; cf. ad c. LXVII, 2.

§. 3. *ab ignavia*] Praepositionem Handius in libro de Particc. Latt. Vol. I. p. 26. recte vidit eo consilio positam esse, ut corrupti animi *caussa* et *origo* magis significetur; cf. Heusing. ad Cic. Off. I, 2, 12. Bremi. ad Nep. de Regg. c. III, 3. *Periit a morbo*. Forbiger. ad Lucret. III, 833. Hor. Sat. I, 4, 26. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 150. p. 285. d. — Pro *obnoxiis* longe plurimi codd. habent *obnoxii*, quod Ald. Manutius perperam defendit; nam quomodo is qui obnoxius est, hoc singularem *exsurgendi* caussam habere potest? Contra altero obnoxio facile est alteri se extollere. Quare unice verum est *obnoxiis*, quod in aliquot Rivii, Manutii et Cortii codd. ac praeterea in Naz. Pembr. Reg. Arond. Mark. *A*. Teg. Misn. Bas. 1. Paris. b. c. x. z. et nonnullis Oxonn. exstat. Neque tamen cum Cortio, Langio et Gerlachio explicuerim: quum inimici vestri *delicti conscientia* vobis subiecti sint. Sensus potius est: quum maleficii tam manifesti teneantur, *ut iam se submittere debeant*. De vocabulo *obnoxius* v. ad Cat. XLVIII, 5. Liv. XXIII, 12, 9. *Si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar*. v. Drakenborch. ad VII, 30, 2. — Pro *exsurgitis* Vin. 2. Vratisl. 2. Reg. et Bodl. habent *insurgitis*, quod Wassius tanquam ἐμφατικώτερον multis defendit; sed Cortius vulgatam bene tuetur coll. Cic. Epp. ad Famm. XII, 10, 9. *auctoritate vestra respublica exsurget et in aliquo statu tolerabili consistet*. Tacit. Historr. II, 76, a med. *ne contra Caii quidem, aut Claudii vel Neronis domum exsurgimus*. — *Etiam nunc*, i. e. *nunc adeo*, illustratum ad Catil. II, 1. cf. Cic. p.

4 Sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire
5 factionis potentiae animus subigit. Certe ego liber-
tatem, quae mihi a parente meo tradita est, expe-
riar; verum id frustra an ob rem faciam, in vostra

Sext. c. 38, 81. *An etiam tunc quiesceretis, quum rempublicam oppressam atque occupatam videretis? — Eos* post *timetis* Cortius tanquam Sallustio indignum ne uno quidem libro assentiente expulit, orationis gravitatem haud paullo pronomine augeri non sentiens. — *Quis* pro vulgato *quibus* unus Senat. 1. a m. pr. tenet, quod sufficit ad istam formam tuendam; v. ad c. VII, 6. — Ante *decet* in multis libris *vos* insertum est; sed probati omnes non agnoscunt, neque talis vis huic loco convenit.

§. 5. *Certe ego* etc.] Haec quomodo cum antecedentibus cohaereant, Cortius et Muellerus non satis videtur assecuti esse. Ille enim *ego* tanquam supervacaneum delendum censet, ratus oppositionem verbis *obviam ire* et *libertatem experiri* contineri; hic explicat „quod si *mihi* secus processerit, tamen libertatem meam, ut decet virum bonum, tentavero." Sed *certe* restringit totam superiorem sententiam (cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 23. §. 11.), leniore consilio cum asseveratione substituto; nam *libertatem experiri* minus grave et invidiosum quam *factioni obviam ire.* Hoc ipsum autem ita effert Memmius, ut suam agendi rationem populi studio opponat. Quare *ego* refertur ad verba *in vestra manu.* Ceterum *experiri* est *libere uti*, aut accuratius *liberi usus periculum facere;* sic Livius XXXIX, 26, 8. *Itaque Thessalos servorum modo praeter spem repente manumissorum licentiam vocis et linguae experiri.* Plin. Paneg. c. LXVII. *Scietque nos, quoties libertatem, quam dedit, experiemur, sibi parere*, quae exempla Cortius attulit. Idem *meo* nullius cod. praesidio omisit, mirifice putans sine eo *significantiorem* fieri orationem, quod plane contra est. — Quod Memmius autem dicit *a parente meo*, neque *a maioribus*, ut Grutero iudice alius scripsisset, pietatis maiorem quendam affectum prodere videtur. Quare verbis quidem similis, re ipsa dissimilimus est locus Ciceronis, ab intprr. collatus, p. Quinct. c. 3, 11. *Quum Naevio natura nihil melius quam vocem dedisset, pater nihil praeter libertatem reliquisset, vocem in quaestum contulit, libertate usus est, quo impunius dicax esset.* Ciceronis enim verba summum contemptum habere quis non videt? — *Frustra* i. e. ita ut me studii poeniteat, ut *spes* et exspectatio mea me fallat ac frustretur; c. LXXXIV, 3. *Sed ea res frustra sperata.*

manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, 6 quod saepe maiores vostri fecere, uti contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est; necesse est suomet ipsi more praecipites eant.

XCIII, 1. *Inceptum frustra erat.* *Nequicquam* contra est *irrito aut nullo eventu;* hoc respectu *rei*, illud *personae* de studii eventu *iudicantis* dicitur. cf. Ludov. Doederlin. Synonymm. Latt. Vol. III. p. 100. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 745 sqq. Herzog. ad Sall. Cat. XX, 2. p. 95. ubi versu 19 et 20. vocabula *obiectiv* et *subiectiv* lapsu auctoris commutata videntur; aliter enim Herzogii sententia non constat. — *Ob rem* tetigimus ad Cat. c. XX, 1. cf. Ter. Phorm. III, 2, 40. — De dictione *in manu esse* v. ad c. XIV, 4. Cat. XX, 10. — *Est* Cortius fide unius Fabr. 2. delevit.

§. 6. et 7. *vos hortor*] Inconsulto Cortius pronomen eiecit, non pluribus quam duobis codd. permotus. Pro *vostri* multi codd. habent *nostri*, quod Cortio perperam placet; nam omnis Memmii oratio, quo certiorem assensum ferat, ad solas plebis rationes spectat. Et ita semper solent, qui audientes sibi conciliare student. cf. §. 7. et 17. c. LXXXV, 36. Fragm. Histor. III, 22, 15. Cat. XXXIII, 2. — *Nihil* explic. ad Cat. XVI, 5. — *Est* post *opus* codd. habent, non item Cortius. — De *met* syllaba pronominibus possessivis addita, diximus ad Cat. XXIII, 2. Plura contulit Gahblerus in Iahnii Ann. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. 4. (Vol. X. Fasc. 4.) p. 389. — Dictionem *praeceps ire* illustravimus ad Cat. XXXVII, 4. p. 172. H. l. significat de gradu potentiae deiici. — *Quem regnum parare aiebant*, ut Laelius iudicat apud Ciceronem de Amicit. c. 12, 40. *Tiberius Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses.* Accuratissime veterum ac recentiorum iudicia de Gracchorum πολιτεύμασι comparavit Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 12, 43. p. 84 sqq. Quid Sallustius ipse senserit, declaravit c. XLII, 1. — *Quaestiones* sunt iudicia in re capitali; cf. §. 13. 18. c. XL, 1. 4. 5. Eandem rem tradit Vell. II, 7, 3. *Crudeles mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt.* Nostro loco in multis codd. *graves* additum est; quod quamquam per se ferri potest, tamen eo valde suspectum fit, quod ab optimis codd. omnibus abest, in ceteris autem vel ante *quaestiones*, vel post eam vocem legitur, ut dubitari nequeat, quin ex margine in textum irrepserit. Non satis circumspecte igitur Faber *graves* defendit, quia sine isto vocabulo *quaestiones* lenius dictum sit, praesertim quum

7 Occiso Tiberio Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt; post C. Gracchi et M. Fulvi caedem item vostri ordinis multi mortales in carcere necati sunt. Utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem
8 fecit. Sed sane fuerit regni paratio plebi sua re-

sequentia *item — necati sunt* eandem sententiam habeant. Sed *item* h. l. non repetitionem praedicati, sed obiecti significat; nam *vostri ordinis* idem est atque paullo ante *pleb. Rom.* — De *C. Graccho* et *M. Fulvio* v. locos ad c. XVI, 2. ascriptos. — *Item vostri ordinis multi mortales* in omnibus fere Cortii et Gerlachii codd., etiam in Misn. et Goerlit. recte legitur; Gruterus haud dubie lapsu suo aut typothetae edidit *vestri item o. m. m.*, qui ordo verborum etiam in Havercampi edit. transiit. Cortius vero Fabr. 1. 2. et Guelf. 3. secutus *item multi v. o.* exhibuit omisso *mortales* nomine, quae ratio nulla ex parte commendatur. Pro *vostri* Vat. A. habet *nostri*, quod Gerlachius parum acute propterea reiicit, quod Memmius, quum ipse libertatis studiosissimus plebem inertiae accuset, *suam ab illorum caussa segregasse putandus sit.* Sed potius eo solos plebeios oratione comprehendit, ut eorum indignationem et iram acrius excitet; v. §. 6. Rem tradit etiam Appian. de B. C. I. p. 366. C. ed. H. Steph. *Καὶ τοὺς συμφρονήσαντας ὁ Ὀπίμιος συλλαβὼν ἐς τὴν φυλακὴν ἐνέβαλέ τε καὶ ἀποπνυγῆναι προσέταξε.*

§. 8. *sua restituere*] Aliquot codd. habent *sua iura rest.*, ex aperta interpolatione. — *Nequitur* est in duobus Rivii, pluribus Wassiii, Beroald., Leid. L. Sen. 1. Bas. 1. Guelf. 2. 3. 4. m. pr. Vin. 1. Sen. 2. Heuss. Guelf. 1. Rem. 2. Misn. Relicui *nequit* habent. De passiva verbi *nequeo* forma v. Festus p. 106. et 177. ed. Lindemann. (= p. 127. et 333. ed. Gothofr. a. 1595.) qui haec laudat Pacuvii: *Sed quum contendi nequitum, ut olam tendenda est plaga;* et Plauti ex Satyrione: *Retrahi nequitum, quoquo progressa est semel;* et Catonis ex Origg. I. (Vett. Historr. Fragmm. X, 11. p. 375. ed. Frotscher.) *Quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari.* Lucret. 1, 1045. *Dum veniant aliae ac suppleri summa queatur.* Plaut. Rud. IV, 4, 20. *Ut nequitur comprimi.* Id. Persa II, 2, 12. *Nec subigi queantur unquam.* Ter. Hecyr. IV, 1, 57. *Forma in tenebris nosci non quita est.* cf. Vechneri Hellenol. 1, 1. c. 8. p.

stituere; quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit. Superioribus annis taciti indi- 9
gnabamini aerarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere, penes eosdem et summam gloriam et maxumas divitias esse; tamen haec talia facinora impune suscepisse parum habuere,

103. ed. Heusing. Veteres in hoc verbo analogiam passivorum *potestur* et *coeptum est* secutos esse, eamque nonnisi cum passivi infinitivo coniunctam usurpasse VV. DD. iam monuerunt; quare patet *ulcisci* h. l. contra vulgarem usum passivum sensum habere, cuius in hoc verbo rara exempla sunt. Nam quod Gerlachius e Schelleri Lexico affert Ennium apud Non. IV, 155. dixisse *Nisi patrem ulciscerem*, non satis certum videtur, quum in Gothofredi editione a. 1595., qua utor, *ulciscerer* expressum sit. Tamen passivum habetur apud Liv. V, 49, 3. *Dictator recuperare patriam iubet in conspectu habentes omnia, quae defendi repetique et ulcisci fas sit.* II, 17, 7. *Ob iras graviter ultas*, et apud Flacc. Argon. IV, 750. *Lege occidit ultus ipse sua.* cf. Vechner. Hellenol. p. 109. et Ger. Io. Voss. de Analog. III, 6. p. 34. ed. II. Uterque tamen erravit, quod ad passivam verbi potestatem demonstrandam formam partic. fut. passivi advocarunt, quae in omnibus deponentibus passivum sensum habet.

§. 9. *paucis nobilibus*] Eadem fere queritur Catilina in oratione ad populares coniurationis c. XX, 7. qui locus eo quoque notandus, quod Cortius ibi vocabulum *potentium* pariter ut nostro *nobilibus* suspectum habuit, rectae rationis parum capax. — *Talia* praegnanti sensu est turpitudine insignia, *detestabilia*; v. ad c. X. 8. — *Parum* satis notum est significare *non satis, minus quam par est*, v. Herzog. ad Caes. B. G. III, 18. p. 183. et ad Sall. Cat. XXII, 4. Sensum igitur Cortius recte sic declaravit: non suffecit illis; non substiterunt in iis, sed maiora ausi sunt. Quominus tamen *parum* pro adverbio habeatur, quam sententiam et Zumptius sequitur in Grammat. Lat. §. 73, 4. et Herzogius ad Catil. l. l. et ad Quinctil. X, 1, 130. not. 60. p. 138. acriter tuetur, tum huius aliorumque locorum ratio, tum ipsa vocis origo obstare videtur. Certum est enim *parum* nihil aliud esse, quam neutrum adiectivi *parvus*, quam breviorem formam loquendi usus iam mature significatione distinxit a pleniore

itaque postremo leges, maiestas vostra, divina et
10 humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos,

parvum; v. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. I. p. 145. Quare non deposita primaria vi ita usurpatur, ut substantivi vices primo ac quarto casu positi impleat, quod recte sensit Frotscherus ad Quinctil. X, 1, 130. p. 256. cf. infra §. 22. *Illis parum est impune male fecisse.* Liv. IV, 2, 7. *Parum id videri, quod omnia divina humanaque turbentur.* Cic. de Off. I, 25, 89. *Nunquam iratus mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum,* quo loco aut *nimium* pro adverbio habendum est, quod est absurdum, aut concedendum *parum* accusativi vim habere. Quodsi id ex praepositione pendere potest, nihil video cur non etiam ex verbo aptum esse queat, *obiectique* potestatem habeat, praesertim quum ea ratio analogia dictionis *satis habeo* sustentetur. cf. Iug. LXXXV, 31. *Non sunt composita mea verba; parum id facio,* ubi v. notata. Vell. II, 76, extr. *Parum habebat summa accepisse.* Seneca de Beneff. II, 12. *Parum iudicavit si senator senex supplex sibi eo more iacuisset, quo victi hostes hostibus iacuere.* Quinctil. Declam. XIV, 5. *Parum se lenociniis, parum putant agere mendaciis.* Liv. VIII, 32, 16. *Quum parum precibus, parum caussa proficerent,* quae loca sententiam nostram probantia pleraque attulit Cortius. Iam, opinor, per se patet adverbii potestatem, quam huius vocabuli propriam esse dicunt, *vi accusativi* constare, qui casus quomodo in adverbium transeat satis dictum putamus ad c. V, 4. coll. I, 5. cf. c. XI, 5. *Micipsam parum animo valuisse.* LXVII, 3. *Id misericordiane hospitis an pactione ita evenerit, parum comperimus.* LXXIX, 5. *Id socordiane an casu acciderit, parum cognovi.* Fragmm. Historr. III, 22, 1. Gerl. *Si, Quirites, parum existumaretis, quod inter ius a maioribus relictum vobis et hoc — servitium interesset.* Quintil. XI, 3, 180. *Parum conveniens personae risus.* — *Divina et humana omnia* paullo aliam habere rationem atque verba §. 12. *honesta atque inhonesta, omnia,* iam diximus ad c. V, 2. coll. Cat. XXX, 4. p. 139.

§. 10. *qui ea fecere*] *Ea* Cortius delevit, scilicet quia non est sani coloris in Fabr. 1. Sed sententiae gravitas et recta ratio postulat obiectum tantae invidiae diserte addi. V. infra §. 26. et ad Catil. VIII, 4. p. 45. Gerlachius tamen, quum pronomen in Med. 2. manu secunda additum, in Ven. 3. omissum videret, Cortio assentitur in Comment. p. 262, sed eundem rursus deserit in ed. min. —

qui ea fecere, pudet aut poenitet, sed incedunt per ora vostra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars

Incedunt Cortius praeeunte Wassio recte monuit habere *fastus* et *impudentiae* significationem. cf. Ernesti ad Tacit. Annall. XIV, 53, 4. Sall. Fragmm. Historr. I, 15, 24. *Quare igitur tanto agmine atque animis incedit?* Lucret. III, 75. *Macerat invidia ante oculos illum esse potentem, Illum aspectari claroque incedere honore.* v. Serv. ad Virg. Aen. I, 50. cuius auctoritate simul sustentatur *magnifici*, quod etiam vetustiores Gruteri libri, Ciacconii et Ursini cod., tum Eccard. Guelf. 3. Vin. 2. Acad. Sen. 2. Heuss. Bas. I. Leid. A. B. E. F. G. I. L. M. Bern. 1. Berol. 2. Misn. et Goerlit. m. sec. tuentur. Relicui *magnifice* habent, quod Cortius et Muellerus male praetulerunt. Nam qui reputaverit Memmium *personas* nobilium in invidiam vocare studere, quanto adiectivum gravius et significantius sit adverbio facile sentiet; v. ad §. 2. — *Per ora* i. e in conspectu, quo sensu Sallustius in Historiis alicubi dixit (Fragmm. Incc. 79. Gerl.) *in ore gentibus agens;* et Fr. Inc. 17, 4. *in ore vostro — egi.* Nostri loci plane similia exempla laudavit Cortius haec: Hor. Sat. II, 1, 65. *Nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis.* Iustin. XVI, 5, 5. *Victor captivos senatores per ora civium trahit.* Id. XXXVI, 1, 5. *Traductus per ora civitatum.* cf. Liv. II, 38, 3. Tac. Historr. III, 77, med. Senec. de Beneff. VII, 19. Ad ea quae sequuntur respexit Tacitus in Historr. I, 2, med. *Nec minus praemia delatorum invisa, quam seclera, quum alii, sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, agerent, verterent cuncta odio et terrore.* — *Ea*, quod deest in Guelf. 1. 9. 12. Cortius omisit. — Pro *perinde* Guelf. 1. 3. Inc. 2. Struv. Sen. 2. et Heus. habent *proinde*, quod sane admitti posse patebit ex notatis ad c. IV, 8. Sed bonorum librorum auctoritas non temere spernenda est. — Vim *non* particulae ante *praedae* vocem satis illustravimus ad Cat. LII, 15. Sensus est enim: nobiles illos haudquaquam pudere potentiae, pessimis artibus et quasi latrociniis partae, sed ita se gerere, quasi virtuti suae debitis honoribus perfruantur. Quare Cortii explicatio, qui sententiarum talem nexum putat, ut *non* valeat *ac non potius*, non in vulgatam scripturam cadit, sed in lectionem cod. Eccard. *et non praedae*, quae a Memmii mente aliena est. Non enim corrigitur prior sententia, sed ei simpliciter contraria opponitur. cf. h. c. §. 16. *Beneficia vostra penes optumos, non audacissumos forent;* infra c. LXIII, 3. *Marius stipendiis faciundis, non Graeca facundia sese exercuit.* LXXXV, 40. CII, 4.

triumphos suos ostentantes, perinde quasi ea honori,
11 non praedae habeant. Servi aere parati imperia iniusta dominorum non perferunt; vos, Quirites, im-
12 perio nati, aequo animo servitutem toleratis? At qui sunt hi, qui rempublicam occupavere? Homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia,

§. 11. *Servi aere parati* etc.] Haec desumpta ex Catonis oratione in Q. Minutium Thermum de falsis pugnis, apud Gell. X, 3. (Vett. Historr. Fragmm. X, 266. p. 404. ed. Frotscher.) *Servi iniurias nimis aegre ferunt; quid illos bono genere gnatos, magna virtute praeditos opinamini animi habuisse atque habituros, dum vivent?* — Pro *imperio nati* permulti bonique libri, in quibus etiam Vat. A., vitiose habent *in imperio nati;* quam scripturam Gerlachius quum in Commentt. p. 262. merito *pessimam* et *corruptam* dixisset, tamen, ut est vir levissimi iudicii, in ed. novissima expressit, parum scilicet curans, quod neque sententia neque structura ullo modo potest probari. Sensus necessario requiritur hic: vos, qui *ad imperandum* nati estis, qui *imperare debetis*, non domini, sed servi esse vultis? *Natum esse alicui rei* Faber his exemplis illustravit: Cic. de Provinc. cons. c. 5, 10. *Nationibus natis servituti.* Tacit. Agricol. c. 31. *Nata servituti mancipia.* Vell. II, 118. *Natum mendacio genus.* Interrogandi signum primi huic loco apposuimus, sententiae ratione id flagitante. Mirifice enim languent verba sine interrogatione elata; contra acris cohortatio inest, si Memmius haec interrogando protulit; itaque solent sine ulla interrogandi particula qui aliquid indignantur, id improbant et non amplius faciendum censent. De hoc interrogationum genere bene exposuit Aug. Grotefendius in Gramm. Lat. schol. p. 274. §. 342. cf. h. c. §. 17. *Maiores vostri bis per secessionem armati Aventinum occupavere; vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini?* ubi v. not. Cat. c. LII, 25. *Vos cunctamini etiam nunc, quid intra moenia deprehensis hostibus faciatis?* Sed quin interrogatio h. l. recte habeat vix dubitare sinit Catoniani loci ratio.

§ 12. *sceleratissumi*] Superlativi formam in *umus* exeuntem, quam Gerlachius in Praef. Vol. I. p. XII. in nullo cod. servatam esse dixerat, h. l. praebet Vat. A. — *Immanis* male habet Gerlachium, qui „unde haec vox, inquit, derivanda sit, incertum; alii

nocentissumi idemque superbissumi, quis fides, decus,
pietas, postremo honesta atque inhonesta, omnia quae-
stui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii 13
quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse
pro munimento habent. Ita quam quisque pessume 14
fecit, tam maxume tutus est; metum a scelere suo

ab ἐμμανής, alii ab *manus* seu *manis* i. e. *bonus* deducunt; sed neutrum satis probabile. Nihil verius isto iudicio V. D.; sed qui verum cognoscere cupit, is adeat Ludov. Doederlinum, qui in Synonymm. Latt. Vol. I. p. 45. et Vol. III. p. 222. *immanis* docuit a *magnus* descendere, *g* littera eiecta, ut in *examen* et *iumentum*, *in* voce autem sensum simplicis vocabuli augente, ut in *impotens*, *incanus*, *informis*. Igitur *immanis* ut *vegrandis* proprie de eo dicitur, quod vulgarem magnitudinem excedit, unde factum, ut significet id, quod *horrendum* et *atrox* est. — *Idemque* omnes fere libri tenent, non *iidemque*; cf. ad c. XIV, 11. — De verbis *honesta atque inhonesta, omnia*, v. ad Catil. c. XXX, 4.

§. 14. *quam quisque pessume facit, tam* etc.] Particulas *quam — tam* Gerlachius, Faber et Iaumannus rariore usu pro *ut — ita* positas censent, quod nobis secus videtur. Nam *ut — ita* particulis significatur aliquid ex utraque parte ita considerari, ut comparatio praedicati tantummodo *in universum* instituatur; contra *tam — quam* particulae eam vim habent, ut duas res inter se comparatas *pari* plane potestate ponant eodemque gradu collocent. v. annotata ad c. C, 4. et cf. Bremi. ad Nep. Iphicrat. I, 1. Sall. Hist. Fragm. I, 15, 24. *Quam formidatus est, tam contemnetur.* Neque aliud ostendunt exempla a Cortio allata, quibus Gerlachius utitur, Ter. Heaut. V, 2. 44. *Namque adulescens quam in minima spe situs erit, tam difficillume patris pacem in leges conficiet suas*, ubi v. Ruhnken. Id. Adelphis III, 4, 56. *Quam estis maxime potentes, tam maxime nos aequo animo aequa noscere oportet.* Varro de R. R. II, 9. *Quam paucissimos reliqueris, tam optimi fiunt in alendo.* Cato de R. R. 65. *Quam acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit.* ibid. 175. *Quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet ex eo morbo.* Quin in his omnibus exemplis etiam *ut — ita* dici potuerit, non est dubium; sed aliam fieri comparationis rationem, eamque minus definitam, vix quisquam negaverit. Quare

ad ignaviam vostram transtulere, quos omnis eadem
15 odisse, eadem metuere in unum coegit. Sed haec
16 inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quodsi
tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad do-

non possumus assentiri Car. Beiero, qui ad Cic. de Off. I, 7, 23. et ad I, 27, 94. *tam — quam* particulas non spectare censet ad eandem utriusque membri mensuram, sed ad similitudinem in universum. — Verba *metum a scelere suo ad ignaviam vostram transtulere* male Cortius, Muellerus et Gerlachius comparant cum loco c. I, 4. qui prorsus alienus est. Perperam etiam Muellerus explicat: „scelerum auctores, *quia vos ignavos vident*, nihil timent;" quum tamen iam Langius sensum recte perspexisset, hac interpretatione prodita: „*ipsi*, quos decebat timere ob scelera sua, timorem *abiecerunt*, et *iniecerunt vobis*, qui ipsorum scelera non vindicastis." — *Est*, quod omnes codd. post *factio* habent, in Fabr. 2. cui postea Vat. 4. et 5. accessere, post *amicitia* legitur, eumque verborum ordinem parum commendabilem Cortius in textum intulit.

§. 16. et 17. *tam vos*] *Vos* non legitur in Guelf. 1. 4. Struv. et Rem. 1. quorum auctoritate Cortius expulit. Sed oppositorum ratio id flagitat; quid quod interpolatio *vos tantam*, in Guelf. 7. Fabr. 1. 2. Sen. 2. Heuss. et Teg. admissa ostendit pronomen a Sallustio positum fuisse, scribis particula potius offensis. — *Beneficia populi* consulatus, sacerdotia, praetura aliique honores in republ. frequenter vocantur, quia suffragiis populi mandati erant; cf. ad c. LXXXV, 3. Cort. — *Maiestas* populi quid sit Quinctilianus docet VII, 3, 35. usus Ciceronis verbis, qui alicubi dixit: *maiestas est in imperio atque in omni populi Romani dignitate.* Ibi Gesnerus comparavit Cic. de Inv. II, 17, 53. *Maiestatem minuere est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.* — *Constituendae* i. e. firmiter parandae, confirmandae, stabiliendae. cf. Bremi ad Nep. Con. c. V, 2. *Quum magnam auctoritatem sibi pugna illa constituisset.* id. Chabr. II, 1. *Regnum ei constituit.* Cic. p. Caec. c. 14, 40. *Videte quod ius nobis, quam condicionem vobismet ipsis, quam denique civitati legem constituere velitis.* Iustin. XLI, 5, 5. *Quaesito simul constitutoque regno.* — De *secessionibus* plebis v. ad Catil. XXXIII, 3. *Aventinum* eos *bis* occupasse veteres non consensu tradunt, plerisque primum Sacrum montem occupatum fuisse narrantibus. Sed Sallustius L. Pisonem Frugi auctorem secutus est, ut

minationem accensi sunt, profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vostra penes optumos, non audacissumos forent. Maiores vostri 17 parandi iuris et maiestatis constituendae gratia bis

patet ex Livio II, 32. 3. cf. Duker. ad Flor. I, 23. — *Non* ante *summa* tantummodo tenent Fabr. 1. et 2. Relicui omnes habent *nonne*, quod Gerlachius falso probavit, quum interrogatio talis sit, qualem ad §. 11. explicavimus. Pariter erravit Cortius, qui *non* recepit quidem, sed pro *nonne* positum censet; quod quamquam fieri potest, tamen non cadit in h. l., ut recte iudicavit Frotscherus ad Quinctilian. X, 1, 48. p. 47. qui huius loci eam rationem esse perspexit, ut interrogatio ipsà enunciationis conformatione contineatur, *non* autem simpliciter negandi vim habeat; v. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 174, 1. p. 490. Fr. Aug. Wolf. ad Taciti Annall. II, 15, extr. Cic. Tusc. I, 8. 17. *Quid? si te rogavero aliquid, non respondebis?* Goerenz. ad Cic. de Legg. ib. III, 20, 47. *Quid? si nos tacemus, locus ipse non admonet?* Id. p. Cluent. c. 14, 40. *Quid? aviam tuam — cui tu es heres, pater tuus non manifesta necavit?* Praeterea Faber contulit haec: Cic. Tuscc. II, 14, 34. *Hoc pueri possunt, viri non poterunt? et mos valet, ratio non valebit?* Off. I, 31, 114. *Ergo histrio hoc videbit in scena; non videbit sapiens in vita?* ib. III, 19, 77. *Haec non turpe est dubitare philosophos?* — *Atque* in respondendo eam vim habet, ut non tantum id, quod interrogatum est, concedatur, sed etiam maius aliquid et gravius addatur, cuius rei ratio h. l. non eo mutatur, quod responsum ab eodem, qui quaesiverat, subiicitur; v. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 467. Plaut. Bacch. III, 6, 9. Pist. *Num quae advenienti aegritudo obiecta est?* Mn. *Atque acerruma.* — Pro *quod* si omnes codd. exhiberent *quo*, sane nihil aliud requireres; sed quominus ablativum probes, scripturae obstat discrepantia. Quamquam enim plurimi codd. *quo* tenent, tamen in Sen. 1. Struv. Inc. 2. Rem. 1. Guelf. 9. Paris. D. E. Ven. 1. Vat. 4. et 5. legitur *quod*, in Acad. et Franc. *quoniam*, in Vat. 2. *quia*, quae non credibile est a scribis invecta esse, si primitus in contextu fuisset *eo vehementius, quo maius,* quum ne indoctissimum quidem fugere posset *eo* cum comparativo praegresso respondere *quo* in altero membro. Sed luce clarius est, hoc ipsum substituisse scribas minus frequenti structurae *eo — quod*, quam bene defendit Car. Beier. ad Cic. de Off. III, 22, 88. p. 348. cf. infra c. LXIV, 6. LXXVIII, 4. Liv. XXIV, 33, 2.; neque *quon-*

per secessionem armati Aventinum occupavere; vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? Atque eo vehementius, quod maius dedecus est parta amittere, quam omnino non pa-

iam aut *quia*, quod alii dederunt, nllo modo pro interpolatione *quo* ablativi haberi possunt, quum pateat librarios ita vim *quod* particulae illustrare voluisse. Quare non possumus assentiri Gerlachio, qui, difficillimum ratus iudicium de vera huius loci scriptura, *quo* edidit. — Pro *parta* in Guelf. 3. 9. Vin. 1. Fabr. 2. a m. pr. Leid. E. G. est *parata*, scilicet ut congrueret cum sequenti verbo *paravisse*. Sed inepta est ista cura. cf. supra X, 4. *Amicos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio et fide pariuntur.* Cat. LI, 42. *Qui ea bene parta vix retinemus.* II, 4. *Quibus artibus initio partum est.* Cort. — Pro *amittere* in Vin. 1. Fabr. 2. Sen. 1. Guelf. 1. Tur. 1. Bas. 4. et Goerlit. legitur *omittere*, quod huic loco haud convenit, quum Memmius incuriam, socordiam et desidiam plebis vituperet. *Omittimus* enim volentes et sponte; *amittimus* negligentia vel casu. Qui aliqua re *non vult* uti, quum uti potest, eam *omittit*; qui negligentiâ committit, ut ea uti *non possit*, vel qui alio modo ab eius usu prohibetur, is *amittit*. Vide egregiam Doederlini de his verbis disputationem in Synonymm. Latt. Vol. III. p. 285 sqq. Exempla utriusque vocabuli, in codd. saepe permutati, habebis apud Drakenborch. ad Liv. VII, 34, 9. VIII, 27, 11. III, 38, 11. Tironum gratia et simul propter §. 25. dicemus etiam quomodo ab *omittere* differat *dimittere*, ab *amittere* discrepet *perdere*. Utrumque, et *omittere* et *dimittere*, est volentium, sed *omittit* rem, qui consulto eam non attingit, sed reiicit et aspernatur; *dimittimus* id, quod pro confecto habemus, eoque non amplius indigemus, aut certe eius usum non amplius utilem aut necessarium putamus. In disputando et disserendo igitur *dimittuntur* ea, de quibus satis dictum videtur; *omittuntur* vero, de quibus dicere nolumus, quia aliena sunt, aut non satis digna aut gravia videntur. *Omittere* autem et *perdere* ita differunt, ut illud dicatur de re, quae quasi e manibus elapsa non amplius est in potestate nostra; hoc vero usurpetur, ubi aliquid plane interiit, ut vel esse desierit, vel nullum amplius usum habeat. *Amittere* graece est *ἀποβάλλειν*, *perdere* *διολλύναι*; *amittendo* oppositum est *retinere*, *perdendo* *servare*. Vide Doederlin. l. l. p. 287 sq.

ravisse. Dicet aliquis: Quid igitur censes? Vin- 18
dicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam? Non manu neque vi, quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est, verum quaestionibus et

§. 18. *Vindicandum — rempublicam?*] His verbis in omnibus edd. semicolon apponitur, ut ipsius Memmii responsum contineant; neque potest negari ita satis gravem eius inferri sententiam, plane ut in oratione Macri in Fragmm. Historr. III, 22, 14. Tamen diffiteri non possum, multo rectius videri interrogandi signum, ut verba sint eius, quem Memmius ex se quaerentem fingit: *quid igitur censes? An censes vindicandum in eos etc.?* Iam quae sequuntur eam vim habent, ut Memmius facile probans sententiam, quam ille ei subiecerat, quomodo ea *moderanda* sit ostendat. Caussa autem, cur Sallustium ita scripsisse probabile sit, haec est, quod verba *dicet aliquis* hoc quidem loco id consilii habere videntur, ut sententia quaedam inexspectata apte inferatur, quam mihi non persuades verbis *quid igitur censes?* contineri, quippe quae per se satis inania sint. Accedit haud levis momenti hoc, quod in cod. Goerlit. et plurimis Cortii libris, septem exceptis, verba ita interpunguntur: *Quid igitur? Censes vindicandum in eos* etc., scribis scilicet alteram interrogationem, sine interrogandi vocula elatam, melius procedere putantibus, si *censes* huc traherent. Sed rem paene conficit, quod ante verba *non manu* in aliis codd. ex interpolatione habetur *censeo,* in aliis *utique censeo*, in aliis *respondeamus*, in aliis aliter, sed simili modo, quae certissime ostendunt scribas in antecedentibus interrogationem invenisse, et pro captu suo orationem explevisse. — *Prodere* Cortius non satis accurate explicat *deserere* ac *tradere male tractandum;* quae ipsa neque inter se conveniunt, neque propriam *prodere* verbi potestatem aperiunt. Nam qui aliquem *deserit,* est ignavus, qui *prodit*, *malignus; deserere* constat *non agendo*, ubi agere debeas, *prodere* vero *malitiose agendo*, quo alicui noceas; *deserunt* ii, qui eos, quos tueri debeant, non curant *damnumque ab iis non arcent; produnt* ii, qui aliis *damnum inferunt* et malefactis perniciem parant. Vide de *deserere* verbo notata ad Cat. LX, 7. et de utroque Doederlini Synonymm. Latt. Vol. III. p. 290. 292. cf. Cic. Epp. ad Q. Fratr. I, 3. *Amici partim deseruerunt me, partim etiam prodiderunt.* Pseudo-Cic. orat. p. Red. in Sen. c. 13, 32. *Ut me et rempublicam non modo desererent, sed etiam hostibus*

19 indicio ipsius Iugurthae, qui si deditícius est, profecto iussis vostris obediens erit; sin ea contemnit, scilicet existumabitis qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rempublicam damna

reipubl. prod erent. Caes. B. C. I, 30, 5. *Queritur in concione sese proiectum ac proditum a Cn. Pompeio.* Liv. II, 54, 8. *Desertam ac proditam caussam publicam queri.* Aliis tamen locis Livius istud discrimen non accurate servasse videtur, velut II, 57, 4. *Rempublicam prodi per metum ac deseri.* IX, 4, 12. *Produntur ea omnia deleto hoc exercitu, non servantur.* XXVI, 36, 9. *Publica prodendo tua nequicquam serves.* cf. etiam Gronov. Obss. IV, 20. p. 463. ed. Lips. — *Non — neque* explic. ad Catil. c. LII, 6. — *Vos*, quod oppositionis ratio postulat, Cortius auctoritate unius Rem. 1. delevit, pronomen et per se ab h. l. alienum esse iudicans, et si id requiras, potius *vobis* Sallustio scribendum fuisse, ut revera exstat in Vatic. A. Ven. 3. et Paris. z. m. pr. Neque tamen cum Gerlachio statuendum est, *vos* a scribis in *vobis* mutatum esse, quia iis *insolentius* visum sit; sed patet falsa eos construendi ratione deceptos veram scripturam depravasse. Quippe putarunt illi utriusque membri pronomen ab *indignum* vocabulo aptum esse, non assecuti *illis* ad *accidisse* pertinere. — *Est* omissum in Heuss. Sen. 2. Guelf. 4. et 10. quos libros Cortius secutus est. — *Indicio* alio modo pendet a verbo *vindicandum* quam *quaestionibus;* his enim significatur ipsa vindicandi ratio, *indicio* autem via et modus vindicandi designatur. Sensus est igitur: vindicandum est in eos quaestionibus, et quidem ita habendis, ut ipsius regis indicium et confessio verum aperiat, et quam illi poena digni sint ostendat; cf. XXXII, 1. et XXXIII, 4. *Et* pro *et quidem* positum illustramus ad XXXII, 2.

§. 19. *dediticius*] Ita tenent Fabr. 1. Sen. 1. Bas. 1. Tur. 1. Vin. 1. Guelf. 1. 2. Mark. *Γ*. Leid. C. Erl. et Teg. eamque scripturam confirmant etiam ii codd. in quibus est *dedicius*, sive *deditius*, ut B. Publ. Pembr. Mark. *Α*. Leid. L. M. Fabric. 2. Eccard. et Goerlit. Relicui *deditus* habent, ab editorr. merito reiectum. Nam participio *deditus* tantummodo temporis respectu significatur is qui in deditionem venit; adiectivum *dediticius* respectu status et condicionis eum designat, qui ita se gerit itaque agitat, ut *deditum* decet, quod vides unice huic loco convenire. cf. Liv. VII, 31, 4.

atque dedecora pervenerint; nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa quam haec tempora magis placent, quum regna, provinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos

omnia in vestram dicionem dedimus, *quicquid deinde patiemur*, *dediticii vestri passuri*, ubi v. Drakenborch. — *Scilicet* Cortius affirmandi vi positum censet, ut sit i. q. profecto, certo, liquido. Non negaverim Memmium sententiam suam ista particula confirmare; sed affirmat cum acerba ironia, quae propria est huius vocis potestas; v. ad c. XLI, 3. — Pro *existumabitis* Rivii libri, Commel. et Leid. C. M. N. habent *aestumabitis*, quod Gruterus et Bipp. male receperunt. Vide ad Cat. VIII, 2. — *Sit* post *deditio* Cortius invitis codd. omnibus delevit. — *In rempublicam* non uno modo scribis offensioni fuit; multi enim, particulam deesse rati, dedere *a t in remp.*, quemadmodum Weissius scripsit; unus *ac in remp.* Plurimi, mutatam praepositionem non ferentes, exararunt *a d rempubl.* Genuinam scripturam servarunt Palatt. omnes, Fabr. 1. Guelf. 2. Inc. 1. Leid. A. B. D. E. G. H. M. Erl. Teg. et Goerlit. — *Atque* ante *dedecora* solus Fabr. 1. non habet, multum probante Cortio. Si plures iique boni libri assentirent, asyndeton ferri posse docuimus ad c. XX, 8. — Pro *pervenerint* Med. 7. habet *pervenerant*, quam lectionem Gerlachius pro insigni sua latinae linguae scientia haud contemnendam dicit, pariter ut ad Cat. VII, 3. in Commentt. p. 51. pro *creverit* etiam *creverat* dici posse iudicavit, quod quale sit ostendimus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 61.

§. 20. *nisi forte*] De vi harum particularum v. notata ad c. III, 4. et ad Catil. XX, 17. qui locus etiam respectu *et* particulae nostri simillimus est. — Pro *satietas* Bothius in Praef. p. XI. a Sallustio scriptum fuisse coniicit *satias*, quod iam Ciacconius suspicatus erat, quoniam Nonius II, 791. refert Sallustium in Historiis (v. Fragm. III, 13. Gerl.) hac forma usum esse. Possis huic sententiae eo fidem astruere, quod in cod. Goerlit. legitur *saturitas*; sed unus cod. relicuorum omnium auctoritatem non potest elevare, neque Grammaticus dixit Sallustium ubique hanc formam usurpasse. — *Illa tempora* auctor ipse describit; *haec* Cortius bene explicat „quibus vindicare possumus *in obnoxios* proditores reipublicae.“ — *Paces* plurali numero Non. Marc. II, 621. nove dictum censet a Catone in

erant, vos autem, hoc est populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere; nam servitutem quidem
21 quis vostrum recusare audebat? Atque ego tametsi flagitiosissumum existumo impune iniuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, nisi miseri-

libro de vita populi Romani: *Animadvertendum primum quibus de caussis et quemadmodum constiterint paces.* cf. Plaut. Persa V, 1, 1. *pacibus perfectis.* Hanc *formam* ex Sallustio etiam laudavit Sergius in art. sec. Donat. p. 1843. Putsch. unde editores eam in Fragmm. Historr. incerta (Gerl. Inc. 50.) retulerunt. Tanquam novum adeo fragmentum exhibuit editor spicilegii fragmentorum, germanicae editioni Fragmm. a Debrossio digestorum adiecti, p. 110. 31. Sed noster locus ostendit immerito istam vocem fragmentis annumerari. — Verba *hoc est populus Romanus*, quae in uno Laud. 3. desunt, C. Popma et nuper Weissius tanquam glossema eiecerunt, et sane verum est interdum vocibus *hoc est*, *id est* glossemata inferri; v. Ed. Wunderi Praef. ad Varr. Lectt. Cic. cod. Erfurt. p. XX, sq. Kuehner. ad Cic. Tuscc. III, 27, 65. et Ruhnk. ad Vell. II, 23, 6. Sed recte hic animadvertit Latinos saepe hac formula ita uti, ut alicuius dicti vel vocabuli sensum explicent aut rectius constituant, eoque magnam vim et gravitatem orationi conciliare. cf. Vell. II, 48, 4. *Hic primo pro Pompeii partibus*, *id est pro republica*, *stetit.* ib. II, 63, 3. *Plancus dubia*, *id est sua fide*, *diu quarum esset partium secum luctatus.* Quinctil. XII, 1, 16. *Neque spe neque metu declinatus animus, quominus optimis se partibus, id est reipublicae, iungeret.* Curt. IX, 6, 15. *Orabant eum ut saluti suae, id est publicae, parceret.* Cic. in Verr. III, 70, 164. *Pecunia data ad frumentum, hoc est ad necessitatem salutis atque vitae.* Id. Epp. ad Famm. II, 17, 6. *de praeda mea praeter quaestores urbanos, id est populum Romanum, teruncium nec attigit nec tacturus est quisquam*, ubi Cortius comparavit Flor. III, 2, 15. *de successione Caesaris senatus, id est Pompeius, agitabat.* cf. Kuehner. ad Cic. Tuscc. III, 13, 27. Spalding. ad Quinct. III, 5, 4. — *Imperatores*, i. e. imperium tenentes; v. ad c. XXIV, 7.

§. 21. *Atque ego*] Pro *atque* Gerlachius in ed. maiore edidit

cordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quan- 22
tum importunitatis habent, parum est impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur, et vobis aeterna sollicitudo remanebit, quum intellegetis aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiae quae spes 23
est? Dominari illi volunt, vos liberi esse, facere

atqui, contra libros manu scriptos; omnes enim codd. *atque* retinent, nisi quod Berol. 1. Guelf. 1. et Vat. 5. *at* habent. Vide notata ad Cat. LI, 35. — In Guelf. 3. et Min. 2. *ego* abest, quod Gerlachius in Commentt. p. 264. sibi probari dicit, quamquam in ed. minore, ut solet, in textu reliquit. Sed, quo viri acumen cognoscas et admireris, vide ut paullo post §. 27. idem pronomen tulerit, ut tulerit etiam omnibus locis, quae ad c. IV, 5. p. 23. ascripsimus ubi, simul quae eius vis sit diximus. — Pro *tametsi* Cortius et Gerl. ediderunt *tamen etsi*, quod tantummodo in Guelf. 4. et Inc. 2. exstat. cf. XIII, 3. — Ante *flagitiosissumum* longe plurimi codd. habent *virum;* quod quum ineptam sententiam habeat, omnes editores Rivii coniecturam receperunt, sensu probabili *viro flagitiosissumum* scribentis. Sed si Sallustius ita scripsisset, in maxima sensus et structurae perspicuitate non intelligitur, cur scribae pro dativo accusativum inferre maluerint. Quare quum praeterea in Fabric. 1. et Sen. 1. m. pr. sit *in virum flag.*, in Vin. 1. autem et Sen. 2. ac Bern. 1. nudo legatur *flagitiosissumum*, non dubium videtur, quin haec vera scriptura sit. Ex interpolatione enim profectum est et *virum* et *in virum*, scribis necesse putantibus ad personam respici. Sed illi non viderunt omnino alienum esse a Memmii mente, qui de *universae plebis* rationibus agat, *singuli viri* notionem induci. Nam ut sententia plena fiat, cogitatione supplendum est *vobis*. — *Quoniam cives sunt* germanice est: da sie nun doch einmal Bürger sind; v. ad c. III, 1. XXXII, 5. XCVIII, 1. — *In perniciem casura* i. e. eum eventum habitura, ut in perniciem vertat, vel ut perniciem afferat. v. ad c. XX, 2. coll. Drakenborch. ad Liv. XXII, 40, 3.

§. 22 — 24. *quantum importunitatis habent*] i. e. quae nimia eorum est importunitas. Vide Ramshorn. Gramm. Lat. §. 159, 3. e. not. 1. p. 364. Bauer. et Perizon. ad Sanct. Min. II, 9. p. 247. et 269. — Ad *importunitatis* notionem constituendam, quae libidine

illi iniurias, vos prohibere; postremo sociis vostris
24 veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne
in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse?
25 Quare moneo hortorque vos, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus aerari factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae; quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur; hosti acerrumo prodita senati auctoritas, proditum imperium vostrum, domi militiaeque

constat et audacia, Cortius contulit Lepid. in Cic. Epp. XII, 12, 5. Cic. in Verr. II, 30, 74. Auct. B. Afric. c. 87. Gronov. ad Senec. de Beneff. IV, 3. Duker. ad Flor. I, 8, 7. *Parum est* explicavimus §. 9. — *Deinde* i. e. in posterum. — Pro *eripitur* codd. complures habent *eripiatur*, magno detrimento sententiae; nam pro certo ponit Memmius licentiam eripiendam esse; cf. infra §. 26. Cat. XX, 6. — *Intellegetis* tenent Fabr. I. Sen. 1. et Tur. 1.; pauci *intellegitis*, alii *intelligitis*, plurimi *intelligetis*. — *Est* post *spes* omissum in Acad., cui paruit Cortius. — *Sociis vostris* paucissimi tenent codd. Plerique omnes *sociis nostris*, ut iam saepius in hac oratione *nos* et *vos* pronomina permutata sunt. Sed Memmius *vostris* dicit, quo maiorem maiestatis suae sensum maioremque indignitatem in plebe excitet; cf. §. 25. — *In tam divorsis mentibus* recte Cortius explicat *quum mentes tam divorsae sint*; cf. c. XIV, 5. et 11. XXXV, 1. LV, 1. LXVII, 3. LXXIV, 1. et v. ad Cat. II, 10. *Divorsae mentes* sunt, quae res plane contrarias sequuntur; v. ad Cat. V, 8. et quae diximus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 84 sq. Ceterum antiqua forma *divorsus* h. l. in Guelf. 2. servata est.

§. 25. *hortorque vos*] Pronomen Cortius omisit non monito lectore neque codicum suorum scriptura indicata. Sed quum reliqui omnes retineant, probabile est Cortianos quoque habere, et errore tantum editoris de vocula non constare. — Pro *omittatis*, quod paene omnes codd. tuentur, in Vatic. A. et Leid. F. est *amittatis*; Gruterus vero et Wassius ediderunt *dimittatis*, quemadmodum sane aliquot Wassii exhibere videntur et exstat in Leid. N. Sed vulgata unice vera est, ut patet ex dictis ad h. c. §. 17. — *Aerari* formam serva-

respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, ni 26
vindicatum in noxios, quid erit relicuum, nisi ut
illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune
quaelibet facere id est regem esse. Neque ego vos, 27
Quirites, hortor, ut malitis civis vostros perperam
quam recte fecisse, sed ne ignoscendo malis bonos
perditum eatis. Ad hoc in republica multo praestat 28
benefici quam malefici immemorem esse; bonus
tantummodo segnior fit ubi neglegas, at malus im-

vit cod. Eccard. Relicui *aerarii* habent. — *Sunt* post *gravia* deest in Guelf. 10. Probavit Cortius. — Verba *hosti acerrumo* etc. omnes editores male puncto a praegressis disiunxerunt, non videntes haec alteram eamque adversativam sententiae partem continere, suapte vi sine adversativa particula prioribus oppositam. cf. Catil. LII, 6. *Non agitur de vectigalibus, neque de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est*, qui locus non uno nomine nostri simillimus est.

§. 26. *nisi vindicatum*] Pro *nisi* pauci codd. habent *ni*, quod Gerlachius, licet in textu *nisi* retinuerit, in Commentt. p. 264. probat, ac rursus, uti solet, in minore ed. improbat. Recte quidem. Nam cur codd. praestantissimorum omnium auctoritatem in tali re minoris habeamus, quam paucos minus probatos, equidem non intelligo. Cortio *erit* expellenti, quod tantummodo in Guelf. 10. et Vat. A. deest, Gerlachius in Commentt. l. l. assentitur, quem assensum temerarium fuisse ipse editione min. declaravit. Nam de omittendo verbo tum tantum cogitari posset, si in pluribus codd. deesset, in aliis locum mutaret, in aliis vero *est* legeretur, quod pro captu suo scribas intulisse crederes. Quare nullam ad expellendum verbum auctoritatem habet locus a Cortio laudatus, Iug. XXIV, 8. cuius quae ratio sit ibi diximus. — *Obedientes vivamus* Cortius „plus est, inquit, quam *obed. simus*, et perpetuitatem simul denotat.“ Sensus est igitur *per totam vitam obedientes simus*. Ita Auson. Epigr. LXXXVIII. *Iurisconsulto, cui vivit adultera coniux, Papia lex placuit.* Plaut. Casina II, 8, 55. *malo hercle vostro tam vorsuti vivitis.* — *Quaelibet* Cortius non satis commode disiunxit.

§. 27. — 29. *vos, Quirites*] *Vos* deest in Guelf. 4. et Ven. 1. Delevit Cortius, idque Gerlachio in Commentt. p. 264. pro insigni suo venu-

29 probior. Ad hoc si iniuriae non sint, haud saepe auxili egeas.

XXXII. Haec atque alia huiuscemodi saepe dicundo Memmius populo Romano persuadet, uti

statis sensu „hoc quidem loco *elegantius* esse videtur;“ nihilominus vir levissimus non solum in textu maioris ed. retinuit, sed in minore repetiit, ac supra §. 6. adeo concinnum (!) iudicavit. Ceterum totum hunc locum Fr. Henr. Bothius Praef. p. V. plane desperatum dicit eumque ingeniosa interpunctionis mutatione sanasse se gloriatur. Scripsit enim: *Neque ego vos, Quirites, hortor. Ut malitis civis vostros perperam quam recte fecisse; sed ne ignoscendo malis bonos perditum eatis.* Qua coniectura equidem nihil vidi infelicius, nihil ineptius, praesertim quum Cortius quae sententiae ratio sit et nexus satis bene exposuerit. Nam quum Memmius per totam orationem plebem vehementissime incitasset, ut ius suum in noxios vindicandi strenue exerceret, in postrema oratione quibus finibus hoc vindicandi studium circumscriptum velit, docet. Hoc igitur dicit: non exspectat adhortatio mea, ut vos ita vindictae cupidos faciam, ut, quo semper vindicandi copiam habeatis, quam plurimos peccare optetis, sed ut coercendis malis bonos tutos praestetis, quos nimia in illos indulgentia perditum itis. Nam si qui negligendi sunt et non curandi, praestat in republica quidem bonos quam malos negligi, quia hi maleficiis suis non punitis improbiores fiunt, boni tantummodo segniores. Ubi autem mali non sunt, nullae etiam fiunt iniuriae; iniuriis autem sublatis vindicta non opus est. Igitur prudenter vindicando ubi res poscit id assequemur, ut vindicta rarissime egeamus. Quod consilium quamquam per se planissimum est, tamen aliquid obscuritatis eo habet, quod Sallustius et singulas partes in brevius contraxit, neque particulis inter se coniunxit; quo factum est, ut interpretes non satis intelligerent quomodo eius cogitatio procederet. — *Fecisse* cave putes pro praesenti *facere* dictum esse, quum Perizon. et Bauerus ad Sanct. Min. I, 14. p. 133. et 135. praecipiant infinitivum perfecti interdum pro praesenti usurpari, idem docente Vechnero in Hellenol. I. Part. II. c. 14. p. 244 sqq. et Heusingero Praef. ad Cic. de Off. p. LXII. Ubique enim res ita designatur non amplius instans, sed peracta iam et absoluta, ut rectissime monuit Walchius in Emendd. Liv. p. 50. idque huic loco maxime convenit. Nam quum de eo agatur, quod *vindicari debeat*,

L. Cassius, qui tunc praetor erat, ad Iugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica Romam duceret, quo facilius indicio regis Scauri et relicuorum, quos pecuniae captae arcessebant, delicta pa-

profecto id tantum ultioni obnoxium est, quod iam factum et patratum est. Obiter tamen moneo alium esse apud poetas infinitivi perfecti usum, quos saepe sola metri dactylici ratio, quippe cui multorum verborum infinitivi praesentis plane non adaptari queant, perfectum ponere cogit. cf. Friderici Bellermanni Dissertat. de verss. nonnullis *Tibulli*, Ienae a. 1819. editam, p. 21. — Sententiam *ne ignoscendo malis* etc. Sallustius etiam Catoni tribuit Catil. LII, 12. et Philippo in Fragmm. Hist. I, 19, 9. *Perditum eatis* explicatum ad Cat. XXXVI, 4. — Verba *bonus tantummodo* etc. caussam afferunt antecedentium, omissa particula explicativa, de qua ellipsi v. ad c. V, 5. et XXVIII, 5. — *Auxilium* quidam interpretes inepte interpretantur *tribunicium;* sed iam supra dixi Memmium intelligere *auxilium adversus iniurias malorum* i. e. vindictam.

XXXII. §. 1. *dicundo*] Plurimi libri habent *indicendo*, vel divisim *in dicendo;* sed veram scripturam tuentur Guelf. 3. 9. Sen. 1. 2. Heuss. Fabr. 2. Franc. Leid. B. F. Paris. B. Z. Bern. 1. Goerlit. Misn. et Berol. 1. — *L. Cassius* is est, qui non multo post anno a. Chr. n. 107. p. u. c. 647. ab Helvetiis occisus est; v Caes. B. G. I, 7. Liv. Epit. lib. LXV. ubi v. intprr. — Pro *tum* scripsimus *tunc;* v. ad c. XVI, 2. — *Eumque*, quod in Eccard. et Guelf. 11. deest, Cortius male omisit. — De *fide publica* v. ad Cat. XLVII, 1. *Interponere* fidem, pactionem, usitatum vocabulum esse, si quis sua auctoritate ad alios confirmandos utatur, Cortius exemplis his docuit Caes. B. G. V, 6. Iustin. VII, 7. Valer. Max. IV, 8, 1. infra §. 5. Cic. p. Rosc. Amer. c. 39, 114. — *Et* ante *relicuorum* non legitur in Eccard. quod asyndeton ferri nequit; v. ad Catil. XV, 1. — *Captae* i. e. q. *acceptae;* cf. Tacit. Ann. III, 67, 1. *Saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum.* ib. IV, 31, 3. *Convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse.* His, quae Cortius laudavit, Faber addidit Cic. de Legg. III, 20, 46. p. Rabir. c. 7, 16. de N. D. III, 30, 74. de Finn. II, 16, 54. — *Arcessebant* h. l. et c. LXXII, 5. praetulimus *accersebant* formae, quam aliquot codd. habent. Quae ut nobis probatur ubi sensus est *advocare* sive *accire*, v. ad Catil. c. XL, 6., ita non putamus *accusare* significare posse;

2 tefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitu praeerant, secuti morem imperatoris sui, plurima et flagitiosissuma
3 facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti elephan-
4 tos Iugurthae traderent; alii perfugas vendere, pars

nam *arcessere* in tali re vocabulum solenne est. Idem iam statuerunt veteres Grammatici, Charis. I. p. 227. et Diomed. I. p. 375.

§. 2. *exercitu*] Ita solus Acad. a m. pr.; reliqui vulgari modo *exercitui* tenent. Vide ad c. VI, 1. — *Sui* post *imperatoris*, quod in paucis codd. locum mutat, a Cortio eiectum est. Retinet Gerlachius, sed quae eius vis sit verbis explicari posse negat. Nobis pronomine videtur aliqua eorum qui deliquerant excusatio contineri; quippe tutos se putabant non tam eo, quod omnino aliquis imperator talia fecisset, quam quod is, cui parere debebant, cuiusque exemplum ipsis tanquam norma imitandum videbatur, quod imperator *suus* eadem commisisset. — *Et* ante *flagitiosissuma* ita positum est ut antegressum exaggeret et cum vi amplificet, idem fere significans atque *et quidem*, de quo usu iam diximus ad c. XIV, 25. XXXI, 18. v. etiam notata ad c. LXXXV, 3. et ad CII, 10. coll. Goerenzio ad Cic. Acadd. II, 33, 105. et Kuehnero ad Tusce. III, 20, 48. Liv. XXIII, 43, 12. — *Flagitiosissuma facinora* explicavimus ad Cat. XIV, 1.

§. 3. et 4. *alii perfugas vendere*] Libri fere omnes habent *venderent;* unus Wassii Laud. 2. *vendere*, ut Cortius ex Gruteri coniectura recte in textum recepit; nam propter *alii — pars* coniunctivus nullo pacto ferri potest. Pro *agebant* autem cod. Bongars. Acad. Heuss. Sen. 2. Rem. 1. Leid. L., Fabric. 1. Einsiedel. ac Guelf. 2. m. pr. ostendunt *agerent*, Wassii Laud. 2. *agere*, quae omnia inde nata sunt, quod scribae variatam orationem ad unam structurae rationem revocare studuerunt. Sed nihil frequentius est apud Sallustium, quam in eadem enunciatione infinitivum histor. cum imperfecto sociari; cf. ad Catil. XVI, 2. LX, 4. ad Iug. XV, 2. Quare non dubitari potest quin Cortius veram manum auctoris restituerit. Multo infelicius editores Bipp. *vendere, et pars* etc. scripserunt, scilicet putantes *venderent* non ex interpolatione ortum esse, ut res habet, sed casu ex *vendere et* in unum esse conflatum, quod ab usu *alii — pars* vocum plane abhorret. Alia, sed non magis bona coniectura locum tentavit Handius, in libro de Particc. Latt.

ex pacatis praedas agebant; tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat. At Cassius, perlata rogatione a C. Memmio ac perculsa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiscitur, eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet, quon-

Vol. I. p. 542. scribendum censens: *fuere*, *qui auro corrupti elephantos Iugurthae traderent*, *aut perfugas venderent*. Sed quam corruptelae caussam dicit, scribendi compendia *al'* et *āt* confusa, omni probabilitatis specie caret, ut ex scripturae discrepantia, de qua supra diximus, apparet. Tum maxime offendit solum imperfectum duobus coniunctivis subiectum, quam orationis conformandae rationem quivis a Sallustii consuetudine alienam esse sentiet. Contra enunciationes duas vocabulis *alii* — *pars* contineri, valde ex more est huius scriptoris. — *Praedas* propter pluralem tetigimus ad c. XX, 8. — Pro *animos invaserat* plurimi codd. et omnes edd. habent *in animos inv.* Sed praepositio abest a vetustis Rivii libris, et ab Sen. 2. Heuss. Acad. Fabr. 2. Rem. 1. 2. Franc. Guelf. 7. 11. 12. Leid. E. G. K. L. Bas. 1. Bern. 3. Tur. 1. Erl. Misn. et Berl. 1. erasa est in Fabr. 1. Guelf. 4. Vin. 1. quae sane ostendunt librarios eam perspicuitatis caussa adiecisse. Accedit quod Sallustius Catil. XXXVI, 5. paene eadem sententia usus sine praepositione dixit: *tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat.* Neque potuit, opinor, aliter dicere; nam ubi *invadere* translate sine ulla *loci* notione usurpatur, vix licet praepositionem addere. cf. Catil. XXXI, 1. Iug. XIII, 1. XXXV, 9. XXXIX, 1. CVI, 6. Gerlachius in Commentt. p. 265 sq. „praepositionem, inquit, *auctoritate meliorum librorum permotus*, *delendam* esse censeo." Sed in ed. minore *propter id ipsum* (cognosce viri ingenium!) praepositionem *retinuit*.

§. 5. *At Cassius*, *perlata rogatione a C. Memmio*] Haec in multis codd. et edd. foeda interpolatione affecta sunt. Plurimi enim libri habent *At Cassius Praetor;* sed pro hac voce in codd. Manutii et Ursini, Eccard. Inc. 2. Rem. 1. Franc. Guelf. 2. 3. Leid. A. B. C. D. E. H. M. N. Erl. Teg. Misn. Vatic. 3. 4. Barb. 2. Med. 1. 7. Paris. A. B. C. D. b. c. z. Bas. 4. vel compendia *P. R.*, *P. Ro.*, *Po. Ro.*, vel aperte *populi Romani* legitur. In Guelf. vero 10. Sen. 1. Struv. Vin. 2. Leid. F. I. K. utrumque habetur *At Cassius Praetor populi Romani.* Pauci, corruptricem manum non experti, nihil horum habent, qui sunt Bas. 1. Guelf. 9. Bern. 1. Goerlit. Paris. x.

iam se populo Romano dedisset, ne vim quam misericordiam eius experiri mallet. Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat. Talis ea tempestate fama de Cassio erat.

Vatic. V. et Ven. 3. Tantae depravationes unde ortae sint non est difficile ad videndum. Nam quum *perlata* vocabuli prima syllaba, compendio *pr* scripta, casu geminata esset, librarii, qui paullo ante Cassium tunc praetorem fuisse legissent, litteris *pr* id significari rati sunt, non curantes quam incommode hoc iterum diceretur. Alii pro suo captu aliter ac peius etiam interpretati sunt. — *Rogatio* dicta quandocunque populus de aliqua re constituenda interrogabatur hac formula, *velitis iubeatis Quirites*. Infra c. XL, 1. *C. Mamilius Limetanus Trib. pl. rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos.* Vide Gell. NN. AA. X, 20. Cort. Adde Festum p. 135. ed. Lindem. et interprr. ad h. l. p. 632 sq. Ernestium in Clav. Cic. v. *rogare;* Drakenborch. ad Liv. V, 25, 13. Nitsch. Antiqq. Romm. Vol. II. p. 1041. ed. III. et imprimis Ferd. Schulzium de Comitiis Rom. p. 146 sqq. — Pro *eique* Cortius ex solo Eccard. scripsit *ei*, omisso *que*. — *Ex conscientia* illustravimus ad Cat. XII, 2. et LVII, 2. — *Quoniam*, quod exstat in decem Cortii libris et in omnibus Gruteri, excepto Commel., haud cunctanter revocavi. In relicuis enim codd. *quo* legitur; quod ex compendio *quoniam* particulae ortum a Cortio in textum illatum est, et Latinae linguae imperitissimo cuique optime placuit, tanquam sensu a *quoniam* non diversum. Lepide etiam Gerlachius in Commentt. p. 266. se fatetur nunc quidem exempla non in promptu habere, quibus pateat negatione non praegressa *quo* pro *quoniam* poni posse. Laudabo, si ullum unquam in promptu habuerit; v. ad Cat. XXXIV, 2. p. 158. Ac fortasse ea desperatione, non ratione permotus in ed. minore *quoniam* exhibuit. Particulae autem eadem vis est ut c. XXXI, 21. — Pro *dedisset* in omnibus fere codd. habetur *dedidisset*, quae est coniectura A. Manutii, nulla codd. auctoritate comprobata; neque linguae usus accuratus eam admittit; nam Iugurtha se *dederat* quidem Romanis, sed non *dediderat*, quippe qui specie tantum se submisisset, id quod Faber vulgatam defendens non satis consideravit. cf. ad Cat. XLV, 4. p. 208. Iug. LXXV, 5 Drakenborch. ad Liv. XXXIX. 50, 9. — *Eius* post *misericordiam* deest in Eccard. Fabr. 2. Guelf. 11.

XXXIII. Igitur Iugurtha contra decus regium cultu quam maxume miserabili cum Cassio Romam venit; ac tametsi in ipso magna vis animi erat, 2
confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quae supra diximus, C.

Vat. 5. Med. 7. Tur. 1. m. pr. Cortius delevit, probante Gerlachio in Commentt. p. 266. scilicet ut haberet, quo levitatem suam in ed. minore, ubi revocavit, ostenderet. — *Talis* praegnanti sensu dictum, ut ostendimus ad c. X, 8. — *Erat* Cortius omisit, quia Acad. *fuit* praebet.

XXXIII. §. 1. et 2. *contra decus regium*] Apposite Cortius contulit Auct. B. Alexandr. c. LVII, 1. *Deiotarus, depositis regiis insignibus, neque tantum privato vestitu, sed etiam reorum habitu supplex ad Caesarem venit.* ibid. XXXII, 3. *Omnis multitudo veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueverunt, Caesari occurrerunt.* — Pro *tametsi* Cortius et Gerlachius in ed. mai., non item in min., scripsit *tamen etsi*, quod tantummodo in Vin. 1. a m. pr. legitur, nihil iuvante inepta scriptura Guelf. 11. *tamen si et.* Ceterum Cortius mirifice nugatur in structura et sensu verborum *confirmatus* etc. illustrando. Vult enim nominativum esse absolutum, ad protasin pertinentem, alienissima miscens et non curans ineptum esse, eum in quo magna animi vis fuerit simul confirmatum dici. Cum Cortio facit Muellerus, qui orationem ita procedere dicit, tanquam scriptum fuisset *ipse magna vi animi erat.* Rectius vidit Gerlachius haec verba ad apodosin pertinere, sed *confirmatus* perperam ita intelligit, quasi Iugurtha per se *non ausus* esset tribunum plebis corrumpere, nisi nobiles illi *animum addidissent.* Sensus potius hic est: quamquam in Iug. magna vis animi fuit, ita ut ipse ad quaeque audenda paratus et *ad rem suam gerendam idoneus* videretur, tamen *quo tutior esset*, etiam tribunum plebis socium sibi adiunxit, *hortantibus* maxime et *suadentibus ac confirmantibus* in eo consilio amicis potentibus. Ad structuram iuvandam in Acad. Struv. Sen. 2. Heuss. *tamen* insertum est ante *confirmatus*, in Leid. vero II. ante *C. Baebium*, nesciis scribis post concessivas particulas hanc vocem saepe omitti, ipsa sententiae vi nexum satis indicante. cf. statim post §. 3. c. XXXV, 9. *Quamquam in priore actione quinquaginta vades dederat, regno magis quam vadibus consulens clam in Numidiam Bomilcarem di-*

Baebium tribunum plebis magna mercede parat, cuius impudentia contra ius et iniurias omnis munitus
3 foret. At C. Memmius advocata concione, quamquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci iubebat, pars, ni socios sceleris sui aperiret, more maiorum de hoste supplicium sumi, dignitati quam irae magis consulens sedare motus et animos

mittit. XXXIX, 5. Ruhnken. ad Aquilam Rom. c. XLV. p. 190. *Si dicas* M. Cato ille, *quamvis sufficiat nomen tantummodo posuisse, videaris plus significasse addito* ille. Drakenborch. ad Liv. XXII, 20, 1. Duker. ad Flor. II, 6, 33. Goerenz. ad Cic. Acadd. II, 23, 74. p. 137. Vide etiam quae notavimus ad Catil. XXXVI, 4. — Pro verbis *cuncta ea gesserat, quae supra diximus* Cortius plurimis omissis scripsit *cuncta gesserat.* Quippe quum pars codd. habeat *memoravimus*, id ille pro argumento interpolationis habet, quum re vera non aliud nisi incuriam scribarum testetur. Idem statuendum de ceteris discrepantiis, quae leviores sunt, quam ut glossae in textum illatae suspicionem faciant; nam in Sen. 2. est *tanta ea;* in Guelf. 11. deest *gesserat;* Vrat. 1. habet *eas;* in Struv. Arondel. Par. B. et Vat. 5. *ea* deest, quod Gerlachius in Commentt. p. 266. inconsulto probat, indicii sui, pro more, immemor in ed. minore. V. ad XXXI, 10.

§. 3. *advocata concione*] *Concionis* vocabulo quid significaretur bene exposuit Ferdin. Schulzius *de Comitiis Rom.* p. 140 sqq. — Pro *sumi* in Guelf. 10. Leid. F. G. M. Bodl. et B. Publ. est *sumendum*, ex interpolatione. Sensu tamen *duci* et *sumi* pro infinitivis futuri capi debere observavit G. Ludov. Walchius ad Tac. Agric. c. XLIV. p. 418. Sed quamquam certum est, saepe infinitivum praesentis pro infinitivo futuri positum reperiri, tamen hunc usum neque cum Walchio ita Graecismum dixerim, quasi a Latinorum propria dicendi ratione abhorreat, Graecis peculiaris sit; nisi forte Walchius etiam Germanorum consuetudinem praesens pro futuro ponendi ex Graeco fonte repetit; neque hunc Sallustii locum iis exemplis annumerandum censeo, quibus ille hanc rationem illustravit. Quis enim *iubere* verbum cum infinitivo futuri coniungendum putaverit, quod Walchius postulare videtur? Legitime enim et constanter praesens aoristum ab hoc verbo pendet; quod quum suapte vi voluntatem et

eorum mollire; postremo confirmare fidem publicam per sese inviolatam fore. Post, ubi silentium coepit, 4
producto Iugurtha verba facit, Romae Numidiaeque facinora eius memorat, scelera in patrem fratresque ostendit. Quibus iuvantibus quibusque ministris ea egerit quamquam intellegat populus Romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere. Si verum

consilium contineat, nondum perfectum illud sed adhuc exsequendum, non opus est verbum inde aptum futuro tempore poni, sed sufficit indefinite illam actionem significari, ad quam iussus spectat; v. ad Cat. LII, 24. — *Sui* abest a codd. Rivii, Bern. 1. et Vat. 5. In Ven. 2. vitiose legitur *socios suos tanti sceleris*, quod Gerlachium permovit ut omissum a Cortio *sui* pronomen in Commentt. p. 266. probaret; haud dubie ut iocum ageret; nam in ed. minore retinuit. — *Aperiret* illustravimus ad Cat. XL, 6. — *Dignitati quam irae magis consulens* hoc ordine legitur in omnibus Gruteri, Wassii, Havercampi et priorum editorum codd., quibus undecim Cortii assentiuntur; relicui eius habent *dig. magis q. irae c.*, scribis comparativum *quam* particulae postpositum aegre ferentibus. cf. XXXV, 3. XLIV, 1. LVIII, 3. XCII, 6. Tac. Annall. I, 2, 1, extr. Ceterum eandem sententiam Sallustius iam posuit in Caesaris oratione Catil. LI, 7. ubi p. 239 sq. de zeugmate *verbi* diximus. — *Eorum* Rem. 1. non habet. Cortius *eleganter* omitti censet, Gerlachius *elegantius* retineri! — *Per sese* Badius et Glareanus male ad *fidem publicam* referunt; recte monuit Cortius verba ad Memmium spectare, hoc sensu: quantum in se sit, quantum auctoritate sua efficere possit.

§. 4. *coepit*] Aliquot codd. *coepit fieri*, quos Cortius bene reiecit coll. c. LXII, 7. LXXXV, 17. XCI, 4. — *Numidiae* pro *in Numidia* contra morem dictum esse ab interprr. satis monitum est, coll. Auct. libri VIII. de B. G. c. 1. *Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae contexui*, ubi Herzogius mirifice genitivum obiectivum esse dicit. Bernegger. ad Iustin. XIV, 5, 9. Duker. ad Flor. I, 18, 11. et ad III, 10, 16. Ruddiman. Institt. Gramm. Vol. II. p. 284. Tamen nostri loci ea ratio est, ut insolentia structurae genitivi alterius vicinitate excusetur, quod scite monuit Zumpt. in Gramm. Lat. §. 71, 8. not. l. p. 318. ed. IV. Id efficit autem concinnitatis studium. *Ea* Cortius cum Vin. 2. omisit, improbante

aperiat, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam; sin reticeat, non socios saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

XXXIV. Deinde, ubi Memmius dicundi finem fecit, et Iugurtha respondere iussus est, C. Baebius

hic Gerlachio, qui tamen supr §. 2. probaverat. — *Verum aperiat* pauci tenent Cortii, aliquot Palatt., Bas. 1. Leid. L. Bern. 1. Mark. *T.* a m. sec. Med. 2. 5. 8. 9. Flor. 1. Paris. x. z. Berol. 1. 2. Misn. et Goerlit. Reliqui fere omnes *vera aperiret*, pauci *verum aperiret*. Quin temporum diversitas in enunciatione bimembri ita instituta, ut altera pars alteri aequaliter respondeat, ferri non possit, non est dubium; quare quum *reticeat* certum sit, soloecum *aperiret*, a Cortio propter id ipsum cupide arreptum, expulimus. Quod nisi dicas incuriae scribarum deberi, nescio unde ortum sit. Nam si Sallustius scripsisset *aperiret — reticeat*, consentaneum est librarios ad aequanda tempora potius *reticeret* dedisse, quam *aperiret* in *aperiat* mutasse. Sed etiam *vera* minus sensui convenit quam *verum*, quum Memmius non singulas res vere declarari velit, sed in universum veritatis professionem postulet. Gerlachio igitur assentimur, codd. auctoritate id reducendum esse. — *Socios* ex coniectura scripsimus, sensu ita flagitante. In omnibus enim codd. et edd. legitur *sociis*, quod mirum neminem offendisse. Non eo enim consilio Iugurtha Romam profectus erat, ut *sociis* suis et administris scelerum salutem et securitatem pararet, sed ipse rebus suis maxime diffidens, non alia re, nisi sociorum, quos auro paraverat, auxilio et potentia adversariorum impetus repulsurum sperabat, illorumque ope salvus evadere nitebatur. Cuius rei bene gnarus Memmius *sociorum praesidium nihil illi profuturum* ostendit, *nisi bona fide ageret*, sed praecipitem casurum, ubi indicium non profiteretur. — Pro *sed se* Cortius male scripsit *sese*, ut est in Guelf. 4. 10. Vrat. 2. 3. et Vin. 2., non videns et facillimo lapsu hoc ortum esse, et asyndeton huic loco parum convenire; v. ad c. XXI, 2.

XXXIV. §. 1. *Deinde*] Ita omnes codices; Cortius scripsit *dein*. — *Dicundi* exstat in Guelf. 3.; in reliquis est *dicendi*. — Pro *tametsi* Cortius ex uno Heuss. scripsit *tamen etsi*, quod quam exiguae fidei sit iam ex eo cognoscas, quod ne Sen. quidem 2., qui ubique cum Heuss. ita consentit, ut vel uterque ex eodem libro, vel alter ex altero descriptus sit, hanc formam praebet. — De im

tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet, ac tametsi multitudo, quae in concione aderat, vehementer accensa terrebat eum clamore, voltu, saepe impetu atque aliis omnibus, quae ira fieri amat, vicit tamen impuden-

perfecti *terrebat* potestate v. ad c. XXVII, 1. — *Voltu* habet Bas. 1. Vrat. 2. Sen. 2. Heuss. — Verba *quae ira fieri amat* miros errores pepererunt. Nam quum Quinctil. IX, 3, 17. hoc iudicium protulerit: *Graeca vero translata vel Sallustii plurima, quale est vulgus amat fieri*, interpretes inde a Cortio omnes nostra verba ita intellexerunt, ut *ira* pro ablativo, *quae* pro *nominativo plurali* haberent. Quin Gerlachius eo processit, ut ad eundem modum verba a Quinctiliano laudata exigeret, corrigendo si diis placet *quae in vulgus amat fieri.* Tantumne esse VV. DD. stuporem, tantam utriusque linguae inscitiam, ut, quum Graecae dictionis imitatio ad usum verbi *φιλεῖν* spectet, eam in singulari numero verbi a neutro pluralis numeri pendentis quaerant? Vere igitur et tamen inepte Gerlachius „exempla, inquit, huius locutionis apud alios scriptores frustra quaesieris." *Φιλεῖν* Graeci ita usurpant, ut id quod fieri gratum est alicui, vel quod ex more alicuius fit adeoque fieri solet hoc verbo significent, duplici structura usi; aut enim *φιλεῖν* cum nominativo substantivi vulgari modo coniungunt, aut absolute id ponunt sequente infinitivo vel accusativo cum infinitivo. Prioris generis haec sunt: Thucyd. VIII, 1, extr. ὅπερ *φιλεῖ δῆμος* ποιεῖν, ex quo loco fortasse expressa sunt verba *vulgus amat fieri*, a Quinctiliano laudata. ibid. III, 42, in. *νομίζω δὲ δύο τὰ ἐναντιώτατα εὐβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε καὶ ὀργήν· ὧν τὸ μὲν μετὰ ἀνοίας φιλεῖ γίγνεσθαι, τὸ δὲ μετὰ ἀπαιδευσίας καὶ βραχύτητος γνώμης.* Herodot. II, 27. *αὔρη δὲ ἀπὸ ψυχροῦ τινος φιλέει πνέειν.* III, 82. *ἐν ὀλιγαρχίῃ πολλοῖσι ἀρετὴν ἐπασκέουσι ἐς τὸ κοινὸν ἔχθεα ἴδια ἰσχυρὰ φιλέει ἐγγίνεσθαι.* VII, 9, extr. *αὐτόματον γὰρ οὐδέν, ἀλλ' ἀπὸ πείρης πάντα ἀνθρώποισι φιλέει γίνεσθαι.* VII, 10, 5. *φιλέει ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν.* ibid. §. 6. *ἐκ σφαλμάτων ζημίαι μεγάλαι φιλέουσι γίνεσθαι.* VII, 160. *ὀνείδεα κατιόντα ἀνθρώπῳ φιλέει ἐπανάγειν τὸν θυμόν.* Herodian. I, 2, 8. *φιλεῖ γάρ πως ἀεὶ τὸ ὑπήκοον ζήλῳ τῆς τοῦ ἄρχοντος γνώμης βιοῦν.* Absolute positum est *φιλεῖ* in his: Herodot. VII, 27. *φιλέει δέ πως προσημαίνειν, εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνεϊ*

2 tia. Ita populus ludibrio habitus ex concione discedit; Iugurthae Bestiaeque et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Erat ea tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiva, Gulussae filius, Masinissae

ἔσεσθαι. Aristoph. Nubb. v. 802. ed. Bekker. (811. Reisig.) φιλεῖ γάρ πως τὰ τοιαῦθ' ἑτέρᾳ τρέπεσθαι. Thucyd. III, 81. πᾶσά τε ἰδέα κατέστη θανάτου, καί, οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅτι οὐ ξυνέβη. ibid. VII, 80, med. καὶ αὐτοῖς, οἷον φιλεῖ καὶ πᾶσι στρατοπέδοις, ἐμπίπτει ταραχή. ibid. VII, 79, a med. ἔτυχον δὲ καὶ βρονταί τινες ἅμα γενόμεναι καὶ ὕδωρ, οἷα τοῦ ἔτους πρὸς μετόπωρον ἤδη ὄντος φιλεῖ γίγνεσθαι. Herodot. VIII, 28. περιέδραμε ὅμιλος, οἷα φιλεῖ γίνεσθαι ἐν πολέμῳ. Dio Cass. XXXIX. p. 199. D. Reim. οἷα φιλεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις γίγνεσθαι. ib. XLI. p. 268. C. οἷα που φιλεῖ περὶ τῶν τοιούτων ἐπὶ τὸ φοβερώτερον ἀγγέλλεσθαι. ib. XLI. p. 292. A. XLIV. p. 391. C. Plura vide aqud Stallbaumium ad Platonis Sympos. p. 182. C. (p. 54. ed. Goth.) Iam quamquam certum est Romanos *amare* ad graeci verbi φιλεῖν exemplum usurpasse, tamen florentis linguae scriptores spreta absoluta structura, nonnisi cum *nominativo substantivi* posuisse reperiuntur. cf. Sall. Iug. XLI, 3. *Scilicet ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere.* Horat. Sat. I, 4, 87. *Saepe tribus lectis videas coenare quaternos, E quibus unus amet quavis aspergere cunctos*, ubi v. Bentlei. Ibid. I, 10, 60. *Ac si quis pedibus quid claudere senis (hoc tantum, contentus amet scripsisse ducentos ante cibum versus.* Od. II, 3, 10. *Qua pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant.* ib. III, 16, 9. *Aurum per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa.* Epod. VIII, 16. *Quid quod libelli Stoici inter sericos Iacere pulvillos amant.* Tacit. Ann. IV, 9, 2. *Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut fere amat posterior adulatio.* Absolutum φιλεῖν verbi usum ad *amare* transtulerunt seriores tantum et minus probae Latinitatis scriptores, velut Dictys I, 3. *Sicut in tali re fieri amat.* Q. Septim. I, 3. *Per omnem insulam, sicut in tali re fieri amat, fama in maius divulgatur.* Auson. ad Gratian. I. *Ut apud Deum fieri amat.* — *Discedit,* quod longe plurimi codd. tenent, cum Gerlachio restituimus; Cortius enim scripserat *discessit*, quod in ceteris est,

nepos, qui, quia in dissensione regum Iugurthae advorsus fuerat, dedita Cirta et Adherbale interfecto profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui 2
proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe

ratus perfectum a librariis propter *augescunt* in praesens mutatum esse. Concedo hanc temporum variationem ferri posse, si omnes codd. consentirent, v. ad c. XII, 4; sed h. l. scribarum pars prius praesens, vel ut perspicuitati consulerent, vel incuria in perfectum mutarunt; posterius ne parem depravationem experiretur ipsa verbi natura prohibuit.

XXXV. §. 1. et 2. *Erat ea tempestate*] Cortius praeeunte Grutero, quem etiam Havercampus sequitur, nihil de suis codd. monens scripsit *ea erat tempestate;* sed novem Leidd. in quibus L., omnes Wassii, Bas. 1. Teg. Bern. 3. Berol. 1. 2. Goerlit. et omnes, ut videtur, Itali *erat* praemittunt, quod narrationi magis convenit. — *Minucii Rufi* praenomen in omnibus codd. *Quintus* est, contra aliorum scriptorum auctoritatem, qui eum *Marcum* vocant; v. Liv. Epit. LXV. Freinshem. ad Flor. III, 4, 5. Pighii Annall. Vol. III. p. 120. — *Iugurthamque* optimi tenent codd. ut Naz. Bas. 1. Sen. 1. Fabr. 1. Leid. L. Teg. Erl. Wassii Reg. et Pembr. cum duodecim aliis. Reliqui copulam non habent, eamque omiserunt Cortius et Gerlachius in ed. maiore, quo non solum structura valde dura fit, sed etiam sententia obscuritate laborat. Sublata enim copula vix patet utrum verba *Iugurtham — urgeat* ad protasin an ad apodosin pertineant, ac multos editores re vera ita lapsos esse monuit Cortius. Quodsi reputaveris copulam excidisse, quia in antiquis codd. scriptum erat IUGURTHAMQOB, non dubitabis quin eam recte revocaverimus; v. ad §. 6. et ad c. XXXVIII, 9. LXXIX, 3. — *Metu* editt. Bipp., Langius, Muellerus, Gerlachius et Faber mirifice praecipiunt sensu passivo intelligendum esse, verba explicantes: quoniam Iugurtha non modo invisus sit Romanis, *sed etiam ab iis timeatur.* Sed quod provocant ad Non. II, 554. et ad Gell. NN. AA. IX, 12, extr. qui, ut doceant *metus* passive dici, haec laudant Sallustii ex Historiis (Fragmm. I, 11. Gerl.) *id bellum excitabat metus Pompei victoris,* id prorsus ab h. l. alienum est, quum passivus quem dicunt sensus *genitivi* ratione nitatur. Quamquam igitur *Iugurthae metus* legitime non solum metum significat, in quo ipse est, sed

Masinissae sit, Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat, regnum Numidiae ab senatu petat.
3 Avidus consul belli gerundi moveri quam senescere omnia malebat; ipsi provincia Numidia, Minucio

etiam qui aliis ab illo fit, sive quem patitur et quem facit (cf. Quinctil. VI, 2, 21.), tamen nemo verba *Iugurtham metus urget* de metu quem ipse aliis injiciat capiet, quippe quibus verbis non Iugurtham *timeri*, sed potius *metu agitari* declaretur. Ad hoc quis sibi persuadeat Romanos a rege timuisse, qui pace facta in deditionem venisset, qui *cultu quam maxume miserabili* Romam accessisset, v. XXXIII, 1., cuique ne in tam potentibus quidem amicis satis praesidii esset, quae omnia *quanto in timore Iugurtha fuerit* satis ostendunt.

§. 3. *moveri*] Ita plurimi habent codd. et ante Cortium in edd. legebatur. Is vero ex quattuordecim codd. suis *movere* edidit, approbantibus recentioribus omnibus. Sed solus Faber vidit in hac lectione *omnia* ita esse positum, ut ad prius verbum relatum *obiectum*, ad posterius *subiectum* sit, quae structurae insolentia non eo excusatur, quod V. D. observavit interdum eandem vocem simul subiecti et obiecti vim sustinere, velut supra c. XIV, 17. *Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent.* XXXI, 18. *Quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est.* In his enim exemplis facilis excusatio parata est eo, quod vocabulum duorum casuum potestatem simul sustinens, praecedit utrumque verbum, non subsequitur, ut nullo negotio cogitatione eam formam, quae ad structuram requiritur, supplere possis; sed vix voles, sensu facile ad intelligentiam monstrante viam. Ubi vero nomen, quod ad alterum verbum relatum subiectum est, ad alterum, obiectum, haec verba sequitur, quia isto modo qualis prioris verbi structura sit, sciri non potest, non videtur recte ita dici potuisse. Et si potuisset, nostro certe loco infinitivus passivi vel propterea praestat, quod probabile est consulem non *ipsum* voluisse belli *caussam et auctorem* videri, sed id egisse, ut *res bellum* excitasse crederentur. Librarii autem non aliam ob caussam *moveri* mutarunt in *movere*, quam quod activum et passivum in eadem enunciatione non recte haberi putarent, quod alibi etiam similes turbas genuisse ostendimus ad Cat. LI, 43. cf. Liv. XLII, 24, 8. *Nec novos statuere fines, sed veteres observari in animo habere.*

Macedonia evenerat. Quae postquam Massiva agi- 4
tare coepit, neque Iugurthae in amicis satis praesidi est, quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor impediebat, Bomilcari, proxumo ac maxume

III, 46, 5. *Placuit impigros iuvenes pergere inde recta ad portam, et Virginium acciri e castris.* V, 39, 11. *Placuit sacra publica a caede, ab incendiis procul auferre, nec ante deseri cultum deorum.* Quamquam vix opus est his et similibus mutatum verbi genus defendere, quum *senescere* sensu instar passivi sit. De usu huius vocabuli translato, quod idem valet atque languescere, torpere, quiescere, v. ad Catil. XX, 10. Fragm. Historr. I, 30. Gerl. *Nisi quum ira belli desenuisset.* III, 22, 19. *Illis senescunt vires.* Adde Liv. XXX, 29, 10. *Multique alii ignobiles populi senescere Punicum bellum cernentes defecere.* V, 21, 13. *Senescit pugna.* Drakenborch. ad XXIX, 22, 8. *Iam senescente invidia.* Cui sententiae quam egregie respondeat *moveri* non est quod moneamus; inconsulto igitur et nulla codd. fide Bipp. edidere *novari*, quod in uno Guelf. 11. exstat. — Pro *evenerat* aliquot Rivii codd., duo Wassii et Fabric. 2. habent *obvenerat*, quod quamquam usitatum est, tamen *evenire* quoque recte habet. v. ad c. XLIII, 1.

§. 4. *coepit*] Nota praesens est cum perfecto coniunctum, de quo diximus ad c. XII, 4. — Pro *timor* nonnulli codd. Gruteri, Cortii, unus Wassii itemque Putschii exhibent *timor animi*, quod non malum esse patebit ex notatis ad Catil. LVIII, 2. Sed contra plurimorum codd. auctoritatem nihil novandum; et insiticium vocabulum esse id etiam ostendit, quod in paucis Palatt. legitur *timor populi*. — *Impediebat* Cortius recte explicat *quominus Iugurthae praesidio essent.* — *Proxumo* explicavimus ad Cat. XIV, 3. — *Massivae* Gerlachius pro dativo quidem, sed ab *insidiatores* apte habet, recoquens illud, quod iam ad Cat. XXXII, 1. in Commentt. p. 107. protulerat, substantiva verbalia casum verbi regere. Qui nostra ibi legerit, concedet, opinor, dativum hic a verbo *paret* repetendum esse. cf. etiam Iahnii Annall. Philol. et Paedag. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 64. — Verba *ac maxume occulte* primus Faber vidit non spectare ad praecedens *paret*, sed ad *interficiat*, quae sententiae ratio exegit, ut colon, in omnibus edd. perperam post *occulte* positum, Fabro praeeunte in comma mutaremus. Simul intelligitur *sin*, quae particula proprie refertur ad praecedens *si* (v. ad c. LVIII, 3.), respondere

fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat,
insidiatores Massivae paret, ac maxume occulte, sin
id parum procedat, quovis modo Numidam inter-
5 ficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur,
et per homines talis negoti artifices itinera egressus-
que eius, postremo loca atque tempora cuncta ex-
plorat, deinde, ubi res postulabat, insidias tendit.
6 Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati

maxume voci, cum ellipsi positae, quae per additam enunciationem condicionalem ita fere plenum sensum accipit: *si fieri possit maxume.* cf. infra c. XLVI, 4. *Persuadet, uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent.* Consimili modo *primum* et *principio* ita usurpant Latini, ut subsequatur condicionalis enunciatio negans, quae referatur ad suppressam aientem; cf. Terent. Eun. III, 2, 49. *Fac ores primum ut redeat; si id non commodumst, Ut maneat.* Id. Andr. II, 1, 26. *Nunc te obsecro, principio ut ne ducas. Sed si id non potest, saltem aliquot dies profer.* In tali nexu igitur voces *maxume*, *primum*, *principio* vernacula valent *womöglich; am liebsten, wenn's irgend angeht.* cf. etiam supra c. XIV, 3. cum annotatis p. 74. — *Parum procedat*, ita dictum etiam c. XI, 9. XLVI, 4. Liv. I, 57, 3. Cort. De *parum* voce v. ad c. XXXI, 9.

§. 5. et 6. *egressus*] Significantur hoc vocabulo tam egressus extra urbem, quam extra domum, omninoque etiam progressus in publicum; cf. Tacit. Ann. XI, 12, 3. *Messallina multo comitatu ventitare domum (Silii), egressibus adhaerescere.* ib. XV, 36, 3. *Audire (se) secretas civium querimonias, quod tantum aditurus esset iter, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent.* Cort. Plura Taciti exempla collegit Boetticher. in Lex. Tacit. h. v. p. 170. — *Postremo* non temporis sed *comprehendendi* vi positum est, de qua vide ad c. XVI, 3. — *Ex eo numero, qui — parati erant* proprie dici debebat *ex eorum n. qui* etc.; sed quum *numerus* pro iis *rebus* dicatur, quae aliquo numero continentur, pronomen, unde vocabulum *numerus* pendere debet, attractione cum hac ipsa voce coit. cf. Iug. XVIII, 4. *Herculis exercitus amisso duce brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae et Armenii navibus in Africam transvecti.* Catil. XXXII, 3. *C. Manlius ex suo numero ad*

erant, paullo inconsultius Massivam aggreditur, illum obtruncat; sed ipse deprehensus multis hortantibus et imprimis Albino consule indicium profitetur. Fit 7
reus magis ex aequo bonoque quam ex iure gentium Bomilcar, comes eius, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha manifestus tanti sceleris non 8
prius omisit contra verum niti, quam animum advortit supra gratiam atque pecuniam suam invidiam

Marcium Regem mittit. XLII, 3. Hirt. de B. Alex. c. 10, 2. *Quum aquandi caussa remiges in terram exposuisset, nonnulli ex eo numero ab equitibus hostium sunt excepti.* Relativum ubi sequitur, ut nostro loco, non ad proximum substantivum refertur, sed eo genere ac numero ponitur, quem postulat praegressi demonstrativi propria ratio. Iug. XXXVIII, 6. *Ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus.* Cic. p. Arch. poeta c. 12, 31. *Qui est ex eo numero, qui semper sancti sunt habiti atque dicti.* Cael. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 8, 22. *Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent.* Cic. Agrar. II, 14, 37. *Quum ex eo numero, qui per eos annos consules fuerunt, multi mortui sint.* cf. Aug. Matthias ad Cic. or. in Catil. II, 10, 21. Eadem attractionis ratio in vocabulo *genus* obtinet, quo de v. Ottonem ad Cic. de Finn. III, 21, 70. *Amicitia est ex eo genere, quae prosunt;* et paullo ante §. 69. *Commoda et incommoda in eo genere sunt, quae proposita et reiecta dicimus.* — *Erant* post *parati* Cortius cum Guelf. 10. omisit. — Pro *illum obtruncat* libentius scripsissem *illumque obtruncat*, ut est in Inc. 2. Franc. Leid. B. Erl. Bas. 4. Ita enim solent coniungi duae actiones, quarum altera consequens est alterius, ut Catil. XLIII, 2. Iug. XXVIII, 7. XXXII, 5. ac probabile est in relicuis codd. *que* compendio scriptum a sequente littera *O* interceptum esse; cf. ad §. 2. Tamen in re incerta asyndeton, quamquam durum, ferri posse puto. — *Indicium profitetur* non est profitetur se indicaturum, sed omnem rem fatetur atque edocet; cf. Tacit. Annall. VI, 3, 3. *Et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.* Suet. Domit. c. XIII. Seneca Excerpt. Controv. X, 6. His a Cortio allatis Faber addidit Auct. B. Alex. c. LV. 3. Curt. VIII, 6, 23.

§. 7. et 8. *Fit reus magis ex aequo* etc.] Horum verborum sensum plurimi editores obscurissimum rati multa commentati sunt, ad

9 facti esse. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis quam vadibus consulens clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus ne relicuos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret, et ipse paucis diebus profectus est, iussus ab

rationem *aequi bonique* atque *iuris gentium* illustrandam. Sed res simplicissima est. *Ex iure gentium* enim non poterat reus fieri Bomilcar, qui comes Iugurthae, cui fides publica data erat, Romam venisset, eademque ut ille securitate frueretur; sed rei per se spectatae atrocitas postulabat tantum scelus non impunitum omitti. *Aequum* igitur erat in ius eum vocari; sed *bonum* etiam, i. e. utile reipublicae, ne in posterum alii fide publica confisi similia auderent. — De loco *Bomilcar* nominis v. ad c. XIII, 7. — *Manifestus* c. *genit.* illustravimus ad Cat. LII, 36. Adde Tacit. Ann. XIII, 23, 1. XIV, 29, 1. — *Animum advortit* ita exstat in Arondel., uti Sallustius dixit infra c. LXIX, 1. ubi v.

§. 9. *in priore actione*] Ubi plures actiones memorantur, in priore solebat caussa cognosci, crimina ab accusatore singulatim percenseri, testesque interrogari; v. Heinecci Antiqq. Iur. Rom. IV. Tit. XVIII. §. 24. p. 761. ed. Haubold. Ernesti Clav. h. v. Tum altera actione perpetua accusatoris oratione crimina exagitabantur. Sed una tantum admissa actione statim post finitam defensionem iudices in suffragia mittebantur; v. Heinecc. l. l. §. 30. p. 705. Actione instituta actor *vadabatur reum*, i. e. iubebat eum sponsoribus datis polliceri se die ad agendum constituto affuturum; v. Ernesti Clav. Cic. v. *vadari*, et Heinecc. l. l. IV. Tit. VI §. 20. p. 674. Intprr. ad Liv. III, 13, 8. Ceterum nota paullo confusius auctorem orationem instituisse; quam si ex vulgaribus grammaticae regulis intelligere velis, mirifice te impeditum sentias. Quamquam enim *Iugurtha* totius enunciationis subiectum est, ut docent verba *igitur Bomilcarem dimittit*, cum praegressa sententia arcte cohaerentia, tamen interposita verba *quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat* ad Bomilcarem spectant, non significato novo subiecto. Sed cur hoc licentiae sibi indulgeret Sallustius duas caussas habuit. Primum enim sentiebat rem ipsam satis docere haec interposita non ad Iugurtham, sed ad reum Bomilcarem esse

senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur saepe eo tacitus respiciens postremo dixisse, urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit.

XXXVI. Interim Albinus renovato bello commeatum, stipendium, aliaque, quae militibus usui

referenda; tum videbat aliam oriri obscuritatem si *Bomilcarem* ante *quamquam* posuisset, siquidem verba *regno magis quam vadibus consulens*, quae ad *dimittit* trahenda sunt, ad *dederat* spectare videri possent. Sed veteres non ubique cavisse sibi ab eiusmodi ambiguitate structurae iam monuimus ad c. I, 4. supra c. XXIX, 1. *Ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat* (sc. Calpurnius) *asperitatem ostendere coepit.* cf. Liv. XXXVI, 31, 7. *Diophanes Quinctio occurrit, et quum caussas oppugnationis exponeret* (sc. Diophanes), *castigatum leniter dimittere exercitum iussit* (sc. Quinctius), ubi v. Drakenborch. — De omissa *tamen* particula ubi *quamquam* praecessit v. ad c. XXXIII, 2. — *Popularis* formam servavit Guelf. 1., fortasse quia scriba inepte coniungebat *popularis metus;* v. ad Cat. I, 1. — Pro *paucis diebus* aliquot codd. habent *p. post dieb.;* sed v. ad c. XI, 2. — *Eodem*, quod deest in Leid. M. N. et in Fabr. 1. inter versus legitur, omisit Cortius. — *Urbem venalem* etc. cf. Liv. Epit. LXIV. Flor. III, 1, 18. Oros. V, 15.

XXXVI. §. 1. et 2. *aliaque, quae*] Cortius non monito lectore *que* eiecit, quod plerique omnes, ut videtur, codd. habent. Gerlach. qui in textu vulgatam secutus est, in Commentt. p. 268., quum in Ven. 4. copulam m. pr. abesse vidisset, Cortii temeritatem probat, „quia etiam aliis locis copula omissa sit.“ Sed nugas se egisse ipse in ed. minore tacite profitetur vulgata retenta. V. ad c. XXXVII, 4. Cat. III, 5. p. 21. Drakenborch. ad. Liv. XLI, 2, 11. — *Maturat portare* illustravimus ad Catil. c. XXXVI, 3. Plurima verbi *maturare* cum infinitivo iuncti exempla contulit Gronovius ad Liv. XXXIX, 45, 6. cf. infra c. LXXIX, 5. *Portare* autem proprie dicitur de omnibus rebus, quarum in bello usus est, in sedem belli transferendis; v. ad Cat. VI, 5. p. 35. Iug. CIV, 3. Plaut. Epid. III, 2, 7. — *Alias, deinde alias* tetigimus ad c. XVIII, 7. — Pro *consulem ludificari* Arusianus Mess. v. *ludificor* (in Corpore Grammatt. Latt. ed. Lindem. T. I.

forent, maturat in Africam portare, ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis aut deditione aut quovis modo bellum
2 conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias morae caussas facere, polliceri deditionem ac deinde metum simulare, instanti cedere et paullo post, ne sui diffiderent, instare; ita belli
3 modo, modo pacis mora consulem ludificari. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consili regis existumarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis quam dolo crederent.

p. 245.) refert *principem ludificari*, cuius loco in Maii editione, qui Exempla elocutionum Frontoni tribuit, legitur *praecipem ludificari.* Id quamquam ab omnium codd. scriptura longe recedit, tamen, quia cum sententiarum nexu bene convenire videbatur, mihi aliquando placuit, ut significavi in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 45. Sed quum emendata Lindemanni Edit. ostendat *praecipem* falsam lectionem esse, in promptu est *principem* memoriae lapsu pro *ducem* ab Arusiano esse scriptum. Sed *ludificari* formam non dubitavi pro activo *ludificare*, quod omnes codd. tenent, Arusiani auctoritate reponere, quam confirmat Taciti locus, ex hoc Sallustii expressus, Annall. III, 21, 3. *Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur cedens, ac rursum in terga remeans; et dum ea ratio barbaro fuit, irritum fessumque Romanum impune ludificabatur.*

§. 3. et 4. *tum*] Hanc particulam Gerlachius quamquam positu insolito ad *fuere* referendam dicit; sed si licet verba ita collocare, profecto licent omnia. Paullo melius Cortius et Faber *tum* censent ad *existumarent* spectare; sed sententia aeque ac particulae locus flagitat, ut *tum* ad *ignarum* referatur, quum *posterior* Albini ratio opponatur *prioribus* eius consiliis, principio belli initis. Hoc enim voluit Sallustius: nonnulli putarunt *post* multas res nullo successu a consule gestas eum *iam non amplius* Iugurthae deditionem efficere voluisse, sed ab illo corruptum clam ei favisse, ac *dolo* bellum

Sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat, Albinus Aulo fratre in castris pro praetore relicto Romam decessit. 4

XXXVII. Ea tempestate Romae seditionibus tribuniciis atrociter respublica agitabatur. P. Lucul- 2
lus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur, quae dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem 3
adductus Aulus, quem pro praetore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites mense

traxisse. *Dolo* enim, quod obiter monemus, non de insidiis capiendum, quibus dux Romanus Numidam capere studeret, sed de pravis consiliis, contra bonum publicum cum rege ad eius impunitatem clam initis. *Dolo* igitur praegnanti sensu est *dolo malo*, i. e. *malo animo, maligna mente.* cf. Cic. Top. c. 9, 10. *Dolus malus est, quum aliud agitur, aliud simulatur*, unde patet nostro loco doli notionem iam significatam esse verbis *haud ignarum cons. regis.* — *Ex tanta prop.* est *praegressá tantá prop.* ut recte vidit Cortius; cf. infra c. LXIX, 3. *Vagenses biduum modo ex perfidia laetati.* ad Cat. IV, 1. Davis. ad Caes. B. C. I, 70, 3. Plura congessit Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 646. §. 5. — *Tractum bellum* explic. ad LXXXIII, 3. — De *postquam* cum imperf. iuncto v. ad c. XIII, 5. p. 68. — *Pro praetore* quomodo intelligendum sit dictum ad c. CIII, 4. — *Decessit* satis multi codd. praebent; in aliis est *recessit* vel *secessit;* alii denique *discessit* exhibent, consueta permutatione. Quid horum verum sit, facile potest ex iis, quae ad c. XX, 1. diximus, intelligi. Tamen contra usum receptum auctor hoc verbum cum accusativo coniunxit; sed Cortius bene vidit *Romam decessit* brevitate insigni dictum esse pro: *provincia decessit et Romam se contulit*, cuius dicendi generis similia exempla habes c. XLI, 2. et LIX, 1. ubi v.

XXXVII. §. 2. *comitia impediebat*] De tribunorum plebis iure *intercedendo* comitia impediendi, quo iure exercendo omnia consilia irrita reddere poterant, accurate egit Ferd. Schulzius in libro de

Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat, magnisque itineribus hieme aspera pervenit ad oppidum
4 Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et saevitia temporis et opportunitate loci neque capi neque obsideri poterat (nam circum murum, situm

Comitiis Rom. p. 249—253. — *Que* particulam *magnis* adiectivo additam, quae in Fabr. 1. Guelf. 2. 12. Tur. 1. Teg. Bas. 4. Med. 11. et Vat. 5. deest, Cortius omisit, ratus asyndeton valde accommodatum esse, ad Auli properantiam significandam, quod quamquam Gerlachio in ed. minore ita placuit, ut voculam uncis includeret, nobis plane contra videtur. Praeterea omissâ copulâ in proclivi est voces *hieme aspera* eadem structurae ratione positas videri, quam habent antegressi ablativi; ita enim suadet membrorum aequalitas. Sed sensus docet posteriores ablativos vim obtinere enunciationis concessivae, ita concipiendae: quamvis hiems aspera esset; idque pertinet ad *magnis* vocabulum.

§. 4. *in praerupti montis extremo*] Contra morem suae aetatis Sallustius *extremo* substantivi potestate posuit; Latini enim non solum ubi varia loca aut tempora comparantur, sed etiam in singulis partibus eiusdem loci aut temporis discernendis *adiectivo* utuntur, genere, numero et casu cum substantivo congruo, ubi ex recentiorum linguarum ingenio substantivum ponitur. cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84. B. 4. p. 479. ed. IV. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. ampl. Vol. II. §. 37. p. 32. et §. 412. p. 320. Ruhnken. ad Ter. Adelph. Prol. v. 9. *In prima fabula*, i. e. in prima parte fabulae. Drakenborch. ad Liv. II, 33, 7. et imprimis Bremium ad Nep. Con. I, 2. Sed ab isto usu Tacitus saepissime discessit; cf. Hertel. ad Agricol. c. VI, extr. et ad c. XXIV, in. Ernesti ad Hist. III, 16. Ann. I, 61, 2 *Medio campi albentia ossa.* ibid. I, 64, 3. *Medio montium et paludum porrigebatur planities.* v. Ruddiman. Institt. Gramm. II. p. 64. n. 52. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 104. not. 4. p. 170. Praeivit tamen quodammodo istam structuram Sallustius, Iug. XC, 1. *Aestatis extremum erat.* XCIII, 2. *Ad summum montis egressus est.* Fragmm. Histor. I, 62. Gerl. *Medio diei;* et Livius XXVIII, 9, 1. *Extremo aestatis eius, qua haec in Graecia gesta sunt.* ibid. c. 37, 5. *Iam extremum autumni erat.* — *Situm* i. e. positum, collocatum. cf. Tacit. Annall. II, 7, 2. *veterem aram Druso sitam disiecerant.* cf. Donat. ad Ter. Adelph. III, 2, 33. qui *situm*

in praerupti montis extremo, planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat), tamen aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere, aliaque, quae incepto usui forent, properare.

est, inquit, quicquid in loco suo positum non evertitur. Cort. Ceterum Cortius et Langius *montis extremum* pessime interpretantur *montis radices*, murum in *infima* montis parte positum fuisse dicentes, quem errorem sana ratio per se redarguit.

cupidine caecus ob thesauros oppidi potiundi] Haec scriptura ante Cortium vulgata nuper a Gerlachio repetita est. Cortius enim quattuor voces *ob thes. op. potiundi* tanquam spurias omiserat, Grutero iam *νοθείας* suspicionem movente. Nititur ille maxime auctoritate duorum codd. Wassii, Laud. 3. et Balliol., qui tria verba *ob thes. oppidi* non habent. Tum Latine dici posse negat *cupidine caecus ob thesauros;* denique non ferenda esse verba, quia auctor eandem rem paullo ante significaverit. Intulisse autem librarios vana verba, ut membrorum aequalitati consulerent, ratos verbis *quo regi form. adderent* respondere debere *ob thes. op. pot.* Sed nihil horum verum est. Nam primum librorum consensus non temere spernendus. Tum egregie fallitur Cortius, qui *cupidine caecus ob thesauros* coniungendum putat, quasi *oppidi potiundi* pendeat ex nomine *thesauros;* cohaerent enim *cupidine caecus oppidi potiundi*, cuius cupidinis *caussam* continent interiecta verba *ob thesauros*, ex *potiundi* pendentia. Postremo intelligitur ipsas scripturae discrepantias non aliunde nisi ex male intellecta structura ortas esse; scribae enim codd. Laud. 3. et Ball. *cupidine* genitivum postulare rati, cui structurae tria illa vocabula obesse viderentur, solum *potiundi* retinuerunt. Aliam medelam tentarunt in Fabric. 1. et Tegerns. exarantes *ob thesauros potiundos*, scilicet quia haec ex *caecus* apta esse vellent. Sed utcunque est, hoc certe liquet, non potuisse istas varietates oriri, si verba a Cortio omissa non Sallustii fuissent. — *Que* post *alia* deest in Laud. 3. Acad. Struv. Ven. 4. et Vatic. 4. m. pr. quod Cortio praeeunte probavit Gerlachius; sed cf. ad c. XXXVI, 1. — Pro *properare* quindecim codd. habent *praeparare*, ex interpolatione. Vulgatam, quae propter memoratam Auli cupidinem sententiae unice convenit, bene defendit Cortius, coll. Tacit. Hist. I, 77, in. *Otho munia imperii obibat*, *quaedam ex dignitate*

XXXVIII. At Iugurtha cognita vanitate atque imperitia legati subdolus eius augere amentiam, missitare supplicantis legatos, ipse quasi vitabundus per

reipubl., *p l e r a q u e contra decus ex praesenti usu p r o p e r a n d o.* Ann. II, 31, 3. *Iuravit Tiberius petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem p r o p e r a v i s s e t.* ib. XIII, 17, 2. Eodem sensu dicitur *festinare aliquid*, ut Iug. LXXVII, 1. *Ni id festinaret.* Fragm. Histor. Inc. 144. Gerl. cf. Serv. ad Virg. Aen. IX, 401. et ad XII, 425.

XXXVIII. §. 1. *subdolus eius augere amentiam*] In Vin. 1. 2. Sen. 1. Bas. 1. 4. et tribus aliis Cortii, Leid. M. paucis Palatt. Par. B. C. D. E. Teg. Erl. Berol. 1. Misn. et Goerl. est *subdole;* in paucis aliis *subdolo*, in relicuis *subdolus*, quod cum Cortio propterea praeferendum duximus, quia scribis non in mentem venisset adverbium mutare, si in suis exemplis id invenissent; pro adiectivo autem cur adverbium dederint non difficile est ad videndum. cf. ad c. XXI, 1. Cat. LX, 3. *Illi haud t i m i d i resistunt.* Iug. XLIV, 6. *Pecoris et mancipiorum praedas c e r t a n t e s agere.* LII, 5. *Dum legatus f e s t i n a n s pergit.* LXI, 4. *Effecit uti ad se o c c u l t u s veniat.* LXXXIV, 1. *Marius m u l t u s atque f e r o x instare.* LXXXVIII, 6. *Quo improvisus g r a v i o r accideret.* XCIV, 2. *Ligus dubia nisu p o t i s s i m u s tentare.* CI, 1. *Speculatores c i t i sese ostendunt*, ubi v. Drakenborch. ad Liv. I, 28, 2. et ad II, 35, 3. Praeterea etiam ex eo colligi potest *subdolus* a Sallustio scriptum fuisse, quod in Fabric. 1. et Vin. 2. *eius* omissum est; qui defectus non scribarum consilio debetur, sed casu ortus est, extrema *subdo l u s* vocis syllaba pronomen intercipiente. Gerlachius in Commentt. p. 270. „Cortius, inquit, qui supra adiectivum pro adverbio positum improbaverat, h. l. contra codd. testimonia adiectivum pro adverbio reponit. *Tanta inconstantia viri*, qui multo plus ingenio, quam librorum testimoniis tribuit!" Hoc dicit Gerlachius, qui ipse in ed. mai. *subdole*, in minore *subdolus* scripserit I nunc, et dic non esse eum arrogantem, non fatuum! Certe intelliges ipsum suo ingenio merito nihil tribuere, quippe qui in utraque ed. codd. testimoniis obsecutus sit. — Pro *amentiam* codd. Wassii Reg. et Laud. 2., Leid. G. et Erl. habent *dementiam*, quae vocabula ita differre censet Herzogius ad Catil. XLII, 2. ut *dementia* mentem ponat quidem, at tamen *verum eius usum neget; amentia* contra indicet aliquem *mente*, i. e. cognoscendi et iudicandi facultate, intellectu, *omnino destitutum esse.*

saltuosa loca et tramites exercitum ductare; denique 2
Aulum spe pactionis perpulit, uti relicto Suthule in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur;

Sed veteres, non observato hoc discrimine, utrumque utroque verbo significasse cum ostendit Ciceronis testimonium Tuscc. III, 5, 10. *Animi affectionem, lumine mentis carentem, (maiores) nominaverunt amentiam, eandemque dementiam*, tum patet utriusque vocabuli exemplis, a Forcellino in unum conspectum datis. cf. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 3, 133. — Verba sequentia *quasi vitabundus* etc. Diomedes p. 397. sic refert: *vitabundus per saltuosa loca recedebat*, haud dubie ea ex memoria laudans, ut ostendit *recedebat* verbum ex arbitrio additum. Ea re seductus Gerlachius pro fragmento Historiarum habuit, et in Fragmm. Incc. 225. posuit. Plene haec verba memorat etiam Servius ad Virg. Aen. X, 341., nisi quod media transponit *per tramites et saltuosa loca*. Ceterum neque hic, neque Diomedes l. l. vim adiectivorum verbalium in *bundus* exeuntium assecuti sunt, *vitabundus* idem esse dicentes atque *vitantis similis*, quemadmodum *moribundus* sit *morienti similis*, secuti haud dubie sententiam Terentii Scauri, nobilissimi Hadriano imperante Grammatici, qui, ut Gell. NN. AA. XI, 15. auctor est, in libro „de consimilibus verbis" *populabundum* praeceperat esse eum, qui *populantem imitaretur*. Contra Apollinaris teste Gellio l. l. terminatione in *bundus* vim et copiam et quasi abundantiam rei, cuius id verbum sit, demonstrare iudicat, valde probante Gellio. Eius sententiam amplectitur etiam Zumptius in Gramm. Lat. §. 61. III, 1. p. 216. ed. IV. et Aug. Grotefend. in Gramm. Lat. schol. §. 126, 5. p. 102., eamque quum constanti scriptorum usu confirmatam viderimus, magis veram putamus, quam Herzogii rationem, ad Sall. Cat. XXXI, 9. propositam, qui *formae* nimium, ut videtur, tribuens, horum adiectivorum propriam vim tum actionis aut status *futuri* et in indefinitum durantis, tum voluntatis declaratione constare dicit. *Vitabundus* iterum legitur infra c. CI, 9. et Fragm. Hist. III, 18.

§. 2. *ita delicta occultiora fore*] Pro *fore* multi libri habent *fuere;* alii *forent*, alii *fuerunt*, unus alterque *essent*. Infinitivum tuentur Havercampus et Langius; *fuere* amplexi sunt Bipp., Muellerus et Gerlachius, varia prodita explicatione, quum quae verborum sententia quique nexus sit nemo interpretum, uno Fabro excepto, perspexerit. Cortius enim nullum verborum sensum hic se videre professus ea transposuit post *desererent*. Qui suo loco retinent, du-

3 ita delicta occultiora fore. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat; centuriones ducesque turmarum partim uti transfugerent corrumpere, alii signo dato locum uti desererent.

bitant utrum *delicta Auli* an *Iugurthae* intelligenda sint; illud Langius, hoc Muellerus et Bipp. statuunt. Tum ne de eo quidem consentiunt, *cuinam* delicta *occultentur;* Langius enim milites Auli intelligit; relicui tacite de Romanis, i. e. de Senatu, cui ratio factorum reddenda erat, cogitare videntur. Gerlachius denique, qui ex scripturae varietate perspici ait verba ab insulso Grammatico assuta eoque eiicienda esse, insulsum criticum se prodidit. Neque enim de traiiciendis, neque de expellendis verbis cogitandum est, siquidem sententiarum nexu considerato patet, antecedentia non satis perspicue dicta esse, et quaedam desiderari, quibus cur Iugurtha Aulum in abditas regiones abducere studuerit explicetur. Consilii caussa autem haec erat, ut ea, quae Aulum contra decus imperii delicturum speraret, occultiora forent, ne Romae, si quid detrimenti esset acceptum, certo sciri posset, utrum id ducis culpa, an adversa fortuna accidisset. Nam si Senatus rescivisset Aulum a Iugurtha vel corruptum vel deceptum rem male gessisse, Iugurtha ipse perfidiae crimen effugere non poterat. Quare *delicta* intelligenda sunt *Auli*, rege auctore commissa; *occultiora* autem ad Romanum Senatum spectat. Iam, opinor, luce clarius est *fore* scribendum esse, quum verba Iugurthae sententiam contineant; nihil est autem frequentius, quam accusativum c. inf. pendere ex dicendi vel cogitandi verbo, ex antecedentibus supplendo; v. ad c. VIII, 1. — *Ita* in simili nexu habes c. XXI, 4. v. ad Cat. VII, 6.; praeterea *nam* supplendum, ut saepissime apud Nostrum; v. ad c. V, 5.

§. 3. *die noctuque*] Gerlachius in ed. min. ex solo Paris. z. scripsit *diu noctuque*, quod fortasse non falsum est, sed unius libri auctoritate non satis firmatum videtur; v. ad c. XLIV, 5. et LXX, 1. — *Corrumpere* verbum in cod. Eccard. omissum Cortius tanquam spurium uncinis inclusit, Tellerus, quasi re certa, eiecit. Sed hi certe non senserunt quantopere orationis simplicitas ista re turbetur, neque attenderunt ad Sallustii morem narrationis ita instituendae, ut generali sententiae aliam, qua res per partes explicetur, subiiciat, cuius rei scite admonuit Langius, coll. c. XXIII, 1. *Cirtam dies noctesque aut per vim aut dolis tentare; defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare, suos hor-*

Quae postquam ex sententia instruit, intempesta no- 4
cte de improviso multitudine Numidarum Auli castra
circumvenit. Milites Romani, perculsi tumultu in- 5
solito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos

tando ad virtutem arrigere. Similiter h. l. verbis *exercitum tentabat* adduntur sequentia. *Partim* particulae autem respondet *alii*, ut c. XL, 2. LXXXIII, 3. LXXXVIII, 1.; solet enim Sallustius in bimembri structura, paria vocabula postulante, in alterius locum aliam dictionem, sed eiusdem sensus, substituere. cf. Cat. L, 1. v. etiam ad Iug. LXXVIII, 3. Constructio autem ita procedit, ut verba *uti transfugerent et uti desererent* ex interposito vocabulo *corrumpere* pendeant. — *Locum.* v. ad Cat. IX, 4.

§. 4. *instruit*] Ita Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Leid. L. Tur. 1. Teg. plurimique alii habent; in magna tamen codd. parte *instruxit* legitur, quod Cortius recte scribis deberi censuit, qui praesens *postquam* particulae non convenire censerent. cf. ad Catil. XL, 3. et ad LVII, 5. Iug. LXVI, 1. LXXVI, 6. LXXIX, 6. LXXX, 1. LXXXIV, 5. LXXXVI, 1. Inconsulto igitur Langius praeteritum praetulit. Quod enim dicit praesens non ubique intrudendum esse, id in eos locos cadit, qui codd. praesidio destituuntur, non item in nostrum. — *Intempesta nocte* explic. ad Catil. c. XXVII, 3. — Ante *multitudine* in Guelf. 9. et Erl. additum est *cum*, contra usum latini sermonis, quem illustravimus ad Cat. LVII, 4. — Paullo post Cortius auctoritate codd. Fabr. 1. 2. Vin. 1. Struv. Vrat. 1. Franc. et trium Guelff., quibus accedunt Tur. 1. Einsiedel. Vat. 2. 4. et Berol. 2., ordinem verborum vulgatum deseruit, scribens *tum. perc. insol.* quod quamquam per se non malum est, tamen non est cur ei ordini, quem longe plurimi codd. tuentur, praeferatur. — *Periculum anceps* Gerlachius in Commentt. p. 271. perperam explicat *incertum, dubium, cuius quae ratio esset parum constaret.* Aliquanto melius et magis ex loquendi usu, quem bene illustravit Bremius ad Nep. Themist. III, 3. et Herzog. ad Caes. B. G. I, 26, 1., Cortius *anceps per.* interpretatur *duplex, quod ex duabus partibus ingrueret*, sed male cogitat de periculo *in castris*, a violentia hostium, et *extra castra*, in fuga minime tuta. Verum vidisse Muellerum, qui *anceps periculum* dici censet *ex vi hostium et ex obscura nocte,* ipsa ostendunt auctoris verba, recte intellecta. Sallustius enim ex more ingenii sui tumultum illum ita describit, ut brevissimis verbis singulas eius partes sive formas complectatur, orationis amplificandae et per particu-

confirmare; trepidare omnibus locis; vis magna hostium, coelum nocte atque nubibus obscuratum, periculum anceps; postremo fugere an manere tutius
6 foret in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem, et centurio primi pili

las nectendae negligens. Quum igitur dicere debuisset *eoque per. anc. fuit*, omissa particula id, quod consectarium fuit, eodem loco ponit, quo id enunciaverat, quod caussam alterius continet.

§. 6. *ex eo numero, quos*] Hanc structurae rationem pluribus illustravimus ad c. XXXV, 6. — De verbis *cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum* haec fere habetur Cortii nota: „*Cohortes* et auxiliorum erant, et legionariae, eaeque ex peditibus, ut *turmae* equitum. *Ligures* socii populi Romani facti, postquam per multas clades tandem ab L. Aemilio Scauro in deditionem accepti sunt, v. Flor. II, 3.“ Eos in exercitu Romano contra Iugurtham militasse patet etiam ex c. XCIII, XCIV, et C, 2. — *Turma* erat triginta equitum; v. Varro de L. L. IV, 16. singulis autem legionibus decem turmae, triginta decurias continentes, addebantur. Errat igitur Cortius, qui in singulis legionibus triginta turmas fuisse dicit; cf. Nieupoort. Rit. Rom. V, 2, 1. p. 355. ed. IX. Nitschii Antiqq. Romm. Vol. II. p. 1418. ed. III. — Ante *gregariis* in cod. Inc. 2. Struv. Leid. G. et H. additum est *ex*; in Mark. *A.* vero m. sec. scripsit *pauci ex greg. mil.*, quod Wassio valde placuit. Sed utrumque haud dubie tentatum est a scribis, qui non intelligerent, quomodo duo adiectiva sine copula uni substantivo praemitterentur, de quo structurae genere v. notata ad c. XXX, 3. Ceterum Langius *gregarios* milites perperam dicit *Thracum* esse *pedites*; ex universa enim loci ratione patet *Romanos pedites* intelligi. — Pro *transiere* Fabr. 1. 2. Vrat. 2. Sen. 2. Heuss. Naz. Pal. 2. Misn. et Goerl. habent *transire*, quod Cortius recte iudicat propterea illatum esse, ne ad primarium subiectum (*cohors una*) singulari numero positum praedicati pluralis referretur. Quae constructionis ratio sit diximus ad Cat. XLIII, 1. p. 197.

centurio primi pili] In omni legione tria genera erant militum, *hastati*, *principes*, *triarii* sive *pilani*; c. Veget. II, 8. Singulorum

tertiae legionis per munitionem, quam, uti defende-
ret, acceperat, locum hostibus introeundi dedit, ea-
que Numidae cuncti irrupere. Nostri foeda fuga, 7
plerique abiectis armis proxumum collem occupavere;
nox atque praeda castrorum hostis quominus victo- 8
ria uterentur remorata sunt. Deinde Iugurtha po- 9
stero die cum Aulo in colloquio verba facit: tametsi

generum decem ordines erant, totidemque centuriones. *Primus* igitur *princeps* non solum primus ordo, sed etiam primus centurio inter principes dictus est, *secundus* deinde, *tertius*, usque ad *decimum*, iique ordine et honore sese excipiebant. cf. Liv. XXVI, 6, 1. *Primi principis signum.* Sic inter decem ordines hastatorum primus ordo honore insignis erat, eiusque centurio *primus hastatus*, Liv. XXVII, 14, 8. XXVI, 5, 15. Eodem modo inter decem centuriones triariorum sive pilanorum primus vocabatur *primus pilus* sive *centurio primi pili*, qui et relicuos triariorum, et primum principem et primum hastatum dignitate anteibat; cf. Caes. B. G. II, 25. (ubi v. doctam Herzogii notam.) De progressu ab inferiore honoris gradu ad superiorem insignis locus est apud Liv. XLII, 34. ubi Sp. Ligustinus de suo honorum cursu ita disputat: *Biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem; tertio anno virtutis caussa mihi T. Quinctius Flaminius decumum ordinem hastatum assignavit. — Miles voluntarius cum M. Porcio consule in Hispaniam profectus sum; — hic me imperator dignum iudicavit cui primum hastatum prioris centuriae assignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum; — a Man. Acilio mihi primus princeps prioris centuriae est assignatus. — Quater intra paucos annos primum pilum duxi.* cf. Lips. de Milit. Rom. II, 8. Ald. Manut. Quaesit. per Epist. II, 3. Cort. Adde Drakenborch. ad Liv. II, 27, 7. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 242. p. 376. ed. II. — *Eaque* ita ad praegressum nomen refertur, ut tantummodo universa *loci* notio, non grammatica forma vocabuli respiciatur; cf. ad Cat. LVII, 3. et ad Iug. XVIII, 2. Caes. B. G. V, 51, 4. Curt. III, 4, 7. Vell. II, 111. Bremi ad Nep. Eumen. VIII, 4.

§. 7.—9. *remorata sunt*] Praedicati ad plura nomina appellativa pertinentis genus illustravimus ad Cat. X, 2 p. 52. ibid. XX, 2. et 14. XXXI, 1. Iustin. I, 7, 7. — Pro *deinde* Cortius, ut solet in hoc

ipsum cum exercitu fame ferroque clausum tenet, tamen se, humanarum rerum memorem, si secum foedus faceret, incolumis omnis sub iugum missurum;

vocabulo, non monito lectore scripsit *dein;* sed receptam a nobis formam omnes relicui codd. tuentur. — *Tenet* longe plurimi optimique libri habent; sed in paucis Rivii, Guelf. 3. 11. et Leid. G. exstat *teneat*, in Barber. 2. *tenebat*, in Venet. 4. *teneret*, in Vat. 5. *tenent*, quae partim ex interpolatione, partim lapsu scribarum orta sunt. Nam qui scirent coniunctivum in oratione obliqua legitimum esse, *teneat* exararunt, unde errore aurium factum est *tenebat*, oculorum *tenent*, mentis *teneret*. Sed indicativus haud raro in oratione obliqua positus reperitur, si auctor vel suum ipsius iudicium alterius cogitationi immiscet, vel rei factae veritatem per se spectari vult, non ex aliena cogitatione considerari; cf. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. §. 411. p. 334. Adde notata ad Cat. XXVII, 4. et ad Iug. LXIII, 1. — *Que* copulam post *ferro* Cortius omisit, probante Gerlachio in Commentt. p. 271.; ita enim exstat in Mark. *A*. Guelf. 9. Inc. 2. Medic. 2. 7. Berol. 1., eamque scripturam quodammodo confirmare videntur codd. C. Popmae, Bas. 1. Acad. Struv. Rem. 1. Franc. Med. 4. 5. 8. Vatic. 1. 2. 3. 4. Einsiedel. Paris. x. z. Berol. 2. et Goerlit. qui *et ferro* habent; neque non aliquid auctoritatis suae sententiae eo accedere putat Gerlachius, quod in cod. Min. 2. legitur *ferro, fame*, quemadmodum etiam est in Misn. nostro. Sed valde verendum, ne magnopere falsus sit, qui ubique copulam scribis deberi censeat, ubi alii codd. *et*, alii *que* praebent. Quod haec vocula autem in nonnullis deest, id eo factum, quod *O* littera in vocabulo *ferro* copulae compendium *Q* absorbuit, cuius rei exemplum exhibuimus c. XXXV, 2. Praeterea ipsa verborum ratio talis est, ut copula vix abesse possit, siquidem gradationi, cui ista ellipsis convenit (v. ad c. XX, 8.), hic nullus locus est. In novissima ed. Gerlachius iudicii inopiam testatur *et ferro* scribendo, ut quam ex tribus scripturis probet ipsum nescire pateat. — In verbis *fame clausum* zeugma haberi Cortius recte monuit, participio proprie ad *ferro* tantum pertinente; v. ad c. XIV, 9. XLIX, 4. *Uti quemque p e c u n i a aut h o n o r e e x t u l e r a t.* Gell. NN. AA. XIII, 23, extr. *Qui se nihil habere et nihil tamen agere ac nihil cupere dicunt, quum et h a b e n d o et a g e n d o et c u p i e n d o a r d e a n t.*

memorem] Praeeuntibus Bipp. et Gerlachio semicolon huic voci pessime additum in comma mutavimus, sententia ita flagitante; inepte

praeterea, uti diebus decem Numidia decederet. Quae 10
quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen, quia mortis metu mutabant, sicuti regi libuerat, pax convenit.

enim antea voces *hum. r. mem.*, quae appositionem faciunt, pro apodosi erant, ut *inclusus Romanorum exercitus* responderet Iugurthae *animo humanarum rerum memori.* Sed res ipsa docet ad verba *tametsi ipsum cum exercitu clausum tenet* apodosis vi spectare haec *tamen se incolumis omnis sub iugum missurum*, relicuis interpositis. Ceterum Gerlachius in ed. novissima scripsit *mem. hum. rerum*, quo ordine verba exstant in Bas. 1. 4. Tur. 1. Bern. 1. 3. Paris. b. x. z. Berol. 1. 2. Misn. et Goerl. Sed cum de ceteris non constet, vulgatam mutare noluimus. — Dictionem *foedus facere* multis illustravit exemplis Drakenborch. ad Liv. I, 13, 4. — Pro verbis *sub iugum* Vin. 1. Vratisl. 3. et Misn. habent *sub iugo*, quae discrepantia etiam infra c. XLIX, 2. in duobus codd. reperitur. cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 7, 4. et Drakenborch. ad Liv. III, 28, 11. Quin ablativus quoque poni possit non dubium videtur, quamvis mutata cogitandi ratione; sed accusativus rei naturae magis convenit, usuque loquendi et Festi auctoritate (Gramm. Lat. Vol. II. p. 244. ed. Lindem.) ita confirmatur, ut pauci codd., qui ablativum praebent, in censum non veniant. De re ipsa v. Livii l. l. et Dionys. Halic. Antiqq. Rom. III, 21. Liv. IX, 6, 1. IX, 8, 9. X, 36, 14. Quod Iugurtha autem Romanos sub iugum mittere postulavit, id non fecit ex more Numidarum; sed quo gravius victos affligeret, illorum morem, sibi cognitum, in ipsos adhibuit. — *Diebus decem* explicavimus ad c. XI, 2. — Pro *decederet* Bas. 1. Med. 9. Ven. 3. *discederet*, Vatic. 5. *discederent.* Sed v. ad c. XX, 1.

§. 10. *quamquam gravia*] Unus cod. Rivii et Reg. Wassii *gravia quamquam;* male. — *Mutabant* primum Palmerii coniectura proditum postea in uno Gerlachii cod. Min. 1. repertum est. Librorum h. l. tanta est dissensio, ut vix usquam maiores turbas dederint. Nam Guelf. 1. 2. 4. 9. Fabr. 1. Acad. Struv. Inc. 2. Franc. Vratisl. 3. Leid. A. B. D. H. I. K. M. Nazar. et Pal. 2. a m. pr. Pal. 8. Reg. B. Publ. Pembr. Mark. *Γ. Δ.* Bas. 1. 4. Tur. 1. Erl. quinque Parisini et aliquot Rivii codd. habent *mutabantur;* Inc. 1. Guelf. 7. Pal. 5. Berol. 1. *multabantur;* Sen. 1. Vin. 1. Fabr. 2. Leid. C. L. Bern. 3. aliquot Gruteri et C. Popmae *minitabantur;* Goerl. *metum minitabatur;* unus Popmae *nitebantur;* Eccard. Leid. E. F. Guelf. 10. 12. Pal. 7. Bern. 1. Misn. Berol. 2. *tenebantur;* Guelf. 11. *tenebatur;* Vin. 2.

XXXIX. Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere. Pars dolere

Leid. G. unus Popmae *cogebantur;* Vrat. 2. *cogebatur;* Sen. 2. Heuss. *angustiabantur;* Vrat. 1. *urgebantur*, quod etiam Glareanus in uno cod. margini ascriptum invenit; Palat. 6. *urgebatur;* Leid. N. *terrebantur;* Guelf. 3. *mortis metuebant pericula;* Laud. 1. 2. 3. Bodl. *nutebantur;* Arond. *tegebantur;* Martin. *nutabant*, quod etiam in nonnullis Rivii et Coleri libris fuit. In hac tanta scripturae diversitate non est mirum aliis editoribus alia placuisse, quae singula examinare non est animus. Sed quaerenti unde istae turbae fluxerint, hoc, opinor, constabit, primitus in textu verbum aliquod fuisse, propter structurae et sententiae obscuram quandam rationem multis explicationibus aut glossis tentatum, quae in textum inferrentur, et ipsae aliis depravationibus ansam praeberent. Accurate autem consideratis omnibus tale reperitur *mutabant* fuisse; inde enim ex una parte fluxit *mutabantnr*, ex altera *nutabant;* ex illo iterum *multabantur*, ex hoc *nutebantur.* Merae autem interpolationes, probabilem modo sensum quaerentes, sunt hae, *minitabantur*, *terrebantur*, *angustiabantur*, *urgebantur*, *cogebantur*, *tenebantur*, unde rursus scribarum lapsu factum *urgebatur*, *cogebatur*, *tenebatur.* *Mutabant* igitur multi editores, obscuro quodam sensu ducti, in textum receperunt, sed in eo explicando valde adhuc dissentiunt. Cortius enim activum pro passivo dictum censet, cuius usus exempla laudat Catull. Carm. XXII, 10. *Suffenus unus caprimulgus aut fossor Rursus videtur; tantum abhorret ac m u t a t.* Liv. III, 10, 6. *Quod intercidit sparsum ita iacuisse per aliquot dies, ut nihil o d o r m u t a r e t,* ubi Drakenborch. adhuc contulit V, 13, 1. XXIX, 3, 10. XXXIX, 51, 10. Gell. XVIII, 12. Tacit. Ann. XII, 29, 1. Adde Ann. II, 23, 3. *Postquam m u t a b a t aestus*, ac v. Boetticheri Lex. Tac. p. 313. Forcell. Tom. III. p. 129. Iam Cortius *mutabant metu mortis* interpretatur „*permutabantur cum metuenda morte* i. e. accipiebantur pro morte; et nisi acciperentur, ferro aut fame moriendum erat.“ Sed quamquam verum est *mutare aliquid aliquo* idem esse atque permutare aliquid cum aliquo, sive alterum dare et concedere, ut alterum obtineas, tamen ea sententia neque continetur exemplis, quibus Cortius usus est, (sunt autem haec: Cat. LVIII, 15. *Nemo nisi victor pace bellum mutavit.* Fragmm. Historr. III, 22, 26. Gerl. *Cuncta praesenti ignavia mutavistis.* Catull. Carm. XII, 7. *Crede fratri, qui tua furta vel talento mutari velit.*) neque, si illis inesset, in nostro loco inest aut ei convenit. Nam, quo haec ratio plane

pro gloria imperi, pars insolita rerum bellicarum timere libertati, Aulo omnes infesti, ac maxume qui

evertitur, *mutare* hoc sensu transitivum est, necessario accusativum obiecti adiunctum sibi postulans; ubi autem ea vi positum est, quam Cortius probante licet Ruhnkenio ad Vell. II, 82, 1. falso passivam dicit, reflexiva potestas obtinet, de qua vide quae diximus ad Cat. VI, 7. p. 37. Cuius ratio quum eo constet, ut subiectum tacite in obiecti locum transeat, patet *mutare* non idem esse atque *mutari* sc. *ab aliquo*, sed *se mutare*, *se ipsum immutare*. Quare vides quam absurdum sit *mutabant* reflexive positum ita intelligere, quasi *graves illae condiciones a Romanis mortis metu mutatae essent*, ne dicam in hac sententia *mortis metum* incommode memoratum videri, quum Romanis tantummodo inter pacem ignominiosam et *mortem*, neque vero inter illam et *mortis metum* eligendi copia relicta esset. Cortio ineptius etiam Langius „*mutare*, inquit, idem est quod *pacisci*, siquidem omne pactum mutatio quaedam est; cf. Cat. LVIII, 15. Quare sensus est: quia mortem metuentes *pacem faciebant*.“! Utroque non melius egit Gerlachius, qui editam a se scripturam *mutabantur* ita explicat: *quia hoc modo mortis metu liberabantur*, scilicet „quoniam *mutare* pro *permutare* dictum sit.“! Sed ne diutius haec atque talia exagitemus, *mutabant* non *Romanos* subiectum habet, ut Langius et Gerlachius putant, sed ad *quae* spectat, hoc sensu: *quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen, quia propter mortis metum se mutabant*, i. e. alia videbantur atque erant, quippe quae summa rerum necessitate coacta aut aliquam excusationem habere viderentur, aut quam turpia essent non sentirentur; eoque factum, uti pax conveniret. Obiter monemus Bipontinos et Muellerum edidisse *nutabant*. — Usum *convenire* verbi sine persona et praepositione *inter*|positi, illustravit Bremius ad Nep. Hannib. VI, 2. *Condiciones non convenerunt*, laudato Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 20, 53. et Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 23. cf. Drakenborch. ad Liv. XXX, 3, 7. et quae infra annotavimus ad c. LXXXIII, 2.

XXXIX. §. 1. *comperta sunt*] Vim huius vocabuli explicavimus ad c. XVII, 2. — *Dolere pro gloria* Gerlachius annotat insolenter dictum esse, quum *dolere* legitime aut cum accusativo, aut cum ablativo vel solo, vel additis *de*, *ex*, *a* praepositionibus construatur. Sed non reputavit V. D. has structuras omnes ab h. l. alienas esse, quippe quibus dolor rei significetur, quam aegre feras et abesse cupias; qui autem *doleat de dedecore* imperii, non possunt dici *do-*

bello saepe praeclari fuerant, quod armatus dede-
2 core potius quam manu salutem quaesiverat. Ob ea consul Albinus ex delicto fratris invidiam ac deinde periculum timens senatum de foedere consulebat, et tamen interim exercitu supplementum scribere, ab sociis et nomine Latino auxilia accersere, denique

lere de, sive *ex gloria imperii.* Quare *pro* proprie positum est ad significandum dolorem illum non ad rem detestatione dignam, sed ad rem bonam in discrimen vocatam, cui faveas, pertinere; cf. quae Hoffmannus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1828. Vol. II. Fasc. I. p. 28. scite de universa huius praepositionis potestate disputavit. A nostri loci ratione non multum abit structura a Cicerone usurpata de Finn. I, 7, 24. *Ut omittam dolorem, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit.* Alieniora autem sunt exempla a Gerlachio laudata, Tacit. Agric. c. XXVI. *Securi pro salute*, ubi v. Walch. p. 314. et Liv. IV, 54, 7. *Patres non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere;* in his enim *pro* in universum *rationem, qua duae res continentur*, significat. — *Bello praeclari* ita dictum ut *bello bonus*, de quo v. ad c. VII, 5. et XIII, 1. — *Quaesiverat* tenent Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Inc. 1. 2. Acad. Vin. 2. Struv. Vrat. 1. Guelf. 2. 3. 7. 9. 10. 11. 12. Leid. B. C. E. F. G. H. I. K. Paris. b. c. x. z. Misn. Berol. 1.; in reliquis est *quaesiverit*, quod olim vulgatum, a Weissio reductum est. Sed Cortius indicativum recte praetulit, quum incommodum sit hanc sententiam, qua res facta continetur, ad subiectivam eorum cogitationem referri, qui ea infesti erant; cf. Cat. XVIII, 3. et quae de utroque loco diximus in Ephemeridd. Scholl. a. 1829. Sect. II. N°. 130. p. 1070. — Vim *quaerere* verbi illustravimus ad c. III, 3.

§. 2. *Ob ea consul*] Gruterus aut haec verba, aut quae statim sequuntur *ex delicto fratris* spuria censet, tanquam a glossatore inserta; sed Cortius vere vidit diversas res significari. Sensus est enim: consul *in hoc* moerore, metu et indignatione civium omnium *sibi* magnam invidiam venturam timens, *quia* haec mala *fratris sui culpa et delicto* orta erant. *Ex* enim caussam significat; v. ad Cat. XII, 2. coll. Iug. V, 4. XL, 5. — *Exercitu* primitus fuit in Nazar. et Fabr. 1. cf. ad c. VI, 1. Dativi rationem expedivimus ad Cat. XXXII, 1. et ad Iug. XIV, 24. — De *sociis et nomine Latino* v. ad c. XLIII, 4.

modis omnibus festinare. Senatus ita, uti par fuerat, 3
decernit, suo atque populi iniussu nullum potuisse
foedus fieri. Consul impeditus a tribunis plebis, ne 4
quas paraverat copias secum portaret, paucis diebus in
Africam proficiscitur; nam omnis exercitus, uti conve-
nerat Numidia deductus, in provincia hiemabat. Post- 5

Accersere longe plurimi libri habent; pauci *arcessere;* v. ad Cat. XL, 6. et Doederlin. Synonym. Lat. Vol. III. p. 282.

§. 3. *uti par fuerat*] Langius *fuerat* pro *erat* dictum esse iudicat, quod non plane contemnendum est, si hoc voluit, in tali nexu imperfectum potius quam plusquamperfectum exspectari. Sed nihilominus *fuerat* ita potest intelligi, ut propria eius ratio quodammodo constet, si statuas ab auctore non tantum respici ad illud tempus, quod *tunc erat*, sed mente reverti etiam ad *superius*, quo eadem res iam valuerat, ita ut hoc dicere videatur: Senatus decernit sui atque populi iniussu nullum potuisse foedus fieri, ut non solum *tunc par erat*, sed omnino more insitutisque populi Romani iam ab antiquissimo tempore in tali re *par fuerat.* Vides igitur plusquamperfectum simul continere imperfectum, in quo assentientes habemus Ramshornium Gramm. Lat. §. 164. not. 7. p. 402. et Aug. Grotefendum Gramm. Lat. schol. §. 175, 1. p. 141. cf. Iug. XXVI, 3. *Iugurtham uti quisque armatis obvius fuerat, interfecit.* XLI, 5. *Omnia in duas partis abstracta sunt; respublica, quae media fuerat, dilacerata.* Cic. de Orat. I, 7, 24. *Dici mihi memini ludorum Romanorum diebus L. Crassum se in Tusculanum contulisse; venisse eodem, socer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur.* V. etiam quae diximus ad Cat. XXXVII, 1. — *Iniussu* scribas male habuit, unde aliquot eius vocabuli interpretationes in textum illatae sunt; sed cf. Sigon. ad Liv. III, 63, 5. Drakenborch. ad VII, 12, 12. Cic. de Off. III, 30, 109. ubi Beierus de instituto Romanorum, quo de hic agitur, confert Cic. p. Balbo c. 15, 34. *Populus Romanus iniussu suo nullo pacto potest religione teneri.*

§. 4. et 5. *impeditus a tribunis plebis*] Poterant enim tribuni pl. decretis actionibusque consulis ac senatus intercedere; v. Valer. Max. II, 2, 7. Caes. B. C. I, 5, 1. Cort. cf. Ferd. Schulzium de Comitiis Rom. p. 250 sqq. — De *portare* verbo v. ad XXXVI, 1. — *Convenerat* absolute positum, ut apud Liv. I, 25, 1. *Trigemini,*

quam eo venit, quamquam persequi Iugurtham et mederi fraternae invidiae animus ardebat, cognitis militibus, quos praeter fugam soluto imperio licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit sibi nihil agitandum.

sicuti convenerat, arma capiunt. — *Quamquam* ita positum, ut non sequatur *tamen*, illustravimus supra ad c. XXXIII, 2. — Pro *animus ardebat* olim legebatur *animo ardebat*, ut etiam Gerlachius in textu habet. Sed nominativus exstat in nonnullis Popmae codd. Struv. Inc. 1. 2. Franc. Guelf. 7. 10. Leid. B. D. E. F. K. Paris. B. E. Bas. 4. Med. 1. 2. 4. 5. 8. 11. Ven. 1. 2. 4. Vat. 2. 3. 4. Misn., quo numero tandem permotus Gerlachius in Commentt. p. 273. *animus* probat, in ed. novissima ad vulgatam relapsus. Quin utrumque recte dici possit non est dubium; sed nominativus h. l. aliquanto plus commendationis habere videtur ab usu Latinis proprio, cuius ignaros scribas ablativum substituisse probabile est. Saepe enim vocabulo *animi* ita utuntur Latini, ut vices sustineat pronominis personalis, quod vel subiecti vi in verbo latet, vel diserte additum obiecti locum habet, scilicet si id, quod de aliquo homine in universum enunciatur, tale est, ut ad animum pertineat; v. Zumptii Gramm. Lat. §. 84. A. 7. p. 475. ed. IV. Pseudo-Sallustius de Rep. ord. I, 8, 9. *Ad reprehendenda aliena facta ardet omnibus animus.* Liv. I, 22, 2. *Tum aetas viresque, tum avita gloria animum stimulabat.* II, 39, 12. *Sacerdotes quoque traditum est nihilo magis quam legatos flexisse animum* sc. Coriolani, i. e. *eum.* Similia sunt quae supra notavimus ad c. XI, 8. cf. c. LXII, 8. LXX, 1. 5. LXXXI, 1. — *Ex copia rerum* Cortius recte explicat: pro rerum, quae tum erant, statu et condicione; v. ad c. LIV, 9. — De structura *statuit agitandum* non plane possumus assentiri Bremio ad Nep. Eum. VIII, 4. *Statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum.* Nam quod praecipit V. D. *decernendi* verba pro inf. praes. activi frequentius adiunctum habere partic. fut. passivi cum esse copulatum, horum verborum naturae repugnat. Apud bonos certe scriptores *statuere* in tali structura non valet *decernere*, sed *censere*, *putare*, *iudicare*, unde infinitivus coniugationis periphrasticae passivae ita pendet, ut propria vi id significet, quod cui *necesse videatur.* cf. infra c. LIV, 5. *Metellus statuit alio modo bellum gerundum.* Cic. p. Cluent. 6, 16.

XL. Interea Romae C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senati decreta neglegisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephan-

Statuit tamen nihil sibi in tantis iniuriis gravius faciendum. Iustin. XXXVIII, 1. *Sororis filios tollendos statuit.* Quare apud Nostrum Catil. IV, 1. *Aetatem a republica procul habendam decrevi*, ipsum *decrevi* verbum non est *constitui*, sed *iudicavi;* v. Ruhnken. ad Ter. Heaut. I, 1, 95. Cic. Epp. ad Famm. II, 6, 7.

XL. §. 1. *Interea*] Gerlachius ex codd. Leidd. A. C. F. H. I. K. L. M. Bern. 1. 3. et Bas. 1. 4. scripsit *interim;* sed quum reliqui omnes in vulgata consentiant, nihil mutandum videtur. Eaedem voces aliquoties etiam permutatae apud Livium; v. Drakenborch. ad IX, 9, 13. — *C. Mamilius Limetanus* nomen libri vario modo corruptum exhibent; sed optimi codd. nummique antiqui receptam formam, a prioribus etiam editoribus probatam, tuentur. *Mamilii* nomen etiam alibi in cognata depravatum; v. Intprr. ad Liv. XXVII, 35, 1. Flor. I, 11, 1. Gell. NN. AA. VI, 11. de quo loco cf. Pigh. Annall. Tom. III. p. 123. Cort. — *Rogatio* quid sit supra diximus ad c. XXXII, 5. *Promulgat* autem is, qui proponit et in vulgus edit, ut qui velit intercedat, nullo intercedente *lex* feratur. cf. Manut. ad Cic. Epp. ad Attic. I, 13. *Deinde ex Senatus consulto Consules rogationem promulgasse.* Liv. IV, 1, 1. et 2. Cort. Adde Ferd. Schulzium de Comitiis Rom. p. 147 sq. Festum h. v. Grammat. Lat. vett. Vol. II. p. 123. De vocabuli forma cum *provulgare* cognata v. Lindemannum ad Festi l. l. p. 582. et Doederlini Synonymm. Lat. Vol. IV. p. 149. — *Quaereretur* illustratum ad c. XXXI, 7. — De ipsa *rogatione Mamilia* v. Cic. Brut. c. 33, 127. *C. Galba rogatione Mamilia, Iugurthinae coniurationis invidia, quum pro se ipse dixisset, oppressus est.* Ibid. 34, 128. *Invidiosa lege Mamilia C. Galbam sacerdotem et quattuor consulares L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, quum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt.* — *Neglegisset* sincere tenent Bas. 1. Paris. c. x. et Med. 1. a m. pr. Contulit Gerlachius Aemilium Macrum, qui testibus Diomede p. 366. Putsch. et Prisciano X, 6, 33. p. 496.

tos quique perfugas tradidissent, item qui de pace
2 aut bello cum hostibus pactiones fecissent. Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos, ac maxume per homines

ed. Kr. in sextodecimo Annalium dixit: *Omnium nostrum neglegerit auctoritatem.* — De ratione numeri pluralis *in legationibus aut imperiis* v. ad Catil. XIV, 5 Iug. LXIII, 5.

§. 2. *per homines nominis Latini et socios Italicos impedimenta parabant*] Cortius levem suspicionem iacit *Italicos* vocem abundare; sed quo hanc coniecturam ipse infirmare studet, nomen Latinum et socios Italicos in legibus ferendis sua suffragia habuisse, eoque modo rogationem Mamiliam impedire potuisse, quam sententiam praeiverat Sigon. de Ant. Iur. Ital. I, 4. et 21., repetiit Gerlach. in Commentt. p. 274., id tantum abest ut verba defendat, ut magis etiam impedita reddat. Esti enim concedendum est, rogationem impediri potuisse *suffragiis* contra ferendis, tamen temporum ratio obstat, quominus Latinos et Italicos socios id perficere potuisse putemus. Fuit quidem *nonnullorum* populorum Latinorum etiam antiquiore tempore ius suffragii ferendi, ut docuit Heineccius in Antiqq. Iur. Rom. Append. lib. I. c. 2. §. 92. p. 306. ed. Haubold.; sed quum pauci tantum eo iure uterentur, multis etiam modis circumscripto, parum id valebat ad rogationem aliquam impediendam. Universis autem Latinis populis quum civitas cum suffragii iure demum a. u. 664. a. Chr. n. 90. data sit, Itali autem socii idem aliquot annis post consecuti sint (v. Heinecc. l. l. Appendic. lib. I. c. 1. §. 9. p. 234 sq., Creuzeri Antiqq. Rom. §. 206. p. 313. ed. II.), nullo pacto intelligi potest quomodo iam eo tempore, quo haec Romae facta sunt, i. e. anno a. Chr. n. 110. u. c. 644. *per homines nominis Latini et socios Italicos suffragiis ferendis* illi rogationi impedimenta parari potuerint. Quare statuendum est, nobiles his hominibus usos esse ad *turbas* rogationis die excitandas, istoque modo legem, quae parabatur, impediendam. Coniectura haec confirmatur etiam simili loco c. XLII, 1. Operam Italicorum ac sociorum, etiam infimi ordinis, non plane nihili habitam esse patet etiam ex Plutarch. vit. C. Gracch. c. 12, init. et c. 13, init. cf. omnino quae de perniciosissimo more comitia turbandi disputavit Ferdin.

nominis Latini et socios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes incredibile memoratu est quam 3 intenta fuerit, quantaque vi rogationem iusserit, decreverit, voluerit, magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae; tanta lubido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis M. 4

Schulzius in libro *de Comitiis Romanorum* p. 159—166. Cic. p. Sext. c. 37, 79. Nostro loco autem *turbas* significari, quas plebs *caverit*, etiam patere videtur ex verbis *quam intenta fuerit*, quae vix possunt de *studiis suffragiorum ferendorum* intelligi. Sed videant acutiores num clariorem obscuro loco lucem affundere possint.

§. 3. *plebes*] Ita habent Vin. 1 Sen. 1. 2. Heuss. Ven. 1. Vat. 2. 5. Berol. 2. et Goerlit.; ceteri *plebs*. cf. Drakenborch. ad Liv. I, 21, 6. — *Vi* i. e. studio et ardore; cf. c. XCII, 6. *Quem locum Marius summa vi capere intendit.* Cic. in Verr. III, 53, 124. *Summa vi data est opera a me, ut quam plurimo decumas venderem.* Verba *decreverit, voluerit* desunt in Vin. 2. Acad. Sen. 2. Heuss. Inc. 1. Vratisl. 2. Guelf. 3. 9. Leid. A. Bas. 4. Paris. b. Einsiedel., quorum auctoritate Gerlachius in ed. minore uncis inclusit, Bipp. deleverunt, quia non populus *decernat*, sed senatus. Et sane verum est rogationum omnium solennem formulam fuisse *velitis, iubeatis, Quirites*; cf. Brisson. de Formm. lib. II, 1. p. 120 sq. Intprr. ad Liv. XXII, 10, 2. unde simul hoc patet, *iubere*, quippe gravius vocabulum, posteriorem locum tenere, quae res Bipontinis non spernenda visa est ad *voluerit*, in fine positum, damnandum. Sed quominus temere eos sequamur primum nos prohibet *optimorum* codd. omnium auctoritas, quibuscum tot alii consentiunt; tum in promptu est formulam illam in narratione de promulganda rogatione accurate servari debere, sed ea re non opus esse, ubi auctor non iustum rei factae ordinem persequitur, sed tantummodo narrationis perspicuitatem efficere studet, id quod Sallustius h. l. fecit. Verum enim vidisse censeo Cortium, qui „tam ardoris caussa, inquit, quam ut rogationis perlatio eo melius notaretur, coniuncta ea esse putamus." — *Mala illa* Gerlachius recte interpretatur: iudicia, damnatio, exilium. — *Erat* Cortius tacite omisit, codd. repugnantibus. cf. c. XXVII, 2.

§. 4. *fuisse supra docuimus*] *Fuisse*, quod plurimi libri habent, deest in Bas. 1. m. pr. Franc. Inc. 1. Guelf. 4. Paris. A. b. c. Bern. 3. Erl. Berol. 1. 2. omissum a Cortio et Gerlach. Sed quibus ille ellipsin

Scaurus, quem legatum Bestiae fuisse supra docuimus, inter laetitiam plebis et suorum fugam, trepida etiamtum civitate, quum ex Mamili rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo nu-

defendi putat, aliena sunt, quum tantummodo spectent ad omissum esse infinitivum, *participio* vel *adiectivo* addendum, de quo dicendi usu egimus ad Cat. I, 3. XX, 6. Iug. XX, 1.; *fuisse* autem ad *substantivum* pertinens non commode potest suppleri. Quare paucorum neque insignium codd. auctoritas nihil valet. — Pro *docuimus*, quod Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Leid. L. Commel. Naz. Tegerns. Paris. b. c. x. z. cum plurimis aliis tenent, nonulli ex interpolatione habent *diximus*, aliquanto plures *memoravimus*, scribis *docere* verbo offensis. cf. c. XLIX, 1. *In eo colle, quem transverso itinere porrectum docuimus.* cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 47, 3. Saepe enim *docere* est exponere et declarare ut res aliqua *se habeat et comparata sit*, istoque sensu interdum non multum diversum est a *narrare;* quare non plane probare possumus Herzogii sententiam, qui cognationi huius verbi cum graeco δοκεῖν nimium tribuens ad Catil. XVII, 1. p. 81. *docere* censet de eo dici, qui quid *sibi* de aliqua re *videatur* significet. — *Inter laetitiam plebis et suorum fugam*, i. e. dum et plebes laeta erat et sui fugiebant. Ita *inter* significat, dum duae res simul fiant, eodem tempore quasi mediam fieri tertiam; cf. Liv. XXIV, 19, 10. *Casilinum inter colloquia cunctationemque petentium fidem per occasionem captum est.* CORT. — *Fugam* de *exilio* intelligi posse iam monuit Cortius, collato c. XLII, 4. *Nobilitas multos mortalis ferro aut fuga exstinxit*, et Flor. III, 16, 3. v. supra c. III, 2 Drakenborch. ad Liv. XXX, 43, 11. Tacit. Ann. III, 24, 1. Sed ut *fuga* sine pavore et trepidatione esse nequit, ita huius loci sensus docet hac voce significari deiectum animum, formidinem et pavorem nobilium, ex conscientia facinorum pessima quaeque timentium, et iam ante factum iudicium damnatorum. Ita etiam Cortius et Gerlachius locum intellexerunt. Similiter Cicero vocabulo *strages* utitur in Epp. ad Attic. I, 16, init. *Quas ego pugnas, et quantas strages edidi?* — *Trepida etiamtum civitate* bene indicat Gerlachius propterea additum esse, ut clarum fieret, quomodo Scaurus, qui et ipse suspectus erat, inter quaesitores eligeretur. *Trepidus* enim dicitur qui animo perturbato est, et quid agat vel sequatur nescit. Eo sensu etiam genitivus additur, ut apud Liv. XXXVI, 31, 5. *Trepidi rerum suarum legatos miserunt*, ubi

mero crearetur. Sed quaestio exercita aspere vio- 5
lenterque, ex rumore et lubidine plebis; ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

Drakenborchius laudavit V, 5, 11. coll. Serv. ad Virg. Aen. XII, 589. — *Etiamtum* explicavimus ad Cat. II, 1. — *Mamili rogatione* ut scriberemus codicum discrepantia nos permovit, quae magis ad genitivum, quam ad adiectivi formam ducere videtur. Nam quod permulti libri habent *Mamiliana rog.*, quemadmodum etiam ante Cortium in textu fuit, Latinorum usui prorsus repugnat, qui in *legibus* designandis adiectivis in *ius* tantum exeuntibus utuntur. *Mamilia* igitur, ut Cortius ex solo Sen. 1. scripsit, non sollicitandum foret, si maiore codd. auctoritate niteretur. Sed quum plurimi libri habeant *Mamilli*, alii *Manilii* vel *Mallii*, patet haec non ex legitima adiectivi forma *Mamilia* orta esse, sed ex genitivo *Mamili* fluxisse. — De *quaesitoribus* Cortius haec fere annotavit: antequam Sulla quaestiones perpetuas constitueret (quae tamen aliquando prius in usum venere, L. Pisone a. u. 604. a. Chr. n. 140. legem de repetundis ferente) in gravioribus criminibus, de quibus nulla lex, aut non satis distincte esset lata, iudicia extraordinaria decernebantur, quibus qui praeerant *quaesitores* appellati. v. Abram. et Graev. ad Cic. p. Mil. c. 5. Hottomann. ad Cic. in Vatic. c. 11, 28. His adde Ernestium in Clav. Cic. v. *quaestio.* Heinecc. Antiqq. Iur. Rom. IV, 18, 12. p. 752 sq. ed. Haubold. Nitsch. Antiqq. Romm. Vol. II. p. 1078. et imprimis p. 1348 sqq. Ceterum obiter notandum ab antiquis *quaesitores* etiam *quaestores* esse vocatos; v. Festum v. *Parrici quaestores*, p. 121. ed. Lindemann. et Varr. de L. L. IV, 14. Sed quod nonnulli codd. h. l. ita scriptum exhibent, nullam jn ea re fidem merentur.

§. 5. *quaestio exercita*] Male olim edebatur *quaestione*, quod nonnullis libris firmatum Muellero, si modo colon post *plebis* vocem ponatur; sensum a nominativo non diversum habere videtur; quasi vero membrorum ratione prorsus immutata sensus atque universus orationis color idem esse possit. Sed frustra cum his pugnes, qui tam leves tamque hebetes sunt in antiquis litteris tractandis. — Pro *exercita* ante Cortium legebatur *exercitata*, quod Gerlachius in ed. mai. male repetiit, ratione quae nulla est, usus, magis id Sallustianae orationi convenire. Sed praeterquam quod sensus *exercita* commendat, v. ad c. LXXI, 1. et ad Catil. XI, 1., codicum quoque auctoritas eandem rem suadet; *exercitata* enim exstat in Vin. 1. Vrat. 3.

XLI. Ceterum mos partium popularium et senati factionum, ac deinde omnium malarum artium

Acad. Sen. 2. Heuss. Bas. 4. Struv. Rem. 1. multisque aliis, qui omnes sunt deterioris ordinis, *exercita* autem legitur in Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Leid. L. Commel. Nazar. Teg. Paris. x. z. aliisque plurimis, quorum fidem non dubii sequimur, praesertim quum pateat scribis in proclivi fuisse minus usitatae formae vulgatiorem substituere, neque vero eos ex ingenio *exercita* pro *exercitata* dedisse. Non raro autem haec participia in codd. permutari intelligitur ex annotatione Cortii ad c. LXXI, 1., Dukeri ad Flor. I, 3, 2., Drakenborchii ad Liv. I, 56, 3. et XXVII, 44, 6. — *Ex rumore* significat: non accurata habita quaestione de criminibus, quibus singuli premebantur, sed poena decreta, prout quisque fama et vulgi opinione delictorum conscius credebatur. — *Plebis* res ipsa docet tantummodo pertinere ad verbum *lubidine*, non ad *rumore;* quare non opus est interpunctione, perspicuitatis caussa a Cortio aliisque post *rumore* addita. Ceterum *lubidine* significat plebem in exercenda quaestione irae atque odio indulsisse. — Pro *ex sec. reb.* cod. Misn. habet *in s. r.*, Latine quidem, sed minus accommodate ad caussam significandam; v. ad Cat. XII, 2.

XLI. §. 1. *mos partium popularium et senati factionum*] In his verbis libri aliquantum variant. Nam Bas. 1. et Paris. x. habent *partium mos popularium;* Acad. et Guelf. 2. *et senatores factionum;* Fabr. 1. a m. pr. *et senatorum factionum;* Vin. 1. *et senatorum et factionum;* Sen. 1. *senatorum ac fact.;* Nazar. omisit *senati* vocem, quam etiam in Commel. secunda demum manus addidit; Palat. 3. *et* omisit ante *senati;* denique Pal. 6. exhibet *mos partium et mos senatus.* Immerito ex his coniecit Cortius interpolata esse verba, itaque restituenda: *ceterum mos partium populi et senati,* aliquanto parcior secandi quam Gruterus, qui nihil se ferre ait praeter *ceterum mos partium.* Sed quoniam *factiones* proprie *nobilium* et *paucorum* potentium sunt (cf. Cat. LIV, 6. Iug. VIII, 1. XXVIII, 4. XXXI, 1. 4. et 16. XLI, 6. LXXXV, 3. Cic. de Rep. I, 45. *Ut existat ex rege dominus, ex optimatibus factio.*), non solum ad huius vocabuli notionem constituendam *senatus* mentio valde accommodata est, sed *partes* etiam recte *populares* vocantur, tum quo sententiarum oppositio magis eluceat, tum, quod ipsa partium natura *multorum* studiis constat diversis; cf. Cat. IV, 2 Iug. XL, 2. XLIII, 1. LXXIII, 4. Quare intelligitur, neque sollicitandam esse vulgatam scripturam, et pessime Bipontinos ac Muellerum comma post *partium*

paucis ante annis Romae ortus est, otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt.

posuisse. — *Est*, quod non habent Fabr. 2. et Guelf. 3., Cortius expulit, cum magno numeri et perspicuitatis detrimento, quum sine verbo substantivo vix sentias primariam enunciationem hic haberi. — *Quae prima* ita dictum est, ut relativum tantummodo ad *sensum* praecedentium verborum, non ad *genus grammaticum* respiciat, quae licentia natura generalium notionum nititur. Quae quum maxime *neutro* pronominum aut adiectivorum *genere* enuncientur, cuius vices saepissime *res* substantivum cum pronomine aut adiectivo coniunctum sustinet (v. ad Cat. XVIII, 8. p. 89. et Herzog. ad c. IX, 4. p. 44.), interdum utraque dicendi ratio, sensu plane par, ita copulatur, ut nulla generis in praegresso membro ratio habeatur. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 206. A. 2. b. p. 694. ed. I. qui hunc usum per omnes partes persecutus est. Iug. CII, 9. *Humanarum rerum fortuna pleraque regit.* Cic. de Divin. II, 57, 117. *Quid tam divinum, quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero versuque pronunciet?* Ibid. I, 53, 119. *Earum rerum utrumque a corde proficisci.* His Ramshornio debitis adde Cic. Epp. ad Famm. XIII, 75, 4. *Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis.* ibid. XVI, 4, 5. *Illud, mi Tiro, te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit,* ubi Cortius comparavit Liv. XLIII, 17, 2. *Ne quis ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, praeterquam quod senatus censuisset.* XXXII, 29, 5. *Delectu rebusque aliis divinis humanisque, quae per ipsos agenda erant, perfectis.* Ter. Heaut. V, 1, 3. *In me quidvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum*, ubi Bentleius, minus quam decebat circumspectus, ex duobus codd. scripsit *dictae.* Plaut. Aulul. IV, 10, 39. *Ego te, Euclio, De alia re rescivisse censui, quod ad me attinet.* Id. Amphitr. III, 3, 11. *Ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt.* Gell. NN. AA. I, 14, in. *Memoratis multis magnisque rebus, quae Fabricius bene fecisset.* Inverso modo neutrum praecedit, *res* c. relativo sequitur, Cic. p. Rosc. Am. c. 33, 94. *Permulta sunt, quae dici possunt, qua re intelligatur.* Plancus in Cic. Epp. ad Famm. X, 21. *Omnia feci, qua re resisterem*, quos locos protulit Daehnius ad Nep. Cat. I, 3. *Multas res novas addidit, qua re luxuria reprimeretur.* Nonnulla huc pertinentia, sed sine accurato delectu, habet Gronov. Obss. III, 2. p. 339 sqq. ed. Lips. Nostro loco etiam usus

2 Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant; neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat; metus hostilis in bonis artibus

est Heusinger. ad Cic. de Off. II, 4, 3. et Oudendorp. ad Caes. B. C. I, 7, 4.; sed tum haec ipsa exempla, tum ea, quae ibi afferuntur, prorsus alieni sunt generis.

§. 2. *populus et senatus Romanus*] Quod auctor a recepto verborum *senatus populusque Rom.* ordine discessit, eius rei caussam Faber scite monuit esse hanc, quod duas, quibus respubl. constabat, partes non in unum quasi imperii corpus conflatas, sed inter se discretas et seorsim spectari voluit. Sine ista caussa Livius quoque VII, 31, 10. dixit: *Denunciarent Samnitibus populi Romani senatusque verbis.* — *Placide* h. l. est sine turbis civilibus. *Modeste* proprie de modo servando dicitur; sed bene observavit Spaldingius ad Quinctil. I, 2, 4. latius patere *modesti* notionem, omninoque universam animi bonitatem ac probitatem hoc vocabulo comprehendi. Ita Quinctil. IV, 2, 100. *Modestum factum.* Cic. in Verr. I, 47, 124. *O modestum ordinem, quod illinc vivus surrexit.* — *Inter se* communionem imperii significat, ita ut et populus et senatus rempublicam capesserent. *Tractabant* i. e. administrabant, ut Cat. LI, 28. Iustin. I, 2. *Gloriam* h. l. non intelligi eam, quae paratur ex victis hostibus et virtute, ut Cat. VII, 6., sed quae oppressis civibus quaeritur, ostendit additum vocabulum *dominationis.* — *Metus hostilis* hic et Iug. CV, 3. ita dictum est ut in Fragmm. Historr. I, 9, in. *Remoto metu Punico.* Cort. Alia plurima huius generis diligentissime ex Tacito collegit Boetticherus in Lex. Tacit. p. 36. n. 3. — Sublatum Carthaginiensium metum multum valuisse ad concordiam dissolvendam et bonos mores corrumpendos Sallustius etiam tradit in Fragmm. Historr. I, 8 et 9. Idem statuunt, Sallustium fortasse secuti, Vellei. II, 1, 1. et Flor. III, 12, 2. — Pro *retinebat* Rivius in nonnullis libris scriptum esse affirmat *continebat*, quod verbum Cortius recte indicat proprie *disciplinae* esse, qua quis astringitur; cf. Gronov. et Burmann. ad Phaedr. Fabb. Prol. lib. II, 4, 1. et Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 28, 2. Quamquam igitur concedendum est *continere* huic loco bene convenire, tamen probari debet Cortii iudicium, qui *retinebat* verbum, codicibus firmatum, ita capit, ut habeat pleniorem sententiam hanc: *ab malis* artibus *retinebat* et *in bonis continebat*, de quo coarctandae sententiae genere v. ad c.

civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus 3
decessit, scilicet ea, quae secundae res amant, lascivia atque superbia incessere. Ita quod in advorsis 4
rebus optaverant otium, postquam adepti sunt, aspe-

XXXVI, 4. cf. etiam Cic. Epp. ad Famm. I, 7, 16. *Qui nos, quos favendo in communi caussa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt.*

§. 3. *decessit*] Ita scriptum exstat in Bas. 1. Leid. L., Wassii Balliol. Reg. Arond. Laud. 1. 2. 3., Paris. A. C. Bern. 1. Flor. 14. 15. Berol. 1. et, si fides Cortio, etiam in Sen. 1. Rem. 1. 2. Guelf. 2. 4. 6. 7. 8. 11. 12. Eccard. Struv. Acad. Vrat. 1. 2. 3. Reliqui *discessit* tenent, quod omnes in contextu exhibent. Sed Fr. Gronovius ad Liv. IV, 52, 8. *decessit* probat, ratione tamen non addita, quam petas ex annotatione nostra ad c. XX, 1. Nam quum *discedere* sit in *alium locum* se conferre, *decedere* autem translato sensu valeat aliquid, quod antea *tenueras*, non amplius retinere, in promptu est posterius tantummodo verbum probum sensum praebere; formido enim, quae mentes *occupaverat*, aliquanto post eas non amplius *tenuit*, sed evanuit. Sed quod ratio postulat, suadet etiam loquendi usus; cf. Liv. IX, 29, 1. *Priusquam ea cura decederet patribus.* II, 31, 7. *De domesticarum rerum eventu nec patribus nec plebi cura decesserat.* XXXIII, 31, 11. *Donec cura de Antiocho decessisset.* Quare scribendum etiam apud Caes. B. G. II, 7, 2. *Hostibus eadem de caussa spes potiundi oppidi decessit;* quo loco Oudendorpius consilii incertus erat, utrum hoc, an vulgatum probaret. Curt. VIII, 2, 1. *Postquam ira mente decesserat.* Ita Noster etiam Iug. LXXXVIII, 1. *Metellus plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus.* — *Scilicet* particulam non concoxerunt interpretes; Gruterus enim otiosam iudicat, Palmerius coniecit *ilicet*, Bipontini adeo ediderunt *illico*, quae omnia recta ratione destituuntur. Contra Cortius *scilicet* affirmandi sensu tolerari posse censet, quamquam non sine incommodo; Gerlachius vero rem expedivisse sibi visus est observando „haec *elegantissime* a Sallustio dicta esse.“ Verius dixeris *scilicet* propria vi positum *ironiae* sensum habere; quippe auctor ita cum acerbitate quadam ingenii humani pravam consuetudinem rebus secundis superbiendi notat et quasi conqueritur. cf. c. XXXI, 19. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 2, 14. — *Amant* explicavimus ad c. XXXIV, 1.

§. 4. *Ita quod*] Hunc locum Herzogius ad Caes. B. G. II, 19. p. 134. ita voluit interpungi, ut commate post *incessere* posito *ita*

5 rius acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem in dominationem, populus libertatem in lubidinem vertere; sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt, respublica,

responderet *ubi* particulae in praegressa enunciatione, quod Frotscherus ad illum locum recte monuit fieri non posse. — *Asperius* intelligendum de *vero periculo;* v. ad c. XXIX, 1. *Acerbius* magis pertinet ad *animi dolorem*, ex rebus iniquis ortum. Eandem sententiam auctor iam protulit Catil. X, 2. *Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, his otium, divitiae, optandae alias, oneri miseriaeque fuere.* Facile vides *oneri* respondere vocabulo *acerbius*, *miseriae* vero idem fere esse atque nostro loco *asperius.* Ceterum Langius comparativum spectare censet ad omissam sententiam *quam metus hostilis hucusque fuerat*, quod nimis remotum est; sed multo alienior Weissii est sententia, qui censet suppleri posse: *quam quis crediderit.* Res ipsa docet comparationem referri ad *res advorsas*, quibus etiam asperius acerbiusque fuit.

§. 5. *coepere*] Pluralis verbi non unice pendet ex proximo vocabulo *nobilitas*, ut iam diximus ad Cat. XXIII, 6., sed eius caussa eo continetur, quod verbum simul ad *nobilitas* et *populus* refertur. — Verba *in dominationem* ut primi in textum reciperemus, persuasit nobis Sellingius Lectt. Sall. p. 24. Exstant autem in Palat. 7. 10. Mart. Balliol. Bodl. Guelf. 3. 11. 12. Leidd. L. et nonnullis aliis, Bas. 4. Bern. 1. et August. m.; pauci alii tenent *in superbiam*, ceteri omnes his duobus verbis prorsus carent, quae a nullo editorum in suum locum recepta sunt. Quamquam autem *et nobilitatis dignitas et populi libertas* haud male dicitur *in lubidinem versa esse*, tamen recepta a nobis scriptura multo praestantiorem sententiam habet, Sallustiique ingenio longe accommodatissimam. Nam quis non videt ita non solum *peculiare utriusque ordinis vitium* notari, sed Sallustium ex more suo nobilitatis dominationem exagitare, qua nihil potuit esse invidiosius? Cat. VI, 7. *Ubi regium imperium in superbiam dominationemque convortit.* XVII, 5 *Complures nobiles dominationis spes hortabatur.* Iug. XXXI, 20. *Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet.* ibid. §. 16. *Quodsi tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt.* ibid. §. 23. *Dominari illi volunt, vos liberi esse.* Fragm. Historr. III, 22, 4. ibid §. 6. §. 11. §. 23. §. 28. Iam quod ad externam verborum auctoritatem attinet, in plurimis

quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas 6
factione magis pollebat, plebis vis soluta atque dis-
persa in multitudine minus poterat. Paucorum ar- 7
bitrio belli domique agitabatur; penes eosdem aera-

codd. hic illic paucorum verborum lacunas esse demonstravimus ad c. XXI, 4. p. 136. et ad XCII, 2. quare non est, cur propter paucorum librorum assensum verbis receptis fidem abrogemus, quam interna veritas sustentat incredibiliter. Omnis autem suspicio corruptelae tollitur eo, quod illa verba servata sunt in Guelf. 3. Balliol. et Bodl., qui codd. etiam c. XXI, 4. et XCII, 2. plenam Sallustii orationem repraesentant, unde patet ex integriore quam ceteros fonte eos fluxisse. — De *populus* vocis significatu v. ad c. LXXXV, 10. — De verbis *trahere, rapuere* v. ad Cat. XI, 4. Ceterum Cortius haud male haec violentiae, *ducere* astutiae et doli esse dicit. — Ad verba, *respublica, quae media fuerat*, Cortius apte contulit Liv. II, 57, 3. *Dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahunt, nihil relictum esse virium in medio; distractam laceratamque rempublicam magis quorum in manu sit, quam ut incolumis sit quaeri.* Senec. Ep. CIV. *Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem et omnem erectum ad res novas vulgum; hinc optimates et equestrem ordinem, quicquid erat in civitate sancti et lecti; duos in medio relictos, rempublicam et Catonem.* Patet igitur *media republica* significari non solum *bonum publicum* in universum, sed etiam *cives ipsos*, qui veris reipublicae rationibus consulentes et aequum atque ius sequentes *nullarum partium sunt.* Ceterum non est dubium, quin Sallustius et totum hunc locum de civilibus dissensionibus et hanc ipsam dictionem ex Thucydide expresserit, qui libro III, 82, extr. nobilium contentionibus perniciosis expositis: *τὰ δὲ μέσα*, inquit, *τῶν πολιτῶν ὑπ' ἀμφοτέρων, ἢ ὅτι οὐ ξυνηγωνίζοντο, ἢ φθόνῳ τοῦ περιεῖναι, διεφθείροντο.*

§. 6. *factione*] Vide supra ad §. 1. — In sequentibus editores fere omnes, exceptis Bipp., incommoda interpunctione et explicatione veram sententiam obscurarunt. Cortius enim et cum eo plurimi commate post *dispersa* et *multitudine* posito haec verba interpretantur *quamvis multi essent*, quae ratio, quamquam per se legitimum est *in* praepositionem cum *ablativo* iunctam vim secundariae enunciationis sustinere (v. ad Cat. II, 10.), tamen huic loco non convenit, quum ceteroquin *dispersa* vox nimis nude posita vix commodum sensum haberet. Coniungendum est enim *dispersa in multitudine*,

rium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant; populus militia atque inopia urgebatur; prae-
8 das bellicas imperatores cum paucis diripiebant; interea parentes aut parvi liberi militum, ut quisque
9 potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere,

ad quam sententiam non opus est accusativo, quem Putschius exhibuit, quamquam non dixerim cum Cortio quarto casu sensum prorsus perverti; nam hoc tantum interest, quod ablativo casu dispersionis notio stabilis atque immota ponitur, accusativo dispergendi actio, dum fit, designatur; sed illud ad effectum declarandum gravius videtur. De simili accusativi et ablativi discrimine egimus ad Cat. LI, 21. et ad Iug. XVII, 3. — Statim post Bipontini, Langius, Muellerus et Weissius scripserunt *respublica agitabatur*, ut sane est in Inc. 1. 2. Struv. Leid. B. E. F. H. K. L. M. N. Bas. 4. Bern. 1. Erl. Paris. B. E. et Martin.; idem vocabulum inter versus comparet in Balliol. et Mark. *Γ.* et margini ascriptum est in Goerlit. Reliqui tantummodo *agitabatur* exhibent, quod unice verum est. Scribae enim ignorantes absolutam *agitare* verbi potestatem subiectum addendum putarunt; sed *rempublicam agitare*, quod est *rempubl. perturbare* et *concutere* (v. Cat. XXXVIII, 3.) non conciliari potest cum *arbitrii* notione. *Agitabatur*, cuius verbi vim explicavimus ad Cat. XXIII, 3. coll. annotatis ad Iug. XVIII, 9., h. l. est *vivebatur*, sive *omnia gerebantur*. Bene comparavit Gerlach. Fragmm. Historr. I, 8. med. *Neque amplius aequo et modesto iure agitatum.* — *Gloriae* vocis plurali numero positae exempla haec collegit Schellerus in Lex. ampliore p. 4245. Cic. p. Planc. c. 24, 60. Tacit. Ann. III, 45, 3. Gell. NN. AA. II, 27, extr. *Praedas* eandem ob causam tetigimus ad c. XX, 8.

§. 8. et 9. *parentes aut parvi liberi militum*] Imperite Langius pro *aut* scribendum coniicit *et;* v. ad c. III, 2. — Non minus perverse Muellerus: „*militum*, inquit, commemoratio mihi ab hoc loco plane aliena videtur. An Sallustius scripserit *clientum?*" Quae coniectura ut ne levissima quidem suspicione corruptelae in codd. deprehensae sustentatur, ita a vero huius loci sensu est alienissima. De *militibus* enim loqui auctorem clarissime ostendit *interea* vocabulum; nam ut iniquam esse multitudinis condicionem doceret, populum non solum militiae molestiis conflictatum dicit, sed etiam

polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas, et dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.

dum abessent domo qui stipendia merent agris eorum parentes aut liberos a potentioribus fuisse spoliatos sedibusque pulsos, nemine scilicet iniuriam arcente. Detestabilem morem memorat auctor etiam in Fragmm. Hist. I, 8. ac praeter illum Horat. Od. II, 18, 23 sqq. Appian. de B. C. I. p. 353, D. ed. H. Steph. v. Duker. ad Flor. III, 14, 3. et Gernhard. ad Cic. Parad. VI, 2, 46. p. 235. Sallustii verba imitatur aut certe egregie illustrat Plutarch. vit. Tib. Gracchi c. 9, p. med. Ceterum quod Muellerus etiam coniicit Sallustium pro *militum* fortasse scripsisse *humiliorum*, quia Caesar B. G. VI, 22, 3. dicat, Germanos non habere agri modum certum, *ne potentiores humiliores possessionibus expellant*, nihil omnino ineptum est, nisi hoc est ineptire. — *Potentiam* magnae invidiae vocabulum esse patet ex annotatis ad Catil. XXXVIII, 1. p. 177. et ad Iug. III, 2. — De verbis *sine modo modestiaque* v. ad Catil. XI, 4. coll. annotat. ad Iug. XLIV, 1. — *Nihil pensi* explic. ad Cat. V, 6. p. 30. — *Semet ipsa* exstat in nonnullis Rivii libris, Pembr. B. Publ. Leid. A. B. C. D. E. H. I. M. Paris. z. Berol. 1. Relicui fere omnes, quantum ex editorum notis coniicere licet, *semet ipsam* tuentur, de qua structurae diversitate satis egimus ad Cat. XX, 6. et Iug. XIV, 4. cf. Otto ad Cic. de Finn. I, 18, 58.

§. 10. *ex nobilitate*] Haec Cortius, ut spuria et sensus incommodi, eiicienda censet uncinisque inclusit. Nam quod interpretes dicant, verbis *ex nobilitate reperti sunt* intelligendos esse *Gracchos*, id non posse fieri, quum auctor toto hoc loco nobilitatem opponat Gracchis atque plebi, neque ullum sententiae pondus in eo positum sit, quod illi fuerint *ex nobilitate*, sed quod veram gloriam quaesiverint, plebemque in libertatem vindicaverint. Haec ut speciosa sunt, ita a veritate sunt alienissima. Nam quum *iniusta potentia* tantummodo *nobilium* esset, non possunt homines *de plebe* isti potentiae veram gloriam anteposuisse. Sed *nobilibus* hoc tribui plane evincunt antegressa Sallustii verba, quibus dixit potentiam et avaritiam i. e. nobilitatem *semet ipsam* praecipitasse; quod ut probaret statim subiicit:

XLII. Nam postquam Tiberius et C. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere, nobilitas noxia atque eo perculsa modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos,

nam ubi primum *ex nobilitate* reperti sunt etc. Ac quoniam artissime cum his cohaerent sequentia, *nam postquam Tib. et C. Gracchus* etc., luce clarius est, de *Gracchis* hunc locum esse intelligendum. — Infelicius etiam Cortius versatus est in verbis *dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit* constituendis atque explicandis. Adeo enim vulgata offensus est, ut, licet codd. minime tantae audaciae faverent, ex libidine scriberet *permixtio civilis quasi discessio terrae oriri coepit*, quam coniecturam Gerlachius in Commentt. p. 277 sq. non dubitavit acutissimam et elegantissimam vocare. Sed vide quam acute atque eleganter *permixtio civilis* comparari possit cum *discessione terrae*, vel illustrari hac imagine, quum *discessionis* vocabulo significetur aliquid, quod antea coniunctum esset, divelli et disiungi, *permixtio* vero sit rerum diversarum et per se seiunctarum confusio. Quare non ferimus elegantiam, quae recte cogitandi legibus repugnet, neque opus est monere insolentissimam dictionem *permixtio civilis* non eo defendi, quod Noster dixit Cat. II 3. *omnia misceri*; et Cic. de l. Agrar. II, 33, 91. *rempublicam miscere*, aut quod apud pessimos Latinitatis auctores Aurel. Vict. c. XLI, 14. et Augustin. de C. D. XV, 22. habetur *reipublicae permixtio.* Sed ne multi simus, *permixtio terrae* eum rerum statum significat, quo singula non discreta et in iustum ordinem composita habentur, sed dissoluta, disiecta, turbata et aestuantia inconditam et indigestam molem efficiunt, qualis chaos fuisse dicitur. Tali autem elementorum confusioni recte comparari potest turbatus civitatis status, dissensionibus civilibus ortus. Quamquam negari nequit audaciorem esse comparationem, quam ipse Sallustius addita *quasi* particula mollire studuit; de qua vocis vi cf. Beier ad Cic. Off. II, 13, 63. Otto ad Finn. II, 7, 20. Kuehner. ad Tusce. III, 20, 47. et quae infra annotavimus ad c. LXXXV, 23.

XLII. §. 1. *quorum maiores*] Habuerunt enim avum P. Corn. Scipionem Africanum Maiorem. cf. Plut. vit. Tib. Gracch. c. 1.

quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat, et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, tribunum alterum, alterum triumvirum coloniis deducundis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis cupidine victoriae haud satis mo- 2

Vell. II, 2. et quae Ernestius collegit in Clav. Cic. v. *Tib. Gracch.* — Pro *perculsa* pauci libri habent *percussa;* v. ad Catil. VI, 4. — De particulis *modo* — *interdum* v. ad c. LXII, 8. — *Spes societatis,* sc. cum nobilitate ineundae, unde commodum sibi venturum putabant. — *Eadem* dubitari potest utrum ablativus fem. singularis, an accusativus neutr. pluralis sit; sed sensus maxime ostendit auctorem posteriorem structuram secutum esse. Nam *ingredi aliquid* est aliquid moliri et suscipere, *aliquá ingredi* valet aliquo modo se gerere, vereque Cortius observavit hic non tam agendi modum, quam verbi obiectum ad perspicuitatem requiri. Constructionem cum accusativo illustravit Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 54, 2. *Catone auctore existimantur Petillii rem ingressi.* XLV, 23, 15. *Lacedaemoniorum populum cunctatorem esse, et vix ea, quibus fidit, ingredientem.* Iustin. XXXVIII, 7. *Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum.* Tacit. Ann. XI, 2, 2. *Valerius Asiaticus ingressus defensionem.* Non satis commode autem Faber ut accusativum defenderet exempla comparavit, quibus accusativus *loci* ex *ingredi* verbo pendet. — In multis codd. *alterum* semel tantum legitur, perversa sententia; nam ita verba *alterum triumvirum coloniis deducendis* ad Tiberium spectarent. Sed spectant ad Caium, quamquam is non ipso caedis tempore, sed paullo ante triumvir fuit; v. Plutarch. vit. C. Gracch. c. 10 et 11. De modo coloniarum deducendarum v. Heinecc. Antiqq. Iur. Rom. lib. I. Append. c. 5. §. 125. p. 336. ed. Haubold. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 210. p. 311. ed. II. — Pro *necaverat* Cortius scripsit *necaverant,* ut est in Guelf. 1. Paris. D. Einsiedel. et Tur. 1. m. sec. Non improbarem, si plures in iisque boni libri pluralem praeberent; sed quattuor libri non tantum valent, ut vulgatam per se bonam deseramus.

§. 2. et 3. *Et sane Gracchis* etc.] Hunc locum Debrossianae Fragmentorum collectionis editor Germanicus p. 110. pro Historia-

3 deratus animus fuit; sed bono vinci satius est, quam
4 malo more iniuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa multos mortalis ferro aut fuga exstinxit, plusque in reliquum sibi timoris quam

rum fragmento habuit. Ceterum de sensu horum verborum, eorumque nexu cum sequentibus valde ambigitur inter editores. Cortius enim ac Faber Gracchos his vituperari putant, quippe qui malo more se vindicare studuerint; Langius vero et Gerlachius iudicant Sallustium eos potius laudare voluisse, quod, quum summa illorum admiratione teneatur, maxime consentaneum est. Sententiarum autem, brevitate paullo obscuratarum plena ratio haec esse videtur: Et sane concedi debet Gracchis non satis moderatum animum fuisse, *quae res ipsis adeo interitum attulit; sed sic quoque egregii viri putandi sunt; nam* bono vinci satius est, quam m. m. ini. vincere; nisi forte malis adversativam sententiam sic concipere: sed, *etiamsi propter animum non satis moderatum interiere, tamen* bono vinci satius est, etc. *Bono* autem non cum Langio referendum ad *more*, sed vi substantivi positum significat *bono homini;* cf. Catil. II, 6. XI, 2. XV, 2. XIX, 2. Contra *malo more* est: ita, ut malus mos, sive malum exemplum existat. Ita etiam Tacitus Annall. I, 35, 4. *Miles strictum obtulit gladium; saevum id malique moris etiam saevientibus visum.* Minus recte Cortius et Faber utrumque vocabulum interpretantur *malo modo, vitio, iniuste.* Peius etiam Bipontini *bono* explicant *ob bonum*, non sentientes eum qui *bono vincatur* ipsum non esse bonum, sed propterea vinci, quod non satis boni ei inest.

§. 4. *ferro aut fuga exstinxit*] Zeugma facile quisque agnoscet; v. ad c. XIV, 4. et 9. XXXVIII, 9. Ceterum *fuga* est i. q. *exilium;* v. ad c. XL, 4. — *Timoris* Gerlachius et Faber censent passiva potestate positum esse, ut supra XXXV, 2. *metus;* scilicet severioribus poenis, quas senatus a Gracchorum amicis repeteret, id effectum esse, ut *magis a populo timeretur*, potentia tamen non aucta, quia quem multi timeant, eum necesse sit et ipsum multos timere. Haec speciose dicta esse non nego; tamen probabilius mihi est *timoris* intelligendum esse de timore, quo senatus agitaretur. *Timor* enim passivo sensu non recte opponi potest *potentiae*, siquidem qui hanc appetit, id ipsum agit ut a quam plurimis *timeatur;* neque curat aliorum timorem sui, si modo potentia gaudeat. Tum verba *timorem sibi addidit* vix alium sensum habere possunt nisi hunc:

potentiae addidit; quae res plerumque magnas civitatis pessumdedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si singu-

ipsum senatum *magis timere coepisse.* Denique etiam sequentia haud dubie spectant ad populum, aegerrime ferentem se a potentibus oppressum, eoque vindictae cupidum. Nobilium enim superbia, victoria sua ex lubidine utentium, factum erat, ut plebes oppressa defensores suos victos acerbissime ulcisci studeret, quae res tum alias, tum Romanam civitatem pessumdedit. Patet igitur nobilitatem victoria sua non secure frui potuisse, sed ab infensa plebe *semper sibi timere debuisse.* Quo timore eorum potentiam fuisse imminutam et quasi fractam per se intelligitur. Sensus est igitur: victoria nobilium factum est, ut in relicuum magis *timerent,* quam *valerent.* — *Victos ulciscuntur*, sc. sui, non qui aliarum partium sunt. — *Pessumdedit* est *pessumdare solet*, de qua perfecti potestate egimus ad c. XVII, 6. Hunc quoque locum Nostrum ex Thucydide III, 82. expressisse iam Cortius monuit; quae maxime huc pertinent verba, haec sunt: *παντὶ δὲ τρόπῳ ἀγωνιζόμενοι ἀλλήλων περιγίγνεσθαι, ἐτόλμησάν τε τὰ δεινότατα, ἐπεξῄεσάν τε, τὰς τιμωρίας ἔτι μείζους οὐ μέχρι τοῦ δικαίου καὶ τῇ πόλει ξυμφόρου προτιθέντες, ἐς δὲ τὸ ἑκατέροις που ἀεὶ ἡδονὴν ἔχον ὁρίζοντες, καὶ ἢ μετὰ ψήφου ἀδίκου καταγνώσεως, ἢ χειρὶ κτώμενοι τὸ κρατεῖν, ἕτοιμοι ἦσαν τὴν αὐτίκα φιλονεικίαν ἐμπιμπλάναι.*

§. 5. *Omnis civitatis moribus* Gerlachius primus scripsit auctoritate Bas. 1. Sen. 1. m. pr. Leid. L. Guelf. 3. Par. x. z. m. pr. Ceteri habent *omnibus civ. moribus*, quod minus accommodatum est. Auctor enim non dicit, tempus sibi defuturum, si de singulis moribus, *quicunque in civitate essent*, loqueretur, sed si eos mores, *qui ad universam civitatem pertinerent*, i. e. qui in civitate quasi dominarentur eamque regerent, vellet disserere. — *Me deseret* longe plurimi libri habent; in nonnullis tamen legitur *desereret*, quam quivis interpolationem esse videt. Cortius ex uno Acad. scripsit *deserat*, quod per se bonum est, sed codd. auctoritatem non valet tollere. Ea est autem futuri vis praegressa enunciatione condicionali, ut animi iudicium sine ulla dubitatione proferatur; cf. ad c. I, 2. quod non reputans Faber coniunctivum recepit. [Cf. Orell. ad Cic. pro Cael. §. 29. pag. 28. ed. min. Fr.] — *Me* in paucis codd. deest, quos secutus est Cortius.

latim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. Quamobrem ad inceptum redeo.

XLIII. Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam Q. Metellus et M. Silanus consules

XLIII. §. 1. *Q. Metellus et M. Silanus*] Praenomina consulum *Q.* et *M.* in plerisque libris desunt; tantummodo addita leguntur in Guelf. 10. Vin. 2. Franc. Leid. G. Ven. 4. Vat. 4. et Misn. quorum auctoritati merito paruit Cortius, quum Sallustius ubique, ubi *primum* alicuius viri meminit, praenomen addat. cf. etiam Pighii Annall. Tom. III. p. 125. — *Q. Caecilius Metellus*, a devicto Iugurtha *Numidicus* dictus, vir acer et summae constantiae. Qui censor quum in leges Appuleii Saturnini iurare nollet, in exilium missus est, quod adeo fortiter tulit, ut nonnisi precibus et lacrymis filii, qui propterea *Pii* cognomentum adeptus est, Romam redierit. cf. Cic. p. Sext. c. 16, 37. Flor. III, 16. Seneca Ep. XXIV. Appian. de B. C. I. p. 369. A. ed. H. Steph. *M. Junius Silanus* Galliam provinciam obtinuit, propter adventum Cimbrorum, contra quos male pugnavit; cf. Liv. Epit. lib. LXV. Flor. III, 3. Cort. — *Partiverant* non solum omnes codd. tuentur, sed etiam Serv. ad Virg. Aen. I, 194. et Cledon. p. 1916. ed. Putsch. Prorsus igitur ex libidine Petr. Victorius ad Cic. Epp. I, 9, 74. et Fr. Gronov. Obss. 1, 10. p. 71. ed. Lips. coniecerunt *paraverant*, quod etiam Ernestius ad Tacit. Ann. XII, 30, 2. probat, quasi vero *partire inter se provincias* aliud esset quam *parare prov.* Annon qui *partiunt inter se* etiam *parant* sive *comparant provincias*, et contra? Apte Gerlachius contulit Liv. IX, 41, 2. *Consules partiti provincias; Etruria Decio, Samnium Fabio evenit.* quo loco simul probatur *evenire* non solum dictum esse de provincia, quam consules *sorte* acciperent (v. ad c. XXXV, 3.), sed etiam de ea, quam alter concedente et consentiente altero obtineret. cf. Liv. VIII, 20, 3. *Consules novi comparare inter se provincias iussi; et Mamercinus, cui Gallicum bellum evenerat, scribere exercitum.* *Comparationem* autem diversam fuisse a *sortitione* docet Liv. VI, 30, 3. *Manliis Volsci provincia sine sorte, sine comparatione, extra ordinem data.* Quin etiam provinciae a senatu decretae *evenire* dicebantur; Liv. XXIII, 25, 9. *Duae legiones urbanae alteri consuli decretae sunt; — atque inde consul, cui legiones urbanae evenissent, militum sumeret quantum opus esset.*

designati provincias inter se partiverant, Metelloque Numidia evenerat, acri viro et quamquam advorso populi partium fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia 2 sibi cum collega ratus, ad bellum, quod gesturus

Ad hoc Cortius non solum *provincias* vocabulum tanquam insiticium unciuis inclusit, cuius rei ne minimam quidem fidem codd. faciunt, sed etiam verbi *tempus* mutavit, *paraverunt* pro *partiverant* invehens, quod cur fecerit ne monuit quidem lectores. — *Partium* longe plurimi et in iis optimi libri exhibent, ut Bas. 1. Sen. 1. Fabric. 1. Leid. L. Commel. Naz. Paris. b. c. x. z. quorum auctoritatem etiam confirmat Arus. Mess. in Grammat. Lat. vet. Tom. 1. p. 211. ed. Lindem. v. *adversus illius.* Relicui *partibus* habent, idque Bipp. receperunt, Cortium genitivum praetulisse incusantes, ut incredibile daret. Sed nihil incredibile in structura inest, si modo teneas, quod iam Langius et Gerlachius viderunt, *advorsus* vi substantivi usurpatum esse; non alia igitur huius constructionis ratio est, quam in vocibus *adversarius*, *contrarius*, *inimicus*, *amicus*, ac similibus, quamquam concedi debet Sallustium magis rectam analogiam quam tritum usum secutum esse. — *Fama aequabili* Cortius, Langius et Muellerus interpretantur *aequali apud nobilitatem et plebem*, quod Gerlachius merito vituperat; nam *partium* significatio, apud quas *parem* Metellus famam habuerit, prorsus aliena est. *Fama aequabilis* potius intelligenda est *f. constans*, *semper bona*, neque nimia gratia supra modum aucta, neque invidia flagrans, sed placide et eodem tenore quasi fluens, quam sententiam bene vidit Gerlachius addito vocabulo *inviolata* explicari ac confirmari. cf. Cat. II, 3. *Aequábilius et constantius sese res humanae haberent.* Tacit. Ann. VI, 31, 1. *Artabanus metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos*, i. e. eodem semper modo se gerens. Id. Histor. IV, 5. *Cunctis vitae officiis aequabilis.*

§. 2. *alia omnia sibi cum collega ratus*] Ad haec illustranda Cortius satis bene annotavit: „Sensus est: alia omnia, quam bellum cum Iugurtha, se simul cum collega agere, nec adeo intentissima cura opus esse; at bellum in Numidia sibi soli curandum esse. Erant nempe auspicia habenda aliaque divina et humana obeunda, quae consules communi consilio agebant, quorum quaedam enumerat Liv. XXI, 63. Sed provincia, ut cuique evenerat, uni erat admi-

3 erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites scribere, praesidia undique accersere, arma, tela, equos et cetera instrumenta militiae parare, ad hoc commeatum affatim, denique omnia, quae in bello vario et multarum rerum egenti usui
4 esse solent. Ceterum ad ea patranda senatus au-

nistranda." — Pro *exercitui* libenter dedissem *exercitu* (v. ad c. VI, 1.), si modo unus cod. hanc formam praeberet; sed Sallustium ubique ea usum esse, non magis certum est, quam genitivum quintae declinationis in *e* semper eum probare, de quo egimus ad c. XXI, 2 — Statim post omnes paene libri inepta glossa inquinantur *milites eligere, scribere*, vel *milites scribere, eligere.* Supra modum igitur religiosus fuit Gerlachius, qui in ed. mai. *eligere* tantummodo uncinis incluserit, quod sine mora expellendum fuit. Incorruptam scripturam praebet unus cod. Rivii, Einsiedel. et Vat. 4. — *Accersere* longe plurimi codd. exhibent; relicui *arcessere.* — *Et* ante *cetera* Cortius facile omisit, cui facto omnes cod. repugnant. — *Affatim* hic et c. LIV, 6. est *copiose*, paullo angustiore vocis potestate, qua proprie abundantia aut copia naturalem ac consuetum modum excedens significatur; v. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 260 sqq. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. I. p. 108 sq. Structura eadem est, quae *abunde* vocabuli; v. ad c. CII, 7. — *In* praepositionem ante *bello* non habent aliquot Palatt., Fabr. 1. et Guelf. 12., quorum fide expulit Cortius. Sed videndum ne scribae eam propterea omiserint, ut verba *usui esse* dativum haberent, non sentientes commode ea etiam absolute poni posse; v. ad I, 3. et X, 3. Quare a codd. auctoritate non est recedendum. Sed recte ille *varium bellum* explicat quod non uno proelio aut una expugnatione conficiatur, sed cuius multae sint formae. cf. ad c. LXXIV, 1. LI, 1. *Facies totius negoti varia.* Flor. IV, 2, 26. *Anceps variumque et cruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeii.*

§. 4. *et reges ultro auxilia mittere*] *Et* Cortius nimium tribuens corruptae cod. Eccard. scripturae delevit. Melius idem scripsit *mittere*, quemadmodum est in Guelf. 3. 12. Vin. 1. 2. Inc. 1. Franc. Sen. 2. Heuss. Leid. K. N. uno Putschii, Pal. 3. 4. 6. 7. 10. Laud. 3. Bodl. Martin. Erl. Teg. Med. 1. 2. Min. 1. Vat. 1. 3. 5. Barb. 4. 5. Ven. 3. 4. Berol. 1. Misn. Goerlit. Ex ceteris plerique fere habent *mittendo*, quod quamquam olim in contextu erat, tamen multis ex

ctoritate socii nomenque Latinum, et reges ultro auxilia mittere; postremo omnis civitas summo studio annitebatur. Itaque ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur magna spe civium, quum propter bonas artis, tum maxume, quod advorsum divitias invictum animum

caussis intelligitur effictum esse a librariis. Valde enim suspectum eo redditur, quod Bas. 4. habet *mittunt*, Med. 4. autem *mittebant*, quae utraque simul cum infinitivo non potuissent oriri, si *mittendo* ab ipso Sallustio esset proditum. Contra patet ex infinitivo unum fecisse *mittunt*, alium *mittebant*, plurimos *mittendo*, scilicet quo prius quoque orationis membrum eandem atque posterius haberet structuram. Denique qui Sallustianum dicendi genus cognitum habet, facile sentiet quam ex eius more sit ut infinitivum historicum excipiat imperfectum, v. ad c. XV, 2., quae orationis conformatio scribas saepius ad interpolanda auctoris verba seduxit. — Verba *socii nomenque Latinum* idem significare atque *socii Latini* censet Manutius ad Cic. Lael. c. 3, 12. non dissentiente, ut videtur, Gernhardo; eandemque sententiam amplectitur Drakenborch. ad Liv. XXXV, 20, 4., praeeunte Sigonio de Antiq. Iur. Ital. I, 2. et Heineccio Antiqq. Iur. Rom. lib. I. Append. c. II. §. 74. p. 295. ed. Haubold. quem sequitur etiam Creuzerus in Antiqq. Rom. §. 202. p. 307. ed. II. Sed quamquam *Latini*, *nomen Latinum* et *socii nominis Latini* non diversi sunt inter se, tamen *socii ac nom. L.*, *socii et nom. Lat.*, *socii nomenque L.* necessario pro diversis habendi sunt; nam figurâ poetarum ἓν διὰ δυοῖν Romanos etiam in rebus civilibus usos esse, ubi omnis ambiguitas et obscuritas vitanda erat, plane absonum et absurdum est. Quare *socii* intelligendi sunt *Italici*, qui simili atque Latini condicione licet paullo deteriore utentes saepe cum iis simul nominantur. cf. c. XXXIX, 2. XL, 2. XLII, 1. LXXXIV, 2. XCV, 1. Liv. XXIX, 27, 2. *Precor, uti ea mihi, populo plebique Romanae, sociis nominique Latino bene verruncent.* Cic. Somn. Scip. c. 2, extr. *Te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur.* Eadem ratio est etiam loci Liviani XLI, 8, 9. quem omnes interpretes falso intellexerunt. — *Postremo* explic. c. XVI, 3. — Pro *annitebatur* Bipp. ex tribus Cortii codd. male scripsere *adnitebantur.* De vi verbi v. ad Cat. XIX, 1.

§. 5. *magna spe civium*] Vin. 1. Struv. Fabr. 1. a m. pr. et

gerebat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae, hostiumque auctae erant.

XLIV. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Sp. Albini proconsulis iners, imbellis, neque peri-

Guelf. 12. *cum magna spe c.*, non male; sed praepositione non est opus, quum sensus idem maneat, licet cogitandi ratio paullulum immutetur. cf. ad Cat. XXXIX, 3. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. VII, 17, 2. — Pro *bonas artis* Gerlachius ex paucis codd. inverso ordine scripsit *artis bonas*. — De *advorsum* praepositione cum *invictus* coniuncta v. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 185. Nititur autem hic usus imagine pugnae vel impetus ita in aliquam rem facti, ut non inferior discedas. cf. Senec. ad Helv. c. V. *At ille, qui se laetis rebus non inflavit, nec mutatis contrahit, adversus utrumque statum invictum animum tenet.* Tacit. Ann. XV, 21, 3. *Invictus adversum gratiam animus.* Similiter Iustinus XII, 15. *Sicut in hostem, ita in mortem invictus animus fuit.* — *Invictum animum* omnes paene codd. praebent; Cortius ex Fabric. 1. et 2. scripsit *animum invictum*. — Pro *et avaritia* cod. Goerlit. habet *nam avar.*, Acad. *nam ex avar.*, scribis sentientibus postrema capitis enunciatione non novam sententiam *addi*, sed antecedentem *explicari*. Sed tales enunciationes etiam simplici copula necti abunde docuimus ad Catil. c. XIX, 2. p. 92.

XLIV. §. 1. *Albini proconsulis*] Ita scriptum exstat in Naz. Commel. Vin. 1. Fabr. 2. Berol. 2. Guelf. 2. 3. Teg. et m. pr. Fabr. 1. Relicui omnes tenent *a Spurio Albino proconsule*, unde Cortius fecit *Sp. Albini pro consule*, quemadmodum Gerlachius in cod. Tur. 1. manu secunda superscriptum invenit. Sed quamquam verum est veteres non solum *proconsul* ac *propraetor*, sed etiam, servata praepositionis ratione, *pro consule* ac *pro praetore* dixisse (v. ad Cat. XIX, 1. Manut. ad Cic. Epp. ad Famm. I, 1. p. 12 sqq. Drakenb. ad Liv. III, 4, 10. X, 31, 5. XXIII, 30, 19. Cic. de Orat. I, 18, 82. de Legg. I, 20, 53. Auct. de B. Afric. c. 80, 4. 86, 5.), tamen posterior dicendi ratio semper a *verbo* pendet, quod non vidit Creuzerus Antiqq. Rom. §. 176. p. 261. et §. 184. p. 286. ed. II. Hoc igitur loco, ubi *Albini* non a verbo, sed a nomine *exercitus* aptum est, necessario dicendum est *proconsulis*, quippe quae vox appositionis lege teneatur. cf. Liv. XXIII, 21, 2. *Litterae ex*

culi neque laboris patiens, lingua quam manu promptior, praedator ex sociis et ipse praeda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo 2 plus ex malis moribus sollicitudinis quam ex copia militum auxili aut spei bonae accedebat. Statuit tamen 3

Sicilia T. Otacilii propraetoris recitatae sunt. Perperam igitur Gerlachius, quum in ed. mai. *proconsulis* edidisset, in Commentt. p. 281. soloecam Cortii scripturam commendat, quam in ed. minore rursus deseruit, scribens *a Sp. Albino proconsule.* Genitivus autem a librariis non aliam ob caussam in ablat. c. *a* praepositione mutatus est, quam quod non satis accurate ipsis dictum videretur, exercitum, quem Albinus ductaverat, nude *traditum* narrari. — *Lingua promptum esse* plerumque leve et vituperatione dignum putatur; cf. quae Cortius laudavit Liv. II, 45, 15. *nunc iubent Etruscos probra iacere, nunc armatis sibi quisque lingua promptum hostem offerri.* XXII, 44, 7. *videret, ut quibus lingua tam promta ac temeraria, aeque in pugna vigerent manus.* Sil. Ital. XIV, 31. *promptae gens linguae.* Eodem sensu Noster dixit *promere linguam*, Fragm. Historr. Inc. 168. Gerl. de quo loco v. Kreyssig. in Comment. II. de Sallustii Historr. lib. III. Fragmm. p. 26. — Qua ratione *praedator* vocabulum, quod Gerlachius pro adiectivo positum censet, intelligendum sit, diximus ad Catil. c. LIX, 1. p. 312 et 213. et in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 57. cf. Iug. LIV, 3. LXIII, 2. LXIV, 1. LVIII, 5. Drakenborch. ad Liv. IV, 15, 6. XXV, 19, 2. — *Ex sociis* est *ex agro sociorum*; v. ad LXXXVIII, 3. — *Modestia* Gerlachius Cortio auctore *duplici* sensu h. l. capi posse praecipit, ut et *moderamen* ducis et *verecundiam* militum complectatur. Sed quod priorem significationem Donati quadem observatione, quam non legisse se profitetur, comprobare studet, id nihili est; loquitur enim Donatus ad Ter. Andr. I, 1, 68. non de *modestiae* sed de *modi* vocis potestate, quamquam non satis acute, ut recte monuit Doederlinus in Synonymm. Latt. Vol. II. p. 204. Sensus verborum est: quippe qui ita haberetur, ut neque imperium exerceret dux, neque miles sibi obediendum esse sentiret. *Modestia* enim *sensus* est *modi servandi,* qui modus in militia obedientia et disciplina constat.

§. 2. et 3. *ex malis moribus*] Vim *ex* praepositionis illustravimus ad Cat. XII, 2. — *Spei bonae* recte reposuit Cortius pro vul-

Metellus, quamquam et aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exspectatione eventus civium animos intentos putabat, non prius bellum attingere, quam maiorum disciplina milites laborare
4 coëgisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque

gato ordine *bonae spei*, quem plerique libri habent. Sed receptum a nobis ordinem confirmant Bas. 1. Paris. b. x. z. Struv. Guelf. 1. Misn. Ven. 3. 4. Min. 2. Flor. 1. Med. 2. 4. et Corn. Fronto in Excerptis Sallust. p. 317. ed. Francof. a. 1816. cf. c. CXIII, 3. *Illi pariter laeti et spei bonae pleni esse.* Caes. B. C. II, 5, 2. *plenus spei bonae atque animi adversus eos proficiscitur.* — *Aestivorum tempus* intelligendum de eo, quod rebus gerendis idoneum est, quoque ad expeditiones uti solebant. cf. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. III, 9, 14. *A me recte factum puto, quod non statim, sed aestivis confectis litteras miserim.* Vell. II, 105. *Anni eius aestiva usque in mensem Decembrem perducta immanis emolumentum fecere victoriae.* v. Interprr. ad Caes. B. G. VIII, 6, 1. et Forcell. Lex. tot. Lat. h. v. — De *comitiorum mora* v. supra c. XXXVII, 2. *Eventus* omnes libri praebent; Cortius *eventi* scripsit, ut errore in Gruteri edit. exaratum est. De codd. enim silet Gruterus. — *Maiorum disciplinam* Noster adumbravit in Catil. VII, 4. Apposite Cortius haec ascripsit: Liv. XXXV, 35, 9. *Faciendum esse, ut quas haberet copias non sineret sub tectis marcescere otio, sed educeret, et in armis decurrere cogeret, simul animos acueret et corpora exerceret.* Erant laborum multa genera, quibus Romanus miles exercebatur, fossam fodere, vallum ferre, vigilias servare, cum signis incedere, cibum et arma portare, quae Sall. ipse recenset c. XLV. Herodian. II, 10. Seneca Ep. LVI. Adde Nitschii Antiqq. Romm. Vol. II. p. 1482 sqq. ed. III. Creuzeri Antiqq. Rom. § 256. p. 392. ed. II.

§. 4. *in imperio fuit*] Male *in* praepositio in aliquot codd. deest, sive similitudine proximae syllabae excidit, sive librarii verborum structuram et sensum non asseccuti pro suo captu locum constituere ausi sunt. Sensus est autem: *quamdiu* Albinus per aestivorum tempus *imperium adhuc retinuit.* — *Stativis castris* exstat in Nazar. Commel. Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Leid. L. Teg. nonnullisque aliis; sed longe plurimi habent vel *statutis castris* vel *in statutis castris*, contra dicendi usum. Nam *stativa* sunt proprie castra diu-

clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit plerumque milites stativis castris habebat, nisi quum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque muniebantur ea, neque more

tius uno loco fixa; v. Lips. de Milit. Rom. V, 1. Davis. ad Caes. B. C. III, 37, 1. Liv. XXII, 9, 4. XXXVII, 33, 4. Saepe in diurnum, ut hoc loco, tempus quasi hibernacula aedificata, et inde *mansiones* dicta; v. Stewech. in Veget III, 3. Cort. Plura vide apud Drakenborch. ad Liv. III, 2, 1. — *Quum coegerat* ita dictum est, ut significetur repetitio eiusdem rei saepius facta; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 78, 11. p. 422. ed. IV.

§. 5. *neque muniebantur ea*] Haec verba in omnibus paene codd. desunt, neque in editionibus nisi in C. Popmae leguntur. Is enim primus in textum intulit ex antiquo quodam cod. suo, cui postea accessit Leid. G. Quae exigua auctoritas quamvis istam scripturam suspectam reddere possit, tamen internis aeque atque externis veritatis documentis nititur. Nam primum in vulgata offendit *neque* particula, in *media* oratione ita posita, ut altera copula ei non respondeat, cui incommodo non medetur Gerlachii explicatio, *neque* pro *non* dictum esse censentis. Licet enim antiquiore tempore *nec* idem valeret atque *non*, ut ostendunt composita vocabula *negotium* (*necotium*) et *necopinatus*, tamen iste particulae usus apud scriptores aureae aetatis valde suspectus aut certe artissimis finibus circumscriptus est. cf. etiam ad c. LXXXIV, 3. Ad hoc etiamsi concedas *non* simplex h. l. haberi, simul concedendum est universam sententiae conformationem et nexum cum antecedentibus ieiunum, contortum et a Sallustii consuetudine alienum esse; neque perversa haec ratio tollitur si quis dicat *nec* pro *ne quidem* positum esse, quod interdum fieri observavit Beierus ad Cic. de Off. I, 45, 159. p. 312. cf. Cort. supra ad c. XXXI, 3. Duker. ad Flor. II, 8, 12. Praeterea si reputaveris c. XLV, 2. in iis rebus, quibus Metellus delicta Albini reparare studuerit, disertis verbis memorari eum *castra vallo atque fossa munivisse* ac *vigilias crebras posuisse*, sane exspectes auctorem in describenda disciplina prorsus soluta non omisisse, quod gravissimum moris corruptissimi documentum esset; nam *castra non munire* haud dubie gravius erat et flagitiosius, quam *vigilias non deducere;* v. ad c. XCIX, 1. Quae quum ita sint, iam per se valde probabile

militari vigiliae deducebantur; uti cuique lubebat ab signis aberat; lixae permixti cum militibus die noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino ad-

fit verba *neque muniebantur ea* in relicuis codd. excidisse potius, quam in Popmae libro et Leid. G. a scribis addita esse. Sed vere a Sallustio profecta esse evincit locus Frontonis ab Ang. Maio e cod. palimpsesto editi, qui p. 317. ed. Francof. a. 1816. in *Excerptis Sallustianis*, quibus integrum cap. XLIV. complexus est, haec ipsa verba refert, omisso tantum *ea* pronomine, quod facile excidere potuit. Eiusdem scripturae vestigia deprehendisse se profitetur Ang. Maius in duobus codd. Ambrosianis F. 138. et P. 89. Priorem neque contulit neque memoravit Gerlachius; ex posteriore, qui ipsi est Mediol. 10. (v. Vol. II. Fasc. I. p. 10.) enotavit pro varia scriptura *sed neque ea, neque more;* quae ut fidem facit scripturae ex Frontone haustae, ita probabilem corruptelae originem ostendit. Verbo enim *minuebatur* iam mature casu quodam omisso, mirum non est scribas etiam voces *neque ea*, sensu destitutas, non amplius curasse. Gerlachius tamen tria verba illa in ed. mai. expressa quidem, sed uncis inclusa, in Commentt. p. 282. glossam esse dicit, in textum illatam a librariis, qui vim *neque* particulae, scilicet pro *non* positae, non perciperent. Sed in ed. min. sententia rursus pro vanitate sua mutata „glossam" istam recipere non dubitavit.

vigiliae deducebantur] Haud pauci codd. habent *ducebantur;* sed recepta scriptura praestat, licet *vigilias deducere* non ex usu dicatur. Quum enim in re militari *deducere* idem fere valeat atque *abducere*, v. Drakenborch. ad Liv. XXV, 25, 10., Sallustius h. l. eam vocabuli potestatem secutus est, qua significat *aliquem aliquo perducere, ut ibi maneat;* v. quae de hoc usu diximus ad Catil. LV, 2. p. 290. Maximam cum nostro loco similitudinem habet dictio *coloniam deducere*, quam multis exemplis confirmavit Dukerus ad Liv. X, 13, 1. cf. Fragmm. Histor. I, 19, 17. Gerl. *Praesidia deducta atque imposita.* — *Ab signis abesse* contrarium severae disciplinae, quae iubebat *cum signis frequentes incedere*, ut auctor dicit c. XLV, 2. De re ipsa cf. Walch. ad Taciti Agric. c. 20. p. 284. — *Lixas* Festus h. v. Gramm. Lat. Vol. II. p. 86 Lindem. dicit fuisse qui exercitum sequerentur quaestus gratia, itaque voca-

vectitio et aliis talibus; praeterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari; postremo, quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

tos, quod extra ordinem essent militiae, iisque *liceret* quod libuisset. Hanc explicationem secutus Cortius in Commentat. *de Usu orthogr. Lat.* c. III. §. 11. n. 9 et 10. vocabulum haud male ducit a *laxus*. „Quippe in eo, inquit, quod sint soluti ordine, omnis vis vocabuli *lixarum* sita est. Possunt illi quaestus gratia exercitum sequi, possunt mercari et cum pretio etiam servilia praestare.“ Aliam vocis explicationem dedit Nonius Marcell. I, 238. et I, 309. *lixas* ab *lixa* i. e. *aqua* esse dictos, quia militibus aquam ad castra vel ad tentoria ferre solerent, quod probatur Doederlino Synonym. Lat. Vol. IV. p. 268. Nuper Lindemannus ad Festi l. l. p. 472. duxit ab antiquo verbo *ligere* i. e. *ligare*, ut *lixa* sit qui impedimenta ligat, quod mihi quidem parum probabile videtur. — Pro *die noctuque* Fronto libro supra laudato p. 318. habet *diu noctuque*, ut Ciacconius scribi volebat, propter Iug. LXX, 1. et Fragmm. Historr. II, 27. Gerl. Sed omnes codd. in vulgata conspirant; v. ad XXXVIII, 3. Gerlachius tamen in ed. min. non monito lectore *diu* scripsit. Idem librorum consensus facit ut *et* ante *palantes*, quod apud Frontonem deest, retineamus, quamquam Sallustii consuetudo id abesse patitur. — Verba *vagari* et *palari* quomodo differant bene docuit Lud. Doederlinus in Synonymm. Latt. Vol. I. p. 89. *Vagantur* enim qui certo loco, sede aut via uti nolunt, sed consulto in varia loca abeunt, ordine et imperio exsoluti. Idem fere valet de iis, qui *palantur*, nisi quod *palantes* dispersi sunt et magis singuli quam coniuncti a recta via aut a certo loco abeunt; cf. c. LXVI, 3. *Palari* enim quum descendat a *pabulari*, proprie de pecudibus dicitur, quae in pascua vescendi caussa disperguntur. Huic usui valde cognatus est is, quo de militibus usurpatur, qui in agros dilabuntur, pabulum petitum. Vocabula saepe coniuncta leguntur; v. supra c. XVIII, 2. ubi Faber contulit Liv. V, 44, 5. XXI, 61, 2. XXIII, 42, 12. — *Frumentum publice datum* certo die distribuebatur, v. Caes. B. G. VI, 33, 5. Liv. XXIII, 21, 2. et quidem in totum mensem, v. Liv. VIII, 2, 4. unde etiam *menstruum* dictum, Liv. XLIV, 2, 4. cf. Lips. de Mil. Rom. V, 16. Schelium ad Polyb. c. VII. Nitschii Antiqq. Rom. Vol. II.

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus quam in rebus hostilibus magnum et sapientem virum fuisse comperior, tanta temperantia inter
2 ambitionem saevitiamque moderatum. Namque edicto primum adiumenta ignaviae sustulisse, ne quisquam

p. 1449. ed. III. — *In dies* est i. q. *in singulos dies*; cf. Fragm. Historr. I, 13. Gerl. *Quorum volgus in dies usum habet.* Iug. LXXIV, 1. *Itinera praefectosque in dies mutare.* Cic. Epp. ad Attic. XIV, 23. *Consilia temporum sunt, quae in horas commutari vides.* Nihili est igitur, quod Laur. Valla in Elegant. III, 68. scribi vult *in diem*, quemadmodum in solo Guelf. 12. exstat. Reliqui omnes in plurali consentiunt, quos confirmat etiam Fronto in Excerptt. Sall. 1 l. p. 318. et Arus. Mess. v. *in dies*, Gramm. Lat. Vol. I. p. 242. ed. Lindemann. — Post *probra* apud Frontonem l. l. p. 318. additum legitur *ea*, haud male ad vim sententiae; sed quum ne unus quidem cod. pronomen ostendat, probabilius est Frontonem, sive qui alius illa Excerpta composuit, ex ingenio addidisse, quod quivis videt auctorem ipsum addere potuisse. Et sunt plura, quamquam levia, in illis Excerptis, quae a codicum scriptura discrepent.

XLV. §. 1. *inter ambitionem*] Ducis *ambitio* in eo cernitur, si favoris militum consequendi caussa omnium delictorum iis gratiam facit, nimisque liberaliter ac luxuriose eos habet; de qua re Muellerus bene comparavit Tacit. Historr. II, 12, in. *Suedius Clemens ambitioso imperio milites regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus. Saevitia* pertinet ad studium delicta *nimis severe* et crudeliter puniendi; cf. ad c. C, 5. Ceterum verba *tanta — moderatum* male in omnibus edd. colo ab antegressis disiunguntur; quo modo fit, ut enunciationem primariam efficiant, a *comperior* verbo aptam, sed male cum priore, male cum sequenti cohaerentem. Multo simplicior autem structura atque sententia prodibit, si commate posito *moderatum* pro participio habueris, hoc sensu: *quippe qui tanta temperantia — moderaretur. Tanta* autem non, ut vulgo solet, ad rem spectat, de qua in antecedentibus iam dictum est, sed ad sequentem sententiam refertur, quasi subiiciatur hoc: quantam statim explicaturus sum. Huc enim referuntur, quae per *namque* particulam auctor adiungit.

§. 2. *edicta primum*] Male multi codd. *edicto primo*; non enim plura edicta referuntur, ut *primo* respondeat posterius aliquod, sed

in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet, ne lixae exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris neve in agmine servum aut iumentum haberet; ceteris arte modum statuisse. Praeterea transvorsis itineribus cotidie castra movere, iuxta

edicto respondet infra *arte*. Scilicet ita emendandam censebat Metellus corruptam exercitus disciplinam, ut nonnulla *statim* edicto tolleret, alia *paullatim* i. e. arte mutaret. *Primum* igitur ita positum est, ut in sequentibus omissum sit *tum* vel *deinde*, quod poscit orationis accurate nectendae ratio; cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 3, 6. Drakenborch. ad Liv. XXII, 43, 3. Beier. ad Cic. de Off. I, 14, 44. Aug. Matthias ad or. in Catil. II, 10, 21. Walch. Emendatt. Liv. p. 188. — *Sustulisse* pendere ex praegresso verbo *comperior* vix est quod moneatur; vitiose igitur in nonnullis codd. *comperior* repetitum aut eius loco *dicitur* positum est. — *Ceteris arte modum statuisse* Cortius ita interpretatur: „ceteris *militibus*, qui non essent gregarii, *arctum* servorum iumentorumque *numerum* permisit;" sed isto modo non solum mirifice et ambigue *gregarii* milites *ceteris*, i. e. centurionibus et tribunis opponuntur, sed etiam valde improbabile est, Metellum his arctum modum permisisse earum rerum, quas tantam exercitui perniciem attulisse cognovisset, adeoque prorsus sublatas vellet. Rectius igitur Langius, Muellerus et Gerlachius *arte* pro ablativo habent, interpretantes *prudentia;* sed perperam Gerlachius ad hanc explicationem firmandam addit: „scilicet centuriones et tribunos edicto monere seu cohibere *nec potuit nec voluit.*" *Ceteris* enim neutro genere dictum significat *ceteris rebus*, sive *ceteris incommodis*, quae suapte natura non commode possent *edicto* coerceri, velut socordia, licentia, laboris taedium, alia, quaeque Metellus *arte*, h. e. adhortatione, exemplo, severitatem et modestum animum ostendendo paullatim et vix ullo sentiente amoveret. *Modum statuere* igitur valet *mederi*, sive rem ad iustum probumque modum revocare. — *Cotidie* scriptum exstat in Bas. 1. Bern. 3. Paris. b. c. z. cf. ad Cat. XIV, 4. et XLVIII, 2. — Verba *vigilias crebras ponere* et *cum signis frequentes incederent* admonent ut paucis dicamus quomodo *creber* differat a *frequens* vocabulo, secuti Ludov. Doederlin. Synonymm. Latt. Vol. I. p. 19. Utrumque et de rebus et de personis usurpatur, quamquam de illis *creber*, de his *frequens* magis in usu est; sed *creber* proprie de iis dicitur, quae in unum

ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et eas ipse cum legatis circumire; item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incede-

locum constipata et quasi coarctata *minimo intervallo a se distant vel se excipiunt;* contra *frequens* de iis dicitur, quorum magna copia aut multitudo adest, ita *ut ad iustum aut certe magnum numerum nihil desit.* Igitur *crebrae vigiliae* sunt *minimis intervallis positae;* cf. c. XCVIII, 6. *Crebris ignibus factis barbari laetari.* CVI, 4. *In castris ignis quam creberrimos fieri iubet.* L, 1. *Existumans hostis crebro impetu iter suum moraturos,* i. e. saepissime repetito impetu et vehementer urgente. Sed *frequentes cum signis incedunt,* ubi omnes ad signa assunt, quos adesse decet, quemadmodum *frequens senatus* dicitur, si iustus senatorum numerus convenit. — *Eas* omisit Cortius auctoritate Vratisl. 3. quod Gerlachius in Comment. p. 283. probat propter Leid. H. et Vatic. 5, et suppleri posse facile largior; sed quum probatae fidei codd. omnes retineant, probabilius videtur scribas vocem vel negligentia omisisse vel loquendi usus ignorantia *circumire* absolute intellexisse. Solennis est autem formula *vigilias circumire* de iis, qui vigilias inspiciunt et explorant num omnia recte se habeant; cf. infra C, 4. Gronov. ad Liv. XXII, 1, 8. Herzog. ad Caes. B. G. V, 2, 1. Lips. de mil. V, 9. Ceterum *circumire* tenent Bas. 1. Arondel. Balliol. Leid. L. Tur. 1. nonnullique alii; ceteri habent *circuire,* quod minus probum; v. ad c. XLIX, 2. — *Ne quisquam* plurimi codd. tenent; sed in Vin. 1. 2. Sen. 1. 2. Heuss. Bas. 1. Guelf. 1. 4. Leid. K. L. *quispiam* exstat, quod Cortius et Gerlachius perperam receperunt; cf. ad Catil. V, 3. et XXXVI, 5. Heindorf. ad Cic. de N. D. III, 4, 11. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 87. p. 147. et §. 160, 2. not. 5. p. 372. Aug. Grotefendi Gram. Lat. ampl. Vol. II. §. 96. 97. p. 80 sq. Has voces ubique fere in codd. confundi non solum intelligitur ex locis laudatis, sed testantur etiam Drakenborchius ad Liv. XXXV, 42, 7. et Creuzerus ad Cic. de Legg. III, 8, 18. Quare non debebat Gerlachius uti testimonio Iustini XXXVIII, 7, 2. ad *quispiam* defendendum. Ita certe suam fecit Drakenborchii sententiam, qui ad Livii l. l. „cur *quisquam,* inquit, aptius sit quam *quispiam,* caussam non video.“ — De more militiae Romanae *cibum* et *arma*

rent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo 3 a delictis magis quam vindicando exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Iugurtha, ubi quae Metellus agebat ex nunciis accepit, simul de innocentia eius

portandi Cortius contulit Liv. XLIV, 2, 4. *Consul* m e n s t r u u m *iusso milite secum ferre profectus.* Cic. Tusc. II, 16, 37. *militiae qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Frontin. IV, 1, 1.

XLVI. §. 1. *innocentia*] i. e. animus *avaritiae* non obnoxius, de qua huius vocis vi v. ad Cat. XII, 1. Herzog. ad Caes. B. G. I, 40, 13. — Hunc locum Nonius IV, 245. laudat, consentiens plane cum codd., nisi quod pro *Romae* exhibet *Roma*, quae scriptura haud scio an vulgatae praeferenda sit. Primum enim *certiorem fieri* non est *edoceri*, neque simpliciter dicitur de iis qui aliquid cognoscunt, sed de iis, qui vel *litteris* vel *nuncio* de aliqua re audiunt. Quare si Sallustius dicere voluit Iugurtham, *quum Romae esset* (cf. c. XXXIII — XXXV.), *ibi* de Metelli innocentia edoctum fuisse, verba repugnant sententiae; et ut verba non repugnarent, res ipsa obstare videtur. Quid enim intererat Iugurthae, Romae de Metelli ingenio et moribus sciscitari, quum nullo pacto tum scire posset illum post duos annos imperatorem contra ipsum missnm iri? Contra multo probabilius est callidum regem, quum novum ducem in Numidiam missum videret, continuo *Roma* ex amicis nuncia de eo *petiisse*, iisque neutiquam ex sententia acceptis suis rebus diffidere coepisse. Nam ne *certior factus* de Iugurtha olim *Romam* profecto intelligatur, obstat etiam *simul* particula, qua temporis aequalitas et coniunctio designatur; cf. ad Cat. XX, 17. — *Tum* in tali nexu respondet vernaculo *jetzt;* quippe Latini, ubi praeteritum tempus tanquam praesens intuentur, non utuntur *nunc* particula, quae tempori vere praesenti convenit, sed *tum* usurpant, quo significatur mentem dicentis ex praesenti tempore in prius quasi regredi et se recipere. cf. Zumpt. Lat. Gramm. §. 63. p. 239. ed. IV. Sall. Iug. LXXXI, 1. LXXXIII, 1. CII, 14. Liv. XXI, 35. *Moenia eos* t u m *transcendere.* Tacit. Ann. I, 57, 4. I, 63, 4. Walch. Emendd. Livv. p. 138. Aug. Grotefend. Comment. ad Exerc. styli Lat. p. 306 sq. Walch. ad

certior Roma factus, diffidere suis rebus, ac tum
2 demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia
3 omnia dederent populo Romano. Sed Metello iam

Tacit. Agric. c. X. p. 185. et quae de eadem re diximus in Ephemerr. Scholl. a. 1830. Sect. II. n. 18. p. 143.

§. 2. *cum suppliciis*] *Supplicia* explicant signa supplicum, quae qui gerebant supplices se profiterentur, a Graecis ἱκετηρίαι, ἱκετήριοι κλάδοι, vel στέμματα vocata; constabant enim frondibus oliaginis vel laureis, quas manibus gestabant, qui pacem peterent. Simili fere modo Festus Grammat. Lat. Vol. II. p. 247. ed. Lindemann. *supplicia*, inquit, *sunt, quae caduceatores portant; ea sumebantur ex verbena felicis arboris;* ad q. l. vide interprr. p. 677. Ista ratio victorum gratiam quaerendi quamquam desperatis rebus et maxima urgente calamitate in usu fuit, tamen Iugurthae condicioni, qui sibi a Metello cavere vellet, non admodum convenire videtur. Quare *supplicia* putamus a Sallustio eo sensu esse dicta, ut significent *intentas preces*, qua potestate hoc vocabulum aperte posuit Iug. LXVI, 2. *Vagenses fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati, inter se coniurant.*

§. 3. *Sed Metello* etc.] *Metello*, qui casus pendet ex *cognitum erat*, Faber pro ablativo cum *ab* praepositione dictum censet, remittens ad Zumpt. Gramm. Lat. §. 72, 6. p. 334. ed. IV. et ad Ramshorn. Gramm. Lat. §. 124, 1. p. 219. ed. I., qui eadem docent. Sed falsam esse istam de dativo doctrinam recte viderunt Hoffmannus in Iahnii Annall. Phil. et Paed. a. 1828. Vol. II. Fasc. I. p. 15. Aug. Grotefend. Gramm. Lat. ampl. Vol. II. §. 13. p. 11. et §. 391. p. 299. et Otto ad Cic. de Finn. I, 4, 11. Excurs. II. p. 374.; ubique enim propria dativi potestas, quam *commodi* vocant, ita valet, ut is casus nullo negotio a verbo repeti possit, modo teneas multorum verborum passivam formam intransitivum aut reflexivum sensum admittere. Quoniam igitur *cognitum esse* idem significat atque *notum esse*, dativus priori verbo additus non aliam vim habet quam alter, ex *notum esse* pendens, quem nemo dicet pro ablativo et *a* praepositione positum esse; cf. c. XLVIII, 1. CXII, 1. Ita *compertum est mihi* dicitur non aliam ob caussam, quam quia horum verborum sensus est *certo persuasum est mihi;* Catil. XIV, 7. XXII, 4.

antea experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum
esse. Itaque legatos alium ab alio divorsos aggre- 4
ditur, ac paullatim tentando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet, uti Iu-

Iug. LXXV, 2. Neque diversa est aliorum verborum ratio; cf. Iug. LXX, 2. *Ex quo illi gloria opesque inventae*, quod germanice est *es fand sich für ihn*. Fragmm. Historr. I, 15, 22. *Exercitus, cui per tot volnera nihil praeter tyrannum quaesitum est*, i. e. *für welches nichts geschafft, nichts gewonnen wurde, als* etc., ubi dativus, etiam activo verborum *quaerere* et *parare* addi solitus, nihil insolentiae habet; adde Fragm. Historr. III, 11, 1. Liv. XXV, 6, 11. Sall. Iug. CVII, 1. *Saepe ante paucis strenuis advorsum multitudinem bene pugnatum*, i. e. *pugnam secundam fuisse* seu *victoriam contigisse*. Fragm. Historr. I, 15, 25. *Quae si vobis pax et concordia intelleguntur*, i. e. *si vobis significant* sive *pax et conc. esse videntur*. — Verba *iam antea experimentis cognitum erat* Colerus ita intellexit, quasi Metellus ipse haec experimenta fecerit; ac quum in Africa nullam dum eorum copiam illi fuisse videret, inepte coniecit *in Hispania* eum Numidarum ingenium infidum cognovisse. Sed nihil impedit quominus *experimentis* intelligamus de rebus ante Metelli adventum in isto bello factis; *experimenta* igitur sunt *Thatsachen*, quae non opus est per ipsum facta esse. Apposite Cortius contulit Tacit. Agric. c. XIX, 1. *Animorum provinciae prudens simulque doctus per aliena experimenta*. — *Esse* Cortius contra omnium codd. fidem tacite omisit.

§. 4. *aggreditur*] Hoc verbum Gerlachius explicat *appellat*, non prorsus falso, sed non satis accurate; nam *aggredi* in tali quidem nexu significat arte tentare, et quasi capere vel expugnare ac sibi obnoxium reddere studere; cf. c. XVI, 4. XXVIII, 1. LXI, 4. LXV, 3. — *Sibi* deest in Struv. et ante *opportunos* legitur in Min. 1. 2. Cortius inconsulto delevit. — *Sin* refertur ad praegressam sententiam condicionalem, quae in voce *maxume* latet; eius enim sensus est: *si id fieri posset*; v. ad Cat. c. LI, 24. coll. annotat. ad Iug. XXXV, 4. — Verba *quae ex voluntate forent* Cortius recte intelligenda esse vidit de *Metello*, iubente regi nunciare, quid ipse fieri vellet, ut pax conveniret. Hac reiecta interpretatione Gerlachius, quem Faber sequitur, verba ad *Iugurtham* spectare censet, quippe cui Metellus talia nun-

gurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent; ceterum palam quae ex voluntate forent regi nunciari iubet. Deinde ipse paucis diebus intento atque infesto exercitu in Numi-

ciari iusserit, qualia ille nunciari sibi cupiverit. Sed quod dicit, quominus de Metello haec accipi possint, obstare coniunctivum, et non additam voluntatis explicationem, quum Metelli sententia indicativo fuerit enuncianda accuratiusque de ea exponendum, id prorsus a vero alienum est, neque refutatione eget; nam quivis Latine doctus intelligit, quam bene coniunctivus habeat ad Metelli mentem declarandam. Tum res ipsa satis clare ostendit *Metelli* voluntatem, non *Iugurthae* intelligendam esse; inepte enim Metellus, qui pro victore agere posset, et revera egit, se ad hostis callidi voluntatem composuisset. — *Palam* Langius ex parte recte interpretatur „universis legatis, *quibuscum antea separatim et clam relicuis egerat.*“ Muellerus emendaturus illud *universis legatis*, quod in verbis non inest, explicat *pro concione*, non satis commode. Respondit enim Metellus, ut mos militiae, *in consilio;* cf. c. XXIX, 5. et LXII, 4. ubi v. — Pro *ceterum* pauci codd. male *cetera* habent; cf. ad c. II, 4. — Pro *nunciari* Bipontt. et Gerlachius ex Aldina scripserunt *nunciare*, quod etiam Paris. A. C. b. x. Einsiedel. Turic. 1. et Teg. confirmant. Non improbarem, si modo plures probatae fidei codd. assentirent; nam commode *eos* suppleri potest. cf. Duker. ad Liv. XXIV, 15, 5. Sed vulgata non temere est mutanda.

§. 5. *intento atque infesto exercitu*] Ablativum sine *cum* praepositione positum Gerlachius pro insolentissima structura habet. Veram eius rationem illustravimus ad Catil. c. LVII, 4. p. 301., ubi Basileensem editorem pariter errantem vidimus. cf Aug. Grotefendi Gramm. Lat. ampl. Vol. II. §. 403, 2. p. 310. Iug. LV, 4. CVII, 2. LIX, 3. et quae collegit Boetticherus in Lex. Tacit. p. 6. Praeterea in omnibus edd. haec verba pessime commatibus a relicua oratione disiunguntur, quo quis facile induci possit, ut ablativos absolutos esse credat. *Intentus exercitus* est, qui non remisse agit, nulliusque rei, cuius in bello usus, negligens est. cf. Liv. XXIV, 35, 10. *Marcellus quam poterat maxime intentus atque agmine ad omnes casus composito ibat*,“ quibus verbis ipse Livius quid sit *intentus* explicat. — *Infestus* non est, ut Cortius interpretatur, stimulatus in hostem, sc. superiore ignominia, sed in universum significat *hostilem speciem prae se ferens*, non ita, uti

diam procedit, ubi contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant; ex oppidis et mapalibus praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare,

solet in pacato, procedens. Simili sensu *infesta signa* saepissime dicuntur apud Livium; cf. Drakenborch. ad II, 46, 7. — *Paucis diebus* explic. c. XI, 1. — *Erant* Cortius contra omnium codd. fidem omisit. — *Obvii* tuentur optimi codd. Nazar. Bas. 1. Sen. 1. Leid. L. ac praeterea Ursini liber, Palat. 2. Guelf. 1. 2. Vin. 2. Rem. 2. Leid. A. B. H. I. N. Wassii Reg. B. Publ. Bodl. et Mark. *A.* m. pr.; relicui *obviam* habent, quod librarii saepe pro adiectivo dederunt. v. ad c. XXI, 1. LXIX, 1. CXIII, 5. — *Procedebant* Grutero suspectum fuit, quia eodem verbo paullo ante usus est Sallustius; sed v. quae de tali repetitione monuimus ad Cat. IX, 4. cf. supra c. XIII, 2. 3. — Structuram *parati dare* Zumptius Lat. Gramm. §. 80, 5. not. p. 433 sq. ed. IV. non satis accurate explicat, infinitivum vices dativi sustinere dicens, quod eo magis mirum est, quum recte paullo ante praecepisset infinitivum tantummodo nominativi et accusativi vim habere. Non est enim dubium, quin semper *accusativi* potestate intelligendus sit infinitivus ex adiectivis *paratus, aptus, utilis, contentus, dignus, peritus* ac similibus aptus, quippe quo significetur id, *cuius respectu* aliquis *paratus, dignus, peritus* est, sive id, *circa quod versatur* alicuius paratus animus, utilitas aut dignitas. Quae structurae ratio quamquam Graecis peculiaris est, tamen non est, quod cum Zumptio eam bonis Latinorum scriptoribus abiudices, quum ista accusativi Graeci, quem dicunt, potestas apud Latinos latius pateat, quam vulgo concedunt Grammatici; v. notata ad Cat. XXXI, 3. LI, 29. ad Iug. V, 4. XXXI, 9. De usu infinitivi ex adiectivo pendentis cf. Sall. Catil. XX, 17. Iug. XLIX, 3. CVIII, 2. Caes. B. C. I, 7, 7. B. G. II, 3, 3. Auct. B. Afr. c. VI, 6. Cic. p. Quinct. c. 2, 8. Epp. ad Famm. XV, 4, 27. Lentulus ibid. XII, 15, 5. Poetas tamen, et qui poetarum dictionem imitantur, maiore quadam in his licentia uti vix opus est monere; v. Vechneri Hellenol. p. 303 — 313. Bentlei. ad Hor. Od. I, 1, 5. — *Portare* Muellerus explicat *afferre*, i. e. praebere; sed ita idem foret atque *frumentum dare*. Quare assentior Cortio, qui: „*commeatus*, inquit, proprie est, quod cum agmine incedit, et *exercitus necessitatibus inservit.* Eum parati erant *portare*, ut milites et iumenta labore levarent.“ Perperam igitur Gerlachius

6 postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metellus iccirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illla deditionis signa ostentui credere, et insidiis lo-
7 cum tentari. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud

comm. port. interpretatur: comm. in *certa* loca ab imperatore designata deferre, quam explicationem prorsus mirifice contendit loco c. LXXV, 5. monstrari ac firmari. — *Postremo* v. ad c. XVI, 3.

§. 6. *munito agmine*] Ita Tacitus Annall. XIII, 40, 2. *Non ignaro duce nostro, qui viae pariter et pugnae composuerat exercitum.* Sall. Iug. C, 1. *Sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere.* Quomodo autem hic agmen *munitum* fuerit, auctor mox enarrat. Cort. — *Ostentui credere* i. e. *credere ostentui esse*, sive specie quidem ostentari, sed non vere bonoque animo facta esse. Structura non diversa est ab ea, quam illustravimus ad c. XXIV, 10. p. 147., aut a cognata dictione *obtentui esse*, de qua v. Cort. ad Fragm. Historr. I, 15, 24.; sed quum vulgari usu *ostentui esse* significet vanae vel superbae gloriationi inservire, Sallustius novo modo, quamquam proprietatis retinentissimus, vocabulum eo sensu posuit, ut significet vanam speciem exhibere, cui veritas non respondeat. — *Tentari* cum Bipp. scripsimus ex Fr. Gronovii coniectura; codd. enim omnes *tentare* exhibent, quod nullo modo persuadere nobis possumus hic ferri posse, quum subiectum desit. Interpretes quidem omnes contendunt, quum in structura accusativi cum inf. saepe subiectum lectori supplendum relinquatur, nihil facilius esse, quam ut h. l. *Iugurtham*, vel *eos*, vel *illos*, vel *quosdam*, vel *hostes* suppleas. Sed quum in antegressis tantummodo de Metello dicatur, ac prorsus nihil sit, unde hostium vel Iugurthae subiectum petatur (inepte enim Gerlachius personam ex verbis *ostentui esse* sumi posse censet), nihil certius est, quam *tentari* scribendum esse, quo structura optime procedit. Ad perversam sententiam suam stabiliendam Gerlachius pessimis exemplis utitur, corrupto altero, Catil. LI, 40. ubi v., altero alieno, Iug. CXIV, 2, quippe ubi subiecti ellipsis facilem excusationem ab antecedentibus verbis habeat, quod constructionis genus illustravimus ad Catil. XXXI, 7. In ed. min. tamen ipse haec

primos erat; in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat; in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, uti cum his permixti velites, quacumque accederent equitatus hostium, propulsarent. Nam in 8
Iugurtha tantus dolus tantaque peritia locorum et

damnavit, Gronovii coniectura in textum ascita. Novo modo Faber vulgatam expedire studuit, cuius annotatio haec est: „er glaubte, *sie* (nämlich die Zeichen der Unterwerfung) *prüften* die Gelegenheit zu Nachstellungen, d. h. sie sollten dazu dienen, zu zeigen, ob Gelegenheit zu Nachstellungen wäre." Quae fateor me non intelligere. Consimili modo Sellingius in Lectt. Sall. p. 26., ut probet *signa* subiectum esse *tentare* verbi, monet saepe de *rebus* dici, quod proprie *hominum* sit, collatis alienissimis a nostro loco exemplis c. XLIX, 5. LIII, 6. et 8. LXVI, 2.; nec minus falsa germanica eius interpretatio: „er glaubte *jene Zeichen beabsichtigten* nur eine Gelegenheit, ihn zu überfallen." Nam quum illa signa non ipsae essent insidiae, sed potius ad *tegendas et celandas* insidias essent simulata, per se patet *locum* hic non esse *occasionem*, sed *regionem*, neque *tentare* valere idem quod *quaerere* vel *petere*, sed *infestare*. Sensus est igitur: credebat illa deditionis signa simulata esse, et *insidias in illis regionibus structas*, quibus imprudens invaderetur. Ceterum non dubium est, quin depravatio inde orta sit, quod scribae iam mature pravam sententiam conceperunt, de *Metello*, qui *hostibus* insidias strueret, sermonem esse.

§. 7. et 8. *apud primos erat*] In Leid. K. Martin. et Bern. 1. pro *erat* legitur *adesse*, per se haud male, et ita, ut potius putes scribas imperfectum pro infinitivo intulisse, quam contra; sed tam paucorum codd. fides nos non movet. — *In postremo* — *cum equitibus* quomodo intelligendum sit, dictum ad c. XLIX, 1. — *Curabat* explic. ad Cat. LIX, 3. — *Praefectis cohortium* Faber perperam intelligit de cohortibus *auxiliariis sociorum;* de quo errore v. quae notavimus ad c. XCIX, 1. — *Quacunque* certissimam Cortii coniecturam non dubitavimus recipere pro vulgata scriptura *quocunque*, quam omnes codd. tuentur. Recte enim vidit Cortius verba *quocunque accederent*, i. e. *in quemcunque locum venirent*, non posse nisi de velitibus, aut in universum de exercitu Metelli intelligi, ita

militiae erat, ut absens an praesens, pacem an bellum gerens perniciosior esset in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine

intellecta autem ineptam sententiam praebere. Neque enim ubique equites hostium erant, neque Metellus id consilium habebat, ut eos, qui sibi maxime cavendi essent, quaereret peteretque; verum id agebat, ut contra *subitas* Numidarum equitum *aggressiones* exercitus quam firmissimus esset, eamque ob caussam peditibus in medio collocatis, tum in primo atque postremo, tum in latere utroque ea militum genera collocaverat, qui hostibus arcendis maxime idonei essent. His rebus ita provisis se confidebat Numidas, *quacunque via* vel *quacunque ex parte invaderent* Romanos iter facientes, propulsare posse; cf. c. LV, 8. *qua venturum hostem audierat.* XXXVIII, 6. *Eaque Numidae cuncti irrupere.* Liv. IV, 19, 2. *Cornelius Cossus quum ad impetum Tolumnii, quacumque se intendisset, trepidantes Romanas videret turmas.* Iam vides *accedere* quam commodum sensum habeat de subitis Iugurthae impetibus intellectum, quales saepissime ille facere solebat, uti Sallustius narrat c. L, 5. LIV, 9. LVI, 4. LIX, 2. LX, 3. *Equitatus* plurali positum legitur etiam apud Caes. B. C. I, 61, 3. ubi Davis. contulit Auct. de B. Hisp. c. 36. de B. Afr. c. 14. et Flor. III, 11, 8. Ad emendandum locum nostrum Gerlachius recte vidit etiam commate, quod vulgo post *accederent* habetur, post *hostium* transposito esse opus; sed pro inconstantia sua in ed. min. rursus ad vulgatam, in Commentt. p. 285. damnatam, rediit. Vix est autem quod moneatur ex antegressis *eos* suppleri debere, quod ad *propulsarent* pertineat; cf. c. XXV, 7. XXXI, 28. XLIX, 4. LXXI, 2. XCII, 2. XCV, 2. — *Que* post *tanta* Vinar. 1. non habet, ac probat Cortius. Eum Gerlachius recte quidem non secutus est; sed quod dicit „orationis numerum necessario postulare", ut *que* addatur, id nihili est. Quasi vero copulae ellipsi omnis numerus evertatur, neque asyndeton in Sallustio ferri possit! — *Pacem an bellum gerens* per zeugma dictum esse non dubium videtur; nam proprie *pacem gerere* non dicitur. Aliter visum Fabro, qui zeugma hic haberi negat, quia *gerere* valeat *ostendere*, vel *prae se ferre.* Sed sic quoque diversa ratione verbum ad duo substantiva referri in promptu est. cf. Fragm. Historr. Inc. 160. *Ut res magis quam verba gereren-*

Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum, ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc consul simul ten- 2
tandi gratia, et, si paterentur, opportunitate loci

t u r. Inverso modo auctor locutus est Iug. CIX, 2. *Quaesitum ab eo, p a c e m an b e l l u m a g i t a t u r u s foret.* v. ad XXXVIII, 9. et ad LV, 1.

XLVII. §. 1. *quo Metellus pergebat*] Cortius pro *quo* male coniiciebat scribendum esse *qua*, non sentiens *quo* non adverbium, sed relativum esse. — *Vaga* h. l. exstat in Paris. z. m. pr. Guelf. 4.; proxime accedit *Vaca* in Guelf. 3. et *Vacha* in Guelf. 11. Reliqui omnes habent *Vacca*, quod improbavimus ad c. XXIX, 4. — *Celebratum* i. e. frequentatum, quemadmodum *celebre* dicitur id, quod non sine magna hominum multitudine cogitatur; cf. Tacit. Ann. XIV, 48, 1. *Antistius probrosa adversus principem carmina vulgavit c e l e b r i convivio.* Cato de R. R. c. 1. *Via bona c e l e b r i s q u e.* Gell. I, 8. *Ad Laida conventus ex omni Graecia c e l e b r e s erant.* v. Doederlin. Synonymm. Latt. Vol. I. p. 25.

§. 2. *Huc consul*] Male nonnulli codd., velut Rem. 1. Struv. Vrat. 3. Erl. Misn., propter *imposuit* habent *huic*, quod Bipontt. receperunt; sed *huc* ceteri editores recte tuentur. Nam quum *imponere* saepissime sine casu ponatur, ut ostendimus ad Cat. c. LI, 28., nihil obstat quominus adverbium loci ad sententiam accuratius declarandam adiiciatur. cf. infra c. LIV, 6. *U b i c u n q u e res postulabat, praesidium i m p o s i t u m.* LXVI, 2. *Vagenses, q u o Metellus praesidium i m p o s u e r a t.* LXXV, 4. *Conquirit quam plurimum potest domiti pecoris, e o q u e i m p o n i t vasa.* Neque multum dissimilis est locus c. LXI, 1. *I n h i s u r b i b u s praesidia i m p o n i t;* eademque analogia *addere* verbum non dativum eius rei, cui aliquid additur, adiunctum habet, sed pro eo loci adverbio quorsum spectet additio significatur. cf. Liv. I, 33, 3. *A d d i t i e o d e m haud ita multo post novi cives*, ubi Drakenborchius comparavit Cic. Lael. c. 18, 5. (§ 65.) *A d d e n d u m e o d e m est, ut ne in criminibus aut inferundis delectetur, aut credat oblatis.* — Qui sequitur locus mirifice vexavit editores, et a plerisque omnibus non minus male scriptus quam explicatus est. Quorum erroribus examinandis et refellendis ne fatigemus lectores, eam viam inibimus, ut scripturam a nobis receptam explicemus, ceterorum rationes breviter

praesidium imposuit; praeterea imperavit frumentum et alia, quae bello usui forent, comportare, ratus,

tangamus. Igitur *tentare*, ad quod verbum suppleas *eos* ex antecedentibus, est *ad desciscendum et ad proditionem illicere*, ut c. XLVIII, 1. XXIII, 1. XLVI, 4. LXVI, 1. Liv. XXIV, 7, 1. ibid. c. 13, 7. et c. 14, 1., quae prima caussa erat praesidii imponendi; altera erat *opportunitas loci*, quem si teneret, multum se ad res feliciter gerendas adiutum iri videbat Metellus; magnam autem utilitatem ex loci opportunitate tum demum habiturus erat, si incolae sibi faverent, quare auctor addit *si paterentur*, sc. *se tentari*, i. e. corrumpi et ab Iugurtha alienari. Duplicem caussam, qua Metellus movebatur, Sallustius significavit particulis *simul* — *et*, quae sibi respondent, ut c. LXIV, 5. *Criminose simul et magnifice de bello loqui.* LXX, 5. XXIV, 5. XCVI, 1. XCVII, 5. CVI, 1. Cat. XXVIII, 4. Fragm. Historr. III, 22, 21. cf. Gronov. ad Liv. XXVI, 43, 7. et Drakenborch. ad XXXIII, 12, 2. Praeterea auctor variata structura in bimembri oratione usus est, ut saepissime, v. ad c. V, 4. VII, 1. Ablativum autem in caussae declaratione legitime poni docuimus ad Catil. XXXI, 3. Haec satis simplicia prorsus pervertit Cortius scribendo: *tentandi gratia*, *si paterent opportunitates loci.* Scilicet ut haberet, quo *tentandi* referret, *et* auctoritate Sen. 1. omisit, ex Rem. 1. scripsit *paterent*, *opportunitates loci* inepte explicavit *munitiones*, *turres*, *arces*, neque sensit absurdam ita fieri totam sententiam. Nam si praesidium re vera imposuit Metellus, quid opus erat tentare, num imponere posset? Ceterum pro *opportunitate*, quod quibus libris firmetur non solum priorum editorum, sed etiam Gerlachii negligentia nescimus, fere omnes codd. habent *opportunitates*. Sed accusativus scribis debetur, qui non haberent quo *paterentur* referrent; vereque Gerlachius monuit ex eo, quod in Guelf. 11. Med. 4. 10. et Bon. legitur *propter opportunitates*; intelligi primitus *opportunitate* scriptum fuisse, cuius structurae vim librarii praepositione addita illustrare voluerint. Sed non placet quod idem antecedentia verba sic explicat: „animos illorum explorandi gratia, *an servitii iugum a Romanis sibi impositum aequo animo ferrent.*" Multo inconsultius Bipp. egerunt, insulsa coniectura textum onerantes: *sim. tent. gr. et opperiundi, si paterentur opportunitates loci*," cui inepti auso ansam dedit glossa cod. Vin. 2., alieno loco textui illata, *sim. tentandi gratia et piundi*, i. e. *experiundi*, quod aliquis *tentandi* verbo superscripserat.

id quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum iuvaturum exercitum, et iam paratis re-

comportare] Bipontt. ex solo Guelf. 10. scripserunt *comportari*, rati *imperare* pariter ut *iubere* infinitivum passivi asciscere, ubi accusativus personae, quae iubetur, non additus sit. Quod quum per se non plane verum sit, v. ad c. XLVI, 4. coll. Catil. XVI, 2., tum non viderunt Bipp. h. l. ex antegressis ad verbum *imperavit* commode suppleri *iis*, quo facto inf. activi rectissime habet. Cortius eo insolentiae processit, ut *comportare* prorsus deleret, tum quod *imperare* saepissime cum solo accusativo rei sine infinitivo construatur, tum quod codd. discrepantiae verbum a scribis illatum esse ostendant. In nonnullis enim legitur *praeparare*, in Guelf. 7. *compararent*, in Guelf. 11. Med. 2. et Ven. 3. m. sec. *comportarent*, in 10. *comportari;* sed haec omnia ita comparata sunt, ut quivis, cuius iudicium praeiudicatis opinionibus non praepediatur, intelligat facillime ea ex vera scriptura oriri potuisse. Infelicius Cortio egit Gerlachius in loco constituendo. Nam quum in Med. 7. ita scriptum invenisset: *praes. imposuit. frumentum et alia, quae bello usui forent eo portare;* ac quum Med. 8., qui relicua sana habet, pro *comportare* ostendat *comportavit*, Basileensis editor, qui in contextu veram scripturam praebuit, in Commentt. p. 287. Sallustium contendit ita scripsisse: ... *praes. imposuit; praeterea frumentum et alia, q. b. u. forent, eo portare.* In quo primum illud mirum est, quod, quum cod. Med. 7. duo verba *praeterea imperavit* omittat, Gerlachius eius fide alterum abiiciat, alterum retineat, tum quod scriptura cod. Med. 8. *comportavit* probari credit *imperavit* a scribis illatum esse, quum hoc ipsum verbum illa Med. 8. depravatione sustentetur. Nam quis non videt ineptum scribam, qui coniungeret *imperavit frumentum*, ad aequandam structuram in altero membro dedisse *comportavit* pro *comportare*? In Med. 7. autem *co portare* natum ex corrupto vel male intellecto scribendi compendio *con* syllabae. Sed somniasse Gerlachium quum haec scriberet, vel ludibrio habuisse lectores, intelligitur ex ed. minore, ubi harum nugarum nulla mentio.

frequentiam negotiatorum et commeatum etc.] Haec non minus quam relicua in edd. turbata sunt. Sententia verborum satis plana haec est: ratus frequentiam negotiatorum, Vagae incolentium, et per hos factam commeatus i. e. frumenti et omnium rerum, quarum in bello usus est, largam copiam magnae exercitui utilitati fu-

3 bus munimento fore. Inter haec negotia Iugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem

turam; scilicet ita rebus iam paratis *parci* easque in futurum usum asservari posse. Assentimur enim Langio, *res iam paratas* vernacule interpretanti *Vorräthe;* quibus *munimento fuit* quod Vaga urbs et negotiatores copiam praebebant exercitum tum aliis rebus alendi, quam quas paraverat Metellus, ita ut his parcere et alio tempore uti posset. Sed iam singula dispiciamus. *Commeatum* fere omnes libri tenent; in aliis exstare *commeatu* dicit Ciacconius, sed qui ii sint, nescitur, neque ullo modo haec scriptura, quam Gerlachius in textu ed. mai. expressit, probari potest, ut maxime ostendit *iuvaturum*. Praeterea Inc. 1. et Guelf. 12. habent *commeatuum*, quod Bipp. in textum receperunt; quae res eos coegit, ut *iuvaturam* de coniectura scriberent. *Commeatuum* autem dicunt esse i. q. *commeantium negotii caussa*, male provocantes ad Tacit. Annall. XIV, 33, 1. in qua perversa vocabuli interpretatione Cortium secuti sunt, Excurs. IV. ad Iug. p. 928. Verba *iuvaturum exercitum* desunt in cod. Palat. 8. Laud. 3. et Vatic. 5. neque comparent in Edd. Venetis, Valentiniana et Mediolanensi. Ea abiicienda censuerunt Rivius, Palmerius, Gruterus, Cortius et Gerlachius, tum propter codd. auctoritatem, tum quod sequentibus verbis idem sensus insit, tum maxime quod *iuvaturus* valde suspecta participii forma sit et a grammaticis damnata. Sed de hac re Putschius ad h. l. prudenter: „Ego scio, inquit, quodcunque in bonis auctoribus a Grammaticorum legibus abhorret, non statim inducendum aut censoria virgula damnandum esse.“ Quod quum de multis aliis rebus valeat, tum valet de participio futuri activi, quod, quamquam legitime a supino descendit, tamen in nonnullis verbis cum eo non congruit, ut in errorem incurrat, qui propter hanc discrepantiam vel participium soloecum putet, vel eo probato perfectum et supinum ei conveniens in usu fuisse contendat. Ita si Horat. Ser. I, 4, 44. dixit: *os magna sonaturum*, non sequitur Latinos etiam *sonavi* et *sonatum* dixisse. Vitio caret *praestaturus*, nam eo usus est Cic. Epp. ad Famm. I, 8, 8. ubi v. Cort. VI, 8, 8. Auct. de B. Alex. c. XIX, 6. Val. Max. V, 6, 8. sed multum fallatur, qui inde coniiciat etiam *praestavi* et *praestatum* bonum esse. Pariter *tuiturus* et *fruiturus* recte habet; sed quae harum formarum caussa circumferuntur participia *tuitus* et *fruitus*, a grammaticis efficta sunt, neque bonorum scriptorum usu comprobantur. Quid quod ea verba, quae supino prorsus carent, participium fut. act. habent, velut *doleo*, *doliturus*, *careo*, *caritu-*

orare, praeter suam liberorumque vitam omnia Metello dedere. Quos item, uti priores, consul illectos 4

rus, insigni documento sunt, non plane necessarium fuisse, ut participio congruens supini forma in usu esset. His rebus ita comparatis *iuvaturus* eo minus offendere potest, quum eo non tantum Sallustius, sed etiam Plin. Epp. IV, 15, 13. et Petronius Sat. c. XVIII. usus sit. Quae autem editores permovit religio, ab inscitia profecta, ut propter *iuvaturus* duo verba pro spuriis haberent, eadem haud dubie scribas impulit, ut istas voces omitterent. Denique quod Gerlachius ad vulgatam labefactandam dicit, sequentibus verbis eundem fere sensum contineri, non vidit ea ita comparata esse, ut explicent *quomodo* exercitum iuvari credat Metellus. *Et* igitur h. l. ea potestate positum est, quam illustravimus ad Catil. c. XIX, 2. In longe plurimis tamen codd. vocibus coniunctis *etiam*, non *et iam* scriptum est, quae diversitas nullam vim habet ad nostram rationem infringendam, quum ista corruptione nihil sit frequentius, v. Drakenborch. ad Liv. I, 47, 9. et supra c. XI, 3. Ad hoc in Vat. 4. pro *et iam* est *et in*, Min. autem 2. et Flor. 1. *iam* non habent; quare Gerlachius, in toto hoc loco imperite versatus, in Commentt. p. 287. Sallustium sic scripsisse contendit: *frequentiam negotiatorum et commeatum paratis rebus munimento fore.* Postremo monemus Bipp. edidisse *etiam pacatis r.*, nonnullis autem antiquiorum editorum pro *paratis* placuisse *patratis*, quae refellere non est opus.

§. 3. et 4. *impensius modo*] i. e. *modum excedebat* legatos mittendo. cf. c. LXXV, 1. — *Dedere* i. e. ad dedendum se paratum ostendere. Quae sequuntur verba, *pacem, quam* p o s t u l a b a t, *neque abnuere, neque* p o l l i c e r i, clare ostendunt falsum esse, quod vulgo praecipitur, *polliceri* de iis dici qui *sua sponte* aliquid *offerant, promittere* de iis, qui *rogati* vel *invitati* aliquid *condicant;* v. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. IV. p. 109. §. 1. Serv. ad Virg. Aen. I, 241. In utraque enim sententia dici utrumque, loci docent accurate considerati, idque iam perspexit Herzogius ad Caes. B. G. I, 16. p. 42. et ad Sall. Cat. c. XLIV, 2. p. 223., ac simul vere observavit, *polliceri* non alia re differre a *promittere*, nisi quod maiore vi et graviore asseveratione sententiam enunciet, quod etiam Donato visum ad Ter. Andr. II, 3, 27. *Pollicetur* igitur is, qui *pro certo affirmat* se in alicuius gratiam aliquid facturum, *promittit* is, qui simpliciter *dicit* vel *significat et quasi enunciat* se alicui aliquid praestiturum. Utriusque verbi vim complectitur germanicum *versprechen*, ita tamen, ut proxime accedat ad sensum dictionum *ver-*

ad proditionem domum dimittebat; regi pacem, quam postulabat, neque abnuere neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

XLVIII. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac se suis artibus tentari animadvortit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceterum re bellum asperrumum erat, urbs maxuma alienata, ager

sichern, sichere Zusage geben, si *polliceri* verbo vertendo adhibetur, sed tantummodo valeat *verheissen*, *Aussicht auf etwas gewähren, Hoffnung machen*, si *promittere* vocabulo respondet. *Polliceri* et *pollicitari* verborum haec sunt exempla apud Sallustium: Catil. XXI, 2. XXIII, 2. XXVI, 3. XXVIII, 1. XXXVIII, 1. XL, 6. XLI, 5. Iug. VIII, 1. XVI, 3. XXIII, 2. XXXVI, 2. XLIX, 4. LVI, 2. XCIII, 6. XCVII, 2. CIII. 7. CXI, 1. *Promittere* legitur Iug. XLVII, 4. LXXX, 3. CXI, 3. CXIII, 1. Quibus inter se collatis facile patet plerumque ex arbitrio dicentis pendere, utrum graviorem, an leniorem voluntatis declarandae modum adhibendum putet; si quis vero sua sponte aliquid offerat, aut id agat, ut quasi praemio proposito aliquem in suas partes traducat, aut ad rem magnam impellat, non mirum esse si efficacioris sensus verbum *polliceri* usurpetur.

XLVIII. §. 1. et 2. *ac se suis artibus*] In nonnullis Cortii codd., quos ille tamen non nominat, ut etiam in paucis ante Gruterum collatis et Paris. b. inverso ordine legitur: *ac suis se artibus*, quae verborum collocatio multo magis quam vulgata Latinum colorem refert; v. quae de lege pronominis personalis collocandi disputavimus ad Catil. I, 1. Ac praeterquam quod ipsa sententiae ratio paene postulat *suis*, in quo vocabulo vis inest, praemitti, consimilis Livii locus idem suadet, lib. XXII, 16, 5. *Nec Hannibalem fefellit s u i s se artibus peti.* — *Verbis* i. e. *specie*, cui respondet *re*, illustravimus ad Cat. LII, 35. p 279. Cortius praeterea comparavit Liv. XXXV, 46, 6. XXXVII, 53, 4. — *Tentati* i. e. ad deficiendum illecti; v. ad XLVII, 2. — *Tramitem* Cortius esse dicit viam non militarem, sed angustam, privatam, et quae simul faciat itineris compendium, coll. Iustino XXXVIII, 9, 6. Liv. II, 39, 3. Cic. Philipp. XIII, 9, 19. Sall. Iug. XXXVIII, 1. Vera haec; sed quod inde coniicit unumquemque tramitem per se esse *occultum*, eoque veram Sallustii manum in cod. Eccard. haberi, qui *occultos* omisit,

hostibus cognitus, animi popularium tentati; coactus rerum necessitudine statuit armis certare. Igitur ex- 2
plorato hostium itinere in spem victoriae adductus ex opportunitate loci quam maxumas potest copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Nu- 3
midiae, quam Adherbal in divisione possederat, flu-

id, ut plurima Cortii, ad somnia pertinet, quae ne speciem quidem veri habent.

§. 3. *in divisione possederat*] i. e. quum divisio fieret possidendam acceperat sive occupaverat; v. ad c. XVI, 5. — Pro *millia viginti* vulgo editur *millia passuum viginti*, ut est in plerisque codd. Sed *passuum* vocabulo carent Paris. z. et Fabric. 1., codices antiquissimi et ex eodem fonte derivati, quorum auctoritatem egregie confirmat Arus. Mess. in Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 215. ed. Lindemann. Ab interpolatoribus additum esse *passuum* hoc etiam documento est, quod in Einsiedel. Tur. 1. Erl. Teg. et Misn. ista vox post *viginti* legitur, in Bas. 1. autem et Paris. c. exstat *millia habens passuum viginti*, scribis ignorantibus in designanda itinerum mensura *passuum* saepissime omitti, de quo usu diximus ad c. LXXV, 2. — *Ab* praepositio quam vim habeat in verbis *vastus ab natura* patebit ex dictis ad c. XIV, 2. cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 57 sq. Cortius praeterea laudavit Cic. de Off. I, 44, 155. *Ab doctoribus atque doctrina instructi;* et Planc. in Cic. Epp. ad Famm. X, 15, 3. *Ab equitata firmus.* Ceterum *vastus ab humano cultu* paullo audacius et insolentius dictum videtur; nam exspectes potius *vastus ab h. incultu*, quo vocabulo auctor usus est Cat. LV, 4. Sed quum *vastus* vocabulum negativae notionis sit, ista negandi vis quasi quadam cogitationis attractione transfertur etiam in nomen, ita ut *mons ab humano cultu vastus* cogitetur, quia *cultus humanus ab eo abest. Cultus* vocabulo in simili sententia, sed alia structura usus est Tacit. Ann. II, 24, 1. *Miles, nullo illic hominum cultu, fame absumptus.* III, 69, 4. *Insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse.* — *Quasi* Cortius mirifice ad *collis* vocem refert, declivem latitudinem ex medio monte orientem non vere collem sed *quasi collem* dictam putans, quod paene absurdum est. Rectius vidit Gerlachius *quasi* h. l. ad *medio* refe-

men oriens a meridie, nomine Muthul, a quo aberat mons ferme millia viginti, tractu pari, vastus ab natura et humano cultu; sed ex eo medio quasi collis oriebatur in immensum pertingens, vestitus oleastro ac mirtetis aliisque generibus arborum, quae
4 humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem

rendum valere *circiter*, *ferme*, in quod vulgaris comparandi potestas particulae transit, ubi vocabulis numeralibus aut adiectivis locum ac tempus definientibus additur. cf. Cort. ad Iug. L, 3. *Praesidio quasi duum millium peditum montem occupat.* Fragm. Hist. III, 6. Vechner. Hellenol. p. 428. Ruhnken. ad Ter. Heaut. I, 1, 93 Drakenborch. ad Liv. XXVII, 12, 16. — *Pertingens*, quod ad unum omnes tenent libri, plurimi editores auctore Gronovio ad Liv. XXV, 24, 6. mutarunt in *pertinens;* et sane *pertinere* verbum frequentius est in locorum situ describendo. Sed Gerlachio, qui *pertingere* probat, assentimur nihil esse, cur hoc verbum omnibus codd. firmatum, per se suspectum habeamus, praesertim apud Sallustium, in multis a vulgari usu discedentem. — *Vestitus* i. e. consitus; cf. Liv. XXII, 28, 5. *Ager non modo silvestre quicquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat.* id. XXI, 54, 1. Cic. de N. D. II, 53, 132. Gronov. ad Iustin. XII, 7, 7. Heins. ad Ovid. Fastt. I, 153. Cort. — *Humi arido et arenoso* non solum optimis libris, Nazar. Bas. 1. Leid. L. Einsied. Paris. b. c. x. z. et nonnullis aliis, sed etiam testimonio Prisciani XVIII, 31, 306. p. 271. ed. Kr. et Arus. Messi v. *humi*, in Gramm. Lat. Vol. I. p. 234. ed. Lindemann., confirmatur. In plerisque aliis codd. est *humo arida atque arenosa*, quod librarii dederunt, qui non intelligerent *arido* et *arenoso* neutra esse, substantivorum vi posita. Nam in Sallustio iam vestigia reperiri eius loquendi usus, qui apud poetas et Tacitum frequentissimus est, ut adiectivum non genere, numero et casu cum suo substantivo congruat, sed neutro genere positum genitivum alterius nominis adiunctum habeat, iam monuimus ad Cat. LIX, 3. p. 314. cf. Tacit. Annall. I, 61, 2. *Aggeres humido paludum imponeret.* ibid. I, 65, 4. *Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes disiicere obvios.* III, 69, 2. *Diverso terrarum* (*eum*) *distineri.* IV, 41, 2. *Caesarem secreto loci mollitum munia imperii facilius tramissurum.* VI, 49, 2. *Donec filius lubricum iu-*

planities deserta penuria aquae, praeter flumini propinqua loca; ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.

XLIX. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere porrectum docuimus, Iugurtha extenuata suorum acie consedit, elephantis et parti copiarum pe-

ventae exiret. Historr. II, 88, extr. *Ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent.* Liv II, 45, 10. II, 56, 5. Vide etiam Boetticheri Lex. Tacit. v. *adiectiv.* 2, 6. p. 35.

XLIX. §. 1. *transvorso itinere porrectum*] i. e. qui transvorso inter fluvium et montem (v. c. XLVIII, 3.) *tractu* porrigebatur, ita ut collis esset a latere exercitus Metelli, flumen petentis, cf. c. L, 1. *Transvorsum* autem est id, quod lineam rectam ad angulos pares secat. Perperam igitur Gerlachius huic vocabulo explicando *obliquus* adhibuit, quo significatur lineam rectam imparibus angulis secari. — *Extenuata acie* Cortius recte explicat: *extensa* et quam minime conferta aut condensata acie, coll. Auct. de B. Afric. c. XIV, 1. *Adversariorum equitatus sese extendere et in latitudinem promovere collesque amplecti et Caesaris equitatum extenuare simulque ad circumeundum comparare se coeperunt.* cf. Veget. II, 3. et III, 15. Heins. ad Sil. I, 396. Hunc locum Priscian. XVIII, 25, 227. p. 215. sic laudat: *Iugurtha extenuata suorum acie montem insedit;* sed iam C. Popma recte iudicat Grammaticum memoriae lapsu Sallustii verba pervertisse. — Pro *propior montem* Acad. Rem. et Guelf. 3. m. sec. *pr. monti;* male. v. ad Catil. c. XI, 1. Male etiam pauci codd. *propius* pro *propior;* v. ad c. XXI, 1. XXXVIII, 1. — *Cum omni equitatu et peditibus delectis suos collocat* omnes ferme codd. tenent; a Guelf. 11. tamen *et* abest, quinque alii *suis* habent pro *suos*, Fabric. 1. *suos* omisit, Sen. 1. Inc. 2. Guelf. 2. et 3. Med. 4. m. sec. et Barb. 2. *delectos* pro *delectis.* Ex quibus discrepantiis, nullam totius loci corruptelam arguentibus, sed potius multifaria scribarum negligentia ortis, Cortius novam conflavit scripturam, sensu quidem bonam, sed a male intellecta vulgata et iudicii libidine profectam. Scripsit enim: *cum omni equitatu pedites dilectos collocat*, hoc maxime argumento usus, quum Iugurtha praeter equitatum omnem et pedites delectos nullas copias habuerit, non intelligi quos praeterea *suos cum illis* collo-

destrium Bomilcarem praefecit, eumque edocet quae ageret; ipse propior montem cum omni equitatu et
2 peditibus delectis suos collocat. Dein singulas turmas atque manipulos circumiens monet atque obtestatur, uti memores pristinae virtutis et victoriae se-

care potuerit. Huic dubitationi Gerlachius, qui vulgatam retinuit, ita occurrit, ut dicat *suos* pronomine intelligi *equites regios*, *qui custodes corporis erant*, de quibus dicitur c. LIV, 4. LVI, 4. Sed horum equitum non videtur tantus numerus fuisse, ut in disponenda acie singularem locum obtinerent; neque ex antecedentibus ullo modo patet, hos intelligendos esse. Quare ita putamus capiendam vulgatam lectionem, ut *cum* comprehendat eos, quos *suos* vocat Iugurtha, qua ratione pronomen quasi pro appositione antecedentium verborum habendum fuerit, hoc sensu: ipse cum omni equitatu et peditibus delectis, quippe quos, Bomilcaris copiis oppositos, *suos* haberet, collocat; sive etiam sic: ipse *suos, quippe qui* ex omni eq. et ped. del. *constabant*, collocat. Eodem fere modo *cum* positum habes c. XLVI, 7. *In postremo C. Marius Legatus cum equitibus curabat.* et C, 2. *Sulla cum equitatu apud dextumos — curabat;* nam equitatus sunt ipsi (postremi ac) dextumi, sensusque est: *in dextuma* (*postrema*) *parte*, *ubi stabat equitatus, Sulla* (*Marius*) *curabat;* vel simplicius etiam: *Sulla*, *qui equitatum habebat, apud dextumos curabat.* — *Dilectos* Cortius etiam respectu primae syllabae male scripsit; v. ad Cat. XXXVI, 3.

§. 2. *turmas atque manipulos*] Ut solent interdum scriptores Romani, Sallustius militiae Romanae vocabula transfert ad externam gentem; v. ad Cat. LIII, 3. De *turmis* dictum supra ad c. XXXVIII, 6. Quibus ut h. l. equitatus in universum significatur, ita *manipuli* pro peditibus dicti sunt, neque aliter infra c. XCI, 1. *centuriae* ac *turmae* memorantur. De numero militum, quibus manipulus Romanus constabat, Cortius conferre iubet Stewech. in Veget. II, 13. et Lips. de milit. Rom. IV, 5. Adde Creuzeri Antiqq. Rom. §. 232. p. 365. ed. II. — *Circumiens* praebet Bas. 1. et Inc. 1. reliqui fere *circuiens;* sed *m* littera, quamquam in pronunciando suppressa, rectius scribitur; cf. c. XLV, 2. C, 4. et v. Conr. Leop. Schneid. Gramm. Lat. Vol. I. 1. p. 307. et omnino diligentem commentationem de *m* littera p. 300 — 309. — *Sese* Cortius contra omnes codd. tacite mutavit in *seque*, quod nisi auctoritate librorum desti-

se regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant; cum his certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint; ducem illis, non animum mutatum. Quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa, locum superiorem, uti prudentes cum imperitis, ne

tutum esset, ferri posse ostendimus ad c. X, 2. Recepit tamen Faber. — *Cum h i s* omnes fere codd. tenent, pro quo in nonnullis edd. habetur *c. iis;* sed v. ad c. XIV, 8. — Pro *miserint* in Inc. 2. et Misn. est *miserit*, in Inc. 1. Vrat. 2. Franc. Rem. 1. Leid. K. *miserat*, in Fabr. 2. et Goerlit. *miserunt*, in Vin. 2. Leid. C. G. et Bas. 4. *miserant,* quam postremam scripturam non plane damnarem, si plures ac meliores codd. eam confirmarent; nam indicativus saepe contra vulgares structurae leges orationi obliquae infertur. v. ad Catil. XIV, 7. et ad Iug. LXIII, 1. Liv. III, 13, 2. *Se haud multo post, quam pestilentia in urbe f u e r a t, in iuventutem incidisse.* Daehne ad Nep. Milt. c. III, 4. Praeterea Vin. 2. et Vrat. 2. habent *sub i u g o*, de quo v. ad c. XXXVIII, 9. — *Quae — decuerint*, sc. *provideri*, quod supplendum ex sequenti *provisa;* cf. ad Cat. XLVII, 2. Iug. LXXI, 2. LXXXI, 1. Boetticheri Lex. Tacit. Proleg. p. LXXVIII sq. Ceterum vulgari structura dicendum erat *decuerit*, quum *decet* verbum impersonalem usum habeat. Sed attractionis vi subiectum eius enunciationis, quae ex impersonali verbo pendet, saepe huic ipsi verbo tribuitur, quo fit, ut res, qua de agitur, magis emineat ac vividiore cogitatione concipiatur. cf. Krueger. de Attract. Ling. Lat. §. 162. p. 441 — 445. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. ampl. §. 552. p. 460. Gramm. schol. §. 440. b. p. 363. Car. Beier. ad Cic. Lael. c. 16, 56. *C o n s t i t u e n d i sunt autem qui sint in amicitia f i n e s et q u a s i t e r m i n i diligendi.* Otto ad Finn. III, 7, 23. *M e m b r a nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse a p p a r e a n t.* de Off. III, 29, 104. *Non fuit Iuppiter m e t u e n d u s, ne iratus noceret.* Aug. Matthias ad or. p. l. Manil. c. 12, 34. *H a e c qua celeritate gesta sint, a me in dicendo non p r a e t e r e u n d a s u n t;* quibus locis quod proprie dici debebat *constituendum est*, *appareat*, *metuendum fuit*, *praetereundum est*, per attractionem subiecto alterius enunciationis adaptatum est. Hoc structurae genus tetigit etiam Ramshornius Gramm. Lat. §. 206, 5. p. 699. ed. I. sed non satis recte ad Graecismos refert, quippe quod commode ex Latini sermonis ingenio ex-

pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello me-
3 lioribus manum consererent. Proinde parati intenti-
que essent signo dato Romanos invadere; illum diem
aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut
4 maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc vi-
ritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut

plicari posset. — *Prudentes* i. e., ut oppositio docet, *periti.* Neque tamen cum Cortio intelligo *peritos l o c i e t r e g i o n i s*, sed omnino *rerum gnaros, cautos, providos.* cf. Fragmm. Historr. IV, 12, 16. *Consilium est meis militibus b e l l i p r u d e n t i b u s — bellum conficere.* I, 25. *P r u d e n s o m n i u m, quae Senatus censuerat*, ubi Cortius contulit Tacit. Hist. II, 25, 1. Adde Ernest. ad eiusd. Annall. I, 70. et Oudendorp. ad Caes. B. C. I, 85, 3. Ceterum nota duplicem structuram ex verbo *provisa* aptam, primum accusativo, tum *ut* ac *ne* particulis subiunctis; v. ad I, 2. LXV, 2.

§. 3. *parati intentique invadere*] Huius structurae caussam explicavimus ad c. XLVI, 5. cf. Herzog. ad Quinctil. X, 2, 7. p. 143. — *I l l u m diem* obiter monemus ex Latinorum usu ita dictum esse, ut *ille* in oratione obliqua eandem vim habeat, atque *hic* in oratione recta; cuius rei caussa non diversa est ab eo usu, quo in oratione obliqua ad praesens tempus significandum *tunc* non *nunc* dicitur, ut ostendimus ad c. XI, 6. XLVI, 1. De pronomine v. etiam notata ad c. LI, 4. LVI, 4. Catil. XLVII, 2. — De verbis *pecunia extulerat* v. ad c. XXXVIII, 9. — *Quum* in apodosi, ubi res subita et inopinata infertur, cum indicativo construi, iam diximus ad c. XII, 5. Locis ibi laudatis adde quae Cortius ad c. LI, 2. comparavit, Iug. XCVIII, 2. CI, 8. Fragm. Historr. III, 22, 6. III, 11, 2. Curt. IV, 16, 2. ib. §. 19. et 21. — In sequentibus *conspicatur* debetur uni auctoritati Donati ad Ter. Eun. II, 3, 93., qui Sallustii loco utitur, ut demonstret *despicor*, quod apud Terentium est, eodem modo pro *despicio* dici, ut *conspicor* pro *conspicio.* Sed codd. ad unum omnes *conspicitur* habent, quod plerique editores ineptis rationibus defendere studuerunt, Gerlachius, tanquam nullam difficultatem haberet, alto silentio tramisit. Non recte procedere sensum vulgatae iam senserunt Rivius et Glareanus, neque negat Cortius Metellum potius Iugurthae exercitum *conspexisse* dici debuisse, quam *a Iugurtha c o n s p e c t u m e s s e;* sed satis absurde contendit verbis tantummodo sensum impeditum esse, re planissimum, siquidem Metellus *a Iu-*

honore extulerat, commonefacere benefici sui, et eum ipsum aliis ostentare; postremo pro cuiusque ingenio pollicendo, minitando, obtestando alium alio modo excitare, quum interim Metellus, ignarus hostium monte degrediens, cum exercitu conspicatur, primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet (nam

gurtha conspectus non potuerit quin contra etiam *Iugurtham conspiceret.* Quasi vero *conspici* et *conspicere* ita comparatum sit, ut alterum non possit sine altero fieri! Caussae autem, quibus nititur veritas scripturae a nobis receptae, sunt fere hae. Auctor quum in antegressis narrasset quae Iugurtha instituisset ad Romanos decipiendos, iam transit ad *Metellum* et quae hic *egerit*, exponit. Unde apparet quum antea de Iugurtha loquens *activo* verbo usus sit, eodem etiam opus esse, ubi de Metello sermo fiat, neque passivo locum esse, ubi in eadem re activum fuerat. Revera autem ad Metellum transire orationem primum ostendit *interim* particula, qua utuntur Latini, ubi significare volunt, *dum* aliquid ab aliquo fiat, *alium aliud agere incipere*, cf. c. XXXVI, 1. CI, 4. 10. CV, 5. Tum sequentia, quae artissime cohaerent cum iis quae proxime antecesserant, ita comparata sunt, ut non possint ad alius, nisi activi verbi notionem referri; Metellus enim *dubius paullisper agmen constituit*, non quia *conspectus erat* ab Iugurtha, sed quia *ipse insolitam rerum faciem conspexerat.* Neque quicquam in narratione inest, ex quo coniicias Metellum a Iugurtha esse conspectum; quod si dicere voluisset Sallustius, quamquam non potuit dicere, haud dubie scripsisset: *quum interim Metellum ignarum hostium conspicit. Ille vero primo dubius* etc. Nihil iam ad receptam scripturam firmandam superest, nisi ut moneamus, scribas, de structura magis quam de sensu sollicitos, quum obiectum non adesse viderent, facili eademque pingui coniectura *conspicatur* in *conspicitur* mutasse. Commodissime autem supplebis *eos* (v. ad c. XLVI, 8.), quod pronomen elicias ex verbis *ignarus hostium.* Quippe *hostes* conspectos esse a Metello docent sequentia: *dubius quidnam insolita facies ostenderet.* Insolita enim facies *hostium* erat. — Pro *degrediens* multi codd. male habent *digrediens;* cf. §. 6 extr. c. L, 2. Ceterum verba *monte degrediens*, quae in omnibus edd. a praecedentibus commate disiunguntur, interpunctione sublata cum his coniungenda sunt. Atque haud scio an etiam verba

inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset, quum natura loci, tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati); dein, brevi cognitis
6 insidiis, paullisper agmen constituit. Ibi commutatis ordinibus in dextero latere, quod proxumum hostis

cum exercitu ad *degrediens* pertineant. Possunt tamen etiam ad *conspicatur* referri, ita ut sensus sit: Metellus ipse atque eius exercitus hostes conspiciunt.

§. 5. *primo dubius — ostenderet*] Haec verba in omnibus edd. maiore interpunctione aeque a praecedentibus atque a sequentibus disiuncta, ita ut integram enunciationem efficerent, pro parte praegressae sententiae habemus, ut indicat interpunctio nostra, quam etiam Gerlachium in ed. min. iniisse postea vidimus. — *Equi Numidaeque* h. e. *equites peditesque Numidici.* Sic saepissime *equi virique* dicuntur, ut hi *pedites*, illi *equites* denotent. cf. c. LI, 1. *Equi viri, hostes cives permixti.* Caes. B. G. VIII, 36, 3. *Germanos equitesque de improviso advolasse*, ubi v. intprr. Similiter liberiore modo sibi opponuntur *milites* et *equites*, *exercitus* et *equitatus*. cf. Voss. ad Caes. B. G. V, 10, 1. Davis. et Oudendorp. ad VII, 61, 2. et ad B. C. II, 39. Gronov. ad Liv. XXVIII, 1, 5. Duker. ad Flor. I, 18, 6. Cort. — Pro *occultati* Gerlachius, non constat unde, in textu scripsit *occultari;* in Commentt. tamen p. 290. ad vulgatam rediit. — *Incerti* passivo sensu valet de iis, qui quales sint non cognosci aut accurate distingui possunt; v. Walch. Emendd. Liv. p. 207. qui nostrum locum contulit cum Livio XXX, 35, 9. *Italicos incertos socii an hostes essent, in postremam aciem submotos*, ubi v. Drakenb. Praeterea Cortius laudavit Tacit. Ann. III, 42, 3. *Florus incertis latebris victores frustratus.* Similia sunt exempla Tacit. Ann. I, 50, 1. *Iter hostibus incautum.* Plaut. Rud. I, 5, 17. *Quae in locis nesciis nescia spe sumus.* Alia eiusdem generis collegimus ad Cat. X, 5. et XV, 4. Ad *incerti* vocem praedicatum neutro genere refertur, quia propter dubiam hostium faciem non constabat, verene *viri* essent; itaque solent Latini loqui, ubi *personam* non respectu condicionis externae, sed *verae indolis* suae in universum considerant; v. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. V, 12, 21. *Neque enim tu is es, qui quid sis nescias.* Duker. ad Flor. IV, 2, 79. *Caesar eadem timens, postquam idem*

erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit, inter manipulos funditores et sagittarios dispertit, equitatum omnem in cornibus locat, ac pauca pro tempore milites hortatus aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit.

L. Sed ubi Numidas quietos neque colle de-

esse coeperat, quod Pompeius. Non multum dissimilia sunt etiam haec exempla Virgilii Ecl. III, 80. *Triste lupus stabulis.* Aen. IV, 569. *Varium et mutabile semper femina.* — Pro *obscurati* cod. Eccard. habet *obscurata.* Vulgatam Cortius ita defendit, ut dicat praedicatum *remotiori* nomini aptari; Gerlachius vero in praedicato ad varia nomina relato praevalere censet *personae* genus, maxime ubi masculinum sit. Neutrum verum videtur. Loquendi usus enim ratione nitens ostendit praedicati genus ab eo subiecti genere pendere, cuius *notio* in enunciatione *primaria* est; quoniam igitur h. l. narratio maxime ad *viros Numidas* refertur, ut patet ex verbis *occultati*, *incerti* et *ipsi*, necesse fuit etiam *obscurati* diceretur; nam *signa* minorem in sententia vim habent. — *Paullisper* explic. ad I, 4. — *Constituit* plurimorum codd. consensu firmatur; nihilominus multi editores, in iisque Cortius et Muellerus receperunt *constitit*, quod in uno Fabric. Rivii legitur. Sed ut taceam de exigua huius scripturae auctoritate, obstat loquendi usus; siquidem *agmen consistit* semper intransitivo sensu dicitur, ut iam Rivius vidit. Operam igitur perdidit Cortius, qui lectoribus persuadere studet *consistere*, quod nihil aliud esse potest quam vel *subsistere* vel *stando locum obtinere*, idem significare atque *constituere.* Verbi usum exemplis bene illustrarunt Gronovius et Drakenborch. ad Liv. XXVII, 16, 11. et Davis. atque Oudendorp. ad Caes. B. C. I, 41, 2.

§. 6. *Ibi commutatis ordinibus*] Hanc novam periodum Muellerus male praecedentibus adiunxit, commate tantum post *constituit* posito. *Ordines* ita *commutati* sunt, ut, quum antea flumen, quod pari tractu a monte aberat (v. XLVIII, 3.), *recta* petentes quasi aequali linea cum colle procederent eoque *apertum latus* praeberent Numidis, qui collem transvorso itinere porrectum insederant (v. supra §. 1.), iam hostibus conspectis, in dextrum latus verterentur, ita ut prima acies sive frons non fluvio, sed colli, unde hostis imminebat, obversa esset. Igitur *principia* eo loco ibant, ubi antea *dextrum latus* erat, eoque *transvorsa* dicuntur.

gredi animadvortit, veritus ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet, existumans hostis crebro impetu et transvorsis proeliis iter suum remoraturos, et quoniam armis diffi-
2 derent, lassitudinem et sitim militum tentaturos. De-

L. §. 1. *colle degredi*] In hac scriptura omnes codd. consentiunt, nisi quod nonnulli solita discrepantia *digredi* habent, quae scriptura ab h. l. aliena est. Praeterea Arusianus Mess. in Corp. Gramm. Lat. Vol. I. p. 223. ed. Lindem. hunc locum laudat, ut demonstret recte dici *digredior illi loco.* Quo quamquam significari videtur, Arusianum non solum *colli* legisse, ut sane exstat in ed. Corn. Frontonis a Maio curata, sed etiam pro dativo habuisse, tamen, quum cod. Gud., quem Lindemannus sequitur, *colle* habeat, valde dubium est, num Grammaticus veram lectionem in Sallustii cod. invenerit. Ceterum *collis* vocabuli ablativum etiam in *i* terminori demonstravit Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 228. laudato Lucretio II, 317. et 322. — *Ex anni tempore* v. ad Cat. XII, 2. — *Rutilium legatum* eum putant, qui consul fuit cum Cn. Manlio a u. 649. a. Chr. n. 165. Vide de eo Freinshem. ad Flor. III, 17, 3. Cellar. ad Min. Felic. c. V. Cort. Adde Ernesti Clav. Cic. v. *Rutil.* — *Expeditae cohortes* intelliguntur quae vel *sine impedimentis* sunt, vel tantum *leviter armatae;* sed non est dubium, quin h. l. prior ratio valeat. cf. supra c. XLVI, 7. Liv. XXXI, 24, 2. *Cum expeditis quinque millibus peditum Chalcidem contendit.* Planc. in Cic. Epp. ad Famm. X, 15, 7. *Ipse cum quattuor legionibus expeditis et relicuo equitatu subsequar.* — *Crebro impetu* explicavimus ad c. XLV, 2. — *Transvorsa proelia* sunt quae non ex adverso hostium ineuntur, ita ut in frontem impetus fiat, sed ubi hostes in latus incurrendo ordines turbare conantur. — *Lassitudinem et sitim militum tentaturos.* Cortius ad sensum haud male explicat: tentaturos, ut lassitudine et siti deficerent milites. Sed non satis commode contulit c. XLVI, 6. *Locum tentare*, et c. XVII, 7. *Tentare agros*, quippe quibus locis *tentare* significet aggredi, petere, infestare. Aliter *tentare aliquam rem* praegnanti sensu ita dicitur, ut valeat *experiri*, *num aliquid effici possit.* Igitur

inde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere, Marium post principia habere, ipse cum sinistrae alae equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi 3
extremum agmen Metelli primos suos praetergressum videt, praesidio quasi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte

nostro loco sensus proprie est: experiri num lassitudo et sitis militibus excitari posset, sc. quo deficerent. Melius cum hoc convenit exemplum a Cortio allatum ex Velleio II, 71, 5. *Ne tentatá quidem hostis misericordia.*

§. 2. et 3. *Deinde*] Cortius, ut solet in hac voce, sine codd. scripsit *dein.* — *Marium post principia habere* sc. ut curaret primam aciem. Cort. — *In agmine principes* Wassius perperam explicat: vicem obtinentes principum, respectu hostium. Recte Gerlachius verba cepit, haec annotans: „*Agmine procedente initium itineris* a sinistrae alae equitibus factum.“ — *Quasi* i. e. circiter, v. ad c. XLVIII, 3. Sueton. Calig. c. 58. *Hora quasi septima.* — Pro *qua* in Guelf. 10. et 4. m. pr. est *quo*; v. ad c. XXXVIII, 6.

§. 4. *Numidae alii — pars*] De grammatica horum verborum ratione v. notata ad c. XIX, 1. — *Adesse* interdum iniquo et hostili sensu dici, maxime ubi adiectivo addito ista potestas adiuvatur, iam vidimus ad Cat. LII, 19. Exemplis ibi laudatis addimus quae Cortius ad h. l. comparavit, Liv. XXV, 34, 3. *Masinissa assidue dies noctesque infestus aderat.* Flor. III, 5. *Aderat, instabat, saevitia quasi virtute utebatur.* — *Ludificari* ii dicuntur, qui vexati et ludibrio habiti id quod volunt perficere nequeunt; ita verbum habetur etiam apud Tacit. Ann. III, 21, 4. Flor. II, 2. — *Incertum proelium* est non stabile et varium. Cort. — *Ipsi modo* i. e. *ipsi soli;* cf. c. XI, 8. LXXVI, 5. LXXVIII, 4. — *Copia erat* sine dativo dictum, qui casus saepe supplendus est; v. ad c. XIV, 19. — Pro *Romanorum turma* Cortius, Bipp., Langius et Muellerus scripserunt *Rom. turba*, ut male exstat in Guelf. 7. Tur. 1. Einsiedel. Reg. Med. 2. 5. Ven. 2. Non solebant enim Rom. inconditam pugnam more barbarorum inire, sed *ordines servare* quam accuratissime, in qua re non minima cernebatur militiae Rom. virtus ac laus. *Turma* autem singulari numero positum non de *una*

cedentibus advorsariis receptui ac post munimento
4 foret; dein repente signo dato hostis invadit. Numidae alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextera tentare, infensi adesse atque instare, omnibus locis Romanorum ordines conturbare, quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant ludificati incerto proelio ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi aut manum conserendi copia
5 erat; ante iam docti ab Iugurtha equites, ubicumque Romanorum turma insequi coeperat, non con-

tantum *turma* intelligendum collectivo sensu *singulos turmas, variis locis in hostes irrumpentes* designat, (v. ad c. LVII, 4.) quae sententia *ubicumque* vocabulo haud obscure adiuvatur. Hoc non assecutus Gerlachius scripturam Vat. 5. *turmae insequi coeperant* in Commentt. p. 291. inconsulto vulgata praestantiorem dicit.

§. 6. *numero priores*] i. e. numero plus valentes, sc. Numidae. — *Deterrere nequiverant* sc. fugae celeritate; Muellerus vero explicat:, *multitudine sua*, cui sententiae cetera non favent. Plusquamperfecto autem utitur Sallustius, quia *nequire* haberi voluit pro *caussa plane absoluta* insequentis rei, quae imperfecto non potest significari. — Comma molestum post *tergo* in plerisque omnibus edd. positum cum Gerlachio delevimus; nam alterum quoque nomen e praepositione pendet; cf. XLVIII, 3. *Vastus ab natura et humano cultu.* — *Circumvenire* non cum Cortio est interpretandum *occidere, ferire*, sed valet aliquem ita urgere, ut se expedire nequeat, eumque *opprimere;* de qua vi diximus ad Cat. c. XXXI, 9. cf. Drakenborch. ad Liv. XXIX, 32, 6. — Pro *fuerant* multi codd. *fuerat* exhibent, ut verbum cum primarii subiecti numero congruat; sed in *comparativis* sententiis frequenter verbum secundariae enunciationis nomini aptatur. cf. Catil. XXV, 2. *Semproniae cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit.* v. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. p. 359. §. 436. not. 2. et inprimis Kruegerum de Attractione Ling. Lat., qui §. 29. p. 67 — 72. hanc structuram uberrime illustravit. Gerlachius tamen et Faber singularem retinuerunt. — Verba *ea vero consueti* etc. interpretes varie ceperunt.

fertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita numero priores si 6 ab persequendo hostis deterrere nequiverant, disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant; sin opportunior fugae collis quam campi fuerant, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negoti varia, incerta, foeda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere, alii insequi, neque signa neque ordines observare,

Palmerius enim coniungit *ea consueti* i. e. ad eas res assueti, quod neque structurâ neque sententiâ commendatur. Bipontini ad *ea* supplent *loca*, quae ellipsis a Latinorum usu plane aliena est. Langius vero imperite *ea* idem esse dicens quod *eo*, explicat *in eum locum*. Melior his omnibus Cortii sententia, qui recte vidit *ea* significare *ea via* vel *parte*, quam vocis potestatem illustravimus ad c. XVIII, 2. et XXXVIII, 6. Coniungenda est autem vocula cum *evadere* verbo, ita ut *consueti* absolute positum sit, ipso sententiarum nexu indicante, quam rem consuetam habuerint. *Vero* autem cum asseveratione positum valet ad vocem *consueti* confirmandam, cui potestati aliqua certe ex parte vernaculum *gerade* respondet; cf. c. LVIII, 3. *Ibi vero* (Romani) *virtutem ostendere.* XCIV, 3. Catil. LXI, 1. v. Kuehner. ad Cic. Tusc. II, 5, 13. — Pro *retinebat* cod. Bern. 1. ex interpolatione habet *retinere;* Eccard. alio modo peccavit exhibens *retinebant.*

LI. §. 1. et 2. *ordines observare*] *Observare*, quamquam in eadem re etiam *servare* dici potuisset, tamen ab hoc aliquantum diversum est; *servare* enim simpliciter significat *tenere*, non excedere ex ordinibus, *observare* contra est mente atque oculis quasi defixum esse in aliquam rem, ne quid negligatur, quod ad eam pertineat; cf. c. LXXX, 2. *Iugurtha multitudinem consuefacit signa sequi, imperium observare.* Omnino enim tenendum est, composita verba nunquam plane simplicium potestatem habere, quod bene monuit Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 16, 36. Weber. Exercitatt. styli Lat. Vol. I. p. 132. n. 45. — *Ubi quemque periculum ceperat* recte cen-

ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare, arma tela, equi viri, hostes atque cives permixti, nihil consilio neque imperio agi, fors
2 omnia regere; itaque multum diei processerat, quum
3 etiamtum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et aestu languidis, Metellus, ubi videt Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortis legionarias IV advorsum pedites hostium collocat. Eorum magna

set Gerlachius insolentius dictum esse, ita tamen, ut *subita* periculi invasio designetur. — *Atque* ante *cives* optimi tenent codd., ut Bas. 1. Sen. 1. Leid. L. Paris. b. c. x. z. ac praeterea multi Cortii, Leidd. Gerlachii, cum Italis fere omnibus; relicui non habent, scribis haud dubie, quia antecedentia vocabula *ἀσυνδέτως* posita sunt, copulam omittentibus. Sed nihil cogere ut etiam postrema sic enunucientur, quivis videt, quamquam concedendum est, etiam sine copula verba recte habere. — Statim post plerique editores puncto post *regere* posito *itaque* videntur vi *igitur* particulae intellexisse, quod ab h. l. alienum est; valet enim *et ita*, de quo v. ad Cat. XIV, 1. — Pro *diei* Cortius fide unius cod., quo Ciacconius usus est, scripsit *die*, quod probarem, si paullo certiore auctoritate niteretur; sed v. ad c. XLIII, 2. De ipsa locutione cf. notata ad c. XXI, 2. — *Quum* particulae usum tetigimus ad c. XLIX, 3.

§. 3 — 5. *Eorum magna pars*] Imperite Gerlachius pro *eorum* requirit *quorum*, quasi necesse sit auctorem ubique enunciationes, quae explicationi inserviunt, praecedentibus arcte annectere. Eandem orationis conformandae rationem Sallustius secutus est c. LIV, 10. ubi Gerlachius nihil notavit. cf. Cat. LIX, 6. Iug. LXII, 4. et 7. LXVI, 3. — Verborum *neque illis castra esse* etc. structura patebit ex notatis ad Cat. XXI, 3. *Illis* autem ad *Romanos* spectare nolim quemquam cum Gerlachio mirari, aut insolenter dictum putare; in obliqua enim oratione *ille* pronomine significatur is, ad quem dirigitur oratio; cuius usus ratio quaerenda est in confusione personarum, narrantis cogitatione cum eius, qui loquens inducitur, commutata. Vide notata ad c. XLIX, 3. et ad LVI, 4. — *Nec Iug.*

pars superioribus locis fessa consederat. Simul ora- 4
re, hortari milites, ne deficerent, neu paterentur
hostis fugientis vincere; neque illis castra esse, ne-
que munimentum ullum, quo cedentes tenderent; in
armis omnia sita. Sed nec Iugurtha quidem interea 5
quietus erat; circumire, hortari, renovare proelium,
et ipse cum delectis tentare omnia, subvenire suis,
hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat emi-
nus pugnando retinere.

quidem scripsimus, uti et multorum codd. auctoritas et linguae ratio postulat. Quod multi enim negant *nec — quidem* Latine dici posse, ubique *ne — quidem* scribendum esse censentes, velut Cortius ad h. l. et ad Iug. XXXI, 3. Facciolat. ad Cic. de Off. III, 4, 17. Moser ad Cic. de N. D. III, 26. p. 638. Ernesti ad Tacit. Ann. IV, 35. Drakenborch. ad Liv. I, 10, 3., prorsus falsum est; utrumque enim dicitur, sed diversa sententia. Ac *ne — quidem* notum est et arctissimo nexu contineri, et ita usurpari, ut significetur, aliquid, sive id subiectum est, sive praedicatum, quamquam locum habere posse videatur, tamen locum non habere. Contra *nec — quidem* particulae ita comparatae sunt, ut inter eas nullus nexus intercedat, sed *nec* i. e. *etiam non* (v. ad c. XCVIII, 4.) negationem inferat sententiae antecedentibus per *etiam* adiectae, *quidem* autem valeat ad unum vocabulum insigniori aliqua vi efferendum, quae propria est huius particulae potestas; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 63. p. 236. ed. IV. Hertel. ad Tacit. Agric. c. XVII. p. 34. Bremi ad Nep. Hannib. II, 6. Grysar. Art. lat. scribendi p. 574. Nostro igitur loco *quidem*, quod si plane abesset, ad integritatem sententiae non multum desiderares, non cum *nec*, quo sententiarum nexus paratur, cohaeret, sed tantummodo efficit, ut animum ad Iugurtham intentius advertamus, quod Germanice fere sic reddas: Aber *auch* Iugurtha *für sein Theil* war unterdessen *nicht* müssig. De vi et usu *nec — quidem* particularum cf. etiam Goerenz. ad Cic. Acadd. II, 26, 82. p. 152. a. Gernhard. ad Cat. Mai. c. 9, 27. et Frotscher. ad Quinctil. X, 1, 33. — *Erat* Cortius fide Vinar. 2. Franc. et Vratisl. 2. delevit. — *Hostes dubii* sunt qui locum non tenent, sed iam in fugam inclinant.

LII. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri, certabant, ipsi pares, ceterum opibus dispa-
2 ribus; nam Metello virtus militum erat, locus advorsus, Iugurthae alia omnia praeter milites opportuna.
3 Denique Romani, ubi intellegunt neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri (et iam die vesper erat), advorso colle, sicuti prae-
4 ceptum fuerat, evadunt. Amisso loco Numidae fusi fugatique; pauci interiere, plerosque velocitas et re-
5 gio hostibus ignara tutata sunt. Interea Bomilcar,

LII. §. 1 — 3. *ipsi*] Vim huius pronominis germanice commode reddi posse *persönlich*, diximus ad Catil. LIX, 6. Is autem sensus repetendus est ex eo pronominis usu, quo res aliqua ab iis, quae extrinsecus ei accedunt, seiuncta, *qualis per se est* spectatur. Vide Grysar. Art. latine scribendi p. 54. coll. annotat. nostra ad c. LXVI, 4. — *Ceterum* explic. ad c. II, 4. — *Intellegunt* exstat in Sen. 1. Guelf. 1. 2. Eccard. — Pro *perfugium* novem Cortii codd. nonnullique alii habent *profugium*, quod damnandum esse diximus ad Catil. LIV, 3. — *Et* ante *iam* non simplicis copulae vi positum est, sed simul ad id, quod sequitur, explicandum valet, de quo usu v. ad Cat. XIX, 2. — *Die* tenent Sen. 1. Guelf. 1. duo Rivii, Commel. cum tribus Palatt., quorum auctoritate ista forma satis defenditur; cf. ad c. XXI, 2. Serv. ad Virg. Georg. I, 208. Plaut. Pseudol. IV, 7, 59. — *Advorso colle evadunt* quamquam Cortius ad sensum recte interpretatur *in advorsum collem evadunt* i. e. *enituntur*, tamen falsum est quod praecipit et Gerlachio facile persuasit *advorso colle* ablativos esse absolutos, cui sententiae omnia repugnant exempla ab utroque allata. Quivis enim linguae peritus videt vulgarem ablativi potestatem, qua *locus* designatur, hic haberi, neque diversam esse hanc structuram a locutionibus *trita via incedere*, vel *monte aspero decurrere*, in quibus nemo, nisi forte Gerlachius, ablativos absolutos agnoscet.

§. 4 — 6. *amisso loco*] De his verbis v. ad Catil. IX, 4. p. 49. Iug. CI, 4. Tacit. Ann. I, 63. IV, 47. — *Ignara* i. e. *ignota;*

quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paullatim suos in aequum locum deducit, ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat, neque remittit quid ubique hostis ageret explorare. Postquam Rutilium consedisse 6
iam et animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthae proelio clamorem augeri, veritus ne legatus cognita re laborantibus suis auxilio foret, aciem,

v. ad c. XVIII, 6. — *Tutata sunt* optimi codd. omnes cum plurimis aliis habent; in nonnullis tamen legitur *tuta*, quod per se non damnandum est; sed Latini videntur pro legitima participii forma, quae in adiectivi vim transiit, plerumque frequentativi participium usurpasse. — *Ubique* quamquam explicari potest *quovis loco*, tamen magis ex loquendi usu videtur, si interrogandi sensu capias *et ubi*, de quo dicendi genere quaedam diximus ad Cat. c. XXIII, 4. p. 116. et ad XXVII, 1. p. 126 cf. Iug. LIV, 2. *Metellus transfugas Iugurtha ubi gentium, aut quid ageret exploratum misit.* — *Animo vacuus* non ita dictum est, ut Fragm. Historr. III, 29. Gerl. *Antonius vacuus a curis*, quem locum Cortius male cum nostro contulit. *Vacuus* potius absolute capiendum est de eo, qui negotio urgente non amplius est implicatus, ut se relaxare paullulum possit; quo sensu Cicero dixit Act. I. in Verr. c. 9, 26. *Posteaquam illa magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis vacuo ac soluto nihil aliud nisi de iudicio agere et cogitare.* A quo exemplo quamquam Sallustiana dictio eo differt, quod *vacuus* non ad praedicatum, sed ad subiectum refertur, tamen id non est quod offendat, ut ostendimus ad Cat. c. LIII, 6. p. 286. cf. Boetticheri Lex. Tacit. p. 5. v. *Ablat.* 1. — *Arte* i. e. *arcte*; sed illam formam, qua etiam alii scriptores utuntur (v. Drakenborch. ad Liv. II, 34, 5. Duker. ad Flor. II, 6, 31. Bremi ad Cic. de Fato c. 14. p. 58.), Sallustius plerumque praetulisse videtur. Catil. c. LIX, 2. *Signa artius collocat.* Iug. LXXXV, 34.

quam diffidens virtuti militum arte statuerat, quo hostium itineri obficeret, latius porrigit, eoque modo ad Rutili castra procedit.

LIII. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvortunt, nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat; et primo rati humum aridam vento agitari, post, ubi aequabilem manere, et sicuti acies movebatur magis magisque appropinquare vident, cognita re properantes arma capiunt ac pro
2 castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum est, utrimque magno clamore con-

LIII. §. 1. *aequabilem*] Hanc vocem non pertinere ad *humum aridam*, sed ad superius vocabulum *pulverem*, res ipsa ostendit. — *Est* post *ventum*, quod omnes codd. tueri videntur, Cortius tacite omisit; cf. Catil. c. LX, 2. — Pro *concurritur* Vin. 1. Franc. Sen. 2. Heuss. Guelf. 3. et Bern. 3. habent *concurrunt*, quod Cortius recepit inconsulto statuens passivum a scribis invectum esse propter antecedens *ventum est*, ut utriusque membri structura aequalis esset, contra Sallustii morem, qui orationem saepissime variet. Nos ista parum permovent, qui non tam quaerimus quid potuerit Sallustius scribere, quem quid codd. auctoritas tueatur. — Pro *tantummodo*, quod in edd. est, praeeunte Fabro divisim scripsimus *tantum modo*; nam quum temporis particula *dum* huc spectet, relatio planior est, si *tantum* vi substantivi positum *temporis* notione capias, quam si cum *modo* in particulae sententiam coëat. Similiter *dum* legitur Cat. XXXVI, 1. *Ipse paucos dies commoratus, dum vicinitatem armis exornat;* quippe *tantum* non aliam rationem habet, quam *paucos dies*. Nihili est igitur Gerlachii sententia, qui Commentt. p. 293. „*tantummodo*, inquit, positum pro *haud amplius*, cuius usus exempla desidero.“! — *Eos*, quod pronomen soli Guelff. 3. et 4. non habent, Cortius delevit, scilicet elegantiam se Sallustio restituere ratus. — *Circumveniri* i. e. capi atque opprimi. v. ad L, 6. — *Fugam facere* h. l. significat *se in fugam dare* vel *fugere*, quo sensu etiam c. LVIII, 4. dicitur: *animadvertit fugam*

curritur. Numidae tantum modo remorati, dum in 3
elephantis auxilium putant, postquam eos impeditos
ramis arborum atque ita disiectos circumveniri vi-
dent, fugam faciunt, ac plerique abiectis armis col-
lis aut noctis, quae iam aderat, auxilio integri ab-
eunt. Elephanti quattuor capti, relicui omnes, nu- 4
mero quadraginta, interfecti. At Romani quamquam 5
itinere atque opere castrorum et proelio fessi lassi-
que erant, tamen, quod Metellus amplius opinione
morabatur, instructi intentique obviam procedunt;
nam dolus Numidarum nihil languidi neque remissi 6

ad se vorsum fieri. Alias tamen *fugam facere* transitivo sensu valet *in fugam coniicere* vel *fugare;* de utroque usu videndus Drakenborch. ad Liv. XXI, 5, 16. — De vi *aut* particulae, pro qua Vin. 2. et Guelf. 12. *ac* habent, bene disseruit Ferdin. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 541.

§. 4 — 6. *numero quadraginta*] De vocabulo *numero*, quo addito *summae* notio paullo vividius et acrius designari solet, v. Kreyssigii Commentat. de Sall. Histor. lib. III. Fragmm. P. II. p. 11. Hertel ad Tacit. Agric. c. 32. p. 58. Sall. Iug. XCIII, 8. XCVII, 5. Caes. B. G. II, 4, 8. Plurima contulit Oudendorp. ad B. G. I, 49, 3. — *Fessi lassique* tantummodo exstat in Vin. 2. Vratisl. 2. Guelf. 3. 4. Misn. et Rem. 1. Quorum quamquam non maxima est auctoritas, tamen sententia evincit *lassique* verum esse, ineptumque, quod eius loco relicui tenent libri, *laetique.* Quum enim protasis, a *quamquam* particula apta, caussam continere debeat, cur Romani *non facile* instructi intentique esse potuerint, apodosis autem rem contra fuisse doceat, ut ostendit *tamen* particula, sequitur *laeti* nullo pacto huic sensui convenire. Quod Cortius autem dicit *fessos* fuisse itinere, opere et proelio, *laetos* vero *perfecto* itinere, opere et proelio bene pugnato, ineptum commentum est interpretis, singula tantum vocabula, non eorum nexum et sententiam respicientis. Nam etsi per se dici potest *proelio laetus*, tamen neque cetera conveniunt, et aperte obstat antecedens *fessi*, cui vocabulo quum alte-

7 patiebatur. Ac primo obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes, adven-

rum per *que* particulam additum sit, nequit diversam ab eo sententiam obtinere; nam *que* particula nonnisi eiusdem vel cognatae notionis *vocabula* consociat, quod secus est, ubi integrae *enunciationes* eius ope nectuntur; v. ad LXX, 2. Praeterea *lassi* non cum Cortio pro interpretatione *fessi* vocis habendum est; nam cum *fessus* de eo dicatur, qui magnis vel corporis vel animi laboribus et contentionibus fatigatus et viribus defectus requiescere cupit et recreari ac refici, (cf. c. LXVIII, 3. LXXI, 1.) *lassus* autem sit is, cui labores tantum languorem attulerunt, ut se rebus imparem sentiat et paene succumbat, facile intelligitur Sallustium commode utrumque vocabulum coniunxisse, ut quam exhausti viribus essent Romani significaret; neque aliter vernacule dixeris: obgleich sie durch den Marsch, durch die Verschanzung des Lagers und durch das Treffen *müde und erschöpft* waren; cf. Ludov. Doederlini Synonym. Lat. Vol. I. p. 104., a quo dissentiens Gerlachius in Commentt. p. 294. *corpora fessa*, *animos lassos* dici contendit, eodem acumine, quo Landin. ad Horat. Carm. II, 6, 7. *lassus* de *corpore*, *fessus* de *animo* usurpari praecipit. Accedit quod etiam verba sequentia *instructi intentique* quodammodo antecedentibus respondere videntur, ita ut qui (*fessi*) se dare quieti cuperent, nihilominus *instructi* procederent, et qui (*lassi*) prae languore vix consilii compotes essent, tamen *intenti* irent. Neque non congruunt sequentia, quamquam inverso per chiasmum ordine; nam *nihil languidi* sensu pendet ab *intenti*, et rursum *neque remissi* referendum ad *instructi*. Gerlachius, qui in ed. mai. *fessi laetique* exhibuit, in Commentt. p. 293. ita de hoc loco disputat: „Quamvis antea lectionem, a codd. longe plurimis confirmatam et ipse defenderam, tamen *re iterum iterumque retractata*, *laeti* stare non posse *iudico*.“ Sed haec verba esse vanissima intelligitur ex ed. minore, ubi V. D. rursus ineptum illud *laetique* amplexus est. Vides igitur, quid sit ex Gerlachii mente *re iterum iterumque retractata iudicare*!

§. 7. *strepitu*, *velut hostes*, *adventare*] Horum verborum veram rationem, quam uno commate post *hostes* addito expedivimus, nemo interpretum praeter Bipp. et Fabrum assecutus est. Ceteri enim omnes in hoc errore versantur, ut putent *hostes adventare* esse coniungendum, infinitivum autem, a *velut* aptum, vel eo modo positum esse, quo etiam a *quum* et *ubi* particulis (v. ad c. XCVIII, 2.) pendet, vel locum coniunctivi *adventarent* obtinere, quemad-

tare, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere; et paene imprudentia admissum facinus

modum etiam in edd. antiqq. legitur. Utra ratio ineptior sit deliberari non potest; certe tam inepta utraque est, ut refelli eam non sit necesse. Tenendum est autem non ad secundariam enunciationem, quae h. l. nulla est, pertinere *adventare* verbum, sed bimembrem esse protasis structuram, duobus praedicatis, *strepitu adventare* et *tumultum facere*, pari ratione, sed sine copula, ad idem subiectum relatis. Si quis vero obiiciat *strepitu adventare* sine *cum* praepositione non satis Latine dici, quae sententia confirmari videatur Zumptii praecepto in Gramm. Lat. §. 74, 11. p. 362. ed. IV. coll. Drakenborch. ad Liv. XXIV, 31, 10., ei concedimus potuisse sane *cum* praepositionem addi, adeoque usitatiorem esse hanc dicendi rationem. Sed solum etiam ablativum recte usurpari satis certa exempla probant. cf. Iug. CVI, 4. *Prima vigilia silentio egredi iubet.* Caes. B. C. II, 35, 7. *De tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reducit.* id. B. G. VII, 11, 7. *Genabenses silentio ex oppido egressi.* VII, 36, 7. Liv. XXI, 47, 2. *Iussis militibus vasa silentio colligere.* III, 54, 10. *Armati per urbem silentio in Aventinum perveniunt.* II, 57, 4. *Lex silentio perfertur.* V, 45, 2. *Castra Gallorum clamore invadunt.* VII, 7, 8. *Equites clamore provolant ante signa.* Noster Iug. LXIV, 5. *Marius cupidine atque ira grassari.* Utraque tamen structura accuratius comparata hoc interesse apparet, quod substantivo cum praepositione *cum* coniuncto significatur id, quod actionem quasi comitatur, i. e. *modus* actionis, qui cum ipsa re agenda coniunctus cogitatur; ablativus autem substantivi solius eam vim habet, ut significet id cuius ope actio perficitur, et in quo tota versatur, ita ut eo sublato actio ipsa non amplius constet. cf. notata ad c. LXV, 3. et Daehnium ad Nep. Milt. VII, 4. et ad Alcib. X, 4. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 155, sqq. §. 11. Ceterum notandum est, paullo liberiore modo conformatam esse alteram periodi partem, in qua nihil *primo* particulae respondet; nam quum Sall., si accurate voluisset, ita debuisset dicere: *sed mox utrimque praemissi equites rem exploraverunt; quod nisi factum esset, paene imprudentia admissum facinus miserabile*, maluit haec in brevius contracta simpliciter annectere. — *Tumultus* est strepitus et clamor, ad terrendos eos, qui adventabant. — *Imprudentia* est inscientia, ignoratio, eo orta quod quis in aliqua re exploranda non satis consideratus et circumspectus fuit, quo sensu

miserabile, ni utrimque praemissi equites rem ex-
8 ploravissent. Igitur pro metu repente gaudium exortum; milites alius alium laeti appellant, acta edocent atque audiunt; sua quisque fortia facta ad coelum ferre. Quippe res humanae ita sese habent;

etiam *imprudens* dicitur; v. Bremi ad Nep. Datam. IV, 3. p. 193. Cum hac notione convenit etiam *admittere* verbum, quo significatur rem malam ab aliquo *non sine eius culpa* fieri, ut bene observavit Herzogius ad Caes. B. G. III, 9. p. 166. Plura dictionis exempla suppeditat Ruhnken. ad Rutil. Lup. II, 3. p. 83. — Post *admissum* pauci libri habent *esset*, alii *foret*, unus *fore*; sed longe plurimi nihil tale ostendunt, quo non est opus.

§. 8. *exortum*] Nonnulli libri *est* vel ante vel post *exortum* addunt; sed a plerisque abest, quibus maior fides habenda. cf. ad Cat. c. LII, 20. 22. Praeterea Priscian. XVIII, 23, 188. p. 192. ed. Kr. ad hunc locum respicere videtur, Sallustium scripsisse dicens: *pro metu repente gaudium m u t a t u r*. Quem errorem Krehlius recte suspicatur inde ortum esse, quod Priscianus hunc locum cum altero c. XXXVIII, 10. memoriae lapsu confuderit. Immerito igitur Faber hanc varietatem talem putat, quae non temere negligenda videatur. De *edocent* verbo v. ad Cat. XLVIII, 4. — Pro *ferre* Gerlachius vulgatam secutus scripsit *fert*, quod sane multi codd. tenent. Sed quum Struv. Leid. K. Misn. et Min. 2 habeant *ferunt*, Vin. 1. *ferri*, unus vero cod. Putschii, aliquot Palatt., Inc. 2. Fabric. 1. m. pr. Goerlit. Tegerns. et Turic. 1. aperte exhibeant *ferre*, facile patet hanc veram esse scripturam, ex qua ceterae vel interpolatione vel depravatione fluxerint, neque vero ex praesenti infinitivum esse ortum; quippe librarii potius id agunt, ut diversam structuram ad eandem normam exigant, quam ut aequalem varient. Recte Cortius contulit c. XXIII, 1. v. etiam Catil. XXI, 4. et quae ibid. notavimus ad c. XXII, 2. p. 110. — *Detractant* legitur in sat multis codd. in quibus sunt etiam Nazar. m. pr. et Leid. L. Ceteri vel *detrectant*, ut Weissius edidit, vel inepto lapsu *detretant* aut *decretant*. Formam a nobis receptam apud antiquiores in usu fuisse testatur Pierius ad Virg. Georg. III, 57., eamque Sallustio placuisse patet ex antiquissimo Historiarum lib. III. fragmento, de quo v. Kreyssigium in Commentt. P. II. p. 8. cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIV, 15, 9. Oudendorp. ad Apulei. Metam. p. 315. Dronke ad

in victoria vel ignavis gloriari licet; advorsae res etiam bonos detractant.

LIV. Metellus in isdem castris quatriduo moratus saucios cum cura reficit, meritos in proeliis more militiae donat, universos in concione laudat

Tacit. Dialog. de oratt. c. XI, 2. p. 111. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 14, extr. Quum vocabulum aperte a *trahere* verbo descendat, in promptu est sensum esse *famae alicuius officere*, alicuius famam minuere et quasi lacerare et maligne discerpere. *Boni* autem h. l. intelliguntur *fortes*, quippe *ignavis* oppositi; cf. c. LXVII, 2.

LIV. §. 1. *in isdem*] Ita habent codd. Sen. 1. Inc. 1. 2. Fabr. 2. et Guelf. 3.; ceteri vel *iisdem* vel *hisdem;* cf. c. XIV, 11. XXV, 2. — Pro *quatriduo* in Sen. 2. Heuss. et Vratisl. 3. legitur *quasi triduo*, quae scriptura non temere videtur reiicienda; nam quum non admodum tritus usus sit *quasi* particulam pro *fere* ponendi, vix credi potest scribas tam docta interpolatione vulgatam mutasse. Praeterea in Leid. L. et Goerlit. legitur *triduo*, quod quamquam defectu vitiosum est, tamen probabilius videtur integram vocem *quasi*, quam vocis partem *qua* omissam esse. Denique quod Grutero auctore in nonnullis Palatt. exstat *triduo aut quatriduo*, nihil aliud videtur, quam explicatio scripturae *quasi triduo*. Quae etsi speciosa sunt ad vulgatam labefactandam, tamen nos dubios reddit exigua codd. Sen. 2. et Heuss. auctoritas, qui tam saepe in falsis scripturis conspirant, ut ex parum emendato exemplo descriptos esse appareat. Ceterum notandus est ablativus ad temporis perpetuitatem significandam positus; cf. ad Cat. LIX, 6. Zumpt. Gramm. Lat. §. 71, 7. not. 1. p. 316. ed. IV. Ramshorn. §. 146. p. 273. Caes. B. C. I, 47, 3. *Nostri se superiores discessisse existimabant, quod quinque horis proelium sustinuissent.* — *Cum cura*, v. ad c. LIII, 7. et ad XIV, 15. Cat. LI, 38. Liv. XXV, 22, 2. XXXIX, 2, 4. ibid. c. 23, 1. Tacit. Ann. XI, 12. Curt. III, 12, 13. Plaut. Menaechm. V, 4, 7. quae exempla Cortio debentur. cf. Otto ad Cic. de Fin. I, 3, 9. Beier. ad Off. I, 13, 40. — *More militiae* eodem sensu dictum, ut supra c. XLIV, 5. *more militari;* cf. Kreyssig. in Comment. II. de Sall. Fragm. Histor. lib. III. p. 14. — De structura verborum *Universos laudat atque agit gratias* v. annotata ad Cat. XIII, 2. et ad Iug. CX, 4. Exemplis ibi laudatis addimus hic a Cortio ascripta, Cic. p. Cluent. c. 2, 6. *Quum unaquaque*

atque agit gratias; hortatur, ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant; pro victoria satis iam
2 pugnatum, relicuos labores pro praeda fore. Tamen interim transfugas et alios opportunos Iugurtha ubi gentium aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, uti sese victus gereret explora-
3 tum misit. At ille sese in loca saltuosa et natura

de re dicam et diluam. Liv. XXXVI, 31, 9. *Si qua haberent, de quibus aut recusare, aut in posterum cavere sibi vellent.* Cic. Epp. ad Fam. XIII, 4. *Sed haec eo spectant ut te horter et suadeam*, sc. *tibi* de Orat. I, 15, 69. *Si modo erunt ad eum delata et tradita*, sc. *ei.* cf. Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. II. p. 362. et Aug. Matthias ad Cic. or. in Cat. II, 9, 19. Imprimis autem frequens est haec elliptica dicendi ratio in iis enunciationibus, ubi *relativum* bis, sed diverso casu ponendum est, ita ut altero loco suppleatur. cf. Otto ad Cic. de Finn. V, 9, 26. Klotz Quaestt. Tull. p. 67. Beier ad Off. I, 42, 151. p. 299. et ad II, 6, 21. p. 41. — Indicativus in verbis *quae levia sunt* explic. ad c. LXIII, 1. — *Animum gerere* cur Gerlachius *prisce* dictum censeat equidem non exputo; cf. XLIII, 5. LXIV, 2. CVII, 1. Cic. Parad. V, 2, 37. Ruhnk. ad Ter. Hecyr. III, 1, 30. — *Pro praeda* Cortius male explicat *praedam*, collato c. XXII, 4. qui locus prorsus alienus est. Sensus est potius: relicuos labores eos suscepturos *ad praedam faciendam.* In nonnullis codd. *praedae* legitur, eadem fere sententia; sed ex interpretatione scribarum.

§. 2. *Tamen*] Haec particula spectat ad omissam sententiam, ex antecedentibus ita fere eliciendam: *quae verba quamquam ostendere videbantur bellum paene pro confecto haberi, nihilque negotii superesse, tamen interim* etc.; cf. ad Cat. XXVI, 1. — De verbis *ubi gentium aut quid agitaret* v. ad c. LIII, 5. — Pro *victus* cod. Eccard. male habet *victum;* non vidit enim interpolator *victus* vi integrae enunciationis ad subiectum referri hoc sensu, *quum victus esset*, praedicatum autem particula *uti* definiri.

§. 3. et 4. *cultorem*] De structurae ratione diximus ad c. XLIV, 1. Ceterum leve zeugma h. l. obtinet, siquidem *cultor* proprie magis de agro et pecore, quam de bello dicitur. — *Ea gratia*, quae dicendi ratio antiquior videtur pro *eius rei gratia*, exemplis

munita receperat, ibique cogebat exercitum numero
hominum ampliorem, sed hebetem infirmumque,
agri ac pecoris magis quam belli cultorem. Id ea 4
gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo
omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo
cuiusque animus fert, eo discedunt, neque id flagi-
tium militiae ducitur; ita se mores habent. Igitur 5

illustravimus ad Catil. c. LII, 7. p. 266 Praeterea Cortius h. l. laudavit Plaut. Trucul. Prolog. v. 9. *Sed hoc agamus, qua huc ventum est gratia.* ib. II, 2, 33. *Ex cerebro expellam.* AS. *quanam gratia?* Stich. V, 1. 5. *Qui nihil ocius venit tamen hac gratia.* Ad huius structurae caussam intelligendam non abs re fuerit contulisse, quae paullo infra §. 6. ad verba *ea formidine* monemus. — *Eveniebat* imperfecto Gerlachius in Commentt. p. 296. putat *morem* Numidarum significari, quem errorem iam Faber notavit. Non vidit enim Gerlachius, quod facile erat videre, *id eveniebat* intelligendum esse de exercitus colligendi studio, cui Iugurtha *illo ipso tempore* deditus erat, quo Metellus transfugas miserat exploratum. — *Ex fuga* si rem spectas nihil aliud est, quam *in fuga*, sive *ubi fugiunt;* sed usus *ex* praepositionis substantivis iunctae, quae *eundi* significatum habent, eo excusatur, quod quae *in itinere fiunt*, possunt etiam ita cogitari, ut, cum itinere ipso non cohaerentia, ab eo segregentur et quasi *ex eo exire* videantur. Mera igitur loci vel directionis potestate praepositio ponitur, quam Faber praeeunte Herzogio ad Caes. B. G. VI, 35. p. 358. minus recte temporis vel consecutionis vim habere ait, interpretatus *in Folge der Flucht*, quae sententia etiam Handio improbatur de Particc. Lat. Vol. II. p. 627. § 25. cf. c. LVI, 3. *Iugurtha cognoscit, Marium ex itinere frumentatum — Siccam missum.* Catil. c. XXXIV, 2. *Catilina ex itinere plerisque consularibus litteras mittit.* Liv. XXX, 7, 1. *Hasdrubal ex fuga cum paucis Afrorum urbem proximam petierat.* Nepos Agesil. c. IV, 6. *Quum plerique se ex fuga in templum Minervae coniecissent;* ubi v. Daehnius. Per se igitur patet, si ea, quae fiunt, dum aliquis iter facit aut fugit, ita comparata sunt, ut non ex eius itinere aut fuga quasi prodeant, sed potius aliunde accedant, non dici posse *ex itinere aut fuga*, sed *in itinere, in fuga;* cf. c. LXXXIIX, 3. CIII, 4. CV, 3.

Metellus ubi videt etiamtum regis animum ferocem esse, bellum renovari, quod nisi ex illius lubidine geri non posset, praeterea iniquum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci, quam suos vincere, statuit non proeliis neque acie, sed

§. 5. *etiamtum regis animum*] Hunc verborum ordinem, quem complures codd. Palatt. Fabric. 1. 2. Tur. 1. Misn tuentur, sensus maxime commendat, siquidem vis sententiae in *temporis* vocabulo inest; cf. annotat. ad c. XX, 1. p. 125. In aliis codd. est *etiam regis tum a.*, in aliis *regis etiam t. a.*, in aliis aliter, quae ostendunt externam auctoritatem nihil hic valere. — De particulis *etiamtum* v. ad Cat. II, 1. — *Esse* post *ferocem* solus cod. Eccard. non habet, quem Cortius secutus est. — Inepte idem *non* ante *posset* auctoritate Fabric. 2. Vin. 1. et Struv. omisit, *nisi* pro *non nisi* dictum esse putans, auctoribus tam perversae sententiae usus Freinshemio et Dukero ad Flor. I, 12, 8., quibus accensendus etiam est Turnebus ad Cic. de Legg. I, 20, 54. et Burmann. ad Ovid. Art. Am. II, 693. Sed corruptis aut male scriptis locis hoc iudicium niti rectissime censet Fr. Gronovius ad Liv. XXXIV, 16, 1. et Goerenz. ad Cic. l. l. p. 85. quibus non obsecutos esse Ramshornium in Gramm. Lat. §. 190. annotat. 7. b. p. 593. ed. I., et Grysarem Art. Lat. scribendi p. 541 sq. valde miramur. Cautiorem certe se praebuit Aug. Grotefendus in Gramm. Lat. ampl. Vol. II. p. 457. §. 549. — Pro *posset* Sen. 1. Guelf. 9. et 10. habent *posse*, quod non spernendum putarem, si plures codd. confirmarent. Nam satis constat, interdum enunciationum relativarum, ad accusativum cum infinitivo pertinentium, rationem ita mutari, ut verbum a relativo pendens, non coniunctivo, sed pariter ut in primaria enunciatione, infinitivo ponatur, quo fit, ut utriusque enunciationis ratio existat par et aequalis, neque altera pendeat ex altera, sed incepta structura continuetur, relativo pro *et* cum *demonstrativo* posito. cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 80, 7. not. 1. p. 437. ed. IV. Bremi ad Nep. Themist. c. VII, 5. *Illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris, apud quam iam bis classes regias fecisse naufragium.* Carol. Beier. ad Cic. Off. III, 11, 49. Otto ad Finn. I. 9, 30. qui plurima ex Cicerone exempla collegit. v. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. ampl. Vol. II. p. 251. §. 340. Gramm. schol. p. 335. §. 412. not. Tacit. Annall. I, 5, 2. III, 61, 1. — *Iniquum certamen* haud du-

alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiae 6
loca opulentissima pergit, agros vastat, multa castella et oppida temere munita aut sine praesidio capit inceditque; puberes interfici iubet, alia omnia militum praedam esse. Ea formidine multi morta-

bie vera lectio, quam praebent Franc. Inc. 1. Guelf. 3. 12. Leid. D. G. Ven 2. Berol. 1. et Med. 5. m. sec. Relicui omnes tenent *inimicum*, quod Gerlachius in ed. mai. a se receptum alienis defendit exemplis, Cic. Epp. ad Famm. III, 8, 29. *Qua sententia mihi nihil potest esse inimicitius.* Virg. Aen. I, 127. *Naves accipiunt inimicum imbrem.* Plin. H. N. XX, 9. *Brassica inimicissima stomacho.* Quibus locis quum *inimicus* translato sensu significet *invisus* vel *molestus*, facile intelligitur, *inimicum* quum per se otiosum esse *certaminis* cuiusvis epitheton, tum h. l. prorsus ineptum, ubi verba sequentia docent de *impari condicione* pugnantium sermonem esse, cui rei significandae nihil potest vocabulo *iniquus* aptius esse. cf. Freinshem. ad Flor. III, 16, 1. Virg. Aen. X, 889. *Pugna congressus iniqua.* — De vi et structura *statuere* verbi cum partic. fut. passivi coniuncti v. ad c. XXXIX, 5. — Pro *neque acie* aliquot codd. habent *n. in acie*, quod Gerlachius in textu ed. mai. expressit, in Commentt. p. 296. damnat, „codd. auctoritate et constanti usu loquendi permotus," sed in ed. novissima, mutandis opiniōnibus laudem quaerens, rursus reposuit. Sed recta ratio vix patitur praepositionem, quam non solum huius loci conformatio, sed loquendi usus alienam esse ostendit; cf. infra c. XCVII, 4. *Mauri non acie, neque ullo more proeli — in nostros concurrunt.* V. Drakenborch. ad Liv. XXXVI, 17, 16.

§. 6. *temere munita*] i. e. non satis, nulla arte, non iusto modo munita. — *Sine* praepositio haud raro ita cum substantivo coniungitur, ut non ex verbo apta sit, sed cum suo nomine ad alterum nomen vi adiectivi negativi aut genitivi qualitatis referatur; cf. Cat. VI, 1. *Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio.* ubi v. Herzog. Iug. c. LXVI, 3. *Milites palantis ac sine imperio aggrediuntur.* X, 1. *Parvum te sine spe, sine opibus in meum regnum accepi.* Fragm Hist. IV, 12, 21. *Si circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis.* Cic. Tusc. II, 3, 7. *Lectionem sine ulla delectatione negligo.* cf. Schlegel. in Seebodii Biblioth. Crit., a. 1819. Tom. II. p. 715.

les Romanis dediti obsides; frumentum et alia, quae usui forent, affatim praebita; ubicumque res postu-
7 labat, praesidium impositum. Quae negotia multo magis quam proelium male pugnatum ab suis regem

qui haec laudavit exempla, Ovid. Metam. I, 20. Pompon. Mela III, 6, in. et III, 9, 3. quibus adde, quae in universum de hoc praepositionum usu notavimus ad c. LXI, 4. — Quod statim post edidimus: *Puberes interfici iubet, alia omnia militum praedam esse*, auctoritate factum est cod. Putschii, Ven. I. Vat. 5. Paris. z. et Servii ad Virg. Aen. V, 546. Ceteri omnes libri habent *pub. interficit, iubet alia* etc., quae scriptura valde incommoda est. Nam ut taceam numerum orationis valde horridum fieri, verbis *interficit*, *iubet* sine idonea caussa collisis, ipsa sententia quodam insolentiae vitio laborat. Quamquam enim quae *proprie* imperatorum sunt, velut urbes capere aut incendere, hostes vincere aut fugare et huiusmodi alia, ipsis solis tribuuntur, etsi per milites ea perficiunt (v. Cort. ad Iug. XXVI, 3. LXXVI, 3., quibus conferri possunt, quae de consimili usu monuerunt Walchius ad Tacit. Agric. c. XXI. p. 297. et Aug. Matthias ad Cic. or. in Cat. I, 2, 5. et ad IV, 6, 13.), tamen hic usus ratione ita temperatus est, ut in narrandis rebus, quae nisi iussae fieri non solent, verbum *iubere* non omittatur. Quare quum puberes non ex more interficerentur, consentaneum fuit memorare, id *iussu* Metelli factum esse. Quae sequuntur verba et sensu et structura pendent ex *iubet*, quamquam iussus de praeda militum paullo alius est, atque de caede puberum, ut non repugnem, si quis zeugma statuens ex *iubet* verbo elicere velit *permittit*. Haec non recte considerans Cortius *iubet* plane omisit, et pro *praedam* scripsit *praeda*, ut est in Struv. et Guelf. 2. Quae structura etsi ferri potest, tamen nullo pacto vulgatae auctoritatem infringere valet. Ceterum facile intelligitur *interficit* negligentia scribarum ortum esse, qui antecedentium verborum formam continuarent, neque vero *interfici iubet* ex interpolatione praesentis ortum esse, ut Cortius perperam censet. — *Ea formidine* i. e. *eius rei formidine*; quippe attractionis vi pronomen cum sequenti substantivo ita coniungitur, quasi eius notio iam in praegressa enunciatione inesset, quamquam verbo non declarata est. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 159. 2. b. p. 351. Krueger. de Attract. ling. Lat. §. 55. p. 127 sq. Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 19, 45. Liv. I, 58, 4. *Sext. Tarquinius cum mortua iugulatum servum nudum positurum*

terrebant; quippe cui spes omnis in fuga sita erat, 8
sequi cogebatur, et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex copia 9
quod optumum videbatur consilium capit; exercitum

ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore quum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido. Sall. Catil. XLIII, 2. *Statilius et Gabinius opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Consulem fieret.* Iug. CXIV, 1. *Per idem tempus advorsum Gallos male pugnatum; quo metu Italia omnis contremuerat.* cf. c. V, 2. XXXVII, 2. LXXXIII, 3. — *Impositum* illustravimus ad c. XLVII, 2.

§. 7. et 8. *ab suis*] Haec verba Cortius nulla de caussa, tanquam assuta a librariis, unciis inclusit. — *Cui*, quod multi codd. tenent, Cortius recte praetulit vulgatae scripturae *cuius*, quae minorem vim habet ad eam rationem, quae inter praedicatum et obiectum intercedit, declarandam; cf. c. LXXXV, 4. *Mihi spes omnes in memet sitae.* — De grammatico inter verba *cui* et *sequebatur* nexu v. ad Cat. XXXVII, 3. p. 170. Exemplis ibi laudatis adde Liv. XXI, 6, 4. *Quibus si videretur digna caussa, Hannibali denunciarent, ut ab Saguntinis abstineret.* Tacit. Ann. VI, 44, med. *Quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos ne animo quidem ad obsequium coaluisse disserebant.* cf. Krueger. de Attract. Lat. Ling. §. 81. p. 198 sqq. Otto ad Cic. de Finn. II, 28, 91. — *Erat* Cortius nulla codd. auctoritate delevit. — *Sua loca* sunt *commoda*, ab ipso propter opportunitatem ad pugnandum vel resistendum electa; cf. c. LXI, 1. *Neque Iugurtham nisi ex insidiis aut suo loco pugnam facere.* c. LXVI, 1. *Iugurtha communire suos locos.* Liv. XLII, 43, 3. *Quum Perseus suo maxime tempore et alieno hostibus incipere bellum posset.* v. Ramshornii Gramm. Lat. §. 158, 4, d. p. 341. ed. 1. Grysar. Art. Latine scribendi p. 63 sq. annotat. 1. Sponte igitur patet *alienus* contrarium significare.

§. 9. *ex copia*] Quamquam paene omnes codd. habent *ex inopia*, tamen *ex copia*, quod tantummodo est in Guelf. 4. a m. pr, accedente Guelf. 2. *ex in copia*, cum Cortio et Gerlachio verum putamus. Nam quum *ex inopia* nonnisi ad notionem *consilii* referri possit, inepte Sallustius diceret *optimum* electum esse, ubi plane nullum erat. Ex altera parte loquendi usu satis confirmatur *ex copia*. *Copia* enim, ut Cortius recte monuit, in hac dictione non

plerumque in isdem locis opperiri iubet, ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente aggreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit, et Numidae, priusquam ex castris subveniretur, sicuti iussi erant in proxumos collis discedunt.

LV. Interim Romae gaudium ingens ortum

significat magnam rerum abundantiam; sed indefinite id indicat, *quod suppetit*, sive id multum, sive non multum est. Plerumque in ea sententia *rerum* additur, ut c. XXXIX, 5. *Ex copia rerum statuit nihil sibi agitandum;* XCVIII, 3. *Marius ex copia rerum consilium trahit;* vel *rei*, ut c. XC, 1. *Pro rei copia providenter ornat.* Sed etiam sine isto genitivo sensus idem est, ut c. LXXVI, 3; quare his verbis significatur *pro rerum condicione*, quemadmodum Caesar dixit B. G. V, 8, 1. *Ut consilium pro tempore et pro re caperet.* Nostri autem loci depravatio duplicem caussam habere potuit. Librarii enim aut eo permoti sunt, ut pro *copia* scriberent *inopia*, quia putarunt de inopia *consilii* hic agi; aut fieri potuit, ut, quum aliquis ad interpretandam *ex* praepositionem *in* superscripsisset, eaque interpretatio ita, ut ostendit Guelf. 2., in textum illata esset, inde vulgata oriretur. — *Isdem* habet Sen. 1. Fabr. 2. Inc. 1. Guelf. 2. 3. cf. c. XIV, 11. XXV, 2. — Verba *nocturnis et aviis itineribus* non pertinent ad *aggreditur*, sed ad *ignoratus.* — *Palantis* quo sensu capiendum sit, patet ex dictis ad c. XLIV, 5. — *Intactus* i. e. *integer, non vulneratus;* cf. c. LXVII, 3. *Turpilius profugit intactus.* v. Drakenborch. ad Liv. VIII, 10, 6. *Velut inermes prope intacti evasere.*

LV. §. 1. *ut seque et exercitum gereret*] In promptu est *gerere* non eadem ratione ad se et ad *exercitum* spectare, sed per zeugma dici *exercitum gerere* i. e. *habere*, quomodo auctor locutus est Cat. XI, 5. cf. Iug. LXXXV, 47. *Meque vosque in omnibus rebus iuxta geram.* c. XLVI, 8. ubi v. — Propter *tamen* particulam in Guelf. 4. et Academ. in antecedentibus additum est *quamvis*, in Vratisl. 3. *licet*, in Vin. 2 *quamquam*, quibus omnibus non est opus. Neque tamen ea est structurae ratio, ut in priore membro

cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more maiorum gereret, in advorso loco victor tamen virtute fuisset, hostium agro potiretur, Iugurtham magnificum ex Auli socordia spem salutis in solitudine aut fuga coegisset habere. Itaque senatus ob ea 2
feliciter acta diis immortalibus supplicia decernere, civitas trepida antea et sollicita de belli eventu laeta agere, de Metello fama praeclara esse. Igitur eo 3

quidem supplendum sit, quod non satis accurate diximus ad Cat. LXI, 3. p. 324. Ubicunque enim *tamen* positum est, non praecedente particula concessiva, oratio ita comparata est, ut non *formam*, sed *sensum* enunciationis concessivae habeat, quam rem illustravimus in Commentat. de Sallustii Fragmentis, a. 1829. edita, p. 41 sq. Nostro igitur loco nihil supplendum est, sed *in advorso loco* significat *quamvis locus adversus esset*, structura fere tali, qualem tetigimus ad Cat. II, 10. Liv. I, 17, 3. *In variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant.* — De vi *ex* praepositionis v. ad Cat. XII, 2. — *Magnificum* i. e. superbientem, elatum; cf. supra c. XXXI, 10. *Incedunt per ora vostra magnifici.* Liv. VII, 32, 11.

§. 2. et 3. *supplicia*] Ita Sallustius aliquoties loquitur pro *supplicationibus* et sacrificiis solemnibus, cf. Cat IX, 2. LII, 29., in eoque usu antiquiorum morem secutus videtur; v. Varro de R. R. II, 5. Drakenborch. ad Liv. XXII, 57, 5. Tacit. Ann. III, 64, 3. *Tum supplicia diis ludique magni decernuntur.* — *Agere* explic. ad Cat. XXIII, 3. coll. Iug. XVIII, 9. — Verborum ordinem *de Metello fama p. e.* praestant fere omnes libri; sed Fabr. 1. 2. Vin. 1. Guelf. 2. 3. Tur. 1. Bas. 1. 4. Paris. x. z exhibent *fama de Met. p. e.*, quo modo inde a Cortio omnes editores scripserunt, illius iudicio fisi, hunc verborum ordinem esse „ad numeros Sallustii.“ Quae sententia quum per se levissima sit, et iusta ratione destituatur, tum vulgatum ordinem commendat ipsa sensus vis. Nam quum Sallustius a *civitate* transeat ad *Metellum*, consentaneum est, prius eum, de quo fama erat, quam famam ipsam nominari. — *Hosti opportunus* Cortius bene explicat, *quem hostis cum commodo suo facile potest invadere.* cf. ad XX, 2. — *Post gloriam* non pendet ex verbo *sequi*, quasi, quemadmodum dicitur *invidia sequitur glo-*

intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere tamen, necubi hosti opportunus fieret, me-
4 minisse post gloriam invidiam sequi. Ita quo clarior, eo magis anxius erat, neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant; exercitus partem ipse, relicuos

riam, ita etiam dici possit *invidia sequitur post gloriam*, quod barbarum foret; sed *sequi* absolute positum est, ut apud Plin. Epp. I, 8, 14. *Sequi enim gloria, non appeti debet, nec, si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est. Post gloriam* autem vim habet integrae enunciationis, *gloriâ partâ*, ut mox §. 4. *post insidias Iugurthae* significat *quum insidiae* (sc. ipsi) *a Iugurtha factae essent.* Plura de hoc structurae genere v. ad c. V, 4. Caussam, cur Sallustius *sequi* non cum accusativo obiecti coniunxerit, Faber scite vidit hanc esse, quod sensus ambiguitatem vitare studuit. Nam quum dicendi usus evaluerit, ut *aliquid aliquam rem sequi* dicatur, quod *ei rei contingit* sive *sponte obvenit* (v. annotata ad Catil. c. LIV, 5. p. 289.), Sallustius dicere noluit *gloriae invidiam contingere*, sed potius *gloriae invidiam succedere*, sive *priorem gloriam, invidiam posteriorem* esse. Quare ne temporis notio dubia esset, *post* praepositione usus est.

§. 4. et 5. *Ita quo clarior, eo magis anxius erat*] Quamquam plurimi codd. *erat* et post *clarior* et post *anxius* habent, tamen non est dubium, quin alterutro loco a scribis additum sit. In re incerta autem tutius visum est, eos libros sequi, qui priore loco non habent; ex glossa enim hic illatum esse inde coniicias quod in Paris. z., satis antiquo codice, inter versus comparet. Praeterea verborum constructio ita haud paullo melius procedit. Eundem verborum ordinem etiam Gerlachius et Faber tenent; Cortius vero verbum post *clarior* posuit, et simul pro *anxius* scripsit *animi anxius*, quod probari nequit, quum in nullo codice exstet, et ex glossa ductum sit. Quippe in Naz. Commel. Palat. 2. Pembr. Arond. Reg. Mark. *V. A.* Acad. Sen. 1. Guelf. 1. 9. legitur *animus anxius erat*, in Bas. 4. *animus eius anxius erat*, et in Tur. 1. m. pr. ac Fabric. 1. m. pr. *animosior erat*, unde Cortius coniectura

Marius ducebat. Sed igni magis quam praeda ager 5
vastabatur. Duobus locis haud longe inter se ca- 6
stra faciebant, ubi vi opus erat cuncti aderant, ce- 7
terum, quo fuga atque formido latius cresceret, di-
vorsi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis se- 8
qui, tempus aut locum pugnae quaerere, qua ven-
turum hostem audierat, pabulum et aquarum fontis,

animi finxit. Sed patet scribas, qui recordarentur *anxius* saepe cum voce *animus* coniungi, eam h. l. intulisse, ne adiectivum nude positum haberetur. *Animi anxius* autem, quod Cortius exhibuit, ipsa sententia alienum est. *Anxius* enim h. l. significat *intentus, curam adhibens, nihil remissus; animi anxius* autem est *valde sollicitus, curis agitatus, ex rebus desperatis malum timens et consilii inops.* Illud sane de Metello valet, hoc non item. cf. Tacit. Agric. c. V, med. *Simul anxius et intentus agere.* — De ratione verborum *effuso exercitu*, quae cave pro ablativis absoll. habeas, v. ad c. XLVI, 5. Ceterum *effusi* dicuntur, qui nullo ordine et dispersi incedunt et palantur; cf. c. XCVIII, 5. *Effusi consedere.* CV, 3. *Temere et effuse euntes.* LXXXVII, 4. *Effusos hostis invadi posse.* Curt. IX, 8, 19. *Barbari effuse sequentes.* v. Drakenborch. ad Liv. XXXV, 29, 3. — Pro *partem* Cortius scripsit *partim*, quod per se non damnandum foret (v. Gronov. Obss. III, 2. p. 342. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 13. p. 398 sq. ed. Bau. Bremi ad Nep. Attic. c. VII, 2. Drakenborch. ad Liv. XXVI, 46, 8. XXIII, 11, 11.); sed quum ista scriptura tantummodo ex Guelf. 12. deprompta sit, in quo exstat *exercitum partim*, luce clarius est, librarium, quum errore accusativum exarasset pro genitivo, ut lapsum suum emendaret, satis dextre *partem* in *partim* mutasse. — *Praeda* i. e. *praedando; praeda* enim non solum rem bello captam, sed etiam praedandi actionem designat. Cic. Philipp. XI, 14, 37. *Saxae se et Caphoni tradiderunt, ad facinus praedamque natis.* Liv. XXII, 9, 5. *Ubi satis quieti datum, praeda ac populationibus magis, quam otio aut requie gaudentibus profectus, Marsos devastat.*

§. 7. et 8. *cresceret*] Cortius ex uno Vin. 1. scripsit *crescerent*, quod per se quidem bonum est, (v. ad Cat. X, 2.) sed neutiquam, ut ille dicit, in tali re gravius. — *Pugnae* verisimilius pro dativo

quorum penuria erat, corrumpere, modo se Metello, interdum Mario ostendere, postremos in agmine tentare, ac statim in collis regredi, rursus aliis, post aliis minitari, neque proelium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri, urbem magnam et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit oppugnare, ratus, id

habendum, cuius quae ratio sit ostendimus ad Cat. XXXII, 1. et ad Iug. XXXV, 4. — *Modo* — *interdum* orationis variandae caussa dictum. v. ad c LXII, 9. — *Otium pati* pertinet ad Romanos, quippe quos otium habere non pateretur Iugurtha.

LVI. §. 1. *fatigari*] Aliquot codd. Leidd. habent *fatigatum*, quod sententiam paene absurdam praebet. — *Arcem regni* Muellerus videtur ita accipere, ut *arx* significet locum magnis operibus munitum. Sed h. l. potius notat locum maximi momenti ad regionem aliquam tuendam, unde facile ceterae partes regni et coerceri et contra impetus hostium defendi possint; cf. Liv. XLIV, 31, 2. *Ad Scodram inde ventum est, quod belli caput fuerat, non eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat velut regni totius arcem, sed etiam* etc. ibid. XXXIII, 14, 2. *Eam urbem pro arce habiturus Philippus adversus Graeciae civitates.* Audacius Tacitus, ut solet, hanc *arcis* potestatem translate usurpat, Historr. III, 13, in. *Transfugisse classem, arcem commeatuum.* cf. Walch. ad Agric. c. XVI. p. 225. Similiter tamen etiam Cicero p. Ligar. c. 7, 22. *Vos Africam, omnium provinciarum arcem, obtinere voluisse;* et Liv. VI, 37, 10. *Consulatum superesse plebeiis; eam esse arcem libertatis.* — Male omnes editores excepto Fabro interpungunt *ratus id, quod n. p.*, quam perversam rationem deseruimus, commate post *ratus* posito. Scilicet nititur illa interpunctio falsa structurae explicatione, quam Cortius ad Catil. XXX, 2. ellipticam esse dicit; sed eius explendae tam vagam rationem init, ut ellipsin modo ad demonstrativum, modo ad relativum referat. Ita v. c. in Cat. c. XIV, 1. *Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium facinorum catervas circum se habebat,* verba

quod negotium poscebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique proelium fore. At ille, 2
quae parabantur a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit, oppidanos hortatur moenia defendant, additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissumum erat; praeterea pollicetur in tempore semet cum exercitu affore. Ita compositis rebus in loca quam maxume 3
occulta discedit, ac post paullo cognoscit Marium

sic constituit: *Catilina* *id* *faciebat*, *quod* etc., et apud Cic. p. Sext. c. XVII, 39. *Quos homines*, *si*, *id quod facile factu fuit et quod fieri debuit*, *vi armisque superassem*, *id* ad *si* trahens *fecissem* infert. Contra nostrum locum ita deformat explicando: *ratus id*, *quod negotium fieri poscebat*, pariter ut c. XLVII, 2. *ratus id*, *quod res (fieri vel existimare) monebat.* Quae interpretandi diversitas ut iam satis errorem Cortii ostendit, ita hoc accedit, quod reliquorum verborum structura isto modo plerumque plane pervertitur et prorsus barbara fit. Rectius docuerunt Zumptius in Gramm. Lat. §. 69, 4. p. 300. ed. IV. et Beierus ad Cic. Off. II, 23, 83. *id* non ad verbum aliquod pertinere, sed per abundantiam relativo addi, idque tunc tantummodo fieri, ubi relativum ad totam enunciationem referatur. Ea est autem ubique enunciationis ex relativo aptae vis, ut primariae sententiae veritas ea confirmetur assevereturque. Exemplis supra laudatis adde infra c. LXXXV, 24. Cic. p. Sext. c. 13, 30. Caes. B. G. IV, 29, 3. VIII, 10, 3. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 19, 52.

§. 2. et 3. *nequibat*] Cortius scripsit *nequibant*, quod tantummodo exstat in Guelf. 2. cui prope accedit Vin. 2., in quo est: *quae fallere nequibant.* Sed quivis videt, pluralem a scribis esse profectum, qui haec ad *copias regis* spectare putarent. — *Fallere* est *fidem mutare;* id facere non poterant transfugae, quia poenae gravissimae crudelissimique cruciatus a Romanis erant exspectandi. — Verbum *erat* Cortius fide unius Inc. 2. delevit. — *In tempore* est *mature*, tempore ad agendum *adhuc* opportuno; cf. Fragm. Historr. I, 12. Gerl. IV, 12, 18. Drakenborch. ad Liv. VIII, 7, 5. id. XXV, 9, 4. XXV, 31, 15. XXVIII, 8, 14. Heindorf. ad

ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum, quod oppidum primum omnium post
4 malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit, et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit; simul magna voce Siccenses hortatur, uti cohortis ab tergo circumveniant; fortunam illis praeclari facinoris casum dare. Si id fecerint, postea sese in regno, illos in liber-
5 tate sine metu aetatem acturos. Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto

Hor. Sat. I, 5, 47. Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. II. p. 289. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 12. a. p. 364. ed. IV. Eodem sensu etiam dicitur *tempore*; v. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 1. p. 4. — *Post paullo*, quem ordinem verborum Cortius primus restituit, confirmant Bas. 1. Fabr. 1. 2. Vin. 1. 2. Inc. 1. 2. Sen. 2. Heuss. Guelf. 2. 3. Bern. 1. 3. Misn. Goerlit. Berol. 2. Paris. b. c. x. z. et Rivii libri; relicui codd. *paullo post* habent. cf. notata ad Cat. XXXIII, 5. p. 156. Iug. CVI, 3. Caes. B. G. VII, 60. Hor. Sat. I, 2, 120. Od. III, 20, 3. Similiter dicitur *post aliquanto*, Liv. II, 31, 4. ubi v. Drakenborch. eodemque modo etiam *multo* comparativis postponitur, cuius collocationis exempla ab Ottone ad Cic. de Finn. I, 20, 69. collecta huc transscribam: Cic. de Orat. I, 59, 253. *Melius multo*. Cat. M. 23, 82. Epp. ad Famm. III, 13, 3. *Ampliora multo*. Finn. III, 12, 41. IV, 4, 9. de N. D. II, 11, 30. — *Ex itinere — missum* significat: Marium, *qui iter faceret*, *eo parumper omisso*, sive *de instituto itinere deflectentem* Siccam ire iussum esse; v. ad LIV, 4. — In nomine *Siccae* urbis ad Bagradam sitae fere omnes codd. consentiunt; pauci habent *Sicam* vel *Sicham*. Graece *Σίγα* scribitur apud Strabonem XVII, 3. p. 484. ed. Tauchn. A Mylittae Assyriae sive Veneris cultu Romani ei cognomen addiderunt Veneriae; cf. Cellar. IV, 5. §. 25. p. 906 sq. Sickleri Geogr. Ant. p. 828. ed. I. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 322 sq.

§. 4 — 6. *fortunam illis*] Pronomen, quod in Guelf. 9. depravatum est in *illi*, in Fabric. 1. et Teg. m. pr. in *illos*, in Sen.

cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavis-
sent; tanta mobilitate sese Numidae agunt. Sed mi- 6
lites Iugurthini, paullisper ab rege sustentati, post-
quam maiore vi hostes urgent, paucis amissis pro-
fugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit. Id oppi-
dum, in campo situm, magis opere quam natura
munitum erat, nullius idoneae rei egens, armis viris-
que opulentum. Igitur Metellus pro tempore atque 2
loco paratis rebus cuncta moenia exercitu circumve-

1. autem deest, Cortius male omisit. Ceterum ratio *ille* pronominis h. l. non diversa est ab ea, quam ad c. XLIX, 3. et ad LI, 4. tetigimus, nisi quod hic oratione obliqua in rectam mutata personale pronomen obtineret; cf. c. LXI, 4. *Metellus fide data, si Iugurtham vivum aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi Senatus impunitatem concederet, facile Numidae persuadet.* LXII, 2. *Caveat, ne illo cunctante, Numidae sibi consulant.* VIII, 2. XXXIII, 4. LXIV, 2. LXV, 3. LXXIX, 8. CVI, 1. CXI, 1. Plura ad rem pertinentia petes ex nota Daehnii ad Nep. Dion. c. VIII, 5. coll. Walchio in Emendd. Livv. p. 55. et 219., quibus addi possunt nostra ad Iug. IV, 6. — Verba *casum dare* illustravimus ad c. XXV, 9. cf. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 82. — *Sese Numidae agunt* exstat in Nazar. Commel. Fabric. 1. 2. Guelf. 1. Leidd. B. E. F. K. L. M. N. Laud. 2. B. Publ. Mark. *Γ.* et nonnullis Rivii ac Cortii antiquioribus; in reliquis *gerunt* legitur, quod quum sit ex interpretatione scriptum, Weissio placuit. — De *paullisper* voce v. Doederlini Synon. Lat. Vol. I. p. 148. 5. et annot. ad Iug. I, 4.

LVII. §. 1. et 2. *ad Zamam*] *Ad* praepositionem Cortius multique alii hic non abundare putant, sed ita dictam, ut loca Zamae proxima ea designentur; cf. infra c. LXXV, 6. et 9. XC, 2. XCI, 4. Sed Ferdin. Handius de Particc. Latt. Vol. I. p. 80. docuit, ut solo accusativo et ingressus in urbem, et accessus ad urbis regionem significetur, ita utrumque etiam *ad* praepositione addita declarari; sed usu evaluisse, et praepositio plerumque omitteretur, eoque factum, ut haec ratio a grammaticis pro sola legitima, quamquam

3 nit; legatis imperat, ubi quisque curaret. Deinde signo dato undique simul clamor ingens oritur, neque ea res Numidas terret; infensi intentique sine

immerito, iudicaretur. Urbium nominibus vero cum appellativo sociatis semper additur praepositio; cf. Iug. LXXXI, 2. *Ad Cirtam oppidum iter constituunt.* Idem plerumque fit, ubi de exercitus itinere agitur; castra enim non in ipsis urbibus, sed in propinquo urbium ponebantur. v. Grysar. Art. Latine scribendi p. 406, annot.— *Opere* praegnanti sensu dictum de quovis munitionum genere, arte facto, cui opponitur *natura* vel *locus* i. e. naturalis situs, cf. c. XCII, 5. LXXVI, 2. XCII, 5. Liv. XXX, 9, 11. Caes. B. G. I, 38, 4. V, 9, 4. V, 57, 1. Curt. III, 1, 7. CORT. — *Opulentum*, plerumque sine casu positum, addito ablativo significat *abunde instructum eoque validum*; cf. c. XVI, 5. Liv. I, 30, 4. *Sabinis bellum indicit, genti opulentissimae viris armisque.* — De verbis *cuncta moenia* v. ad c. XCIV, 4. — *Exercitu circumvenit* explic. ad Cat. LVII, 4. p. 301. — *Curaret* quomodo intelligendum sit diximus ad Cat. LIX, 3. p. 316. — *Neque* positum esse pro *neque tamen* iam monuimus ad c. XX, 6. p. 130.

§. 4. *glande*] i. e. plumbeis globulis, quos funda aut aliis machinis iaculabantur. cf. Ovid. Metam. II, 727. *Non secus exarsit, quam quum Balearica plumbum funda iacit.* Tacit. Histor. V, 17. *Saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur.* Auct. de B. Afric. c. XX, 3. *Caesar sagittas telaque uti fierent complura curare, glandes fundere.* cf. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 81. p. 514. Ceterum quod nostro loco singularis numerus habetur pro plurali, ut apud Livium XXXVIII, 21, 7. *Sagittis, glande, iaculis configebantur*, id fit secundum usum Latinorum in iis vocabulis, quibus res significantur ita comparatae, ut, quod de singulis praedicatur, idem etiam valeat de universis, uno genere comprehensis; quare haec collectiva singularis numeri potestas efficit, ut una res instar plurium posita universam notionem magis cogitatione exhibeat, quam in discretis partibus expressam proponat. cf. Iug. XVII, 5. *Ager bonus pecori, arbore infecundus.* C, 4. *Marius excubitum in porta cohortis ex legionibus mittere.* Cat. L, 4. *Nonnulli equites Romani egredienti ex Senatu Caesari gladio minitabantur*; sed in simili re pluralis reperitur, Cat. LX, 2. *Pila omittunt, gladiis res geritur*; cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 203. 1, a. 7. p. 658. De re militari maxime hunc

tumultu manent; proelium incipitur. Romani, pro 4 ingenio quisque, pars eminus glande aut lapidibus pugnare, alii succedere, ac murum modo suffodere,

singularis usum valere observavit Aug. Grotefendus Gramm. Lat. Vol. II. §. 473. p. 378. Boetticherus in Lex. Tacit. v. *singul.* p. 429. Herzog. ad Caes. B. G. V, 31. Bremi ad Sueton. Octav. c. LXXI. Drakenborch. ad Liv. VII, 35, 2. et X, 17, 6 — Ante verba *alii succedere* editiones Cortiana priores itemque Havercampiana habent *evadere alii*, quae verba tantummodo comparent in Naz. Martin. B. Publ. Balliol. Laud. 1. 3. Leidd. A. B. C. D. E. F. G. H. I. M. N. et a m. sec. in Sen. 1. Praeterea in Fabr. 1. m. pr. Teg. et Tur. 1. legitur: *alii evadere*, vel *succedere*, vel *murum ascendere*, *ac murum* etc., in Laud. 3. autem tantummodo est *alii invadere*, omissis verbis *alii succedere*, unde abunde patet illa verba pro interpretatione vulgatae versui superscripta male in textum illata esse, quibus defendendis Tellerus p. 219. frustra laboravit. Nam quod ille vult *evadere* significare *in summum murum eniti*, id prorsus ineptum est, quum et quod sequitur *scalis aggredi*, et universa pugnae ratio repugnet. Optime Cortius huius loci sensum perspexit, qui „duo tantummodo, inquit, erant genera oppugnantium; *eminus* alii glande aut lapidibus pugnabant, alii *cominus* pugnandi copiam quaerebant, *succedebant* nempe ad murum, quem partim suffodiebant, partim scalis superare nitebantur. Duo etiam genera defensionis erant; in hos, qui propius murum successerant, saxa, sudes, pila, picem iaculabantur, in illos, qui procul manserant, tela. Quid igitur sibi volunt illi *alii*, qui quasi medii inter duo pugnantium genera, *evasisse* dicuntur? *Succedere* autem est *propius ad rem altam arduamque accedere*, vel absolute, ut hic et infra c. XCIV, 3., vel casu addito, quo locus significatur; cf. Sall. apud Serv. ad Virg. Ecl. V, 5. (Fragm. Inc. 138. Gerl.) *Quum murum hostium successisset.* Liv. I, 27, 5. *sensim ad montes succedit.* XXIV, 19, 6. *succedentes temere moenibus.* XXVI, 44, 7. XXVII, 18, 13. XXXI, 45, 5." ubi v. Drakenborch. cf. etiam Boetticherum in Lex. Tacit. h. v. p. 446. cui assentimur, nullum sensus discrimen inter dativum et accusativum huic verbo iunctum intercedere videri, quale statuit F. Aug. Wolfius ad Tacit. Ann. II, 20. Sed quod ipse interpretatur *paullatim accedere*, id prorsus alienum est et refellitur loco Livii XXXI, 45, 5. *Graecos animi militum, tam prompte succedentium muros, terruere.* — Statim

modo scalis aggredi, cupere proelium manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa vol-

post *manibus facere* edidimus auctoritate Fabr. 2. Inc. 1. Martin. B. Publ. Pembr. Mark. *A*. Balliol. Reg. Arondel. Laud. 1. 2. 3. Reliqui omnes habent *in manibus facere*, quam scripturam frustra interpretes student defendere eiusmodi locis, quales sunt Caes. B. G. II, 19. *Ut iam in manibus nostris hostes viderentur.* Sil. XII, 196. *Stat campus et arma, Et Mars in manibus.* Liv. II, 30, 12. *Ubi ad manum venisset hostis.* Nep. Eumen. V, 2. *Neque unquam ad manum accedere licebat;* quibus ut nihil inter se ipsis est commune, ita maxima est dissimilitudo cum nostro loco. Quum autem *manus* dicatur de *certamine cominus facto*, in promptu est *facere* verbum praepositionem non admittere; neque ea usus est Tacitus in simillima dictione Ann. XII, 30, 1. *Pugnam manu capessiit.* Orta est autem ex *m* littera vel antegressa vel sequente, cuius generis corruptelae permultae in codicibus reperiuntur, cf. Drakenb. ad Liv. V, 23, 5. XXII, 55, 3. et Goerenz. ad Cic. Acadd. II, 12, 38.

§. 5. *Contra ea*] *Ea* abest a Vin. 1. et Acad. Vulgatam Tellerus in Indice p. 322. perperam interpretatur *gegenseitig*, quum potius sit *ex altera parte*, cui sensui etiam sufficit *contra* vi adverbii positum; de pleonastico pronominis usu cf. Drakenborch. ad Liv. III, 57, 1. Bremi et Daehnius ad Nep. Praef. §. 6. Walch. Emendd. Livv. p. 250. Handius tamen de Particc. Lat. Vol. II. p. 124. *ea* non abundare dicit, sed ad antecedentia spectare, hoc sensu: contra *ea, quae a Romanis parari diximus*; neque diffitendum est, istam rationem habere quo alteri praeferatur. — In verbis sequentibus codd. tantopere discrepant, ut vix expedias quid auctor scripserit; variis tamen scripturis ac probabilibus corruptelarum caussis accurate consideratis Sallustius ita scripsisse videtur, ut in textu expressimus: *praeterea pice et sulphure taedam mixtam ardenti mittere.* Ita certe exstat in codd. Barber. 2. 3. 4. 5.; proxime accedunt Vat. 5. et Leid. A. B. C. N., qui in ceteris conspirantes pro *ardenti* habent *ardentia;* tum in Vratisl. 1. Fabr. Rivii, Tur. 1. est *picem et sulphure taedam mixtam ardenti m.;* in Fabric. 2. Struv. Eccard. Guelf. 7. 9. Leidd. D. E. F. H. I. K. Palatt. 2. 5. 7. Reg. Laud. 2. Bodl. Berol. 1. Misn. et Paris. z. m. sec. *p. picem sulphure et taeda mixtam ardenti;* in Fabr. 1. Inc. 1. Rem. 1. Vrat. 3. Guelf. 12. Bas. 4. Paris. A. E. Berol. 2. *p. picem sulphure et taedam mixtam ardenti;* in Goerlit. *p. pice, sulphure et taedam mixtam*

vere, sudes, pila, praeterea pice et sulphure taedam mixtam ardenti mittere. Sed ne illos quidem, 6

ardenti; in Martin. *p. picem sulphure et taeda mixtam ardentia;* in aliis autem aliter. Sed omnes fere discrepantiae, vel in *copulae* loco, vel in casu verborum *pice*, *taedam* et *ardenti* cernuntur, unde probabili coniectura fontem tantarum turbarum assecuti videmur, quas partim casu ortas, partim ex interpolatione profectas iudicamus. Nam primum copula alieno loco orta est ex confinio vocum sulphure taedam, litteris *e — t* perperam conflatis; quo semel facto nihil fuit proclivius, quam ut *et* ante *sulphure* omitteretur, *pice* in *picem* mutaretur, *taedam* autem in *taeda* abiret, nisi forte ultima huius vocis littera a prima sequentis vocabuli intercepta est. Denique *ardentia* a scribis ortum videtur, qui putarent hoc participium etiam ad *sudes et pila* referendum esse; quod falsum esse ostendit *praeterea*, qua voce novum aliquod infertur, neque id reputarunt Langius et Muellerus, qui diserte monent *ardentia* ad tria illa *sudes, pila, taedam* pertinere. Aliter Cortius et Gerlachius, qui verba sic scripserunt: *p. picem sulphure et taeda mixtam ardentia*, postremam vocem ad *picem*, *sulphur et taedam* trahunt, quod ita fieri nullo modo potest, quoniam duo posteriora vocabula non parem rationem cum voce *picem* habent, sed tantummodo ad eam definiendam valent. Praeterea in hac scriptura hoc maxime offendit, quod sola *picis* omissio non accommodata est defensionis rationi. Sed alia res est, si *taedam* primariam enunciationis vocem feceris, quippe qua non significetur, ut Cortii opinio est, materia facile flammam concipiens, qua *taeda arbor* abundat, cuiusque mentio est apud Caes. B. C. II, 11, 2. *Cupas taeda ac pice refertas incendunt*, sed praegnanti sensu genus quoddam *missilium*, ex *ligno* taedae factorum. Quae quum suapte natura facilia essent ad exardescendum, tum haec vis augebatur addita *pice et sulphure*, quibus illita et incensa mittebantur; id enim significatur verbis *pice et sulphure taedam mixtam ardenti*. De consuetudine veterum igni missili utendi cf. Liv. XLII, 64, 3. *Perseus faces taedamque et malleolos stuppae illitos pice parari iubet.* XXI, 8, 10. *Id (missile telum), sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant, linebantque pice. Quod quum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat.* XXXVIII, 6, 2. *Alii cum ardentibus facibus, alii stuppam picemque et malleolos ferentes advenere.* Tacit. Histor. II, 21. *Am-*

qui procul manserant, timor animi satis muniverat; nam plerosque iacula tormentis aut manu emissa volnerabant, parique periculo, sed fama impari boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit; remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis quam proelium exspectantibus, portam irrum-
2 pit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quis-

phitheatrum conflagravit, dum faces et glandes ac missilem ignem in obsessos iaculantur.

§. 6. *sed ne illos quidem*] Pro *ne* — *quidem* in cod. Eccard. Rem. 1. Sen. 2. Heuss. et Guelf. 4. exstat *nec* — *quidem*, quod quam falsum sit hoc loco, patebit ex iis, quae de his particulis diximus ad c. LI, 5. Praeterea Vin. 2. Struv. Guelf. 7. 12. omittunt *quidem*, itemque Acad. et Inc. 2., qui simul *nec* pro *ne* offerunt, quod Cortius recepit. Sed quamquam *nec* interdum vim *ne* — *quidem* particularum habere potest, v. ad c. XLIV, 5., tamen h. l. plurimorum codd. auctoritas vulgatam tuetur. — *Timor animi*, v. ad Cat. LVIII, 2. — *Muniverat* dictum respectu eventus, ex quo *iudicari* poterat, nihil illis auxilii tulisse, quod ignavia procul manserant. De hoc plusquamperfecti usu v. notata ad Cat. XXIV, 1. p. 118. cf. Iug. LXIV, 4. LXXII, 1. LXXXVIII, 3. — In verbis *parique periculo erant* Gerlachius, Cortii iudicium secutus, male *in* praepositionem omissam censet, quasi vero ablativi vis hic alia sit atque in sequentibus *fama impari*, aut omnino in iis dictionibus, ubi per substantivum et adiectivum hoc casu positum aliud nomen definitur, de qua structura v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 10. p. 362. ed. IV. cf. Bremium ad Nep. Dion. VIII, 2. *Eum magno periculo esse*. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. IV, 15, 3. *Breviter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse.* Patet igitur aliam plane structuram fieri, ubi *in* additur, velut c. LXXVII, 1. *In summo periculo suam salutem fore.*

LVIII. §. 1 — 3. *remissis*] i. e. incautis et (in hostem) minime intentis; cf. c. LIII, 6. *Dolus Numidarum nihil languidi neque remissi patiebatur.* LXXXVII, 2. *Marius nihil apud se remissum*

que pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma
capere, magna pars volnerati aut occisi. Ceterum 3
ex omni multitudine non amplius quadraginta memores nominis Romani grege facto locum cepere paullo quam alii editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt, sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati; sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos
maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim 4

pati. Nep. Iphicr. III, 2. *In labore* r e m i s s u s *nimis.* — Pro *irrumpit* aliquot libri habent *irrupit*, quod magis librariorum quam Sallustii esse videtur. Ceterum notandum est, hoc verbum novo, ut videtur, more, quem postea Tacitus studiose amplexus est, cum solo accusativo sine *in* praepositione coniunctum esse; cf. supra c. XXV, 9. et Boetticheri Lex. Tacit. v. *accusat.* p. 14. — De *quisque* pronomine v. ad c. XVIII, 3. — Post *occisi* nonnulli codd. additum habent *sunt*, quo in tam concisa narratione non est opus. — De omissa *quam* particula post *amplius* v. ad Cat. c. LVI, 2. LXVIII, 3. — N o m i n i s *Romani* h. l. non est *populi R.*, ut saepissime apud Livium, sed praegnanti sensu *gloriae ac dignitatis R.* cf. Liv. IV, 33, 5. N o m i n i s *Romani ac virtutis patrum vestraeque memores.* Cic. p. Balbo c. 5, 13. *O* n o m e n *nostri imperii! o populi Romani excellens dignitas!* Cum his, quae Cortio debentur, cf. notata ad c. X, 2. — *In pluribus minus frustrati*, i. e. ut Langius bene interpretatur: in telis mittendis minus a scopo aberrantes quam hostes, quum hi plures et conferti essent, ipsi pauci et rari. *Frustrati* autem passivo sensu dictum de iis, qui tela non frustra mittunt, quorumve ictus non eluduntur; cf. Duker. ad Flor. I, 10. — *Sin*, quod plerumque ad praegressum *si* refertur, non est sollicitandum, quamquam pars codicum *si* tenet; nam quum in antecedentibus facile condicionalis sententia suppleri possit, constabit oppositio, his verbis post *remittere* tacite illatis: *si hostes remoti starent;* cf. ad Cat. c. LI, 24. p. 251. Iug. XXXV, 4. — De vi *vero* particulae v. ad c. L, 6. Catil. XXXVII, 4.

§. 4. *clamorem hostilem*] Permulti codd. habent *clam.* e t *t u m u l t u m hostilem*, quod per se non vituperari potest; sed magna

Metellus quum acerrume rem gereret, clamorem
hostilem ab tergo accepit; deinde convorso equo
animadvortit fugam ad se vorsum fieri, quae res
5 indicabat popularis esse. Igitur equitatum omnem
ad castra propere mittit, ac statim C. Marium cum
cohortibus sociorum, eumque lacrumans per amici-
tiam perque rempublicam obsecrat, ne quam con-
tumeliam remanere in exercitu victore, neve hostis
6 inultos abire sinat. Ille brevi mandata efficit; at
Iugurtha munimento castrorum impeditus, quum alii

scripturae discrepantia ostendit has duas voces a scribis additas esse. Nam in Sen. 1. Vin. 1. Acad. Struv. Inc. 1. Eccard. Guelf. 1. 2. 7. Paris. x. z. Einsiedel. Tur. 1. et Bern. 3. est *v e l tumultum*; in Paris. D. *u t tum.*; in cod. Bongarsii et Flor. 3. *v e l u t i tum.*; in Paris. E. et Bas. 4. *clamorem tumultum*; sed a Fabr. 1. 2. et Goerlit. plane absunt, qui sine dubio veram lectionem servarunt, quam quodammodo etiam confirmant Reg. Balliol. et Laud. 3. in quibus *tumultum hostilem* deest. Weissius tamen et Faber glossae locum in contextu concesserunt. — Pro *a b tergo* Berol. 1. 2. Misn. et Goerlit. *a tergo*; quam praepositionis formam ceteri codd. praebeant, editores non annotarunt. Idem factum est in voce *deinde*, pro qua Cortius et Gerlachius cum relicuis omnibus *dein* exhibent. Sed quum Cortius hanc formam saepissime sine codd. pro altera invexerit (cf. XXIV, 6. XXV, 5. XXXIV, 1.), Leidd. autem omnes cum nostris *deinde* praebeant, non dubium videtur, quin ceteri quoque, quamquam nihil monuerunt editores, in eo consentiant. — De verbis *ad se vorsum* v. ad Cat. LVI, 4. p. 295. Iug. LXIX, 1. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 179. et 188.

§. 5. *mittit*] Bas. 1. 4. Fabr. 1. 2. Acad. Struv. Eccard. Guelf. 1. 4. 10. 11. Erl. Tur. 1. Goerlit. Misn. Berol. 1. 2. et omnes Leidd. exceptis G. et K. *misit* habent, quod Gerlachius recepit. Sed assentimur Cortio iudicanti vulgatam haud mediocriter sustentari *propere* vocabulo, quippe quo sententia talis evadat, ut praesens tempus celeritati exprimendae valde accommodatum videatur. — Verba *ac statim C. Marium* ex praegresso *mittit* pendere in

super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent, multis amissis in loca munita sese recepit. Metellus infecto negotio, post- 7
quam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die, priusquam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet, portas et proxuma loca tribunis dispertit, deinde ipse pergit ad oppidum, atque, ut superiore die, murum aggreditur. Interim Iugurtha ex oc- 2

promptu est; neque tamen probamus, quod Cortius *statim* sic explicat: „*simulatque* equitatum miserat, mittit *etiam* C. Marium." Tantum enim abest, ut missio equitatus et Marii *eodem* temporis puncto facta indicetur, ut Marius *prius* quam equites dimissus esse putandus sit, quum Sallustius gradatione in narrando utatur, verbo *propere* subiiciens *ac statim*, i. e. ac protinus. Igitur equites abiere *propere*, i. e. quum primum per pugnam fieri potuit, Marius autem *statim*, i. e. ne minima quidem mora interposita, quippe in quo maxima spes auxilii et salutis esset sita. — *Recepit* tuentur Bas. 1. Fabr. 1. 2. Leid. L. cum novem aliis, Vin. 1. Rem. 1. 2. Inc. 2. Eccard. Guelf. 1. 2. 4. 9. Goerlit. Misn. Berol. 1. 2. Reliqui habent *recipit*, haud dubie propter sequens *revortitur*.

LIX. §. 1. *qua regis adventus erat*] Vin. 1. *qua regi adv. erat*, plane ut Cat. LVII, 3. *qua illi descensus erat;* sed nihil est mutandum. — De propria ratione structurae *pro castris agitare* multis agit Hoffmannus in Iahnii Annall. Phil. et Paedag. 1828. Vol. II. Fasc. I. p. 29., *pro* ita dictum censens, ut non locus designetur, *ubi* aliquid sit, sed potius directio, qua quid *in aliquem locum* vertatur, coll. Caes. B. G. I, 48, 3. *Ex eo die dies continuos quinque Caesar pro castris suas copias produxit, et aciem instructam habuit.* Sed si quae directionis notio in istis verbis inest, ea in *produxit*, non in vi praepositionis cernitur. Quare *pro castris* ne pendere quidem arcte ex *produxit* censemus, sed in his verbis coniunctis mancam quandam et in brevius contractam structurae rationem agnoscimus; nam quum *pro* quietum statum, in quo res

culto repente nostros invadit. Qui in proxumo locati fuerant, paullisper territi perturbantur, relicui
3 cito subveniunt, neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam

ante aliam posita versatur, significet, *pro castris produxit* est: *produxit, ut pro castris essent* sive *agitarent* (v. ad c. XXXVI, 4. p. 213.), quam sententiam confirmant etiam addita verba *et aciem instructam habuit.* Non est igitur, quod in explicandis verbis a consueta praepositionis ratione discedamus.

§. 3. *ni pedites — magnam cladem facerent*] Vim imperfecti *facerent* ex condicionali particula apti, quod vulgo pro plusquamperfecto positum dicunt, Cortius eam esse dicit, ut „non tam quod *tunc* factum fuisset, sed etiam quid *moris sit* eo significetur;" in eandemque sententiam Gerlachius, repetitis adeo Cortii verbis, praecipit id poni, ubi aliquid narretur, quod fieri *soleat.* Sed quemnam *morem* quum in hoc loco, tum in aliis eiusdem generis intelligi velint, difficile dictu fuerit. Aliter Zumptius in Gramm. Lat. §. 78, 2. n. 2. p. 393. ed. IV. docet imperfecto absolutam actionem praeteriti temporis in praesens tempus traduci, quod et ipsum non satis perspicuum est, neque conciliari potest cum ratione, quam ipse iniit, plusquamperfecti explicationis caussa in locum imperfecti substituendi. Rectius de hoc usu disputat Godofr. Stallbaumius ad Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. II. p. 382. qui: „cave, inquit, imperfectum pro plusquamperfecto positum putes, quum potius propter sententiae rationem necessario ponendum sit. Indicat enim, rem tum temporis adhuc duravisse necdum peractam fuisse quum aliud quid per plusquamperfectum indicatum iam esset perfectum. Velut apud Ciceronem Brut. c. X, 40. *Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset Homerus, — nisi iam tum esset honos eloquentiae*, nihil aliud dicitur, quam hoc: Honos eloquentiae *stabat*, quum Homerus Ulyssem laudibus facundiae et eloquentiae *celebrasset* , id quod ab eo antea factum erat." [Immo: *celebravit.* omissis reliquis verbis. Fr.] Ita in Sallustii loco *ni — facerent* non dictum est pro *ni — fecissent*, neque morem cladis faciendae indicat, aut rem narratam in praesens tempus trahit, sed cladem hostium *dum fiebat adhuc*, *neque finita erat*, quum ea res Numidis iam salutem afferret, proponit. Id clarius etiam apparebit si totam enunciationem ita immutaveris, ut vis condicionalis particulae tollatur: *Numidae*

cladem in congressu facerent. Quibus illi freti non, ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed adversis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostis paene victos dare.

vix diutius resistere quiverunt; sed pedites cum equitibus permixti magnam cladem faciebant, quae res illos sustentavit. Consimiliter se habet locus Flori, quo Cortius et Zumptius usi sunt, III, 3, 13. *Cimbri si statim infesto agmine urbem petissent, grande discrimen esset*, i. e. Cimbri non statim urbem *petiverunt*, eoque magnum periculum, quod Romanis *tum impendebat*, praeteriit. cf. supra ad c. XIV, 16. infra ad c. LXXXII, 3. et v. Kruegeri Quaestt. de Ling. Lat. Fasc. II. §. 88. p. 219. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 190. I, 2. c. p. 584. Aug. Matthias ad Cic. or. in Catil. II, 2, 3. Kuehner. ad Tuscc. I, 12, 27. — De more *equitibus pedites* in pugna *admiscendi*, non solum Numidis, sed etiam Romanis atque Germanis recepto, Cortius haec contulit: Auct. B. Afric. c. LXIX, 4. *In Caesaris legionarios impetum faciunt Numidae levisque armaturae, mirabili velocitate praediti, qui inter equites pugnabant, et una pariterque cum equitibus accurrere et refugere consueverant.* ib. LXXXI, 1. *Caesar levi armatura inter equites interiecta, ipse pedibus circum milites concursat.* Auct. B. G. VIII, 17, 3. *Equitatum praemittit; huic interponit auxilia levis armaturae.* Accuratam huius pugnandi generis descriptionem exhibet Caes. B. G. I, 48, 5 sqq. VII, 65, 4. Liv. XXVI, 4, 10. — *Quibus* i. e. peditibus; *illi* autem ad *equites*, quod vocabulum proxime antecessit, pertinet, de quo pronominis demonstrativi usu v. quae diximus ad Cat. c. XLV. 2 p. 205. Iug. XXVI, 1. LXV, 5. LXXIV, 1. LXXXIII, 3. CII, 3. CIII, 4. cf. Grysar. Art. Latine scribendi p. 85. — *Ut solet* Gerlachius perperam ita dictum censet, ut omissum sit *fieri*, quem errorem notavimus ad Cat. c. XXIX, 2. p. 133.

adversis equis] i. e. equis in hostem immissis. Quae sequuntur verba *expeditis peditibus* neque ablativi sunt absoluti, neque dativi, sed ablativi instrumenti, quorum sententia haec est: *ope expeditorum peditum suorum*, sive *per exp. ped. suos;* v. ad c. XLVI, 5. — *Hostis* h. l. Romanos dici vix est quod moneatur. — *Victos dare* est *vincere*, qui usus verbi *dare* apud antiquiores scriptores et poetas haud rarus est; cf. Ter. Heaut. V, 1, 77. *Eum adeo exornatum dabo, adeo pexum, ut meminerit semper mei.*

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti, neque alius in alio magis quam in sese spem habere. Pariterque oppidani agere; oppugnare aut parare omnibus locis; avidius

Phorm. V, 8, 81. *Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo.* Plaut. Cist. II, 3, 51. *Perfectum hoc ego dabo negotium* Persa IV, 1, 9. *Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo.* Pseud. I, 5, 116. *Effectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperam.* Virg. Aen. XII, 437. *Nunc te mea dextera bello Defensum dabit.* Seneca Med. 528. *Scythas Pelasgis iunge, demersos dabo.* Liv. VIII, 6, 6. *Sic stratas legiones Latinorum dabo.* Cort. Adde Drakenborch. ad Liv. VII, 33, 11. *Haec dicta dederat;* neque alienum erit comparare cognatum verbi usum, ubi cum nominibus coniunctum idem valet atque *facere*, v. c. *stragem dare*, de quo v. Drakenborch. ad Liv. XXI, 33, 8. Ceterum Gerlachius male et post *facerent* et post *aciem* commate distinxit.

LX. §. 1. *eo acerrume niti*] Contra vulgarem usum *eo* hic non significat *in eum locum*, sed vim sustinet demonstrativi adverbii, ad relativum *ubi* spectantis, ita ut sensu idem sit atque *ibi* vel *eo loco.* cf. Liv. XXIII, 32, 4. *Praetores tribunalia ad Piscinam publicam posuerunt; eo vadimonia fieri iusserunt.* Eadem vocis ratio, quamquam paullo accuratius significata, manet, ubi additur genitivus *loci*, quomodo locutus est Tacitus Annall. XV, 74, 1. *Decernitur ut templum Saluti exstrueretur eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat.* Et translato sensu ibid. XIV, 61, 2. *Non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet.* Cic. pro Sext. c. 38, 68. *Res erat nostra eo iam loci.* Epp. ad Attic. I, 13. *Res eodem est loci, quo reliquisti;* in quibus dictionibus recte iudicat Ruddimann. Institt. Gramm. Lat. Vol. II. p. 317. *eo* non adverbium esse, sed ablativum pronominis, propria vi positum. — *Niti* per se non plane idem est atque *pugnare*, quamquam h. l. ad pugnam et certamen referendum est, sed significat *omnes vires intendere.*

Pariterque oppidani agere; oppugnare aut parare] Pro *paritерque* Cortius scripsit *pariter*, omissa copula; quod utrum codicum suorum auctoritate, an ex arbitrio fecerit, in eius silentio de hac re nescimus. Sed quum codd. Leidd., Gerlachii ac nostri omnes in vulgata consentiant, non est cur Cortium sequamur, quamquam

alteri alteros sauciare, quam semet tegere; clamor 2
permixtus hortatione, laetitia, gemitu, item strepitus armorum ad coelum ferri, tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paul- 3
lum modo pugnam remiserant, intenti proelium

commode abesse *que* concedimus. — Sequentia haud uno nomine ab editoribus tentata sunt. Primum enim multi, in quibus Bipp., Muellerus et Gerlachius, post *agere* commate distinxerunt, quod propterea ferri nequit, quia *agere* sensu a sequentibus verbis ita differt, ut hoc in universum et generaliter obsessorum conamina designet, illis autem peculiaris ratio resistendi significetur. Quare haec diversa non possunt uno tenore efferri, sed maiore interpunctione disiungenda sunt. Sed gravior dissensus est interpretum de verbis *oppugnare aut parare*, quae multi ad solos oppidanos referunt, Cortius autem ita posita censet, ut prius ad *Romanos* spectet, posterius tantummodo ad *oppidanos*, assentiente Gerlachio, qui satis inconsulto: „quae personarum mutatio, inquit, solemnis apud Sallustium.“ Quasi vero huic scriptori solemne sit perplexe et vitiose dicere. Praeter Gerlachium enim vix quisquam intelligat *oppugnare* de Romanis dici, quum auctor eam certaminis describendi rationem inierit, ut primo loco de Romanis dicat, tum de oppidanis agat, denique utrosque simul tangat. Quare quum secundi membri subiectum sint *oppidani*, ad quos *agere* et *parare* referri concedit Gerlachius, nullo modo fieri potest, ut medium verbum ex alio subiecto, et quidem huic membro prorsus alieno, pendeat. Non minoris autem momenti ad perversam sententiam refellendam hoc est, quod *oppugnare* et *parare* verba *aut* particulâ disiuncta sunt, quae *praedicati bipartiti* ratio suapte notione luce clarius demonstrat, subiectum unum esse, non duplex. Hactenus in re ipsa consentimus cum Fr. Gronovio, qui in Observatt. IV, 19. p. 749. ed. Lips. eandem loci explicationem amplectitur; sed quod idem *oppugnare* in *propugnare* vel nolentibus omnibus libris mutandum censet, id nobis, quamquam in Bern. 1. revera ita scriptum est, non persuasit. Ac sane verum est, quo ille argumento nititur, qui moenia, castra, naves contra hostium impetum defendant, *propugnare*, et *propugnatores* dici (cf. Oudendorp. ad Caes. B. G. VII, 25, 3. Liv. IX, 39, 7. XXVI, 6, 1.); sed inde non sequitur nostro loco *oppugnare* falsum esse. Oppidanorum enim in Romanos ira

4 equestre prospectabant; eos, uti quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvorteres, ac sicuti audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus et ea huc illuc, quasi vitabundi aut ia-

ac defendendi moenia ardor tantus fuit, ut, non contenti impetum hostium repulisse, ultro eos peterent et nocendi studio aggredientium similes viderentur. Quodsi hoc tenueris, num *oppugnare* adhuc alienum tibi videbitur? Rem planissimam confirmant etiam sequentia *aut parare;* nam quum *parare* in universum providentiae sit, et absolute positum significet *instituere quae in rem et usum sint* (cf. Cat. VI, 5. Iug. XI, 8. LXVI, 1. LXXVI, 4. LXXIII, 1.), auctor hoc vocabulo prudentem defendendi curam opponit feroci aliorum impetui coecoque cuidam furori, quam rem vides in tali negotio aptius verbo *oppugnare* quam *propugnare* significari.

§. 2. et 3. *gemitu, item strepitus*] Incommode in omnibus editt., excepta Bipontina et minore Gerlachii, post *gemitu* colo interpungitur, quo significatur *erat* ad *permixtus* supplendum esse. Sed utriusque membri commune praedicatum esse *ad coelum ferri* quum sententia ipsa docet, tum intelligitur ex particula *item*, de qua v. ad Cat. XXVII, 2. p. 127. — *Paullum* cum Gerlachio scripsimus pro *paululum*, auctoritate optimorum codd. Bas. 1. Fabr. 1. Leid. L. Tur. 1. Paris. b. c. x. z. et nonnullorum aliorum. — *Prospectabant*, cuius loco Guelf. 11. habet *spectabant*, significat *arrecti et cum cura spectabant ex loco superiore et remoto;* cf. Bremi ad Nep. Datam. III, 3. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 391. Curt. VII, 6, 4. *Ex edito monte cuncta prospexerant.* Suet. Ner. c. 38. *Hoc incendium ex turri Maecenatiana prospectans.*

§. 4. *ac sicuti audiri*] Pro *sicuti* Bipp., Tellerus, Langius et Muellerus scripserunt *sicubi*, probante etiam Walchio in Emendd. Livv. p. 252., quamquam ita ne in uno quidem cod. exstat. Nulla igitur caussa est, cur ista scriptura, omni auctoritate destituta, recipiatur, praesertim quum vulgata optimum sensum praebeat; *sicut* enim eadem vi positum, quam *ut* et *prout* particulae habent, significat rationem ex singulari rerum condicione pendentem, ita ut hoc insit in verbis: oppidani, *si* certaminis aut loci, ubi stabant, *ingenium permittebat*, ut vel audiri a suis vel cerni possent, monere etc. Non ubique enim monebant et hortabantur, sed *in quantum*

cientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est 5
(nam is in ea parte curabat), consulto lenius agere
ac diffidentiam rei simulare; pati Numidas sine tu-
multu regis proelium visere. Ita illis studio suorum 6
astrictis, repente magna vi murum aggreditur; et

i. e. *sicuti* audiri aut cerni possent. Aliter Faber hunc locum intellexit, *sicuti* interpretatus *velut*, *quasi*, quia equestre certamen remotius ab urbe fuerit, quam ut civium voces audiri, aut varia signa cognosci potuerint. Sed praeterquam quod ipsa res huic sententiae non favere videtur, *sicut* particulae vis prorsus repugnat, quippe quae significet rem *in facto positam*, *non mente tantummodo conceptam*, ad illustrandam aliquam orationis partem adhiberi; v. Herzogii Obss. critt. P. III. Gerae a. 1830. editam, ubi haec p. 6 sqq. uberius illustrantur. — *Et ea huc illuc* in magna scripturae diversitate, nobis maxime ad veritatem accedere videtur. In aliis enim codd. legitur *et ea huc et illuc*, in aliis *et huc et illuc*, in aliis *et ea huc illucque*, in aliis *et huc illucque*, in aliis *et huc illuc*, in uno Wassii Reg. ut edidimus. Pronomen enim, quod Cortius eiecit, ratus facile ex antegressa voce *corporibus* suppleri posse, prorsus necessarium iudicamus, quia *agere*, ubi nullus casus additus est, non solet ad obiectum cogitatione assumptum, referri, sed intransitivum sensum habet, de qua potestate diximus ad Cat. XXIII, 3. p. 114. et ad Iug. XVIII, 9. XLI, 1. Nostro igitur loco quum *agere* necessario ad *corpora* referri debeat, pronomen, quo istud significetur, abesse nequit. Rectius Cortium egisse censemus in abiicienda copula particulis *huc illuc* interposita, quam rem quum scripturae diversitas, tum maxime loquendi usus commendat, quem et Wassius et Cortius exemplis illustrarunt. cf. Tacit. Ann. I, 56, extr. *Caecina huc illuc ferens arma.* Hist. I, 40, in. *Agebatur huc illuc Galba.* ib. I, 76, in. *Metu ac necessitate huc illuc mutabantur.* III, 73, in. *Huc illuc clamoribus hostium circumagi.* IV, 46, med. *Ut vero huc illuc distrahi coepere.* Quintil. X, 7, 7. Virg. Georg. II, 296. Aen. IV, 363. Ovid. Metam. XII, 329. Seneca Troad. v. 1043. Stat. Theb. II, 603. Caussam omissae copulae invenies explicatam ad Cat. XI, 2. Ceterum audacior Cortio Gerlachius in Commentt. p. 300. non solum *ea*, sed etiam *et* ante pronomen deleri vult, quam ineptam sententiam in ed. novissima merito deseruit.

iam scalis egressi milites prope summa ceperant, quum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia
7 praeterea tela ingerunt. Nostri primo resistere; deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, afflicti sunt, ceteri, quoquo modo po-

§. 5. et 6. *lenius agere*] Haec Cortius recte defendit contra Ciacconii coniecturam *lentius agere*, monens *leniter* non solum *lente* esse, sed etiam mitigato acri illo primo impetu. Igitur *lenius agere* idem est atque *pugnam remittere*, qua dictione auctor supra §. 3. usus est. — *Rei* i. e. consilii urbis vi capiendae. — Verba *sine tumultu* h. l. passivam relationem habent, ut sensus sit: nullo impetu perturbatos et infestatos. — *Astrictis*, pro quo cod. Eichhof. habet *arrectis*, est valde intentis, et quasi defixis, ita ut abduci non possent. cf. c. LXX, 2. *Nabdalsa omnes res exsequi solitus erat, quae Iugurthae maioribus astricto superaverant.* Cic. Paradox. I, 1, 6. *Nunquam eas, quibus maxime astricti sunt, voluptates in bonis rebus esse duxi.* Curt. VI, 8, 12. *Religione deum astrictus*, qui locus simul ostendit non dativum, sed ablativum huic verbo iungi, quam structuram commendat etiam frequens verbi usus absolutus; cf. notata ad Cat. II, 9. p. 14. — Pro *egressi*, quod longe plurimi libri tuentur, Bipp. et Langius edidere *adgressi*, contra loci sententiam. Nam quum praecedat *aggreditur*, in sequentibus audaciorem quendam impetum significari ostendit *iam* particula, multo magis autem verba *prope summa ceperant*, et paullo post *qui supersteterant*, quod tale est, ut milites non *scalis aggressos*, sed *egressos fuisse* intelligatur. *Egredi* enim ut *escendere* est in summum eniti; cf. c. XCIII, 2. *Studio legundi paullatim prope ad summum montis egressus est.* Tacit. Histor. IV, 29. *Multos in moenia egressos pugionibus fodere.* v. Drakenborch. ad Liv. XXVI, 44, 6. XL, 22, 2. — *Ingerere* de crebra et iterata telorum immissione dicitur; v. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 273. Tac. Ann. II, 81. *Saxa et faces ingerere.* Drakenborch. ad Liv. IX, 35, 5. *Nunc tela, nunc saxa ingerere.* II, 65, 4. XXXVI, 18, 5. Frontin. II, 3.

§. 7. et 8. *unae atque alterae*] Hac dictione Latini ita utuntur, ut indefinite *complures*, quamquam non admodum multi, significentur; cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 1, 50. Sall. Iug. XCIII, 2. *Quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret.* Cic.

tuere, pauci integri, magna pars confecti volneribus, abeunt. Denique utrimque proelium nox diremit. 8

LXI. Metellus postquam videt frustra inceptum, neque oppidum capi, neque Iugurtham nisi ex insidiis aut suo loco pugnam facere, et iam ae-

p. Cluent. c. 13, 38. *Qui quum unum iam et alterum diem desideraretur.* Epp. ad Attic. XIV, 18. *Adductus sum tuis et unis et alteris litteris.* Horat. Sat. I, 6, 101. *Ducendus et unus Et comes alter, uti solus ne rusve peregreve Exirem.* De plurali numero *unae* vocis v. ad Cat. VI, 2. — *Afflicti* non est, ut Cortius interpretatur, in terram *prolapsi*, sed potius *vi deiecti et gravi impetu prostrati ac contusi*, quo sensu hoc vocabulum frequenter usurpari docuit Fr. Gronovius in Obss. IV, 8. p. 598. ed. Lips. cf. infra c. CI, 11. Cic. in Pis. c. 38, 93. Liv. XXI, 58, 3. Tacit. Ann. II, 17, 4. Seneca de Ira I, 16. Lambin. et Bentl. ad Hor. Sat. II, 2, 79. — Pro *ceteri* cave credas *ceterorum* fuisse dicendum, quia sequitur *pauci — magna pars;* nam summa sententiae non in *partium* significatione, sed in *toto* inest, quare praedicatum ad hoc pertinet, cui partes quasi per epexegesin vel oppositionem additae sunt. Eandem rem iam tetigimus ad c. XIX, 1. cf. XIV, 15. *Affinis, amicos, propinquos ceteros meos alium alia clades oppressit.* XLVI, 4. *Legatos alium ab alio divorsos aggreditur.* Catil. II, 1. *Reges divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant.* LXI, 8. *Multi volventes hostilia cadavera amicum alii, pars hospitem inveniebant.* Quare cum in his sententiae ratio genitivum, quem dicunt, partitivum non patiatur, non assentiendum est Fabro, qui ad Catil. II, 1. nominativum ad *Graecismum* refert. — *Quoquo modo*, ut Cortius et Gerlachius scripserunt, non solum plurimorum codd. auctoritate sustentatur, sed verum esse etiam ex eo cognoscitur, quod in Vin. 1. Guelf. 7. et Vratisl. 3. *quo modo*, in Guelf. 4. et 10. *quoque modo* scriptum est, librariis partim geminatione voculae, partim compendio scribendi deceptis. Quod in prioribus edd. vulgatur *quo quisque modo*, quamquam ferri potest, idonea fide caret. — Pro *denique* multi codd. habent *deinde*, quod huic loco haud quaquam accommodatum esse quivis facile intelliget, quum his verbis pugnae descriptioni finis imponatur.

LXI. §. 1. *Metellus postquam videt* etc.] Incommode in edd. comma post *Metellus* positum est, quo membrorum periodi ratio

statem exactam esse, ab Zama discedit, et in his urbibus, quae ad se defecerant satisque munitae lo-

pervertitur. Nam ita conformata est oratio, ut verba ex *postquam* particula apta protasin efficiant, relicua inde a verbis *ab Zama discedit* in apodosi constituta sint, quod contra est, si ex vulgatae interpunctione *Metellus* cum *discedit* coniunxeris, relicuis quasi in parenthesi interiectis. Veram esse autem interpunctionem a nobis factam tum probat verborum inde nata concinnitas, tum patet ex iis locis, ubi non nominativus, sed alius casus, cui verbum sese applicat, in priore membro habetur, de qua re egimus ad Cat. XI, 2. p. 55 sq. — Verborum *videt frustra inceptum* structura haec est, ut *inceptum* vim substantivi habeat, *frustra* autem, omisso *esse* infinitivo, praedicatum sit, de quo vocabuli usu v. notata ad c. VII, 6. p. 43. — *Neque — neque* particulae h. l. ita positae sunt, ut singulas orationis negativae partes non in unum comprehendant, sed praegressis annectant, quam enunciationum coniungendarum rationem illustravimus ad Catil. c. LVIII, 1. p. 303. Iug. LXXXV, 23. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 179. B. b. 3. p. 527. ed. I. In tali nexu igitur *neque — neque* germanice non est *weder — noch*, sed *und — nicht — und auch nicht*. — *Suo loco* i. e. opportuno, v. ad c. LIV, 8. — *Ab Zama* propter praepositionem ablativo additam iam tetigimus ad Catil. c. XL, 5. Patet autem et hoc loco et iis, qui eius similes sunt, praepositionem eam vim habere, ut discessus ex regione urbi proxima, non ex ipsa urbe, significetur, recteque Handius, qui in Tursellino Vol. I. p. 10 sq. totum hunc usum diligenter persecutus est, observavit legitime praepositionem poni, si quis cum exercitu ex aliqua regione vel ab alicuius urbis oppugnatione recedat. In universum autem tenendum est addita praepositione magis ad ipsum discessum et exitum, quam ad viam respici; cf. c. CIV, 1. — *Ad se defecerant*, ut Cortius et Gerlachius recte scripserunt, exstat in aliquot Rivii et Gruteri codd., Fabr. 1. a m. pr., 2. Inc. 1. 2. Leid. N. Bas. 4. Tur. 1. Goerl. Berol. 1. ac praeterea testimonio Arus. Messi, in Corpore Grammat. Lat. ed. Lindemann. T. I. p. 224., confirmatur, qui nostro loco utitur, ut structuram *deficio ad illum* probet. Longe plurimi tamen libri habent *a se* vel *ab se defecerant*, facili et frequenti lapsu, pauci etiam *a rege*, quae interpolatio iis librariis debetur, qui *deficere* nescirent referri posse ad eum, ad quem transitur, sed vulgari usu ducti eum, a quo disceditur, significandum putarent. Nam quod Cortius et Gerlachius Priscianum VIII, 7, 37. p. 387. ed. Kr. huius scriptu-

co aut moenibus erant, praesidia imponit, ceterum 2
exercitum in provinciam, quae proxuma est Numi-

rae auctorem referunt, haud dubie errant. Priscianus enim, qui ibi ex Sall. Iug. laudat: „*ab rege defecerant*, i. e. destiterant," non ad nostrum locum, sed potius ad c. LVI, 3. respexit, ita tamen, ut memoriae lapsu *defecerat*, quod ibi est, in *defecerant* mutaverit. Inconsulto igitur Gerlachius Vol. II. p. 301.: „vel hic igitur locus, inquit, testimonio est, iam a priscis Grammaticis multa esse mutata." De indicativo cum pronom. reflexivo coniuncto v. ad c. CIII, 2. — *Munitae* l o c o idem est atque c. LVII, 1. *Oppidum* n a t u r a *munitum*, vel, ut Livius loquitur V, 2, 6., *naturali situ*, ubi v. Duker. et Drakenborch. cf. supra c. XXXVII, 4. *Suthul* o p p o r t u n i t a t e l o c i *capi non poterat*. c. LXXVI, 2. *Oppidum et operibus et* l o c o *munitum*. Caes. B. G. III, 23, 1. *Oppidum et* n a t u r a l o c i *et manu munitum*, et v. Herzog. ad VII, 20. — *In* ante *his urbibus* aliquot codd. non habent, scribis *imponere* tantummodo cum *dativo* recte coniungi opinantibus. Sed collatis iis, quae de huius verbi potestate ad Cat. LI, 28. et ad Iug. XLVII, 2. diximus, facile senties, quam bene *in* praepos. cum abl. huic verbo conveniat, in quo quietis et immotae sedis notio praevalet; cf. Duker. ad Liv. I, 18, 8. et Davis. ad Cic. de N. D. I, 20, 54.

§. 2. *ceterum exercitum*] Quod Gerlachius *ceterum exerc.* interpretatur r e l i q u a m *partem exercitus*, quidcunque interest inter *ceterum* et *relicuum*, nullo modo potest ferri, nisi forte sufficit alterum per alterum explicare ut *ceterum* sit *relicuum*, *relicuum* vero valeat *ceterum*. Neque tamen amplius satisfacit horum vocabulorum discrimen a Beiero in Seebodii Misc. Crit. Vol. I. P. I. p. 183. constitutum, nobisque ad Cat. III, 5. p. 20. ac Daehnio ad Nep. Milt. c. III, 5. p. 19. probatum, postquam Handius de Particc. Lat. Vol. II. p. 33. veriora docuit. Nimirum omnis ratio, qua per voces *cetera* et *relicua* aliqua pars ad idem genus aut ad eiusdem notionis orbem explendum refertur, vel *addendo* constat vel *demendo*. Nam si id, quod alicui rei tanquam pars opponitur, ita cogitatur, ut haec ipsa pars illi alteri eiusdem generis rei *addatur* vel *adiiciatur* aut *accedat*, id *ceterum* dicitur; sin vero ista pars efficitur *eo, quod relinquitur* vel supereat, si *demas* vel *subducas* alterum, de quo iam est dictum, id *relicuum* est. Nostro igitur loco c e t e r u m *exercitum* dixit Sallustius, quia intelligebat eam exercitus partem, quae praesidiis *addi* debebat, ut *universus* exercitus expleretur. At poterat etiam *relicuum* dicere, si cogitasset

3 diae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriae concedit, sed quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere et eorum perfidia pro armis uti
4 parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat, et inde vadibus datis clam de Massivae nece

eam militum partem, quae *relinquebatur*, *praesidiis* d e m p t i s. cf. Cat. LIX, 2. *Catilina octo cohortis in fronte constituit*, r e l i c u a *signa in subsidio collocat;* et ibid. §. 5. *Petreius cohortis veteranas in fronte, post eas* c e t e r u m *exercitum in subsidiis locat.* Sed non ubique utrumque licere in promptu est, velut Iug. LXXXIX, 6. *Capsenses una modo iugi aqua*, c e t e r a *pluvia utebantur*, non poterat dici *relicua;* nam sensus est: *ad* iugis aquae usum, si non sufficeret, *addebant* pluviam, neque potest pluvia *relicta* cogitari ex iugi aqua.

in provinciam collocat] Ita longe plurimi ac probatissimi libri praebent; at in Acad. Heuss. Sen. 2. Guelf. 9. 12. Leid. N. Erl. Bern. 1. Misn. et Berol. 1. legitur *in provincia coll.*, quod scribae ad familiarem ipsis structuram exegerunt, editoribus non obtemperantibus. Insulse tamen Gerlachius accusativum vim ablativi habere statuit, remittens ad ea, quae ad Cat. XI, 5. XIX, 3. et ad Iug. CXII. 3. protulit, quibus locis id scilicet egit, ut anili superstitione pro ineptis atque obsoletis grammaticorum praeceptis pugnaret, non ratione sed coeca exemplorum observatione factis. cf. Iahnii Annales Philol. et Paedag. a. 1829. Fasc. 5. p. 51. Nostro autem loco accusativus inde repetendus est, quod in *collocare* verbo notio *mittendi ac motus* praevalet; v. Daehnium ad Nep. Cim. IV, 1. p. 93. — Verba *quae proxuma est Numidiae* Cortius inani suspicioni obnoxius pro insiticiis habet, quia notissimum sit, Romanorum provinciam in Africa Numidiae proximam fuisse, neque Sallustius aliis locis hoc additamentum habeat. Sed quum utraque caussa per se parum valeat, tum huius loci prorsus alia ratio est; quippe ista verba non ad universam provinciam spectant, sed tantummodo ad eam eius partem, in quam imperator copias collocaverat. Scilicet ut milites ad subitos tumultus et ad improvisa belli quam celerrime acciri et convocari possent, non per totam eos provinciam Metellus dispertivit, sed iis locis, quae proxume Numidiam adiacerent, eos hiemare iussit. cf. infra c. LXXVIII, 5. *Inter eos et fre-*

iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus aggreditur. Ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat; deinde fide data, si Iugurtham vivum aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi senatus impunitatem et sua omnia concederet,

quentem Numidiam multi vastique loci erant, i. e. *et eam Numidiae partem*, quae frequentatur. Non est igitur, quod cum Bipp. et Muellero scribatur *qua pr. est N.*, quamquam per se ista coniectura non mala est. Ceterum *est*, quod Gerlachius eiecit, retinendum, quum in solo cod. Acad. desit, in ed. Haverc. autem casu excidisse videatur.

§. 4. *clam de Massivae nece*] Olim *clam* ante *vadibus* legebatur, qui vocis locus, nulla codicum auctoritate firmatus, merito inde a Grutero mutatus est. Sed quod eiusdem exemplo obtinuit, ut *de* post *Massivae* collocaretur, repetere noluimus, quum praeter Commel. Palat. 2. Sen. 1. et Tur. 1. omnes in vulgato ordine minime improbando consentiant. Perperam autem Muellerus ad voces *de nece* supplendum censet *facta*, non recordatus *de nece iudicium* ita dictum esse, ut arcto nexu utrumque vocabulum contineatur, qui usus tritissimus est in legum titulis afferendis. Neque participium desiderabit, qui reputaverit substantiva cum praepositione, quae non ex verbo pendeat, iuncta vim habere genitivi, ut grammatici loquuntur, obiectivi, aut adiectivi, ut facile patet his exemplis consideratis: Ennius apud Cic. de Divin. I, 58, 132. *Non habeo denique nauci Marsum augurem, Non vicanos haruspices, non de circo astrologos.* Id. de N. D. II, 49, 125. *Illud ab Aristotele animadversum, a quo pleraque quis potest non mirari?* Iug. XXXIII, 4. *Scelera in patrem fratresque.* XCIII, 2. *Quidam Ligus, ex cohortibus auxiliaribus miles.* XCIV, 1. *Scuta ex coriis.* Varro de R. R. I, 15. *Lites ex limitibus.* Catull. XXV, 5. *De via mulier.* Plaut. Rud. II, 6, 19. *Quid mihi erat — in navem inscensio?* Sall. Cat. XXXV, 2. *Conscientia de culpa.* Historr. Fragm. Inc. 17, 6. Gerl. *Sertori per montis fuga.* His adde, quae ad c. LIV, 6. de eodem usu *sine* praepositionis diximus, et Grysar. Art. Latine scribendi p. 185. §. 2. — De Bomilcaris fuga iudicii v. supra c. XXXV. — *Deinde* omnes Gerlachii et mei codd. praebent; Cortius *dein* scripsit; v. Indic. —

5 facile Numidae persuadet, quum ingenio infido, tum metuenti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per condiciones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit; monet atque lacrumans obtestatur, uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum optume merenti provideat; omnibus proeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos aut occisos, regni

Sibi ante *tradidisset* in uno Gerlachii cod. ante *vivum* legitur, a Vat. 5. autem et Guelf. 12. abest, quae res Gerlachium Commentt. p. 301. permovit, ut relicuorum codicum omnium auctoritatem huic paucitati postponeret, quam iudicii levitatem ipse in ed. min. correxit. — De usu *ille* pronominis v. ad c. LVI, 4. — *Persuadet* verbum absolute positum res in antecedentibus propositas obiectum habet.

LXII. §. 1. *opportunum fuit*] *Fuit*, quod tantummodo in Commel. et Bodlei. deest, Cortius male omisit. — *Aliquando* cum vi dictum idem est atque *tandem aliquando*, ut Cat. LII, 5. *Expergiscimini aliquando, et capessite rempublicam.* Iug. XIV, 21. *Utinam aliquando apud Deos rerum humanarum cura oriatur.* CII, 5. cf. Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 22, 61. et Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 250. §. 3. — Pro *merenti* maior codd. pars tenet *meritae;* sed praesentis participium, quod exstat in nonnullis Rivii, melioribus Gruteri, Vin. 1. Fabric. 1. Tur. 1. Rem. 2. Guelf. 1. et Goerlit., tum eo probatur, quod ita fides Numidarum *constanter adhuc servata* melius ostenditur, tum quod verisimilius est scribas insolitam praesentis formam in notiorem perfecti mutasse, quam contra. — *Captos aut occisos* longe plurimorum codd. scriptura est; sed in Teg. Bas. 1. Tur. 1. Bern. 1. Misnens. Goerlit. et paucis Itall. *aut* deest, quos libros Gerlachius secutus est. Quamquam autem verum est, quod ille ait, asyndetum *libris* confirmari, tamen V. D. non curavit, quid loquendi usus ferat. Nam quum *duae* voces non sine copula ponantur, nisi ubi animi quidam fervor vim orationi tribuit, ita ut uni vocabulo alterum quasi per correctionem vel gradationem adiiciatur, (cf. ad c. XX, 8.) hoc qui

opes comminutas esse; satis saepe iam et virtutem militum et fortunam tentatam; caveat, ne illo cunctante Numidae sibi consulant. His atque talibus 2
aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittun- 3
tur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus pro- 4
pere cunctos senatorii ordinis ex hibernis accersiri iubet; eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat,

dem loco, ubi simplici modo quid factum sit, exponitur et enumeratur, asyndeton prorsus alienum est. Contra valde est ex usu loquendi, ubi unius rei duae species proponuntur, eas *aut* particulà contineri; v. ad c. III, 2. et Hand. de Particc. Vol. I. p. 540 sq. Neque difficile est ad videndum librarios eo inductos esse, ut *aut* delerent, quia sibi persuaserant, non bipartitum esse praedicati genus, sed verba *multos mortalis captos* unum praedicatum habere *occisos*. — Quod apud Cortium legitur *caveret*, ne in uno quidem cod. exstat et haud dubie eo invito in textum irrepsit. — De usu *ille* pronominis v. notata ad c. LVI, 4. — Quod sequitur: *Ne Numidae sibi consulant*, per euphemismum dictum, hunc sensum habet: ne Numidae, tantarum miseriarum pertaesi, deditione facta in Romanorum fide *salutem quaerant*, ipsum regno expellant vel hostibus tradant. *Consulere sibi* plerumque ii dicuntur, qui *in rebus asperis ac desperatis* pro copia se inde expedire student, cf. supra c. LVIII, 2. Historr. Fragm. III, 11, 8. Gerl. Dolabella in Cic. Epp. ad Famm. IX, 9, 6. Liv. XXIX, 24, 6. quos locos Cortius collegit.

§. 3. *qui Iug. imp. facturum dicerent*] Verba *qui dicerent* Cortius tanquam assuta et Sallustio indignissima delevit, ne unius quidem libri auctoritate adiutus, et prorsus obsoleta ac futili argumentandi ratione usus. Rectius observavit *imperata facere* esse deditionis formulam, coll. supra c. XLVI, 5. LXXVII, 3. CXII, 2. Curt. VIII, 10, 1. *Alexandro reguli occurrerunt, imperata facturi.* Adde Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 48, 4. — Inaequalia tempora infinitivorum *facturum* et *tradere* specie tantum sibi repugnant, siquidem in fidem traditio illo ipso temporis momento fie-

5 consilium habet. Ita more maiorum ex consili decreto per legatos Iugurthae imperat argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armo-
6 rum aliquantum. Quae postquam sine mora facta
7 sunt, iubet omnis perfugas vinctos adduci. Eorum

bat, quo legati haec Iugurthae nomine nunciabant, eique rei praesens tempus prorsus necessarium. — *Accersiri* in plurimis codd. est; alii habent *accersi*, quod Gerlachius recepit, alii *arcessi*, paucissimi *arcessiri*, quod Cortius in textum intulit. De *accerso* forma v. ad Catil. XL, 6. p. 190. Eius vero verbi infinitivum praes. passivi haud raro formam quartae coniugationis induere tot exemplis variorum scriptorum confirmatur, ut temerarium foret iis obniti; cf. infra c. CXIII, 4. Caes. B. G. I, 31, 4. ubi v. Oudendorpius. ib. V, 11, 6. Iustin. XVIII, 2, 4. Plura quum de universa vocabuli forma, tum de infinitivo passivi commentatus est Ludov. Doederlinus in Synonymm. Latt. Vol. III. p. 282. Eadem ratione Columella IX, 8. *lacessere* verbi infinitivum passivi extulit *lacessiri*, ut observavit Cortius.

§. 5. *ex consili decreto*] Haec in plerisque omnibus edd. interpunctione ita circumscripta sunt, ut antecedentia *more maiorum* ad verba *per legatos imperat* trahi debeant, contra mentem auctoris, et re ipsa obstante. Nam quod Sallustius dicit *more maiorum*, id de *consilio* habito intelligendum est, non de *imperio* per legatos nunciato. In omnibus enim rebus gravioribus imperatores, priusquam aliquid decernerent, virorum rei militaris peritia insignium et auctoritate valentium consilia habebant, idque *more recepto* valdeque utili fiebat; cf. supra ad c. XXIX, 5. CIV, 1. Caes. B. G. III, 24, 8. V, 28, 2. VI, 7, 6; sed longe plurima ex Livii collecta exempla praebet Gronov. ad eiusd. lib. XLIV, 2, 5. v. etiam Lips. de Milit. II, 8. et Creuzeri Antiqq. Rom. §. 242. p. 376 sq. ed. II. Quare ut sensus nostri loci constaret, commata post *maiorum* et *decreto* sustulimus. — *Iugurthae imperat* i. e. a Iug. dari iubet vel exigit, quod vocabulum cum accusativo rei et dativo personae coniunctum proprium est de iis rebus, quas subditae aut victae gentes ad belli necessaria praebere iubentur; cf. Herzog. ad Caes. B. G. I, 7, 1. Sall. Iug. c. XLVII, 2. XXIX, 4. Drakenborch. ad Liv. IX, 43, 21.

§. 8. *spoliatus est*] *Est* Cortius, cod. Guelf. 11. secutus, omi-

magna pars, ut iussum erat, adducti; pauci, quum
primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mau-
retaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis viris- 8
que et pecunia spoliatus est, quum ipse ad impe-
randum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere

sit. — Dictionis *ad imperandum* insolentiam sentientes librarii in cod. Vin. 2. dederunt *ad imperium*, in Struv. et Goerlit. m. pr. *ad imperatorem*, quod unice verum iudicat Gruterus, in Laud. 2. *ad imperandum praesidium*, in Pembroch. *ad imperandum exilium*. Sed vulgatam, quam relicui codd. tuentur, planissime firmat Servii testimonium ad Virg. Eclog. VIII, 71. qui tamen simul perversae interpretationis ab omnibus editoribus proditae auctor exstitit. Ad unum enim omnes cum Servio asserunt *ad imperandum* passivo sensu significare *ut ei imperaretur*, de qua explicatione quae nuper in Diurnis Schol. a. 1830. Sect. II. N. 112. p. 907 sqq. disputavimus hic quae ad rem faciunt repetere liceat. Nam quod multi tanquam certum et exploratum ponunt, gerundium haud raro passivam vim habere, in qua sententia sunt Perizon. ad Sanct. Min. III, 8. p. 628. ed. Bauer. Ruddiman. Inst. Gramm. Vol. II. p. 255. Ernestius ad Tacit. Historr. I, 52. Ruhnken. ad Vell. II, 15. Passov. ad Tac. Germ. c. 44. Walch. Emendd. Livv. p. 181. Bremius ad Nep. Attic. c. IX, 2. Ochsner ad Eclogg. Cic. p. 265. Ramshorn. Lat. Gramm. p. 442. Weberus Exercitt. Styli Lat. Vol. I. p. 273. Kuehner. ad Cic. Tuscc. I, 23, 53. Zumptius ad Cic. or. in Verr. Act. I, 18, 54. et praeter hos multi alii, id prorsus negamus omnibusque locis legitimam i. e. activam gerundii potestatem obtinere iudicamus. Nam quum rectae rationi omnino repugnet, eandem formam suapte natura diversas et plane contrarias notiones continere, tum prorsus absonum est, gerundio, quod constat respectu sensus nihil aliud esse, quam *casus* infinitivi activi *obliquos* (v. Zumpt. Lat. Gramm. §. 82, 1.), duplicem, et activi et passivi vim esse, infinitivo autem, i. e. *casui recto*, non esse. Neque ea res, quod ista gerundii exempla commode passivâ structurâ circumscribi, aut germanice in passivum converti possunt, virorum doctorum sententiam confirmat, sed potius documento est, eos in iudicio suo magis externam speciem, quam veram structurae indolem esse secutos. Nam re accuratius spectata apparet in omnibus gerundii passive explicati exemplis dicendi insolentiam, si qua est, in eo esse positam, quod

animum suum, et ex mala conscientia digna timere.
9 Denique multis diebus per dubitationem consumptis, quum modo taedio rerum advorsarum omnia bello

subiectum, unde proficiscitur actio gerundio significata, non diserte declaratum est, sed lectori cogitatione supplendum relinquitur; quae negligentia ex consuetudine familiaris sermonis, non semper accurati, repetenda videtur. Huc accedit, quod non solum istud subiectum, quod dicentis menti obversatur, plerumque *indefinitum* est, cui significando Latini non peculiarem vocem, uti nos, habent, sed etiam, quod haud raro ipsum verbi obiectum cogitatione ex antegressis assumendum est, eaque re efficitur, ut interdum difficilius videatur circumscribenda oratione rem illustrare, quamquam in omnibus locis eadem ratio valet. cf. Vell. II, 15, 1. *Maiores — cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverant*, ubi gerend. pendet ex hac cogitatione: *ut ii*, *quorum id esset*, *eos censerent*. Cic. in Verr. Act. I, 18, 54. *Haec frequentia convenit uno tempore undique comitiorum*, *ludorum*, *censendique caussa*, i. e. ut ii, quorum est censere, isto negotio fungi possint. Iustin. XVII, 3, 10. *Arrybas Athenas erudiendi gratia missus est*, i. e. quo ii, quorum est erudire, eum erudirent. Nep. Attic. c. IX, 2. *Hostis Antonius iudicatus Italia cesserat; spes restituendi nulla erat*, i. e. nulla ei spes erat fore, ut *restituerent* ipsum, qui expulerant. Cic. Acadd. II, 31, 101. *Sapiens movetur sensibus*, *ut ei multa vera videantur*, *neque tamen habere insignem illam et propriam percipiendi notam*, i. e. notam, qua ea *percipere possimus*. Liv. V, 27, 2. *Is quum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique caussa producere*, i. e. ut luderent et se exercerent. id. I, 20, 6. *Romulus omnia sacra Pontificis scitis subiecit*, *ne quid divini iuris negligendo patrios ritus peregrinosque asciscendo turbaretur*, i. e. si quis negligeret p. r. p. ascisceret. Quintil. XI, 2, 1. *Memoria excolendo*, *sicut alia omnia*, *augetur*, i. e. si eam excolas. Virg. Eclog. VIII, 71. *Frigidus in herbis cantando rumpitur anguis*. i. e. si eum carminibus *incantes*. Lucret. I, 313. *Annulus in digito subtertenuatur habendo*, i. e. si eum *habeas* vel geras. Id. IV, 1062. *Ulcus enim vivescit et inveterascit alendo*, i. e. si alas, vel eo, quod alas. Varro de R. R. I, 20. *Diebus paucis boves erunt mansueti*, *ad domandum proni*, i. e. idonei, quos domare possis. Gell. I, 12. *Amata inter capiendum a pontifice maximo appellatur*,

potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret, multis magnisque praesidiis nequicquam perditis de integro

i. e. a pontifice *dum eam capit* am. app. Quodsi his, quae multis augeri possunt, analogiam quandam effici concesseris, fidem fortasse non habeas Gerlachio, haec postrema exempla, nam tria tantum habet, pro certissimis passivae potestatis documentis indicanti. Quod idem ex Caes. B. G. VI, 2, 3. affert: *Senones ad imperandum non venire*, turpi negligentia factum est; nam ibi omnes codd. habent *ad imperatum*. Magis cum Sallustio convenit Ciceronis locus, Epp. ad Famm. IX, 25, 3. ut a grammaticis male intellectus, ita ad nostram sententiam firmandam aptissimus: *Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius; sic enim antiqui loquebantur.* Quippe ambiguitatem quandam in verbis inesse ipse sentiens Cicero, duplici additamento vero sensui, *nunc ades, ut tibi aliquid imperem*, prospicit; atque hoc ipsum quum explicasset verbis *vel ad parendum potius*, ambigue dicti excusationem a *consuetudine antiquorum* petit, unde coniicias *ad imperandum adesse* aut *vocare*, quamquam non perspicue dictum, tamen ex usu cotidiani sermonis quasi in formulam solennem abiisse, eaque ductum Sallustium quoque usurpasse. Postremo nobis monendum est vehementer errare Boetticherum, qui in Lex. Tacit. p. 243. nostro et Ciceronis loco effici putet, totum *imperare* verbum prisco more significasse *parere*, et ita Tacitum Historr. I, 52. interpretetur. Sed ibi pro *aviditate imperandi* ex Ryckii cod. Agr. scribendum est *aviditate impetrandi*. Igitur Sallustium sic capies: quum ipse Tisidium vocaretur, ut dux Romanus illi praesenti quae opus essent imperaret. Bipontini autem ex coniectura scribentes *ad oppidum Tisdrum* acumine nimis abusi sunt. Licet enim a nullo alio scriptore *Tisidii* urbis mentio fiat, tamen nulla caussa est, cur hoc nomen omnium codd. auctoritate firmatum in dubium vocemus, praesertim quum Africae loca minus quam ceterarum terrarum nota sint. Praeterea Bipp. pro *vocaretur* ex solo Vinar. 1. scripserunt *evocaretur*, non male quidem (cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 9, 9. et IV, 10, 1.), sed sine idonea caussa. — *Digna* absolute positum; v. ad Cat. LI, 8.

§. 9. *multis diebus — consumptis*] *Consumi dies* aut *tempus* dicitur, quod frustra alicui rei impenditur, aut sine fructu abiit; cf. notata ad c. XXV, 11. — *Modo* particulae respondet *interdum*,

bellum sumit; et Romae senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Uticae forte C. Mario per hostias dis supplicanti magna atque mirabi-

ut c. XLII, 1. *Nobilitas modo per socios, interdum per equites Rom. Gracchorum actionibus obviam ierat.* LV, 8. *Iugurtha modo se Metello, interdum Mario ostendere.* LXXIV, 1. *Modo advorsum hostis, interdum in solitudines pergere.* Heindorf. ad Hor. Sat. I, 9, 9. *Ire modo ocius, interdum consistere.* ib. I, 10, 11. Similiter apud Tacitum sibi opponuntur *modo* — *aliquando*, velut Ann. I, 81, 2. XI, 34, 1. v. Boetticheri Lex. Tacit. v. *interim* p. 284. — Pro *secum ipse* aliquot codd. habent *ipse secum*, quem verborum ordinem damnavimus ad Catil. XXXII, 1. p. 150. — Ad verba: *quam gravis casus in servitium ex regno foret*, Cortius apte comparavit Senec. Phoeniss. v. 599. *In servitutem cadere de regno grave est.* — *Nequidquam* explicavimus ad c. XXXI, 5. — *Et* ante *Romae* Cortius omisit auctoritate nonnullarum edd. antiquarum, sed nullo cod. favente. Eum in ed. mai. non secutus est Gerlachius, in Commentt. p. 302. sibi ipse repugnans. Scilicet ubi cognovit a Vat. 5. Med. 5. et Ven. 2. *et* abesse, in Medic. autem 8. 11. Vat. 1. 2. 6. *at*, non *et*, scriptum esse, protinus sensit Sallustio *morem* esse ita „in fine orationis clausulas adiicere, nulla copula addita;" sed ipse primus has nugas in ed. min. rursus damnavit. Recte. Nam cohaerent postrema verba cum antegressis ita, ut novum Iugurthae consilium Romanis non praeter exspectationem accidisse significetur. Quare ut vim copulae h. l. illustremus hac nobis opus est circumscriptione: Iug. de integro bellum sumit; *idque futurum esse non dubitaverat Senatus, eoque* de prov. cons. Numidiam Metello *decreverat*, quippe quem solum Iugurtham superare posse confideret.

LXIII. §. 1. *Per idem tempus*] *Per* praepositionis in designando tempore eam esse potestatem recte animadvertit Cortius, ut non tam certa ac stabilis temporis particula ea indicetur, quam tractus quidam temporis paullo latius patens neque finibus in unum quasi punctum coercitus, quo sensu etiam *circa* praepositio usurpatur; cf. infra LXX, 1. *per idem tempus.* CXIV, 1. Cat. XXXVIII, 3. *per illa tempora.* Drakenborch. ad Liv. XXX, 38, 5. *per eos dies.* XXIII, 21, 1. v. Boetticheri Lex. Tacit. v. *per*, §. 3. p. 349. et Grysar. Art. Latine scribendi p. 443 sq. §. 2. — *Per hostias dis supplicanti,*

lia portendi haruspex dixerat; proinde, quae animo agitabat, fretus dis ageret, fortunam quam saepissume experiretur, cuncta prospera eventura. At 2
illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat,

i. e. hostiis caesis extisque inspectis qui deorum in ipsum animus esset exquirenti. Marium autem superstitiosum fuisse et religionibus omnibus nimis deditum cognoscas ex Plutarcho, vita Mar. c. VIII. et ex Frontino I, 11. Eundem interpretandarum religionum peritissimum fuisse tradit Valer. Max. I, 5, 5. Cort. — Pro *supplicanti* Cortius scripsit *supplicante*, ut est in Eccard. et Guelf. 4. a m. pr. Sed huius scripturae auctoritas externa tam est exigua, interna tam nulla, ut merito plerique editores ad vulgatam redierint, quamquam Bipp. et Muellerus ablativum retinuerunt. Patet enim *dixerat* verbum non absolute esse positum, qua sola ratione ablativi ferri possent, cf. Walch. Emendd. Livv. p. 81.; quare quum in sequentibus, per *proinde* particulam arcte cum antegressis cohaerentibus, oratio aperte ad ipsum Marium dirigatur, sequitur etiam in antecedentibus verbum *dixerat* ad eum referri debere. — *Portendere aliquid* res et signa dicuntur, quae a vulgari natura recedunt, eoque pro indiciis rerum futurarum solitis maiorum habentur; unde etiam *portenta* dicta. cf. Herzog. ad Catil. XLVII, 2. — *Agitabat* verbi modus pendet ab ipso narrantis iudicio, orationi alius interposito, ita ut, quae omnia ex mente eius, cuius verba afferuntur, proferri debebant, ea ex parte tanquam sua auctor enunciet, ex quo diverso cogitationum fonte indicativi in oratione obliqua usus haud infrequens repetendus est. Praeter locos, quibus hoc structurae genus iam tetigimus, velut Cat. XIV, 7. XXVII, 4. L, 3. Iug. XXXVIII, 9. XLIX, 2. cf. ibid. XXIX, 1. LIV, 1. *Metellus milites hortatur ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant.* LXXXI, 1. *Romanos communis omnium hostis esse, quis omnia regna advorsa sunt.* CVI, 3. *Etiamsi certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae vitae parceret.* CXI, 2. *Rex metuere, ne popularium animos averteret, quis et Iugurtha carus et Romani invisi erant.* cf. Boetticheri Lex. Tacit. v. *Indicat.* p. 253. et Kruegeri Quaestiones de Lat. Ling. Fasc. I. p. 64 sqq. — *Prospera* minor quidem librorum manu scriptorum numerus exhibet, plerisque adverbium ostendentibus; sed adiectivum haud dubie verum, illud ab interpolatoribus cusum. cf. ad Catil. XXVI, 5.

ad quem capiundum praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant, industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae

§. 2. *At illum*] *At* particula quum in universum rem aliquam alii rei ex adverso ponat, propterea adhibetur etiam ad transitum in narrando ita significandum, ut id, ad quod transitur, praegressis quasi opponatur, velut h. l. Marius, de quo iam plura narrare auctor incipit, haruspici opponitur. Uberius hunc usum illustravit Handius de Particc. Lat. Vol. I. p. 422. §. 3. cf. supra c. XXVI, 2. *Italici Adherbali suadent, uti seque et oppidum Iugurthae tradat. At ille, uti censuerant Italici, deditionem facit.* Catil. c. XLVI, 2. *Quibus rebus confectis omnia consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupaverat.* — De structura vv. *abunde erant* v. ad c. VII, 6. — Imperite Gerlachius vocabulum *animus* ad vocem *belli* relatum, vult significare *fortitudinem*, ad *domi* pertinens de *moribus* esse intelligendum; quasi una vox eodem loco simul diversas notiones habere possit! cuius generis ineptias iam explosimus ad Cat. XIII, 3. LI, 39. Iug. XXXV, 3. Verba germanice ita sunt interpretanda: ein *Geist*, der sich im Kriege zu einer gewaltigen Höhe erhob, im Frieden sich in bescheidener Mässigung zeigte. — Ceterum de ignobilitate et generis obscuritate Marii multa sunt testimonia veterum; cf. praeter Sallustii locos, quibus *novus homo* dicitur, c. LXXIII, 6. et LXXXV, 4. 10. 13., Vellei. II, 128. 3. *Marium, ignotae originis, Romani nominis habuere principem.* Valer. Max. VI, 9, 14. *Ex illo Mario tam humili Arpini, tam ignobili Romae, ille Marius evasit, qui* etc. Iuvenal. Sat. VIII, 246. *Arpinas alius Volscorum in monte solebat Poscere mercedes, alieno lassus aratro. Nodosam post haec frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret castra dolabra. Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum Excipit, et solus trepidantem protegit urbem.* Plin. H. N. XXXIII, 11. *Ille arator Arpinas et manipularis imperator.* Aelian. VV. HII. XII, 6. *Ἐν Ῥωμαίοις μὲν Μαρίου τὸν πατέρα οὐκ ἴσμεν, αὐτὸν δὲ θαυμάζομεν διὰ τὰ ἔργα.* Plutarch. in Mar. c. 3. *Γενόμενος δὲ γονέων παντάπασιν ἀδόξων, αὐτουργῶν τε καὶ πενήτων.* Quare Velleii locus II, 11, 1. ubi Marius *equestri loco natus* dicitur, haud dubie corruptus est, tanto omnium scriptorum consensu postulante, ut cum Ruhnkenio *extremo loco* vel simile quid scribatur.

avidus. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini 3
altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit; ita inter artis bonas inte-

§. 3. *Sed is natus*] Quod Bipp. ex Aldi cod. scripserunt: *sed his natus*, pronomen neutro genere referentes ad praegressa substantiva, et explicantes *his virtutibus*, *hoc animo natus*, quovis nomine pessimum est. Repugnant enim libri, repugnat structura, repugnat ipse sensus, paene absurdus. Haud melior Telleri est ratio, qui p. 221. *is* pro dativo plurali habet et interpretatur: *ad eiusmodi virtutes comparandas natus*, quae sententia et per se est mirifica, neque cum verbis *et omnem pueritiam Arpini altus* conciliari potest. Non alio enim consilio Sallustius haec commemorat, nisi ut doceat Marium pueritiam ἀπαίδευτον transegisse, quippe Arpino non discedentem, ubi erudiendi nulla copia esset. In promptu est autem hos VV. DD. errores profectos esse ab ignoratione usus *is* pronominis, quod Latini ponere solent, ubi subiectum aliquod in antegressis iam significatum cum vi eminere et quasi mentem audientis vel legentis ferire volunt; cf. hoc ipso capite §. 6 et 7. XV, 5. XLIII, 2. LXIV, 4. LXXXV, 11. quibus adde quae de eadem re iam ad Catil. XLIX, 3. et ad LI, 33. diximus. Nec te poenitebit consuluisse quae de vi et usu *is* pronominis disputavit Grysar in Art. Latine scribendi p. 42 sqq. — Verbis *omnem pueritiam* aliquot codd. male *per* addunt, quod Weissius novissime recepit. — *Altus* et longe plurimi libri tuentur, et Priscian. X, 6, 36. p. 499. ed. Kr., quamquam is memoriae lapsu *aetatem* pro *pueritiam* refert. Relicua codd. pars *alitus* praebent, quae forma minus usitata est. *Arpini* autem quamquam in promptu est et ad *natus* et ad *altus* pertinere, Bipp. tamen id fieri posse negant. Simili modo nomen ad duas enunciationes pertinens medio alteri interpositum reperitur Catil. c. XXXVI, 5. *Duobus senati decretis neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat.* — De oppositionis ratione verborum *stip. faciundis*, *non Gr. facundia*, v. ad Catil. c. LII, 15. et ad Iug. XXXI, 10. *Graecam facundiam* dicit auctor, non *eloquentiam*, ut notaret Graecorum ingenii levitatem, qui, quum *natura* ad loquendum ferrentur, *facundi* essent (v. notata ad c. LXXXV, 26), sed ob id ipsum Romanis antiquam simplicitatem ac severitatem colentibus invisi; cf. Liv. VIII, 22, 8. qui Graecos *gen-*

4 grum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum
tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus
5 declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post

tem lingua magis strenuam, quam factis dicit, et infra c. LXXXV, 32. — *Exercuit* per zeugma ad *munditiis* pertinet; proprie enim hoc nomen postulat verbum *se dedidit*, vel *indulsit;* v. supra XLVI, 8. LV, 1. *Urbanae munditiae* autem, licet h. l. in malam partem accipi debeant, per se tamen hunc sensum non habent, ut interpretibus videtur, sed ex nexu et universa sententiarum oppositione accipiunt. — *Integrum* h. l. non est *nulla mala lubidine corruptum*, ut plerique interprr. cum Cortio explicant, sed *non effeminatum, natura robustum;* quam sententiam non solum proxime praegressa suadent, sed confirmat etiam verbum *adolevit*, i. e. ad iustam constantiam et firmitatem pervenit. *Adolevisse* enim dicuntur, quae pro natura sua iustum modum explent; cf. Cic. de Legg. I, 7, 22. *Ratio quum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.*

§. 4. *tribunatum militarem a populo petit*] Tribunos militares creare antiquiore tempore erat imperatorum; at anno u. c. 392. a. Chr. n. 362. is mos mutatus, teste Livio VII, 5, 9. *Quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam et antea, sicut nunc quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis Manlius tenuit.* Is numerus postea anno u. c. 311. a. Chr. n. 443. auctus est; cf. Liv. IX, 30, 3. *Tribuni militum seni deni in quattuor legiones a populo creati; quae antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia.* Ea lex anno a. Chr. n. 171. ad tempus sublata; v. Liv. XLII, 31, 6. *In tribunis militum novatum eo anno, ne suffragiis crearentur, sed consulum praetorumque in iis faciendis iudicium arbitriumque esset.* De numero tamen tribunorum a populo creandorum non eandem semper rationem constitisse patet ex Liv. XLII, 12, 7. XLIV, 21, 2. Quos populus creaverat *Comitiati* dicti sunt; quos imperator fecerat *Rufuli;* cf. Liv. l. supra l., Ascon. ad Cic. in Verr. Act. I. c. 10, 30, et Festus, qui haec habet: *Rufuli appellabantur Trib. mil. a consule facti, non a populo, de quorum iure quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli, ac postea Rutuli sunt appellati.* cf. Lipsius de Milit. II, 9. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 243. p. 377. ed. II. — Pro

alium sibi peperit, semperque in potestatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam 6 postea ambitione praeceps datus est) petere non au-

facile notus Palmerius coniecit *factis notus*, quod primo aspectu non displicet, sed non opus est. Neque tamen cum Cortio ceterisque interpretibus sensus ita capiendus est: „etsi plerique faciem Marii ignorarent, *bene* tamen *notus* omnibus *erat*. Nam ea est orationis conformatio, ut *tamen*, quod in apodosi supplendum est, (v. ad c. LV, 1.) ad verba *per omnis tribus declaratur* pertineat, *facile notus* autem caussam eius facti indicet. Alienum est etiam, quod Cortius *facile* interpretatur *bene*; neque enim haec sententia huic loco convenit, neque exemplis *facile princeps*, *f. nobilissimus* stabilitur. Quare *facile notus* hunc sensum habet: *facili negotio cognitus* sive *notus factus*, scil. commemoratione strenue factorum ac virtutum. Participium autem caussali particula *quum* solvendum esse per se patet. — *Declaratur* sc. *tribunus*, quod ex antegressis supplendum est.

§. 5. *ab eo magistratu*] Haec verba Iaumannus explicat *post eum mag.*, quae interpretatio, si grammaticam rationem spectas, accuratior est, quam Gerlachii, qui circumscribit *eo magistratu functus*. Nam ordinem, quo quid alterum excipit, Latini *a* praepositione significant; v. Hand. de Particc. Vol. I. p. 43. III, 1. *Magistratus* autem, quo vocabulo militaria munera proprie non solent significari, h. l. de tribunatu militari dictum est, quia latiore sensu ea munera significat, quae a populo dantur. *Potestates* vero quodvis muneris *civilis* genus designant, quibus opposita sunt *imperia*, quorum usus in bello et re militari; cf. notata ad c. III, 1. p. 13. et Daehnium ad Nep. Milt. II, 3. Cic. de lege Agr. II, 7, 17. *Omnes potestates, imperia, curationes ab universo populo Romano proficisci convenit.* — *Agitabat*; v. ad Cat. XXIII, 3. Iug. LX, 4. A quo verbo quum pendeat *in potestatibus*, Gerlachius, eumque secutus Iaumannus, ut vim praepositionis *in*, nulla explicatione egentis, explicent, pessime conferunt alienissima exempla Catil. II, 10. Iug. XIV, 11. LXXIV, 1., quorum quae ratio sit suis locis diximus. Quod Gerlachius praeterea in his locutionibus ab ipso temere confusis *quendam antiquitatis colorem* inesse contendit, vehementer ridiculum est.

§. 6. *ad id locorum*] i. e. *ad id tempus*, scil. quo haruspicis

debat; etiamtum alios magistratus plebes, consulatum
7 nobilitas inter se per manus tradebat, novus nemo

responso ad consulatum quovis modo expugnandum incitatus est. Insulse Langius explicat: usque ad consulatum. Ipsa dicendi ratio haud infrequens est. cf. Liv. XLIII, 5, 4. et infra LXXII, 2. *Neque post id locorum Iugurthae dies aut nox ulla quieta fuit.* Plura contulit Gronov. ad Liv. XXVII, 7, 17. velut XXV, 19, 11. XXV, 22, 1. IX, 45, 2. Plaut. Cas. I. v. 33. Trucul. I, 3, 15. Cognatum est *post ea loci*, infra c. CII, 1., et *inter ea loci*, quae suadente analogia rectius divisim scribuntur, quam, ut vulgo fit, coniunctim. In universum de his formulis et similibus v. Zumpt. Lat. Gramm. §. 73, 4. not. 2. p. 342. ed. IV. Tenendum tamen videtur, *loci* vocabulum neutiquam simplicem temporis significationem habere, sed magis *rerum statum et condicionem*, quae aliquo tempore est, designare, de qua potestate conferri possunt quae iam ad Catil. LVIII, 5. p. 306. notavimus. Tum videndum, ne totum hoc dicendi genus ex usu sermonis vulgaris fluxerit. — *Talis vir*, v. ad c. X, 8. Grysar. Art. Latine scribendi p. 382. — *Nam* refertur ad omissam sententiam, ad *talis* pertinentem: quae laus in posteriorem eius vitam non cadit, *nam* etc. v. ad c. XIX, 2. — *Praeceps datus est* iam explicavimus ad Catil. XXXVII, 4. p. 172. Utrum vero *praeceps* nominativus sit, an accusativus neutrius generis, pro *in praeceps*, ut videtur Ludov Doederlino in Synon. Lat. Vol. I. p. 70., non decernam; tamen prior ratio simplicior est, neque obstat loquendi usus. — *Petere* Cortius recte scripsit pro *consulatum appetere*, quod olim vulgabatur et in multis etiam codd. est. Nam *appetere* falsum esse, sensus evincit et loquendi usus. Quippe de consulatus *petitione* sermonem esse, ex toto capite patet; sed *appetere* nihil aliud significat quam *concupiscere*, quod si in Mario negaret Sallustius, ipse contradiceret iis, quae supra §. 2. et c. LXIV, 1. narravit. Quare quum etiam sine codd. *appetere* in *petere* mutandum foret, feliciter accidit, ut vera scriptura in aliquot codd. servata sit, qui sunt Eccard. Guelf. 3. Vrat. 3. Leid. II. Balliol. et Vat. 5. *Consulatum* per se non damnandum esset; sed quum permulti libri, in quibus Commel. Tur. 1. Fabr. 1. Misn. Goerl., alii, hoc vocabulo careant, alii post *appetere* ostendant, alii *consulatus honorem* habeant, certissimum est scribas id intulisse, ut *petere* vel *appetere* haberet quo referretur. Sed *petere* saepe absolute de quovis honorum genere *petendo*, eoque etiam de *consulatu* dicitur, si e nexu sententiarum commode intelligitur, de quonam honore sermo

tam clarus neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

sit; cf. locum Ciceronis ad Cat. XVIII, 3. p. 87. ascriptum; Iug. LXIV, 1. *Marius ab Metello p e t u n d i gratia missionem rogat.* Liv. XXXV, 10, 1. *Ambitio exarserat consularibus comitiis; multi et potentes p e t e b a n t patricii plebeiique.* cf. quae Drakenborchius ad eund. X, 9, 10. collegit. Eodem modo usurpatur etiam *petitio* sine addito genitivo; cf. Catil. XXI, 5. XXVI, 5. et Cic. Epp. ad Attic. I, 1. ubi plura utriusque usus exempla leguntur. Iam vide quam leviter Gerlachius suam rem gerat, qui, quum in contextu *adpetere* scripsisset, in Comment. Vol. II. p. 304. „*petere*, inquit, fortasse rectius scribitur, quod *in talibus* (?) orationem variare a *Sallustii more* (?) abhorret!" Nihilominus V. D., quae est incredibilis eius perversitas, in ed. minore rursus *adpetere* edidit. — Pro *etiamtum* omnes edd. habent *etiam tum*; sed v. ad Cat. II, 1. Male etiam punctum ponunt plerique post *audebat*, non animadvertentes, quae sequuntur caussam afferre antecedentium, omissa caussali particula, de quo v. ad c. XXVIII, 5. cf. c. CXII, 2. — *Inter se per manus tradebat*, i. e. quasi ex manibus non dimittebat, studiose cavens, ne quis alius eum nisi nobilis obtineret. Inde patet haec verba non posse ad *alios magistratus plebes* referri, sed per zeugma ad illa superiora referendum esse *habebat*. Minus placet quod Gerlachius substitui vult *gerebat* vel *accipiebat*; sed longe minime probatur Weissii sententia, qui *largiebatur* suppleri iubet. Ad rem ipsam cf. Cat. XXIII, 6. et Cic. de leg. Agrar. II, 1, 3. *Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum hominem novum consulem fecistis, et e u m l o c u m, q u e m n o b i l i t a s p r a e s i d i i s f i r m a t u m, a t q u e o m n i r a t i o n e o b v a l l a t u m t e n e b a t, me duce rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis.*

§. 7. *egregius factis*] Vulgo editur *egregiis factis;* sed receptam a nobis scripturam commendat non solum multorum librorum auctoritas, ut Leidd. A. B. C. D. E. F. G. H. K. M. N. Palat. 5. B. Publ. Mark. *Α.* et *Γ*, a m. sec. Bas. 1. Tur. 1. Inc. 1. 2. Fabr. 2. Eccard. Guelf. 6. 11. Paris. A. D. E. Berol. 1. 2, sed confirmat etiam multorum scribarum lapsus *egregius factus* in uno Putschii, aliquot Palatt., Martin. Laud. 2. Arond. Fabr. 1. Vin. 1. Acad. Struv. Vratisl. 1. 3. Guelf. 9. 10. 12. Erl. Teg. Par. B. Bern. Misn. Goerl., quae depravatio ut non facile oriri potuit ex geminatis ablativis, ita maxime proclive fuit primo ac sexto casu posito,

LXIV. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petundi gratia missionem rogat. Cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et su-
2 perbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus insolita re mirari eius consilium, et quasi

aut hunc in illum, aut illum in hunc mutari itaque casus aequari. Praeterea structurae genus paullo rarius et serioribus scriptoribus magis usitatum quam prioribus librarios fortasse ad mutationem impulit; sed consulto Sallustium ita dicere maluisse quam *egregiis factis*, valde verisimile est, quum *personae* notio significanter declarata huic loco aptissima sit. Nonnulla huius structurae exempla iam attulimus ad Catil. LIII, 6. p. 286.; cf. Iug. VI, 1. *Decora facie, sed multo maxume ingenio validus?* Vell. II, 41, 1. *C. Caesar forma omnium civium excellentissimus, vigore ingenii acerrimus, munificentia effusissimus.* Tacit. Ann. II, 43, 2. *Tiberius Syriae praefecerat Cn. Pisonem, ingenio violentum.* v. Boetticheri Lex. Tacit. v. *ablat.* 1. p. 5. — *Is* qua vi dictum sit exposuimus ad §. 3. Male Bipp. ex coniecturà scripsere *his*, ad *nobilitatem* referentes. Sed haec vox nimis remota est, neque *haberi* a Sall. cum dativo coniungitur. Denique *his* sensu vacat, quum nexus doceat, non alios quam nobiles a Sallustio vituperari. Ceterum similem sententiam auctor iam protulit in Catil. XXIII, 6., sed usu vocis *pollutus* paullo variatam.

LXIV. §. 1. *quo cupido — hortabatur*] *Quo* non *antique* dictum est pro *ad quod*, ut Gerlachius putat, sed *concinnitatis* lege nititur, cui interdum inviti paruerunt Romani; cf. LXXXI, 22. Quare exempla a Gerlachio allata, Cic. p. Coel. c. 21, 53. *Dixit profecto, quo vellet aurum*, et Horat. Sat. I, 1, 73. *Nescio quo valeat nummus, quem praebeat usum*, minime probant, per se ac sine tali caussa, quae in Sall. loco obtinet, dici posse: feci id, *quo* me adhortatus est. Scilicet nesciebat Gerlachius primum in laudatis ab ipso locis *quo* interrogativum esse, apud Sall. vero *relativum*, tum *quo*, in interrogando haud raro positum, ita usurpari, ut quaeratur de *consilio* et *usu* alicuius rei, non de *re ipsa*. — Pro *petundi* aliqua codd. pars habet *consulatum* vel *consulatus petundi*, quod cur

per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret; non omnia omnibus cupiunda esse; debere illi res suas satis placere; postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur. Postquam haec atque alia talia 3
dixit, neque animus Mari flectitur, respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum se-

falsum sit perspicitur ex dictis ad c. LXIII, 6. — *Missio* intelligenda videtur *ad tempus* rogata, siquidem Vell. II, 11, 2. eandem rem narrans, Marium dicit *commeatu petito Romam venisse*, quam rem vernacula lingua *Urlaub* vocamus. Ceterum *missionis*, qua milites a stipendiorum officio liberabantur, plura erant genera modique, de quibus v. Lips. Milit. V, 19. Duker. ad Liv. XLIII, 14, 9. Nitsch. Antiqq. Rom. Vol. II. p. 1460. ed. III. Boetticheri Lex. Tacit. p. 305. — *Optanda* i. e. *optabilia*, v. ad Cat. X, 2. p. 52. Iug. III, 1. XIV, 5. — *Superabant* i. e. abunde erant; v. ad Cat. XX, 11. Drakenborch. ad Liv. V, 38, 4.

§. 2 *Itaque primum*] *Primum* cave cum participio *commotus* coniungas, sed refer ad *mirari*. Quod ita fieri debere quum aliquis scriba fortasse in suo codice notasset, eo factum est, ut in multis codd. *primum* etiam post *mirari* legatur, idque Gruterus haud multum abest quin probet, ac priore loco delendum censeat. Sed nihil est mutandum. — *Tam prava* i. e. res consuetudini et recepto ordini tantopere repugnantes, eoque ab omnibus improbandas. *Pravum* enim dicitur quicquid *deforme* est, et cum recto modo non congruit; v. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. I. p. 62. 5. — *Super fortunam* Cortius bene explicat: supra statum et condicionem, in qua natus esset, coll. Liv. XXV, 37, 2. *Erat in exercitu L. Marcius, animi et ingenii aliquanto quam pro fortuna, in qua natus erat, maioris*, et Propert. III, 7, 1. *Maecenas eques Etrusco de sanguine regum, Intra fortunam qui cupis esse tuam.* — *Illi* pronominis usum explicavimus ad c. VIII, 2. cf. ad c. LVI, 4. Non respiciendi igitur sunt codd., qui *sibi* vel *ipsi* habent. — *Debere illi satis placere* i. e. *debere eum acquiescere* in rebus suis; cf. Cat. II, 1. Iug. LXVI, 4. LXXIV, 2. — *Alia* ante *talia*, quod sane abesse potest, Cortius temere cum solo cod. Eccard. omisit; v. ad c. LXXXI, 2. — De perfecto et praesenti (*dixit* — *flectitur*) ex eadem

4 se, quae peteret. Ac postea saepius eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire; satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti; quae res Marium quum pro honore, quem affectabat, tum contra Metellum ve-

particula pendentibus v. ad Cat. XX, 1. Iug. XII, 4. — *Potuisset* Cortius inani obsoletae doctrinae apparatu docere conatur elliptice positum esse, ita ut ex proximo *facturum* supplendum sit *facere*. Magis in rem fuisset monere plusquamperfecti formam vim coniunctivi futuri exacti, quod vocant, obtinere; cf. Zumpt. Lat. Gramm. §. 76, 5. p. 374. ed. IV. Aug. Matthias in Excursu de usu fut. exacti Lat. ad Cic. or. in Catil. IV, 6, 11. p. 238. — Sall. Iug. CXII, 3. ubi v. — *Per negotia publica* est: quatenus neg. publ. id permitterent. Hunc particulae *per* usum non satis accurate videntur explicasse Bremius et Daehnius, ad Nep. Eum. X, 3. docentes in sententia aiente *per* vim habere *concedendi*, in negante *prohibendi*. Rectius, opinor, statueris ista particula aliquod factum ad *unam* aliquam *caussam* restringi, ita ut in tantum modo effici dicatur, in quantum ista caussa sinit. Pro varia igitur caussae natura ac ratione quum res modo adiuvetur, modo impediatur, sane illud ad concedendi, hoc ad prohibendi similitudinem revocari potest, quamquam in ipsa praepositionis natura neutrum inest. cf. c. CII, 9. *Quando per illam licet;* ibid. §. 14. supra c. XXXIII, 3. Cic. Epp. ad Famm. VII, 32, 5. Nep. Cat. II, 2. Ruhnk. ad Ter. Eun. I, 2, 33. id. Hec. V, 2, 7. Drakenborch. ad Liv. XXXIII, 18, 22. et imprimis Grysar. Art. Latine scribendi p. 445 sq. not. 2.

§. 4. *Is eo tempore contubernio patris*] Male nonnulli codd. habent *nam is eo t.*, quae particula h. l. valde aliena est. — *Contubernium* non solum significat convictum et sodalitatem undecim militum, in uno tentorio degentium (v. Drakenb. ad Liv. V, 2, 7.), quorum unus vocabatur *caput contubernii* (cf. Veget. II, 8. et 13.), sed etiam dicitur de nobilibus adolescentibus, qui imperatorem in provinciam sequebantur, et nunquam ab eo discedebant, rei militaris et provinciarum administrandarum peritiam comparandi caussa. cf. Tacit. Agric. c. V, in. *Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, ele-*

hementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pes- 5
sumis consultoribus, grassari, neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret, milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio quam antea habere, apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminose simul et

ctus, quem c o n t u b e r n i o *aestimaret*, ubi v. Walch. p. 145. Hi, pariter ut illi gregarii milites, vocabantur *contubernales;* cf. Cic. p. Coel. 30, 73. *Quum paullum roboris accessisset aetati, in Africam profectus est Q. Pompeio proconsuli* c o n t u b e r n a l i s. *Discessit illinc Pompeii iudicio probatissimus, ut ipsius testimonio cognoscetis.* Frontin. Strateg. IV, 1, 11. *Q. Metellus consul quamvis nulla lege impediretur, quin filium* c o n t u b e r n a l e m *perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.* cf. Ernesti in Clav. Cic. h. v., Lips. de Milit. V, 2. et, qui multis hunc morem illustrat, Car. Beierum ad Cic. de Off. I, 11, 37. in Excurs. p. 341. Ceterum aliquot codd., sed numero pauciores, habent *i n contub.*, quemadmodum ante Rivium in edd. fuit. Ablativi sine praepositione positi rationem cognoscas ex animadversione nostra ad c. XXX, 3. p. 171. Eadem structura est apud Sueton. Iul. Caes. c. II, in. *Stipendia prima in Asia fecit M. Thermi praetoris* c o n t u b e r n i o. — Plusquamperfecti *accenderat* ratio pendet ex cogitatione serioris temporis, unde de illo praeterito coniectura fieri poterat; cf. c. LVII, 6. et v. ad Cat. XXIV, 1. p. 118.

§. 5. *Ita cupidine atque ira* etc.] *Ita* eo modo refertur ad antecedentia, ut ea illustret, et quae adiunguntur quasi documenta exhibeat praemissae sententiae, de quo usu v. notata ad Catil. VII, 6. et cf. Grysar. Art. Latine scribendi p. 535 sq. — Vim ablativi illustravimus supra ad c. LIII, 7. — *Grassari*, quod proprie est *ire* et *procedere*, translate usurpatur de omni *agendi* et se gerendi ratione cum aliqua vi ac vehementia coniuncta, aut certe a magno quodam consiliorum efficiendi ardore profecta; cf. c. I, 3. quo loco propria et translata potestas ita confusa est, ut vix alteram ab altera seiungas. Liv. III, 44, 8. *Assertor ait se iure* g r a s s a r i, *non vi.* X, 14, 13. *Consilio* g r a s s a n d u m *ratus.* Tacit. Historr. III, 39. *Placuit* v e n e n o g r a s s a r i; ib. IV, 16. *Civilis* d o l o g r a s s a n d u m *ratus;* IV, 56. *Optimum ratus* d i s s i m u l a t i o n e

magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis

grassari, quos locos cum aliquot aliis contulit Boetticherus in Lex. Tacit. h. v. p. 225. Ita facile patet, cur *grassari in aliquem* notionem crudelitatis et violentiae habeat; Iustin. II, 12. *Quoniam ferro in homines non poterat, in aedificia igne grassatur.* cf. Drakenborch. ad Liv. VI, 5, 4. Totum locum nostrum Weissius perperam sic explicat: „ita *ultra* progrediebatur ad exsequendum consilium, *actus simul* cupidine atque ira.“ Sallustium autem hanc sententiam ex Thucydide III, 12. ubi haec leguntur, *δύο μὲν ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε καὶ ὀργή*, hausisse, ut intprr. putant, equidem non affirmaverim, quum neque verba accurate graecis respondeant, et quivis facile in talem sententiam ipse incidere possit. — *Ambitiosum* Cortius bene interpretatur: ad favorem acquirendum comparatum, qua potestate hoc vocabulum saepius de *rebus* dicitur. V. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 58. Tacit. Hist. I, 12. *Prout quis amicus vel cliens hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.* I, 83. *Seditionibus et ambitioso imperio laeti.* Sueton. August. c. XXV. *Neque ullos militum commilitones appellabat, sed milites, ambitiosius id existimans, quam ratio militaris postularet.* Id. Domit. VIII, in. *Ambitiosas centumvirorum sententias rescidit*, ubi v. Ernest. et Bremium. — *Habere*, quod h. l. idem est atque *tractare*, quando hanc vim habeat diximus ad Cat. XI, 5. p. 50. — De *negotiatoribus* v. ad Cat. c. XL, 2. Idem fere Velleius tradit II, 11. *Marius per publicanos aliosque in Africa negotiantes criminatus Metelli lentitudinem* etc. Qui loci ostendunt quantum negotiatores gratia, auctoritate atque potentia valuerint. — *Criminose*, sc. in Metellum, *magnifice*, ad se respiciens, fere ut c. LXXXIV, 1. *alia praeterea* (sc. dicebat) *magnifica pro se, et illis dolentia.* — Pro *loqui* non recte poterat usurpare *dicere* verbum; nam ita haec differunt, ut *loqui* in universum sit *verbis uti*, ad animi sensa significanda, *dicere* vero de oratione *arte facta* ac recte meditata usurpetur; cf. Herzog. ad Sall. Catil. III, 1. p. 14. Quare illud minus quid est, quam hoc, et maxime in usum cotidiani sermonis cadit; v. Ludov. Doederlini Synonym. Lat. Vol. IV. p. 6. §. 7. Inde factum est, ut *loqui* saepe ponatur ad significandum nihili atque inania esse alicuius verba, cumque talem esse, qui inconsulto aut maligne ineptis hominibus garriendi materiam suggerat; cf. Doederlin. l. l. et Bremium ad Nep. Alcibiad. VII, 2. Hamilc. III, 2. *Hasdrubalem nonnulli diligi*

habiturum; ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gau-

turpius, quam par erat, ab Hamilcare l o q u e b a n t u r. Cic. p. Cael. XXXI, 75. *Nequaquam tantum erat, quantum homines* l o q u e b a n t u r.

sibi permitteretur] Vulgo editur *si sibi perm.*, sed librorum discrepantia ostendit *si* particulam a scribis, non a Sallustio esse profectam. Nam in Inc. 2. Franc. et Vatic. 5. *si* legitur ante *dimidia;* in uno Glareani, Inc. 1. Guelf. 4. Vatic. Arondel. Laud. 2. Leid. L. Tur. 1. et Berol. 1. post *sibi;* a nonnullis autem Glareani et Paris. b. prorsus abest, eosque veram scripturam habere, ceteros interpolatione maculatam, cognoscitur etiam ex Paris. C. qui *si* non in textu, sed inter versus habet. Ignorabant autem scribae enunciationes condicionales saepe solo coniunctivo sine particula *si* formari, quod Zumptius Lat. Gramm. §. 86, 21, p. 520. ed. IV. haud male eo fieri dicit, quod magna quaedam inter has et indefinite interrogantes intercedat similitudo, ita ut hae sensum illarum sustineant facile. Sed eadem ratio est etiam in iis enunciatis, quae ad *optandi* vim accedunt, cuius generis est hic noster locus, quem germanice interpreteris: *Gäbe* man ihm nur die Hälfte des Heeres, i. e. *wenn* man ihm gäbe etc. Pro varia autem condicionis natura tempus verbi ac modum varium esse debere per se patet, et bene exposuit Ramshorn. Lat. Gramm. §. 190. p. 581 sqq. cf. Carol. Beier. ad Cic. de Off. III, 19, 74. *At* d a r e s *hanc vim M. Crasso; in foro, crede mihi, saltaret.* id. in Verr. V, 65, 168. C o g n o s c e r e t *hominem; aliquid de summo supplicio remitteres.* I g n o r a r e t; *tum hoc iuris in omnes constitueres.* ibid. II, 3, 2. *Furem aliquem aut rapacem* a c c u s a r i s; *vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio. Maleficum quempiam* a d d u x e r i s *aut crudelem; cavendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare.* Horat. Sat. I, 3, 15. *Decies centena* d e d i s s e s *Huic parco, paucis contento; quinque diebus Nil erat in loculis.* cf. Heindorf. ad I, 1, 45. Aug. Matthias ad Cic. or. p. Rosc. Am. c. 20, 55. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 7. p. 326. ed. Bauer. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. p. 147. Kuehner. ad Cic. Tuscc. II, 12, 28. p. 164. Otto ad Finn. II, 17, 57. — *Habiturum* sc. *se;* v. ad c. XIV, 3. — Pro nudo verbo *trahi* aliquot codd. vel b e l l u m *trahi*, vel *trahi* b e l l u m habent; sed longe plurimi, in iisque optimi omnes, hoc additamento carent, quod Cortius recte omisit. Neque tamen ei assentior, ex superioribus vocem *bellum* supplendam esse; nam quominus

6 deret. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

id fiat, interposita verba obstant. Quare *trahi* absolute vel cum subiecto indefinito intelligendum est, eodem fere sensu, ac si dixisset *res trahi*, vel *omnia tr.*, vel omnino *moram fieri*, quamquam ista dicendi ratio paullo insolentior est. — *Inanis*, quae vox proprie de spatio vel *loco* usurpatur, a quo ea, quibus *plenus esse debebat*, prorsus absunt, translate de rebus et personis dicitur, quae externa specie fallunt, ceterum nullius pretii sunt, mera nomina, ut solent plerumque fastuosi et arrogantes. Horat. Sat. I, 4, 76. *Inanes hoc iuvat, haud illud quaerentis, num sine sensu, tempore num faciant alieno.* Cic. Epp. ad Famm. II, 17, 16. *Illud vero pusilli animi, et ipsa malevolentia ieiuni atque inanis, quod* etc. Tacit. Agric. c. VI. *Ludos et inania honoris modo rationis et abundantiae duxit*, ubi v. Walch. p. 158. Differt autem *inane* ex una parte a *vacuo*, quo significatur id, quod alicui *occupandum* relinquitur, et obtineri *potest*, quamvis nondum a quoquam habeatur; ex altera parte sensu cognatum est cum *vano*, i. e. eo, quod tam est mutabile, tam varias formas sine caussa idonea induit, tantaque inconstantia est, ut nullam fidem habeat ac mereatur et propter fallax ingenium despectui habeatur; cf. Ludov. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. I. p. 94 sqq. §. 1 — 4, et 12, 13. Ceterum Weissius absurde et pueriliter commate post *quod* et *superbiae* distinxit, ut interiecta verba vel appositionis vel parenthesis vim habeant, quod valde impeditum et asperum est. — *Regiae superbiae* obiectatio maxime invidiosa erat; quicquid enim immodicum, superbum, libidinosum, crudele et intolerabile erat, id omne et amplius etiam Romanis in vocabulo *regius* inerat. Tantum valebat apud eos non recordatio tyrannidis Tarquinii, sed innatum odium unius aut paucorum potentiae; cf. supra c. XXXI, 26. *Impune quaelibet facere, id est regem esse.* Fragm. Historr. I, 8. Gerl. *Patres de vita atque tergo more regio consulere.* Cic. Epp. ad Attic. I, 16. p. med. *Quousque hunc regem feremus?* Liv. III, 19, 5. *Loquaces, seditiosos, semina discordiarum, iterum ac tertium tribunos pessimis artibus regia licentia vivere.* Tacit. Ann. VI, 1, 1. XVI, 23, 2. — *Corruperant*, quod verbum proprie significat aliquid *vitiatum et depravatum dare*, h. l. contra vulgarem usum non actionem sed *statum* denotat, quasi dictum sit *corruptas habebant* vel

LXV. Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secun-

ipsis corruptae erant, in qua sententia apertum est Sallustium analogiam *perdere* verbi secutum esse, quod non solum de consilio et effectu, sed etiam de statu dicitur. cf. Cat. XLIII, 3. *Cethegus querebatur, illos magnas opportunitates corrumpere*, i. e. illos — perdere, vel *illis* magn. opp. *inutiles abire.* Inania sunt igitur, quae Gerlachius ad explicandum verbum attulit, *corrumpi* monens dici non solum quae *perdita*, sed etiam quae *aliquo modo depravata* sint, locis prorsus alienis collatis, Iug. XXXIII, 4. et LXXVI, 5. ubi transitiva effectus potestas obtinet. Illud autem prorsus ineptum est, quod *corruperant* h. l. ita dictum censet, ut c. LXIII, 2. *Illum consulatus ingens cupido exagitabat.* Carrio, ut sensui succurreret, coniecit *corruperat*, i. e. *corrupta erat*, ut Cato apud Gell. XVIII, 12. *Eo res eorum auxit*, pro *aucta est; sed iste usus in verbo corrumpere exemplis caret.* Neque Carrionis coniecturam confirmat, quod Wassii codd. Mark. *F. A. corruperat* inter versus habent, et in Balliol. ac Bodlei. re vera ita scriptum est, a quibus non multum abit lectio Guelf. 6 et 12., qui *corrumperat* ostendunt. Nam quum in multis codd. *familiaris* servatum sit, scribae accusativum pluralem pro nominat. singul. habentes verbi quoque numerum immutarunt. cf. ad Cat. I, 1. Pluralis numeri ratio exposita est ad Cat. XIV, 5. p. 73. Permulta huius generis exempla Ciceronis contulerunt Otto ad Finn. I, 8, 27. et Ellendt. ad Brut. c. 82, 285. v. etiam supra ad c. XX, 8.

LXV. §. 1. *secundum heredem scripserat*] Id num ex Romanorum more intelligendum sit, dubium videri potest, quum Romani externarum gentium mores atque instituta, suis aliqua tantum ex parte similia, vocabulis sibi consuetis significare solerent, in tali re minus quam recentiores religiosi; v. quae de militiae vocabulis notavimus ad Cat. LIII, 3. et ad Iug. XLIX, 2. Ceterum apud Romanos *secundus heres* dicebatur, qui, quum primus aut non posset, aut nollet hereditatem adire, heres erat. Sueton. Iul. c. LXXXIII. *Plures percussorum in tutoribus filii, si quis sibi nasceretur, nominavit; D. Brutum etiam in secundis heredibus;* quod Appianus B. Civ. II. p. 518. ita tradit: *Δέκιμος ὁ Βροῦτος ἐν τοῖς δευτέροις κληρονόμοις ἐνέγραπτο παῖς*; quibus addit ille pro more suo: *ἑτέρους κληρονόμους παραγράφειν Ῥωμαίοις ἔθος, εἰ μὴ*

dum heredem scripserat, morbis confectus, et ob
2 eam caussam mente paullum imminuta. Cui Metellus petenti more regum uti sellam iuxta poneret, item postea custodiae caussa turmam equitum Ro-

κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. Cic. Epp. ad Famm. XIII, 61, 1. *Ille me tum tutorem, tum etiam secundum haeredem instituit.* Cort. Adde Heineccii Antiqq. Iur. Rom. Lib. II. Tit. XV. XVI. p. 452 sq. ed. Haubold. Tacit. Ann. I, 8, 1. Cic. in Verr. I, 43, 110. — *Scribere* autem verbum proprium erat in instituendis heredibus; v. Tacit. l. l. Plin. Paneg. c. XLIII. — *Imminuta* i. e. turbata; cf. Tacit. Ann. VI, 46. *Imminuta mens eius obstitit.* Hist. II, 93. *Corpus otio, animum libidinibus imminuebant.*

§. 2. *more regum uti sellam iuxta poneret*] De hoc more sede ab imperatore proxima reges insignesque viros honorandi v. locos a Cortio allatos, Tacit. Hist. II, 59, extr. *Vitellius Valentem et Caecinam pro concione laudatos curuli suae circumposuit* Sueton. Ner. c. XIII. *Tiridatem perductum in theatrum iuxta se latere dextro collocavit;* quae quamquam ad serius tempus pertinent, tamen faciunt ad rem, qua de hic agitur, illustrandam. — *Iuxta* adverbii potestatem habere non assecuti librarii in aliquot codd. addiderunt *se*, in aliis peius etiam *suam*, quos Cortius recte refutavit coll. Sueton. Domit. c. XI, in. *Actorem summarum assidere in toro iuxta coegit.* Tiber. c. XXXIII. *Assidebat iuxtim vel ex adverso.* Tacit. Ann. IV, 54, 2. *Agrippina quum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti.* — *Iuxta* autem quamquam absolute quidem, sed tamen respectu *Metelli* positum est, tamen non plane patet utrum *poneret* quoque ad hunc, an ad Gaudam referendum sit. In promptu est enim, si ad Romanum ducem referas, *poneret* idem esse atque *poni iuberet*, ad Numidam relatum significare *ponere sibi liceret.* Res ipsa autem licet eadem fere maneat, sive hanc sequaris struendi rationem, sive illam, mihi certe magis probabile est ad *poneret* verbum *Gaudam* esse subiectum intelligendum; primum enim id suadent verba *more regum* cum *poneret* coniungenda, tum *licentiae* notio, quam petit regulus, ita magis elucet, denique mutata in altero membro structura (de qua v. ad c. I, 2. et ad XLIX, 2.) id confirmat. Nam mutatae structurae caussa haud dubie in eo sita est, quod, quum Sallustius Gaudam subiectum verbi *poneret* cogitasset, in altero membro, ubi hoc fieri non poterat, solum accusativum *turmam* verbo *peteret* subiunxit. —

manorum, utrumque negaverat, honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges appellavisset, praesidium, quod contumeliosum foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur.

Regem appellari a populo senatuque Romano summus honor erat regibus exteris, non nisi iis tribui solitus, qui de imperio Rom. bene meruissent ac fidei officiique documenta dedissent; cf. Caes. B. G. I, 43. Liv. XXXI, 11, 13. *Verminae legati senatus adierunt, excusantes errorem. Petere Verminam, ut r e x s o c i u s q u e e t a m i c u s ab senatu appellaretur. Responsum legatis est: nominis eius honorem pro magnis erga se regum meritis dare populum Rom. consuesse.* ubi v. Duker. Id. XXX, 15, 11. Tacit. Ann. IV, 26, 3. v. supra c. XXIV, 3.

quod contumeliosum foret] Ita legitur in Fabric. 1. Laud. 2. 3. Balliol. Mark. *Γ. Δ.* et Edd. Venet. In relicuis codd. omnibus est *q. cont. i n e o s foret*, quemadmodum omnes editores, exceptis Bipp., scripserunt. Sed quamquam exemplis nonnullis probari potest, demonstrativum etiam ad nomen pertinere, quod in sequentibus demum legitur, (cf. Nep. Attic. c. XII, 5. *Quod in e o r u m periculis non secus absentes, quam praesentes a m i c o s Attico esse curae cognitum est.* Iustin. I, 3, 2. *Ad hunc (Sardanapalum) videndum, quod nemini ante e u m permissum fuerat, p r a e f e c t u s ipsius — quum admitti magna ambitione aegre obtinuisset.*), tamen loci natura hanc rationem non admittere videtur. Hoc sentiens Freinshemius ad Curt. VIII, 5, 3. ingeniose scribendum censet: *q. contum. i n n o s foret*, i. e. in Romanos sive in populum Rom., ut Tacitus loquitur Annall. XIII, 41, 2. *Nec id n o b i s virium erat.* Nimirum recte assecutus est, Metello istam contumeliam potius ad *populum Rom.*, quam ad singulos *equites* spectare visam esse, eamque illum caussam habuisse gravissimam negandi praesidii. Quae ratio quum imprimis valere debeat ad iudicium de h. l. regendum, quis non videt eandem sententiam inesse in scriptura a nobis recepta? Non aliam enim interpretationem admittunt verba absolute posita; neque alia res in caussa fuit, cur librarii *in eos* adderent, quam quod quo pertinerent verba *contum. foret* non satis patere rati sunt, veram eorum relationem, ex sententiarum nexu et ingenio Metelli repetendam, non assecuti. — Gerlachius ad vulgatam defendendam haec protulit: „recte Cortius: illud *si* eleganter in re incerta et facienda. — Poterat enim aut relativum, aut accusativus cum infini-

3 Hunc Marius anxium aggreditur atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum suo auxilio poenas petat; hominem ob morbos animo parum valido se-

tivo poni." Quae quam acute et vere dicta sint haud dubie ii sentient, qui pari atque Gerlachius ingenii acumine pollent. — De ratione accusativi *satellites* v. ad c. CIII, 1.

§. 3. *anxium aggreditur*] *Anxium* non est *timentem*, sed animo ob iniuriam, qua se affectum putabat, commotum ac valde pertubatum, ulciscendique consilia moventem; cf. c. XI, 8. qui locus vim vocabuli bene illustrat; it. c. LXXXII, 3. ubi Metellus, nuncio de Marii consulatu mirum in modum perturbatus et excruciatus, istam rem *anxie tulisse* dicitur. Liv. XXV, 40, 12. *Hanno iam ante anxius gloria eius.* — *Aggreditur* explic. ad c. XLVI, 4. — *Contumeliarum imperatoris* exstat in Balliol. Vin. 2. Guelf. 1. 3. 4. Bern. 1. 3. Paris. c. x. Longe plurimi vero habent *cont. imperatori*, alii *cont. imperatore*, alii *cont. imperatorem*, alii denique *cont. in imperatorem*, quod et ante Cortium in textu fuit, et post eum a nonnullis, velut a Muellero, Fabro et Weisio repetitum est. Sed quominus hoc verum iudicemus, licet Livius dixerit I, 23, 4. *Tullus, deorum numen in omne nomen Albanum expetiturum poenas dictitans, in agrum Albanum pergit*, multa obstant. Primum ipsa structurae insolentia nos movet aliquantum; tum verborum collocatio nimis est incommoda, quippe quae ad coniungenda verba *contum. in imper.* ducat; deinde exigua codicum auctoritas, qui hanc scripturam habent, ac ceterorum discrepantia parum fidei huic lectioni conciliat; denique orationis perspicuitas postulat non nude poni vocabulum *contumeliarum*, sed quales illae sint, aut a quo factae, declarari. Quae incommoda quum omnia tollantur genitivo posito, quin ista scriptura vera esset non dubitavimus, praesertim quum pateat ex eadem omnes lectionis varietates fluxisse. Nam nescientes librarii verba *contumeliarum imperatoris* significare *contum. ab imperatore illatarum* sc. *Gaudae*, varie structuram expedire conati sunt. Ceterum de duorum genitivorum usu, quorum alter ex altero pendet, cf. quae diximus ad c. XXX, 3 Adde Beier. ad Cic. de Off. I, 14, 43. p. 107. Drakenborch. ad Liv. XXV, 15, 11. *Atinius copias in aciem educit, hostium insidiarum ignarus.* Wopkens. Lectt. Tull. p. 89. (p. 50. ed. Frotscher.) Daehnium ad Nep. Milt. III, 1. Ottonem ad Cic. de Finn. I, 5, 14. Zumpt. Lat. Gramm. §. 73, 1. not. 1. p. 337. ed.

cunda oratione extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse; si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora ha-

IV. infra c. CIII, 5. *Barbari famam Romanorum avaritiae falsam rati.*

cum suo auxilio] Cave hoc eandem vim habere putes atque solum ablativum *suo aux.*, quamquam auctor ita quoque dicere potuisset. Hoc autem interest inter sententiam utriusque structurae, quod Marius si diceret *suo auxilio*, significaret Gaudam, nisi suo auxilio atque opera uteretur, poenas petere non posse. Quod autem dicit *cum suo aux.*, id ita comparatum est, ut aliquas ulciscendi partes ipsi Gaudae tribuat, se tantummodo *socium* eius negotii profiteatur. Omnino enim *cum* in tali nexu ablativo additum non significat aliquid *per* aliquam rem fieri, sed coniunctum esse cum illa re, dum fiat, vel *non sine ea* fieri; cf. ad c. LIII, 7. Grysar. Art. Latine scribendi p. 421. Otto ad Cic. de Finn. I, 3, 9. *Quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius*, sc. tractavit. Noster infra c. LXXXV, 3. *Neque me fallit, quantum cum maximo beneficio vostro negoti sustineam*, i. e. quantum negoti, quod simul cum vostro beneficio coniunctum est, sustineam. v. Aug. Matthiam ad Cic. or. p. Mur. 1, 2. *Ut eiusdem hominis voce et declaratus consul et defensus beneficium populi Rom. cum vestra atque omnium civium salute tueatur*, i. e. ita ut vestra salus cum eo coniuncta sit. Cic. in Verr. I, 24, 63. *Ut illo itinere veniret Lampsacum cum magna calamitate et prope pernicie civitatis.* Plurima huius generis v. apud Car. Beierum ad Cic. de Off. I, 13, 40. p. 102. — *Parum* i. e. minus quam par est; v. ad c. XXXI, 9. XI, 5. *Micipsam parum animo valuisse.* — *Secunda oratione* i. e. quae illius sententiae non adversaretur, sed secundum eam esset, eique adularetur ac blandiretur; eodem sensu Livius II, 38, 1. dixit *secunda irae verba*, ad quem locum Drakenborchius contulit Ovid. Art. am. I, 584. *Neu dubites illi verba secunda loqui.* Alia vide in Schelleri Lex. ampl. h. v. p. 9933. — *Illum* v. ad c. LVI, 4. — *Foret* post *occisus* Cortius sine idonea caussa, repugnantibus libris et dicendi usu, omisit. — *Id adeo* explicavimus ad Cat. XXXVII, 2. p. 170. cf. Hand. de Particc. Vol. I. p. 145. — De *ipse* pronomine non inutile fuerit hic commemorare, quod Grysar. in Art. Lat. scribendi p. 51 sqq. persecutus est, eam eius esse vim, ut audientis legentisve animum ad eam perso-

biturum; id adeo mature posse evenire, si ipse con-
4 sul ad id bellum missus foret. Itaque et illum et equites Romanos, milites et negotiatores, alios ipse, plerosque spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant,
5 Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur; simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa

nam advertat, quam is, qui dicit, primariam videri et prae ceteris eminere velit.

§. 4. *milites et negotiatores*] Haec verba interprr. ita videntur intellexisse, quasi alterum et tertium genus eorum, quos Marius ad scribendum impulerit, iis significaretur. Sed id fieri non posse patet ex conformatione verborum antecedentium, quae quum particulis *et* — *et* contineantur, non potest novum aliquod sine copula adiici. Praeterea positus vocabuli *Romanos* ostendit, quae sequuntur verba non nova hominum genera enumerare, sed ad illustrandum unum genus pertinere. Quare verba *milites et negot.* vi appositionis pertinent ad *equites*, quos Cortius recte quidem monet non intelligendos esse de equitatu, sed perperam ipse interpretatur *publicanos*. Sunt potius homines equestris ordinis, quorum duplex genus significatur ab auctore, alterum eorum, qui in exercitu militabant, alterum, qui negotiabantur, quemadmodum Weisius bene vidit, quocum simul interpunctionem mutavimus, commate, ut sensus postulat, post *negotiatores* posito. — Pro *spes pacis* in multis libris est *spe pacis*, quod librarii, oppositionis inter *ipse* et hanc vocem negligentes, intulerunt. Eadem oppositionis ratio evincit etiam perperam in multis codd. scribi *pacis spes;* in nominativo enim vis orationis inest.

§. 5. *illi a multis*] Weisius, nescio unde, haec inverso ordine scripsit *a multis illi*. Praeter codd. auctoritatem sensus etiam ac loquendi usus postulat *illi*, quo cum vi ad praegressum nomen remittitur, praeponi, non interseri; cf. ad Catil. c. XLV, 2. Iug. LIX, 3. et v. Grysar. Art. Latine scribendi p. 85 sq. — *Suffragatione* i. e. commendatione vel studiis hominum, quae vocis potestas a *suffragii* multum discrepat. *Honestissima* autem h. l. vocatur, quia

per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Iugurtha, postquam omissa deditione bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum, civitatis, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare, communire suos locos, arma, tela, alia, quae spe pacis amiserat, reficere aut commercari,

non solum sine ulla largitione, maxime invisa, fiebat, sed etiam ad reipublicae utilitatem et gloriam spectare videbatur. — Pro *fusa* aliquot codd. habent *perculsa*, quod haud dubie ex glossa in textum venit. Scilicet scribae ignorabant contentiones civiles haud raro cum *pugnis* comparari, hancque imaginem auctorem expressisse: quum nobilitas in contentione illa de potentia ac de honoribus, cum plebe tam acriter exercita, quasi in pugna victa ac fusa fugataque esset; cf. supra c. XL, 4. *Inter laetitiam plebis ac suorum fugam.* De lege *Mamilia* v. quae Sallustius ipse supra c. XL. narravit. — *Extollebat* i. e. ad summos honores promovebat.

LXVI. §. 1. *incipit*] Aliquot codd. *incepit;* sed v. ad c. XXXVIII, 4. — *Festinare* absolute positum non tam *celeritatis*, quam *acerrimi et maxime intenti studii* notionem habet; cf. Cat. VI, 5. *Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari.* Iug. LXXVI, 4. *Contra haec oppidani festinare, parare; prorsus ab utrisque nihil relicuum fieri.* XXXIX, 2. LV, 3. — De indicativo cum pronomine reflexivo coniuncto v. ad c. CIII, 2. — *Formidine* i. e. rebus quae formidinem iniicerent, ut ostendimus ad c. XXIII, 1. p. 140 sq. — *Affectare aliquam rem* est studiose eam quaerere, appetere, suam facere sibique conciliare studere. Comparavit Cortius Vellei. II, 39, 1. *Gallias saepe et affectavimus et amisimus.* Tacit. Historr. IV, 66, 1. *Civilis proximas civitates affectare aut adversantibus bellum inferre statuit.* — *Suos locos* expl. ad c. LIV, 8. — *Alia, quae* scripsimus auctoritate codd. Eccard. Guelf. 3. 10. Tur. 1. Bern. 3. Vat. 4. Medic. 4. 8. et Paris. b. c. z. Plerique enim libri habent *aliaque, quae;* sed eos, qui copulam non ostendunt, veram scripturam servasse intelligitur ex eo, quod in ipsa copula variatur; nam in Inc.

servitia Romanorum allicere, et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia tentare; prorsus nihil in-
2 tactum neque quietum pati, cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, ne-

2. est *atque alia quae;* in Ven. 3. *et al. quae.* De ratione huius ellipsis v. notata ad Cat. XV, 1. p. 75. — Verba *et eos ipsos* valent ad oppositionem inter *servitia* et *milites Romanos*, nam hi significantur verbis *qui in praes. erant*, magis efferendam. — *Tentare* expl. ad c. XLVII, 2. — *Nihil intactum neque quictum pati* dictum est ut c. LXXXVIII, 2. *Nihil apud se remissum pati,* et c. LIII, 6. Ad nostrum locum respexit Ruhnken. ad Vell. II, 6, 3. *C. Gracchus nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat.* Sallustium etiam imitatus est Tacitus in Agric. c. 20. *Nihil apud hostes quietum pati,* quod bene notavit Walchius. Etiam Livius ita dixit, XXI, 7, 8. *Saguntini submovere hostem, nec quicquam satis tutum munientibus pati.*

§. 2. *Vagenses, quo*] Nomen per *g* litteram recte scriptum est in Nazar. et Paris. z. cf. ad c. XXIX, 3. Prope accedunt ii libri, in quibus est *Vacenses*, ut Commel. Paris. x. Acad. Guelf. 6. 10. — *Quo* Cortius, Gerlachius Vol. II. p. 307. et Vol. III. p. 325. et alii ita intelligunt, ut dicant per synesin referri ad notionem *oppidi*, e voce *Vagenses* eliciendam. Quae structurae ratio quamquam multis modis frequentatur, v. notata ad Catil. c. XXXIX, 3. et ad Iug. XV, 1, tamen ab h. l. propterea aliena videtur, quod vocum nimia vicinitas nullam notionum permutatarum excusationem habet. Quare *quo* censemus non veri *pronominis* relativi, sed *adverbii* potestate positum esse, ita mutata cogitandi ratione, ut in locum *definitae* relationis *generalis* substituatur, ex quo more, quamquam paullum diversae rei accommodato, etiam explicandus est locus c. CII, 10. *Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes.* In universum hunc adverbiorum *loci* usum tetigimus ad Catil. V, 2. p. 27 sq.; iam nonnulla *quo* particulae exempla ascribāmus. Iug. CIII, 1. *Marius proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnis praesidium imposuerat*, qui locus ad amussim nostro respondens clarissime ostendit, *quo* non ad certum aliquod vocabulum, voce *turris* in-

que antea voluntate alienati, principes civitatis inter se coniurant; nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum. Dein, compositis inter se

volutum, sed ad indefinitam obiecti notionem, illi certiori substitutam, pertinere. c. LII, 5. *Legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit*, ubi *quo* non est *quo flumine*, sed *in quem locum* h. e. *ad quod* flumen. Cic. in Verr. IV, 18, 38. *Diodorus homo nobilis et apud eos, quo se contulit, splendidus et gratiosus.* id. Epp. ad Famm. III, 5, 8. *Dixi me libenter ad eam partem provinciae esse venturum, quo te maxime velle arbitrarer.* Caes. B. C. I, 49, 2. *Afranio pons Ilerdae praebebat loca trans flumen integra, quo Caesar adire non poterat.* Liv. XXI, 27, 2. *Urbem Arcuam, quo Hasdrubal frumentum convexerat, vi capiunt.* Patet igitur, quum *imponere* absolute dictum sit, ut ostendimus ad c. XLVII, 2., *quo* adverbium interpretandum esse *apud quos* vel *quibus;* nam ad ipsam *Vagensium* notionem spectat, cum generali *rei* aut *loci*, ubi habitabant, notione confusam. — Ceterum structura huius enunciationis ita comparata est, ut vox *Vagenses* praedicato careat, novo subiecto *principes* illato, ad quod *coniuravere* pertinet. *Vagenses* igitur nominativus absolutus est, quod structurae imperfectae genus, quo de v. notata ad Catil. XXXVII, 7. p. 174., immerito Ramshornius Gramm. Lat. §. 296. B. 6. not. 4. p. 703. anacoluthis eximendum censet. In promptu est enim Sallustium, quum initio enunciatum de Vagensibus primariam periodi partem facere voluisset, ab hoc consilio ita aberrasse, ut verbis *principes — coniurant* primum in enunciatione locum concederet, quasi haec structura praecessisset: Igitur *quum* Vagenses — *fatigarentur* regis suppliciis, neque antea voluntate *alienati essent* etc. Quod Iaumannus autem censet proprie genitivum ponendum fuisse, unde *principes* nomen penderet, non satis accurate ita statuisse videtur. Genitivo enim Sall. non commode poterat uti, nulla Vagensium in antecedentibus mentione facta; ad nominativum autem sponte ducebat oppositionis ratio. Nam quum narratum esset Iugurtham multas civitates affectasse, prius quam exponeretur, quae Vagensium partes fuissent, dicendum erat in iis civitatibus, quae ad defectionem spectarent, *Vagenses* fuisse; cf. ad c. XIX, 1. Sed

rebus, in diem tertium constituunt, quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasci-
3 viam magis quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militaris, et

hic narrationis tenor ab auctore, ut diximus, tantummodo inceptus fuit, non perfectus. — *Suppliciis* expl. ad c. XLVI, 2. — *Inter se* voces verbo *coniurant* additae potuissent sane omitti; sed quum mutua agendi ratio iis significetur (v. Grysar Art. Latine scribendi p. 39 sq. coll. infra c. LXXIX, 3.), patet Sallustium iis additis coniurandi notionem maiore quadam vi et *ἐνεργείᾳ* extulisse, ut statim post *compositis inter se rebus.* Quod non sentiens Cortius voces temere suspectas reddere studuit. — *Discordiosus* vocabulum non admodum usitatum Sallustius secundum analogiam aliorum adiectivorum *osus* terminatione factorum usurpavit. Quippe a substantivis ducta vocabula ista non simpliciter id, quod etymo significatur, alicui rei attribuunt, sed supra consuetum modum auctum et praecipue in aliqua re aut persona conspicuum esse significant. De hoc usu accurate disseruit Gellius IV, 9. et III, 12. cf. Diomed. I. p. 313. Zumpt. Lat. Gramm. §. 61. III, B. 8. p. 218. ed. IV. Ita apud nostrum legitur Cat. VIII, 5. *negotiosus;* XLVIII, 2. *calamitosus;* Iug. XCI, 3. *tumulosus.*

in diem tertium constituunt] Male in hoc loco versatus est Cortius, qui *in* deleverit. Excepto cod. Eichhof. omnes libri praepositionem retinent, eamque haud mediocriter confirmant ii, in quibus ad explendam structuram ex interpolatione nomen additum est, velut in Struv. Guelf. 7. et 10 *const. caedem*, in Inc. 1. Guelf. 6. et 11. *const. interfectionem;* in Franc. *occisionem const.*, quas voces non addidissent librarii, nisi *in* praepositionem in textu habuissent. Decepit autem Cortium non satis intellecta verbi structura et potestas; quippe non solum dicitur *constituere aliquid*, velut *locum*, *tempus*, *diem*, sed etiam sine accusativo rei *constituere cum aliquo* vel *constituere alicui*, quam structuram exemplis illustravit Gronovius Obss. I, 1. p. 12 sq. Terent. Hecyr. I, 2, 121. *Nam constitui cum quodam hospite me illum esse conventurum.* Cic. in Verr. II, 27, 65. *Quod erant mihi oppida complura etiam relicua, quae adire vellem, constitui cum hominibus, quo die mihi Messanae praesto essent.* Augustus apud Sueton. Calig. c. 8. *Puerum Caium quintodecimo Kal. Iun., si dii volent, ut ducerent Talarius et Asellius, heri cum his constitui.* Cic. de

ipsum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant; eos omnis praeter Turpilium inter epulas obtruncant; postea milites palantis, inermis, quippe in tali die ac sine imperio,

Off. I, 10, 32. *Si constitueris cuipiam te advocatum in rem praesentem esse venturum.* id. de Orat. I, 62, 265. *Sane vellem non constituissem in Tusculanum me hodie venturum esse Laelio.* Iuvenal. III, 12. *Hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur Iudaeis.* Quae ut probant *constituere cum aliq.* vel *alicui* respondere Germanico *mit jemandem eine Uebereinkunft treffen*, *mit einem übereinkommen*, ita nihil obstat quominus etiam omissa persona verbum *constituere* absolute usurpetur, quemadmodum etiam Germani istis locutionibus utuntur. Ita verbum habetur apud Tacitum Germ. c. XI, med. *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant; sic constituunt, sic condicunt.* Quae ratio in Sallustii loco non mutatur addita temporis significatione, quo exsequerentur constituta; quae qualia essent facile intelligitur ex sententiarum nexu. — Sensum verborum *ludum et lasciviam* ut explicemus, prius nobis de discrimine inter *ludum* et *lusum* dicendum est, in quo luculentum ducem sequemur Ludovicum Doederlinum. Is enim in libro Synonymm. Vol II. p. 29. docuit *ludum* esse cessationem graviorum rerum et remissionem laborum, *animi relaxandi caussa; lusum* autem cerni rerum *inanium* studio oblectationumque vanitate. Idem Vol. III. p. 44. *lascivus* recte a radice *LAC* — ducit, ut sit quasi laxus vel solutus; unde sequitur *lasciviam* eius esse, qui negotiis non intentus rebusque gerendis non astrictus animi relaxandi et voluptatis caussa paullo liberius evagetur ac nonnulla sibi indulgeat a viris gravibus aliena. Quare *lascivia* et ludo et lusui cognata est, ac saepissime vel cum hoc vel cum illo coniungitur (cf. Gronov. Obss. III, 4. p. 351. ed. Lips.); nam haec omnia opposita sunt rebus *seriis. Ludus* autem et *lusus* quamquam differunt, possunt tamen haud raro de eadem re dici, prout auctor id, quod oblectationi inservit, vel iucundum vel inane haberi vult. Plura exempla contulit Drakenborch. ad Liv. I, 5, 2. *Evander instituit, ut nudi iuvenes per lusum atque lasciviam currerent.* ib. XXXVII, 20, 5. *Pars in iuvenales lusus lasciviamque versi.* XXXIX, 15, 7. *Alios deorum aliquem cultum, alios concessum ludum et lasciviam esse credere.*

4 aggrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati, quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novae satis placebant.

§. 3. et 4. *domos suas*] In aliquot codd. *in* additum legitur, quod quidem non falsum est, sed non necessarium. Nam vulgaris structura, qua *domus* vox sine praepositione ponitur, saepissime retinetur, ubi vel possessivum, vel adiectivum, vel genitivus additus est; cf. Zumpt. Lat. Gramm. §. 71, 8. not. 3. p. 319. ed. IV. Sall. Iug. LXXVI, 6. *Aurum atque argentum domum regiam comportant.* Nep. Pelop. II, 5. *Illi duodecim — domum Charonis devenerunt.* Sall. Cat. XXVIII, 1. Cic. Epp. ad Famm. IV, 7, 10. — Pro *inermos*, quod cum Cortio plerique omnes ediderunt, restituimus *inermis*, quam formam omnes codd. tuentur, exceptis duobus Rivii, Bas. 1. Leid. et Paris. z. primitusque ita scriptum fuisse clarissime patet ex Vimar. 2., ubi scriba pro *inermis* dedit *in armis;* cf. ad Catil. LIX, 5. p. 318. — *In tali die* satis illustravimus ad Cat. XLVIII, 5. p. 222. Perperam igitur Gruterus probat omissam *in* praepositionem in cod. Bongars., cui accedit Guelf. 3. Vimar. 2. — De usu *sine* praepositionis v. ad c. LIV, 6. — De structura *pars edocti* v. ad c. XV, 2. — *Quis* h. l. paene omnes codd. habent, paucissimis exceptis. — *Ipse* i. e. *per se;* cf. infra c. LXXXV, 31. LXXXIX, 5. et quae annotavimus ad c. LII, 1. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 5, 16. de Legg. I, 18, 48. *Omnes viri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant.* ib. III, 14, 31. Scheller. Obss. p. 223. Grysar. Art. Latine scribendi p. 54.

LXVII. §. 1. *Romani — trepidare; ad arcem — praesidium hostium;* etc.] Huius loci interpunctio olim valde obscurata fuit. Ita enim Cortius cum prioribus editoribus haec verba scripsit: *Romani — trepidare ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant; praesidium hostium, portae ante clausae fugam prohibebant;* etc. Sed quominus hanc interpungendi rationem veram putemus, primum obstat vis et usus *trepidare* verbi, quod significat *perturbato animo et quid agendum sit nescio huc illuc se vertere et discurrere;* cf. supra c. XXXVIII, 5. *Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare; trepidare omnibus locis.* c. LXXXV, 10 *Homo veteris prosapiae — in tanta re ignarus omnium trepidat, festinat.* Plurima ex Livio pe-

LXVII. Romani milites, improviso metu incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare; ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium; portae ante clausae fugam prohibe-

tita congesserunt Gronovius et Drakenborch. ad XXVII, 1, 8; ex quibus omnibus patet *trepidare* semper intransitivo sensu idem valere atque *in trepidatione esse*, nunquam autem significare *cum festinatione aliquem locum petere*. Fallitur enim Cortius, qui ad hanc sententiam probandam his Livii locis utitur: IX, 37, 9. *Alios immobiles, alios semisomnos, maximam partem ad arma trepidantes caedes oppressit*, quae verba significant *inter trepidationem arma capientes*. In altero autem loco XXIII, 16, 12. *Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa*, praepositio *ad* non motus sed quietis sensum habet, hoc dicente Livio: dum omnes in sua ministeria *discurrendo trepidant apud prima signa*. In Sallustii igitur verbis neque loquendi usus permittit *trepidare ad arcem* coniungi, et universa *sententiae* ratio huic structurae obstat. Nam quum auctor statim post narret *anceps malum caveri non potuisse*, necesse est in antegressis dictum fuisse de isto malo, a diversis partibus instante. *Anceps* autem malum eo constabat, quod neque *in arcem recipere se* poterant, praesidio hostium occupatam, neque *ex urbe profugere*, portis ante clausis. Aliter quidem Cortius *anceps malum* fuisse dicit, quod tum a coniuratis (v. c. LXVI, 3. 4.) tum a mulieribus et pueris immineret; aliter etiam Weisius, qui refert ad solam pugnam mulierum ex tectis *aedium sibi oppositarum* factam. Sed utriusque sententiam falsam esse ex eo intelligitur, quod verba *neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse*, quibus ad istam *pugnam muliebrem* respicitur, per oppositionem discreta sunt ab iis, quibus de *ancipiti malo* dicitur. Huc accedit, quod *praesidium hostium*, quae verba ex vulgari interpunctione cum sequentibus *portae ante clausae* coniungenda sunt, non modo otiosa videntur, sed etiam ad *portas* relata incommodum et obscurum sensum habent; nam portis *clausis* praesidium alibi quam in portis fuisse, facile coniicias. Locus autem ita conformatus est, ut verbo *trepidare* generaliter posito per partes subiiciantur caussae, cur trepidaretur, idque plane est ex Sallustii more, cf. ad Cat. XIII, 3. et ad Iug. XXXVIII, 3. Tres igitur caussae trepidandi quum afferantur, praes. host. ad ar-

bant; ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia, quae locus praebebat, certatim
2 mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse; iuxta boni malique, strenui et imbelles inulti obtruncari.

cem, portae clausae, mulierum ferocia, in promptu est in primo orationis membro non solum *nam* particulam, sed etiam *erat* verbum omissum esse; de utroque v. ad c. XXVIII, 5. — *Ad arcem* sensu idem est atque *in arce;* haud raro enim ista praepositio inservit loco designando, *ubi* aliquid est; cf. exemplum Livii paullo ante allatum XXIII, 16, 12. et v. Handium de Particc. Latt. Vol. I. p. 91. n. 5. Hanc vocis vim omninoque enunciationis structuram non assecuti librarii in multis codd., velut in Bas. 1. Fabr. 2. Vin. 1. 2. Sen. 1. 2. Heuss. Vrat. 2. 3. Struv. Inc. 2. Eccard. Guelf. 1. 2. 3. 9. 11. Pembr. Mark. *Γ*. Reg. Laud. 3. Mart. Bodl., *ad* omiserunt, *arcem* pariter ut *fugam* ad *prohibebant* referentes, quam scripturae et explicationis rationem, ut multa alia inepta, Weisius nuper ex obsoletis edd. repetiit. — *Pro tectis* Tellerus mirifice lapsus in Indice Lat. p. 453. interpretatur: *nachdem es die Dächer verstatteten!* Rectius ceteri editores explicant *de tectis;* sed caussam, cur fiat, ut *pro* idem significare possit atque *de* vel *desuper*, primus expedivit Hoffmannus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1828. Vol. II. Fasc. 1. p. 29 sq. Scilicet hic quoque propria constat praepositionis vis, de qua v. ad c. XXIX, 6. Nam qui *de tectis* lapides deiiciunt, ita sunt collocati, ut ipsi in *prima* tectorum parte versantes longe maximam eorum partem *pone* se habeant, eoque *pro tectis* esse cogitari possint; cf. Liv. XXI, 7. 8. *Pro moenibus atque turri tela micare.* Tacit. Annall. XIV, 30, 1. *Stabat pro littore (Monae insulae) diversa acies.* ib. XII, 33, 3. *Catervae meliorum pro munimentis constiterant*, i. e. *in* munimentis. v. Kiessling. ad II, 81, 1. Historr. III, 31. *Velamenta et infulas pro muris ostentant.*

§. 2. *inulti obtruncari*] Pro *inulti* aliquot codd. habent *multi*, frequenti harum vocum confusione; v. Cort. ad c. XXXI, 2. Drakenborch. ad Liv. III, 38, 3. *Inulti* autem huic loco unice convenire non solum evincunt praegressa verba *neque resisti posse*, et quod Turpilius *unus profugisse intactus* dicitur, sed ex eo quoque patet, quod coniunctarum vocum *boni malique* ac *strenui et imbel-*

In ea tanta asperitate, saevissumis Numidis et op- 3
pido undique clauso, Turpilius praefectus unus ex omnibus Italicis profugit intactus. Id misericordiane hospitis, an pactione aut casu ita evenerit, parum comperimus, nisi, quia illi in tanto malo turpis vita

les sensus est *omnes sine discrimine*, cui notioni nullo pacto *multi* tanquam praedicatum subiungi potest. Inepte igitur Weisius ex edd. Gryphiana utraque et Ingolstad. *multi* in textum intulit, inepta ratione usus, „Sallustium duo negantia *imbelles inulti* non sic coniunctim ponere potuisse." — *Obtruncari*, quam lectionem longe plurimi libri habent, inter recens collatos etiam Paris. b. c. x. z. Goerlit. Berol. 1. 2., Gerlachius recte scripsit pro vulgato *obtruncati.* Nam rem quasi praesentem et adhuc durantem a Sallustio proponi intelligitur non solum ex praegressis *resisti posse*, sed etiam ex sequentibus *in ea tanta asperitate*, quae significant *quum ea asp. tanta esset;* v. ad c. XXXI, 24. Nulla igitur ratione utitur Cortius, qui, ut *obtruncati* defendat, ad exitum et eventum illius tumultus significandum verbo finito opus esse dicit. Quippe Sallustius neque respexit ad exitum, neque potuit respicere, si pro more suo rei gestae vividam imaginem exhibere vellet.

§. 3. *praefectus*] Hanc vocem, quam omnes codd. tenent, frustra in Cortii ed. quaeras, incertum casune, an consilio editoris. — Mox in editionibus omnibus legitur *an casu;* sed *aut* habetur in Bas. 1. Vinar. 2. Sen. 2. Heuss. Rem. 1. 2. Acad. Inc. 1. Struv. Guelf. 1. 10. 11. Paris. x. z. Berol. 1. 2. et Misn., hancque scripturam confirmant etiam ii codd., in quibus est *aut pactione aut casu*, velut Sen. 1. Guelf. 3. Vrat. 2. Bas. 4. Bern. 3. Scilicet librarii, qui *aut* tertio loco positum non concoquerent, pro ingenio structuram emendare conati sunt. Igitur alii, qui scirent in disiunctione *aut* geminari, etiam ante *pactione* hanc particulam posuerunt; alii, qui recordarentur, in disiunctiva interrogatione *aut* particulae non esse locum, *an* intulerunt. Sed hi in eo falsi sunt, quod tres esse partes interrogationis suspensae putarunt, quae duabus tantum partibus constat, quarum posteriori nova res, qua corrigatur antecedens, substituitur; v. quae de hoc usu disputarunt Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 21, 59. et praecipue Ferdin. Handius de Particc. Latt. Vol. I. p. 551. Quare quum *aut* h. l. sit *aut potius*, Sallustius eo indicavit sibi maxime probabile videri

integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

LXVIII. Metellus postquam de rebus Vagae actis comperit, paullisper moestus e conspectu abit; deinde, ubi ira et aegritudo permixta sunt, cum 2 maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem,

Turpilii fugam casui deberi. Eodem modo saepe *aut* particulâ bimembris effecta videtur interrogatio, quae simplex tantum est, siquidem vocabulum per *aut* additum non ex interrogandi *verbo* pendet, sed tantummodo in eius locum, de quo quaeritur, substituitur. cf. Cic. de Off. III, 13, 54. *Quaero, si haec emptoribus venditor non dixerit, num iniuste aut improbe fecerit?* Hic non duae sunt interrogationis partes, quarum altera ad iniustitiam, altera ad improbitatem spectet, sed *iniuste aut improbe* voces, iam ante, quam ad *num* referrentur, discretae, tanquam una notio et coniunctim ex interrogatione pendent. Tacit. Ann. IV, 17, 2. *Accitos pontifices percontatus est, num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent?* i. e. *num* id Agrippinae *tribuissent*, precanti aut minanti. Patet igitur *aut* in enunciationibus interrogantibus nihil ad ipsam interrogationem pertinere, sed eadem vi positum esse, qua in universum uni notioni alteram substituit, de qua v. ad c. III, 2. LXII, 1.

nisi — videtur] *Nisi* Gerlachius adversativam et exceptivam vim habere censet; sed istam particulam cum *videtur* verbo per ellipsin atque attractionem quandam contineri supra iam diximus ad c. XXIV, 5. Neque enim *videri* excipitur, sed id, quod minus dubium esset, excipitur ex eo, quod parum esset compertum. Quare quum plena oratione ita dicendum fuisset: nisi *hoc constat eum*, quia — fuit, improbum intestabilemque *videri*, Sallustius omisso priore verbo unde sequentia pendere debebant, ipsum *videri* ad *nisi* retulit et finito tempore posuit. Simul patet *parum comperimus* sensu indefinitae dictionis capiendum esse, quasi sit *parum constat.* De potestate *comperire* verbi v. ad c. XVII, 2. — *Integra fama* omnes libri tenent, exceptis Inc. 1. et Fabr. 2. qui haec verba inverso ordine exhibent. Eum Cortius, tanquam mori Sallustiano magis congruum, temere in textum recepit; nam sententiae vis in adiectivo inest. Idem *fuit*, quod tantummodo in Eccard. et Sen. 1. deest, omisit. — *Intestabilis* proprie est, qui neque testamentum

cum qua hiemabat, et quam plurimos potest Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit, et postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitu- 3
dine et iam abnuentis omnia docet oppidum Vagam

facere, neque ad testamentum adhiberi, neque testimonium dicere possit; cf. Digg. XXVIII, 1. 18 et 26. interpp. ad Gell. NN. AA. XV, 13, extr. et prae ceteris Unterholznerum apud Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 181. Qua tanta infamia quum nemo afficeretur, nisi flagitiis atque facinoribus coopertus, vocabulum in iure proprium etiam ad vulgarem usum transiit, et de hominibus scelestis atque exsecrabilibus usurpatum idem fere significat atque *detestabilis*; cf. Hor. l. l. *Uter aedilis fueritve Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.* Plaut. Curcul. I, 1, 30. *Semper caveto, ne sis intestabilis.* Sall. Fragm. Historr. I, 15, 1. Gerl. *Neque se aliter tutum putat, quam si peior atque intestabilior metu vostro fuerit.* Tacit. Ann. XV, 55, 5. *Scevinus incusat ultro Milichum intestabilem et consceleratum.* Gell. VII, 18, extr. *Corn. Nepos litteris mandavit, eos, qui ad Hannibalem non redissent, usque adeo intestabiles invisosque fuisse, ut taedium vitae ceperint.* Ceterum Sallustium coniuncta verba *improbus intestabilisque* ex formula legis XII tabularum petiisse patet ex Gellio VI, 7. et XV, 13. Habentur autem in tabula septima, quae est de delictis.

LXVIII. §. 1. et 2. *paullisper*] De sensu huius vocis, non cum *moestus*, sed cum *abit* coniungendae, v. ad c. I, 4. — *Ubi ira et aegritudo permixta sunt* i. e. ubi aegritudo, quae initio Metellum *totum* occupaverat, in tantum remisit, ut ira succedere posset et *simul cum* tristitia eius animum agitaret. — *Sunt*, quod a solo Guelf. 3. abest, Cortius delevit. — *Ultum ire festinat* explicavimus ad Catil. c. XXXVI, 4. p. 168. cf. Tacit. Ann. XV, 1, 1. *Vologeses spretum Arsacidarum fastigium ultum ire volens diversas ad curas trahebatur.* — *Pariter cum* aequalitatem temporis designat; cf. c. LXXVII, 1. *Pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti venerant.* CVI, 5. *Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur.* Eodem modo dicitur *simul cum*, ut c. XCI, 2. cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 141. §. 6.

non amplius mille passuum abesse; decere illos re-
licuum laborem aequo animo pati, dum pro civibus
suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas ca-
4 perent; praeterea praedam benigne ostentat. Sic

§. 3. *fessos*] Sensum vocabuli explicavimus ad c. LIII, 5. — *Abnuentis* hac terminatione exhibent Naz. Bas. 1. Guelf. 1. — Pro *docet* in cod. Min. 2. Paris. b. Leid. A. E. K. N. est *edocet*, quod Gerlachius in Commentt. p. 308 perperam Sallustio usitatius esse dicit, neque tamen in ed. min. recepit. De utriusque verbi potestate v. ad Cat. XLVIII, 4. p. 221. Ceterum Faber coniungenda censet verba *omnia docet*, non aliam ob caussam, quam quia *abnuere* interdum absolute ponatur. Quod quamquam verum est (cf. Fragm. Historr. IV, 12, 13. Liv. XXIV, 49, 3. Flor. III, 16, 2. Tac. Ann. XI, 12, 2.), tamen h. l. neque necessarium, neque probabile. Nam ut *omnia* vocabulum ad *abnuentis* relatum vim ac perspicuitatem orationis haud parum auget, ita cum *docet* coniunctum ineptum quid habet, quum quivis videat, nihil referre ut *omnia* doceantur, sed ea tantum, quae ad rem pertineant; idque ut significetur simplex *docet* sufficit. — *Mille passuum* Cortius et Iaumannus ita intelligendum censent, ut suppleatur *spatio*, vel *itinere*, vel *intervallo*, quemadmodum Sallustius infra dixerit c. CVI, 5. *Iugurtham circiter duum millium intervallo ante eos consedisse.* Sed quis non videt huius loci aliam esse rationem, atque nostri, quippe in quo *mille* non genitivo, sed accusativo positum ab omissa *quam* particula pendeat (v. ad Cat. LVI, 2. Iug. LVIII, 3.), *passuum* autem a *mille* vocabulo aptum sit. Nam multo saepius, quam Grammaticae docent, *mille* singulari numero positum genitivum adiunctum habet, quod structurae genus satis bene illustravit Gellius I, 16. istam vocem cum genitivo nexam censens non Graeco *χίλιοι*, sed *χιλιάς* respondere. cf. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 3, 197. Bremi ad Nep. Milt. c. V, 1. *Ea mille misit militum.* Id. Datam. c. VIII, 3. *Quum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset.* Plurima contulit Drakenborch. ad Liv. XXI, 61, 1. et ad V, 26, 5. *Mille fere passuum ab oppido castra locant.* XXXVIII, 21, 1. *Quattuor ferme millia armatorum ad tumulum imminentem viae minus mille passuum a castris occupandum mittunt.* XXXIII, 14, 4. Tenendum tamen est *mille* ita vix alio, quam primo aut quarto casu positum inveniri. — *Praedam ostentat* i. e. praegnanti sensu, in praedam intueri iubet, quam iis *pro-*

animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire et signa occultare iubet.

LXIX. Vagenses ubi animum advortere ad se vorsum exercitum pergere, primo, uti erat res,

misit; cf. ad c. XXIII, 1. Tacit. Historr. IV, 59, extr. *Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur.*

§. 4. *arrectis*] i. e. confirmatis et ad rem intentis; cf. ad Catil. c. XXXIX, 3. p. 183 sq. Minus bene in cod. Balliol. et Med. 8. legitur *erectis.* — *In primo late* egregia est Palmerii emendatio, nuper demum auctoritate Vat. 1. Paris. c. et Barb. 5. m. pr. confirmata. Nam ceteri omnes libri pro *late* habent *latere.* Quae scriptura ut sententiam absurdam praebet, ita sine dubio a scribis propterea est efficta, ut verba *in primo,* perperam pro adiectivo accepta, substantivum haberent, quocum coniungerentur. Sed *in primo* substantivi potestate dictum quum in universum sit *in prima parte,* vel *primo loco,* tum in re militari explicari potest *in primo agmine* vel *in prima acie,* ut demonstravit Gronovius ad Liv. X, 14, 17. v. X, 41, 6. *Arma signaque per turbidam lucem in primo apparebant.* XXV, 21, 6. *Prima legio et sinistra ala in primo instructa.* Neque alia ratio est accusativi, velut apud Liv. II, 20, 10. *Desiliunt ex equis, provolant in primum et pro antesignanis parmas obiiciunt.* II, 46, 7. *In primum infestis signis provolant duo Fabii.* Pariter ut *in primo* dicitur etiam *in medio,* Iug. XLV, 2. *Metellus in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse;* nec non *in postremo,* Iug. c. XLVI, 7. *Ipse apud prima erat, in postremo C. Marius curabat;* eademque analogia dictum *in proximo,* Iug. LIX, 2. ubi v. Cort. *Late* autem quum oppositum sit verbis *quam artissume,* in promptu est tale Metello in itinere faciendo consilium fuisse, ut equites in primo agmine late diducti peditum, qui in artissimum stipati subsequerentur, aspectum Vagensibus prorsus subtraherent. Quae quum ita sint, verba *signa occultare* tantummodo ad *pedites* pertinent, ne *Romanos* esse oppidani sentirent; nam equites, qui maximam partem Numidae essent, non opus erat idem facere. Quod non reputans Cortius *et* particulam ad sensum necessariam delevit, qui error etiam in Guelf. 12. Rem. 1. et Ven. 2. conspicitur.

LXIX. §. 1. *animum advortere*] Ita scriptum est in Bas. 1. Fabric. 1. 2. m. pr., melioribus Gruteri, Paris. A. et b. c. x. z., in

Metellum esse rati, portas clausere; deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursum Iugurtham arbitrati,
2 cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum effusum oppido caedere, alii ad portas festinare, pars turris capere; ira atque praedae spes amplius quam lassi-

quibus c. adeo *advortere* habet. Ex ceteris longe plurimi *animadvertere*, pauci *animo advertere* exhibent. *Animum advertere aliquid* etiam infra legitur c. XCIII, 2.; alia vide apud Gronov. ad Liv. XXIV, 48, 4. Ruhnken. ad Rut. Lup. II, 2. p. 77. Herzog. ad Caes. B. G. I, 24. Cic. Epp. ad Famm. XII, 18, 1. Dolabella ibid. IX, 9, 5. Lucret. II, 124. Structurae autem ratio, quam Herzogius durissimam dicit, talis est, ut alter accusativus neque ab omissa praepositione *ad* vel *in* repetatur, neque vulgaris obiecti ex verbo transitivo pendentis vim habeat, sed id significet, *cuius respectu* animum advertamus i. e. animo vel attento simus, vel intelligente; v. ad c. V, 4. coll. annotatione ad c. XLVI, 5. Neque ea ratio mutatur, si accusativus c. infinitivo sequitur. — *Ad se vorsum* scribitur in duobus Rivii, Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Guelf. 3. Goerlit. Paris. b. x. z. In ceteris est *ad se versum*, in paucissimis *adversum se*; v. ad c. LVIII, 4. — Verba *uti erat res* hoc ordine leguntur in optimis codd. Naz. Commel. Bas. 1. Paris. b. c. x. z. Goerl. Berol. 2., ac praeterea in Inc. 1. Struv. Franc. Guelf. 1. 2. 6. 7. 12. Vatic. 1. 2. 3. 4. 6. et Misn. Horum igitur auctoritati parere maluimus, quam ceterorum, qui habent *uti res erat*. Quod Gerlachius autem *res* cum Med. 5. et Ven. 2 delendum censet, nobis non satis idonea caussa factum videtur; neque ipse, qua est iudicii inconstantia, in ed. min. delevit. — *Esse* post *Metellum* Cortius contra omnium codd. fidem omisit. Ei Gerlachius, qui ab solo Vat. 4. abesse vidit, assentitur, maxime propterea, quod statim post *arbitrati* sine *esse* dictum sit. Sed id non cogit, etiam antea ita dici debuisse; neque sibi credi voluit V. D., quippe qui in ed. min. vulgatam repetierit. — *Rursum*, quam formam Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Struv. tres Guelff. habent (in ceteris enim est *rursus*), significat *contra*, ut Cat. LIII, 5. ubi v. Cic. Tuscc. I, 17, 40. *Ut illae superiores in medium locum mundi gravitate ferantur et pon-*

tudo posse. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia 3
laetati; civitas magna et opulens cuncta poenae aut
praedae fuit. Turpilius, quem praefectum oppidi 4
unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque capite poenas solvit; nam is civis ex Latio erat.

dere, sic hae rursum rectis lineis in coelestem locum subvolent. Tacit. Ann. XV, 1, 1. *Vologeses spretum Arsacidarum fastigium ultum ire volens, magnitudine rursum Romana diversas ad curas trahebatur.* cf. Grysar. Art. Latine scribendi p. 514. Daehn. ad Nep. Themist. c. IX, 3. — Pro *obvii* pauci libri habent *obviam;* v. ad c. XLVI, 5.

§. 2 — 4. *volgum*] Ita exstat in Bas. 1. Sen. 1. 2. Heuss. Guelf. 2. 10. Paris. b. x. z. Berol. 1. 2. Ceteri *vulgum.* — *Turris* hac accusativi forma est in Bas. 1. Flor. 1. m. pr. Paris. c. x. z. — *Praedae spes* Cortius recte scripsit pro vulgari ordine *spes praedae,* quem Weisius repetiit. *Praedae* vocem praemissam non flagitat solum sententiae vis, v. ad c. XX, 1. p. 125., sed confirmant etiam potiores Cortii et aliquot Leidd. codices, Pembroch., Bas. 1. 4. Bern. 3. Paris. c. x. y. Berol. 2. Goerl. et Misn. — *Amplius — posse* dictum pro vulgari *plus posse;* cf. infra c. CXI, 1. *Quoniam amplius armis valuissent.* Cic. orat. in Catil. IV, 5, 9. *Nescio an amplius mihi negotii contrahatur.* Caes. B. G. V, 9, 7. *Si amplius obsidum velit, dare pollicentur.* — *Ex perfidia* i. e. *post perf.;* v. ad c. XXXVI, 3. — Pro *cuncta poenae* Cortius ex quattuor libris suis, quos tamen non nominavit, inverso ordine scripsit *poenae cuncta;* quod temere factum Gerlachius merito non imitatus est. — *Poenae esse* per se quidem vix dici possit; sed structurae insolentia eo mollitur, quod, quum *poenae* cum *praedae* voce coniunctum sit, apparet auctorem concinnitatis studio utrumque uni verbo aptasse. Simile quid notavimus c. LXIV, 1. *Ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere, quo cupido animi hortabatur.* — *Nam is civis ex Latio erat.* Ridicule permulti libri pro *Latio* habent *Collatio*, scribis de *Collatia* urbe cogitantibus. Haec verba autem propterea adiecta sunt, quod auctor narraverat Turpilium priusquam supplicio afficeretur, *verberatum fuisse.* Scilicet

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, et ipse eum suspiciens, novas res cupere, ad perniciem eius dolum quaerere,
2 die noctuque fatigare animum. Denique omnia ten-

quum lege Porcia (de qua v. ad Catil. LI, 22. p. 250. et Sigon. de antiquo iure pop. Rom. I, 6. p. 87. ed. Hal. 1715) cautum esset, ne quis civis Romanus aut qui ius Quiritium haberet virgis caederetur, huius beneficii nihil ad eos, qui iure Latii tantum uterentur, pertinebat, quod idem Sigonius monuit in libro de antiquo iure Italiae I, 4. p. 496. ed. Hal. cf. etiam Heineccii Antiqq. Iuris Rom. Lib. I. Append. c. II. §. 85. p. 301. ed. Haubold., ubi nostri quoque loci mentio fit, et Lips. de Milit. Rom. V, 18. Meliorem Latinis condicionem paravit Livius tribunus plebis, de quo Plutarchus in vita C. Gracchi c. IX, p. med. haec refert: *Λιβίου ὅπως μηδ' ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινὰ Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι γράψαντος, ἐβοήθουν τῷ νόμῳ.* Ceterum de Turpilio rem paullo aliter quam Sallustius narrat Plutarchus in Mario c. VIII. Cui si fides habenda, miser praefectus, culpa vacuus, Mario imprimis annitente capitis damnatus est, nihil adversus huius severitatem ac saevitiam Metelli hospitio valente.

LXX. §. 1. *quam — deseruit*] Res narrata est c. LXII, 8. Pro *deseruit* exspectaveris fortasse *omisit*, quum Iugurtha *sponte* deditionis consilium abiecerit; sed Sallustius consulto *deserere* verbo usus videtur, ut significaret Iugurtham *contra quam debuerat* a deditione abstitisse. cf. quae de potestate verbi *deserere* diximus ad c. XXXI, 18. p. 187. — *Suspiciens* i. e. suspectum habens, quo sensu *suspicere* alias non dicitur. Sed *suspectare* ita apud Tacitum frequens; v. Boetticheri Lex. Tac. h. v. p. 453. Haud male Iaumannus censet Sallustium *oppositae* sententiae naturâ ad usum verbi paullo insolentiorem ductum esse, coll. Cat. XL, 2. *Umbrenus principibus civitatium notus erat atque eas noverat.* Liv. XXXIX, 40, 9. *Simultates exercuerunt eum et ipse exercuit eas.* Verba *ad perniciem eius dolum quaerere* Non. IV, 438. sic refert: *et perniciem eius dolo quaerere*, quae mutatio difficile dictu est unde fluxerit, quum nulla in codd. Sallustii discrepantia scripturae sit, et ipse Nonius in ceteris verbis ita cum codd. consentiat, ut verba non memoriter laudasse videatur. Sed

tando socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus suis, qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare et omnis res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso aut maioribus astricto superaverant;

utut est, vulgata non est sollicitanda. — *Novas res cupere* Langius perperam interpretatur *novum consilium cepit.* Nam *res novae* ut in universum sunt turbae ad rerum statum, qui fuit, evertendum, ita saepissime significant *defectionem ab alicuius imperio,* quae ratio nostri loci est; cf. c. LXXVIII, 1. — Pro *die* Cortius ex Sen. 1. Rem. 2. et Guelf. 12. scripsit *diu.* Ita sane locutus est Sallustius Fragm. Historr. II, 27. Gerl. *Noctu diuque stationes et vigilias tentare*, teste Charisio II. p. 185.; sed h. l exigua librorum auctoritas suspicionem facit, *die* a scribis in *diu* mutatum esse, ut cum voce *noctu* congrueret; cf. ad XLIV, 5. et ad XXXVIII, 3. — *Animum* i. e. *se*, de quo usu vocabuli *animus* dixi ad c. XXXIX, 5. cf. Grysar. Art. Lat. scribendi p. 145 sq.

§. 2. *omnia tentando*] Cave credas haec significare *omnia tentans*, vel *omnibus tentatis.* Propria enim constat ablativi gerundii vis in hunc modum: *eo, quod omnia tentabat, etiam ad id consilii ductus est, ut* socium sibi adiungeret. — *Carum acceptumque* utrum scribendum censerem, an *clarum acc.* aliquamdiu haesitavi, quum illud ex Coleri coniectura sit, hoc maximo omnium codd. consensu sustentetur, et quodammodo verbis sequentibus, *ex quo illi gloria opesque inventae* comprobetur. Sed quominus haec satis gravia putarem, quattuor caussae fuerunt. Primum enim *clarus* otiosum videtur epitheton in eo, qui *nobilis et magnis opibus* dictus est. Tum, quod quidam *magnis opibus clarus* coniungi volunt, neque per se satis rectum est, et huius loci ingenio repugnat. Quippe *simplicia* epitheta auctor cumulat, quae interiectis ablativis variantur, ut Cortius bene observavit, coll. Catil. XXXVII, 8. XLVIII, 5. Iug. VI, 1. XXV, 4. XXVIII, 5. XXXI, 12. XLVI, 3. LXXIX, 2. LXXXI, 1., in qua structura aliud adiectivum non additur. Deinde Sallustius in coniungendis vocabulis *carus acceptusque* vel consuetudinem aliquam ipsi propriam, vel generalem loquendi usum secutus videtur; nam ita dixit supra c. XII, 3. *Proxumus lictor Iugurthae, carus accceptusque ei semper fuerat*, et c. CVIII, 1. *Dabar Mauro ob ingeni multa bona carus acce-*

3 ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur; cetera, uti res
4 posceret, ex tempore parari placuit; Nabdalsa ad

ptusque. Similiter Cicero Tusc. V, 15, 45. *Quod approbaris, id gratum acceptumque habendum;* et Nep. Hannib. c. VII, 3. *Munus eorum gratum acceptumque esse.* Denique ipsa *que* particulae vis talis est, ut adiectivis prorsus diversae notionis non inserviat componendis, quum usus loquendi doceat duo *praedicati* vocabula, eidem notioni generali subiecta, hac particula quasi in unum comprehendi; v. ad c. LIII, 5. Cat. II, 8. *indocti incultique.* Iug. XVIII, 1. *asperi incultique.* LXVII, 3. *improbus intestabilisque.* LXXI, 3. *fidus acceptusque.* LXXIV, 1. *varius incertusque.* LXVII, 1. *incerti ignarique.* LXXVII, 3. *boni fidelesque.* LXXX, 1. *ferum incultumque.* ib. §. 4. *facilius proniusque.* Quibus omnibus satis excusatum putamus, quod *clarum,* quam vocem cum *acceptum* coniungi sensus prohibet, *que* particula iubet, in *carum* mutavimus. Nam quod Gerlachius dicit, „non ad vulgaris sermonis normam dirigendam esse Sallustianam orationem," id ita vage et sine rationibus prolatum tam parum valet, ut paene absurdum videatur. Quare videndum, ne apud Tacitum quoque in Ann. XII, 29, 1. *Per idem tempus Vannius pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, et odio accolarum circumventus,* — scribendum sit *carus acceptusque.* — *Seorsum ab rege* i. e. ita, ut non ipse a rege imperia acciperet, sed pro rerum copia agendi potestatem haberet. — De verbo *ductare exercitum* v. ad Catil. XI, 5. et ad Iug. XXI, 2. — *Maioribus astricto* i. e. maioribus ita occupato, ut ceterarum rerum curam simul suscipere non posset; cf. ad c. LX, 6. — *Quae superaverant* auctore Gellio NN. AA. I, 22., qui de antiquiorum usu huius verbi agit, significat *quae relicua fuerant et restiterant,* ita ut Iugurtha ea intacta relinquere aliisque obeunda permittere cogeretur. cf. Fragm. Hist. I, 15, 11. *Quae humana superant, aut divina impolluta sunt?* Paullo aliter igitur Sallustius h. l. verbo usus est, quam Cat. XX, 11. — *Inventae* i. e. paratae; *invenire* enim de quovis comparandi et habendi modo dicitur; v. Car. Beier. ad Cic. de Off. III, 31, 112. *Manlius torque detracto cognomen invenerat.* ib. I, 13, 40. *Iuris iurandi fraude culpam invenerat.* Liv. XXX, 42, 7. *Bellum quaerere regem, et, si pergat, propediem inventurum.* Tacit. Ann. I,

exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager inultis hostibus vastaretur. Is postquam magnitudine facinoris perculsus

74, 1. *Perniciem aliis ac postremum sibi invenere.* cf. Goerenz. ad Cic. de Finn. I, 7, 23. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 1, 39. De vi dativi v. annotata ad c. XLVI, 3.

§. 3. et 4. *insidiis*] Hunc dativum Gerlachius perperam ab voce *dies* aptum esse contendit; v. ad c. XXXV, 4. — *Parari* Langius male explicat *componi*, non assecutus, auctorem hoc ipso loco de insidiis *compositis* dicere, iisque opponere ea, quae, quum ex casu penderent, *non possent componi*, sed *pro rerum copia* patranda et exsequenda essent. — Quae sequuntur verba, in omnibus editionibus novam enunciationem incipientia, puncto in semicolon mutato partem tertiam praecedentis enunciati fecimus. Scilicet ita fieri cogit *is* pronomen ante *postquam* positum, quo significatur novum aliquod ad Nabdalsam pertinens inferri. Nam quum Sallustius discernat inter ea, quae tempore *compositi* doli acta sunt, et inter ea, quae postea dolum *dirimere* videbantur, luce clarius est, Nabdalsae profectionem ad exercitum ad priora illa pertinere. Caussa autem consilii turbati quum in Nabdalsa esset, auctor hanc novam rem recte ita orditur: *Is postquam* etc., quod secus est in vulgata, ubi id, quod in nova re primarium est, secundarium fit et quasi delitescit. — *Inter hiberna* Weisius explicat *prope hiberna*, quod parum accurate dictum est. Nam proprio sensu intelligendum esse *inter* praepositionem, patet ex c. LXI, 1. ubi narratum fuit, Metellum per hiemem *iis urbibus, quae ad se defecerant*, praesidia imposuisse. Igitur hae urbes in Iugurthae regno fuerunt *dispersae* et aliquo intervallo inter se distantes, ut commode *inter singulas* hostium copiae haberi possent. — *Inultis hostibus* non sunt dativi, pro ablativo cum *a* praepos. positi, sed ablativi absoluti, hoc sensu: ita, ut hostes inulti, i. e. nullo damno affecti abirent. *Inultus* igitur passivo sensu est i. q. *impunitus;* cf. LVIII, 5. CVI, 6.

§. 5. *ad tempus*] i. e. ad *constitutum* sive ad *iustum tempus*, quam vim habet istud vocabulum praegnanti sensu positum; v. annotata ad c. LXXIX, 7. Istam dicendi formulam accurate explicavit Handius de Particc. Latt. Vol. I. p. 126 sq. — Quae sequuntur verba *metusque rem impediebat* caussam afferunt dilati adventus; quae caussa quum duraret, neque talis res esset, quam auctor per se narraret, recte imperfecto tempore enunciata est. Verba

ad tempus non venit, metusque rem impediebat, Bomilcar, simul cupidus incepta patrandi, et timore soci anxius, ne omisso vetere consilio novum quaereret, litteras ad eum per homines fideles mittit, in quis mollitiem socordiamque viri accu-

enim vim habent interiectae enunciationis *quippe metus rem impediebat.* De tali temporum mutatione, non ab elegantia quadam, sed ab accurata cogitandi dicendique ratione repetenda, nisi hanc ipsam elegantiam vocare velis, quaedam diximus ad Catil. X, 1. p. 51. *Que* particulae vim explicativam tetigimus ad c. II, 3. — *Simul* — *et* pro *et* — *et* positum esse monitum iam ad c. XLVII, 2. — Pro *cupidus* in multis codd. legitur *cupidinibus*, quae perversa scriptura vel ex errore fluxit, scriba aliquo *cupidus* pro compendio scribendi putante, vel interpolationi debetur, eo consilio factae, ut hoc vocabulum responderet sequenti *timore.* Ceterum *timor socii* non est *timor de socio*, sed *timor*, *quo socius exagitabatur*, genitivo subiecti potestate posito. Praeterea hic locus tantum abest, ut discrimen, quod Doederlinus in Synonym. Lat. Vol. II. p. 191 sq. acute docuit inter *timorem* et *metum* interesse, tollat, ut egregie confirmet. Nam quum *metus* eius sit, qui cautus ac providus de futuro malo cogitet, et quod ipsi damnum afferri possit perpendat atque consideret, *timor* vero eius, qui ignavia et formidine correptus malo obviam ire non audeat, Sallustius Nabdalsae ipsi *metum* fuisse dicit, quippe qui reputaret quam perniciosum sibi consilium insidiarum Iugurthae struendarum evadere posset, quique hac *cogitatione* ad rem omittendam permoveretur. Bomilcar autem, tam providae curae nescius et simul indignatus de socii cunctatione, eandem rem ad *timorem* refert, qui ignavia constat et animum imbellem et valde demissum prodit; ad quam vocis vim praecipue pertinet, quod ille in litteris ad Nabdalsam datis *mollitiem et socordiam viri accusat.* Quare *timor* semper aliquid ignominiosi habet, *metus* interdum adeo prudentiae est; *timidus*, cui fortis est oppositus, semper vituperandus, *metuens*, cauto cognatus, interdum laudandus; eademque etiam verborum *timere* et *metuere* ratio est. cf. Cat. XXXI, 2. 3. ubi *metus* ad viros pertinet, reipublicae pericula varie *coniectantes*, *timor* ad mulieres paventes et prorsus de salute *desperantes.* ibid. XLII, 2. *Festinando, agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant*, quo nimis anxius animus pru-

sare, testari deos, per quos iuravisset, monere, ne praemia Metelli in pestem convorteret; Iugurthae exitium adesse; ceterum suane an Metelli virtute periret, id modo agitari; proinde reputaret cum animo suo, praemia an cruciatum mallet.

denti consilio destitutus designatur. c. LVIII, 2. Iug. XX, 1. LVII, 6. Ad usum vocis *metus* cognoscendum conferantur hi loci: Catil. VI, 4. XXXIX, 2. LII, 16. Iug. XLI, 2. LXVII, 1. LXXXV, 33. 47. XCI, 7. CVIII, 3. CXIV, 1. Fragm. Historr. I, 9. I, 11. I, 19. Quae exempla omnia ostendunt vernaculam vocem *Furcht* neque *metui* neque *timori* plane respondere; sed ubi idem significet atque *Besorgniss*, Latine esse *metum*, ubi vero valeat *Feigheit*, Latinos dicere *timorem.*

in quis] Haec verba, quae oratione paullo aliter conformata abesse possint, Cortius, nimium tribuens auctoritati cod. Guelf. 3., delevit. — *Viri* pariter ut c. IX, 3. vim sustinet *eius* pronominis; cf. Catil. c. LI, 16. *Eos mores, eam modestiam viri cognovi.* Eodem sensu saepius etiam *homo* usurpatur; cf. Cort. ad Catil. XLVIII, 5. *Tanta vis hominis leniunda videbatur;* ad quem locum laudat Cic. Epp. ad Famm. I, 6, 14. *Nosti hominis tarditatem.* ibid. IV, 4, 9. IX, 13, 8. Plin. Epp. I, 5. cf. Bremi. ad Nep. Datam. c. X, 3. Eumen. c. IV, 4. Drakenborch. ad Liv. IX, 30, 6. Burmann. ad Phaedri Fabb. II, 5, 19. — *Monere*, quod Fabr. 1. omisit, Cortius cupidius quam consultius expulit. Idem *ne* particulam auctoritate Guelf. 4. Struv. et Inc. 2. post *pestem* transposuit, quam temeritatem Gerlachius in textu non secutus est; sed in Comment. p. 309. hunc verborum ordinem etiam in Med. 9. Barber. 2. 5. inventum, „unice verum" iudicat, praestantissimos codices omnes in vulgato consentientes nihil moratur. Tanta est autem viri levitas, ut quod nuper summa confidentia *unice verum* dixisset, in ed. min. tamen non reciperet. — *Suane an Metelli virtute* scripsimus ex Bas. 1. Tur. 1. Bern. 1. Tegerns. Erl. Goerlit. Misn. et Paris. x., quem ordinem confirmant etiam paullo depravatae scripturae Vin. 1. *sua, Metelli virtute,* Guelf. 10. *sua, Metelline, an virtute*, et Guelf. 7. 11. *sua*, *an Metelli virtute.* Ceteri omnes libri, quantum coniici potest, habent *suane*, *an virtute Metelli,* quem ordinem in omnibus edd. receptum legitimus dicendi usus respicit. Nam oppositio quum non ad praedicata diversa, sed ad

LXXI. Sed quum hae litterae allatae, forte Nabdalsa exercito corpore fessus in lecto quiescebat,
2 ubi cognitis Bomilcaris verbis primo cura, deinde,
3 uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam, negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum, nisi novissumi, parti-
4 ceps. Qui postquam allatas litteras audivit, ex con-

personas diversas spectet, quibus idem praedicatum est, recta ratio postulat non solum eas voces, in quibus vis oppositionis est, iuxta poni, sed etiam praedicatum talem locum habere, ut intelligas ad utramque personam pertinere; quod secus est in vulgata, quae ita comparata est, ut *virtutem* putes alii rei, quae non virtus sit, oppositam esse. cf. annotata ad c. LXXIV, 1. ubi eodem modo a Cortio peccatum est, ac v. etiam LXXXV, 13. *Sua* Perizon. ad Sanct. Minerv. II, 12. p. 321. ed. Bau. ac Faber simul ad Nabdalsam et ad Bomilcarem referri volunt; quod quamquam per grammaticam licet, tamen haud scio an rectius pronomen ad solum Nabdalsam spectare putes, quum et antecedentia et sequentia ad huius tantummodo personam dirigantur, Bomilcare, quo certius socium permoveret, callide ita dicente, quasi in illo uno omnia posita essent. — *Cum animo suo* i. e. *secum;* v. ad c. XI, 8. et XXXIX, 5.

LXXI. §. 1. *allatae*] Verbum auxiliare plerique codd. ignorant, pauci varie supplent; nam in Leid. A. M. additum est *fuissent*, in Leid. G. et Eichhof. *essent*, in Berol. 2. Goerlit. et Misn. *forent*, in Leidd. H. N. *sunt*, quod unum recte suppleri potest, quum sensus sit: *eo tempore, quo h. l. allatae sunt;* v. Zumpt. Lat. Gramm. §. 78, 11. p. 421 sq. ed. IV. — Pro *exercito* aliqua codd. pars habet *exercitato;* sed illud non solum meliores libri omnes, verum etiam ipsa sententia tuetur. Nam quum *exercere* duplici sensu dicatur, ac modo significet vires periclitari et augere studere, modo idem valeat atque exagitare, vexare maleque habere, frequentativum, quippe quo repetitio ordine et ratione facta indicetur, nonnisi priorem sensum habere potest, qui ab hoc loco est alienus. Quare, quum illa verba germanice significent *durch körperliche Anstrengungen ermüdet*, facile intelligitur *exercito* veram scripturam esse. cf. Liv. I, 56, 3. *His laboribus exercita plebe*, cf. supra ad c. XL, 5.

suetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introiit, dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit, dein propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa post paullo experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta erat, cognovit, primo indicem persequi conatus, post-

§. 2—4. *aegrum animum*] i. e. curis vexatum et agitatum; cf. Doederlin. Synonym. Latt. Vol. IV. p. 172. — Ad *cepit* facile supplebis *eum;* v. ad c. XLVI, 8; neque tamen pronomen ex verbis *aegrum animum* elicias, ut Langius vult, sed ex *quiescebat.* Ad verba *aegrum animum* vero ex sequenti *cepit* trahes *capere;* cf. c. XLIX, 2. Fragm. Historr. Inc. 17, 4. *Qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt,* ubi ad *voluere* ex sequenti verbo addendum est *uti.* — *Consiliorum particeps,* cf. Catil. XVII, 5. Iustin. I, 4, 6. Sueton. Othon. c. III, in. Plin. H. N. II, 12. Cort. — Post *audivit* haud pauci codd. *et* inserunt, quo mirifice languet oratio, enunciatione secundariâ, qua caussa continetur eius rei, quae in apodosi affertur, ad protasin adiunctâ. Quare cum Cortio meliores libros secuti sumus, qui copulam non habent, ita ut *ratus* participium sit. Gerlachius vero *et* in textu ed. mai. expressum in Commentt. p. 309. improbat, ac rursus, pro inconstantia sua, in ed. minore in auctoris verba intulit. — *Ingenio* i. e. consilio; hoc igitur de rebus consultandis, *opera* de exsequendis et gerendis intelligendum est. — *Introiit* Gerlachius recte scripsit, optimis codd. Bas. 1. Fabr. 1. Leid. L. Paris. c. x. z., ac praeterea Guelf. 9. Bern. 1. 3. Berol. 1. et Goerlit. ita suadentibus. In ceteris aut *introivit* est, quemadmodum Cortius scripsit, aut *introit,* ut Bipp. dedere. — *Temere* i. e. incaute, imprudenter, negligenter.

§. 5. *post paullo*] Hoc ordine haec verba tantummodo exstant in Fabric. Rivii et Paris. x. z. Relicui habent *paullo post,* quod cur non receperimus patet ex annotatis ad c. LVI, 3. Gerlachius in ed. mai. illud, in ed. min. hoc probavit. — *Erat* post *acta* ab solo Inc. 2. abest, quem Cortius sequitur. — Ante *cognovit* paene omnes codd. habent *ex perfugis,* quod plane absurdum esse res ipsa docet, scilicet sine arbitris patrata. Quae quid ad perfugas? Quod sentientes scribae in aliquot codd. ex ingenio aliam vocem substi-

quam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit; dicit, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa; lacrumans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

LXXII. Ad ea rex, aliter atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis,

tuerunt, velut *servis* in Palat. 3. Leid. C. K. Bern. 1. Med. 8. Ven 1. Paris. z., *scurris* in Guelf. 3., *expertus* in Nazariano, ex quibus tamen nihil proficias. Ne multa, locus interpolatione corruptus est, eo fortasse orta, quod scriba antiquissimi cuiusdam codicis, unde posteriores fluxerunt omnes, ex c. LXXIII, 1. verba *ex perfugis* huc transtulit. Cuius rei hanc caussam fuisse coniicio, quod ille, qui hoc fecit, perperam ibi coniunxit *indicio patefacto ex perfugis*, quum potius coniungendum sit *ex perfugis cognovit*. Ad aliam depravationis originem ducit *expertus*, ut in Nazar. legitur. Quod si statuas in contextum venisse, quia scribae oculi ad *experrectus* vocabulum in praecedente versu lectum aberrarent, facile fieri potuit, ut alii *expertus* in *ex perfugis* mutarent, sive ex similitudine litterarum, sive ex coniectura de sensu loci in hanc interpolationem delapsi. Sed utut est, vera scriptura nostri loci in uno Wassii cod servata est, qui inepto additamento caret. — *Dicit*, quod in Guelf. 2. deest, Cortius eiecit, eo confirmatus in tam inconsulto iudicio, quod Ecc. Guelf. 7. et 12. habent *dicitque*, unde contrarium potius probes. Idem *facere*, quod vocabulum in Fabr. 1. Guelf. 3. ac duabus edd. Venett. ante *praeventa* legitur, expulit. Quod quum Gerlachius etiam in Vatic. 5. invenisset, qui liber praeterea *dicebat* pro *dicit* exhibet, eo Cortii ingeniosam mutationem extra omnem dubitationem positam esse confirmat. Credat, qui velit! Nam si tantillae discrepantiae interpolationem aut corruptelam probant, nullus paene versus Sallustii est, quin corruptus putandus sit. Sed talia iudicia aegri ingenii somnia esse ex eo cognoscas, quod idem Gerlachius in ed. minore utrumque vocabulum retinuit. — *Super* pro *de* aurea aetate dictum quidem fuit, sed multo frequentius apud seriores in usu erat; cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 65. p. 261. ed. IV. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 449. Grysar. Art. Latine scribendi p. 462. §. 3.

quos socios insidiarum cognoverat, interfectis iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur.
Neque post id locorum Iugurthae dies aut nox ulla 2
quieta fuit; neque loco neque mortali cuiquam aut tempori satis credere, civis, hostis iuxta metuere, circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere, alio atque alio loco, saepe contra decus regium,

LXXII. §. 1. *rex, aliter atque* etc.] Haec verba plerumque vitiosa interpunctione distincta leguntur, commate, quod post *rex* collocandum est, post *aliter* posito, quo fit, ut verba *aliter atque animo gerebat* ad *respondit* referantur. Sed huic rei obstat *placide,* quae vox primaria est in praedicato definiendo, quum sensus sit *rex placide respondit.* Quare antegressa verba ita sunt intelligenda, ut ad hoc ipsum *placide* (de quo v. ad c. LXXXIII, 2.) pertineant, quod fit, si quasi appositionis loco adverbio praemittuntur. — *Oppresserat* non rem narrat, ut praeteritum *oppressit*, sed *iudicium* Sallustii continet, qui insecutum tempus cogitatione praecipiens, ex eo, quod Iugurtha Nabdalsam impunitum sivit, coniicit, illum *tum oppressisse* iram; cf. ad c. LVII, 6. Ceterum *opprimere,* quod nonnullis interpretibus non satis recte dictum visum est, ut adeo *presserat* mallent, bene se habet; quippe non ad vim aliquam, sed ad artificium spectat ac significat *compescere, continere, tegere*; cf. Cic. p. Rosc. Am. c. 41, 121. *Est quiddam, quod occultatur; quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet.* id. Acadd. II, 11, 36. *Notum iis esse debebit insigne veri; quo obscuro et oppresso quod tandem sibi verum videbuntur attingere?* Tusc. II, 14, 33. *Dolorem opprimi dico patientia.* Seneca Consol. ad Helv. c. XVI, in. *Optimum inter pietatem et rationem temperamentum est et sentire desiderium, et opprimere,* qui loci omnes Wassio debentur.

§. 2. *post id locorum*] De hac dictione v. ad c. LXIII, 6. Inepte in nonnullis codd. legitur *post id negotiorum.* — Pro *fuit* Cortius ex Guelf. 3. temere scripsit *fuere.* Quae sequuntur verba auctor in simili re iam posuit Catil. XXXI, 2. — *Civis, hostis* Cortius recte scripsit, pro *cives hostesque*, quemadmodum Gerlachius vulgatam secutus edidit. Copula abest a Commel. Guelf. 1. Inc. 2. quattuor Wassii, Paris. x., et, si fides Havercampio, in Leidd.

noctu requiescere, interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere; ita formidine quasi vecordia exagitari.

LXXIII. Igitur Metellus, ubi de casu Bomil-

omnibus, quae testimonia persuadent *ἀσύνδετον* auctoris orationem a scribis ad vulgarem dicendi formam revocatam esse; cf. ad Cat. XI, 2. Iug. XVII, 5. LX, 4. — Pro *metuere* in Erlang. est *timere*, quod quam parum huic loco conveniat, quum praecedat *non satis credere*, sequatur *circumspectare*, facile senties, collatis iis, quae c. LXX, 5. de utriusque verbi potestate diximus. *Circumspectare* nimiae cuiusdam et anxiae cautionis a metu profectae notionem habet; cf. Tacit. Ann. IV, 69, 4. *Etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.* Historr. IV, 8, in. *Animus novo principatu suspensus et vultus quoque et sermones omnium circumspectans.* Cic. in Pison. c. 41, 99. *Circumspectantem omnia, quicquid increpuisset pertimescentem vidi.* — Verba *alio atque alio loco* iam mature vitium traxerunt; nam *alio atque* deest in Guelf. 1. 2. 6. 7. Sen. 1. 2. Fabr. 1. 2. Vinar. 1. Bas. 1. 4. Vrat. 1. 3. Acad. Struv. Inc. 1. Rem. 1. 2. Franc. Heuss. Leid. I. Mark. *Δ. Γ.* Bodl. Arond. Reg. Laud. 2. 3. Bern. 3. Teg. Berol. 1. 2. Goerl. Paris. b. c. x. z. In quibus quamquam libri satis bonae notae sunt, tamen sensus docet ceteros genuinam scripturam servasse, qui habent *alio atque alio loco;* nam ita demum crebra mutatio loci recte designatur. cf. Liv. I, 8, 4. *Crescebat interim urbs, munitionibus alia atque alia appetendo loca.* II, 11, 2. *Ut praedatum milites trans flumen aliis atque aliis locis traiiceret.* XXX, 28, 8. *Quum assuescerent per aliquot annos bellum aliis atque aliis in Italiae partibus gerere.* Curt. IV, 1, 35, *Tribus proeliis alia atque alia regione commissis.* Plin. H. N. II, 103. *In Reatino fons Neminie appellatus alio atque alio loco exoritur.* Plura vide apud Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XX, 20, 9., qui locus tamen ipse huc non pertinet, coll. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 499. III, 1. — Pro *excitus* pauci libri *excitatus* habent, quod merito nemo editorum vulgatae praetulit; v. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. VII, 36, 2. I, 7, 6 Tacit. Hist. III, 55. — Ad verba *arreptis armis tumultum facere* Cortius bene annotat: „quasi adessent, qui vim pararent." — *Formidine quasi vecordia* iisdem verbis repetitur c. XCIX, 3. cf. Fragm. Histor. I, 24.

caris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, si- 2
mul et invisum et offensum sibi parum idoneum ra-

Formidine attonitus neque animo, neque auribus aut lingua competere. Recte autem Cortius: in *formidine*, inquit, plerumque est quaedam amentia. Quippe *formido* est summus timor, ubi animus confusa quadam infiniti et ingentis mali cogitatione plane perturbatus est; v. Doederlini Synonym. Lat. Vol. II. p. 201. §. 23. Quid autem inter *formidinem* et *timorem* ac *motum* intersit, facile intelliges coll. annotatione ad c. LXX, 5.

LXXIII. §. 1. *de casu*] *Casum* Cortius h. l. recte intelligit mortem vel supplicium; cf. c. XIV, 22. et v. annotata ad Cat. XXXV, 4. De structura *cognoscere* verbi cum *de* praepositione cf. dicta ad c. LXXXIV, 3. — *Patefacto* Langius dictum censet pro *facto*, quod parum placet. Sed quum proprie dicendum esset *insidiis indicio patefactis*, dictio a Sallustio usurpata ad quoddam pleonasmi genus referenda videtur, haud dissimile ei, quo usus est Terent. Heaut. V, 4, 21. *Neque quod principium incipiam scio;* Livius XXXIX, 23, 5. *Inchoata initia a Philippo sunt;* et Tacitus Annall. XIII, 10, 2. *Quamquam censuissent patres ut principium anni inciperet mense Decembri.* Neque alienum fuerit comparare locutiones *rursus redire*, *prius praecipere*, *ante praeoccupare*, de quibus diximus ad Catil. XVIII, 6. p. 88. Scilicet quo *apertae rei* notio clarior et fortior foret, auctor et substantivo et verbo usus est, in quo utroque haec vis inesset, pariter ut in illis dicendi modis alterum vocabulum idem significat, quod iam in verbo inest. cf. etiam quae diximus ad c. LXXXIII, 3. et ad LXXXV, 4. — *Tanquam ad integrum bellum* significat: quasi nulla bellum componendi spes affuisset, quasi flagrante bello et nulla ex parte imminuto; cf. Tacit. Hist. II, 57, 1. *Vitellius ut ad integrum bellum relicuas Germanici exercitus vires trahebat.* Curt. IX, 4, 16. *Postquam integrum bellum cum ferocissimis Indiae gentibus superesse cognoverunt.* cf. supra c. LXII, 9.

§. 2. *fatigantem*] Nihili est, quod Gerlachius et Iaumannus censent *precibus* esse supplendum; v. notata ad c. XI, 4. — Statim post scripsimus *invisum*, uti exstat in Palmerii cod. Thosano et Berliniano, Coleri cod. Rittershus., Mark. *A*, et fortasse, excepto

3 tus, domum dimittit. Et Romae plebes, litteris, quae de Metello ac Mario missae erant, cognitis,
4 volenti animo de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quae antea decori, invidiae esse; at illi al-

Pembroch., in ceteris Wassii omnibus, Palat. 5. 7. 9. Leid. H. N. Rem. 1. Guelf. 7. 8. 9. 10. 11. Struv. Inc. 1. 2. Acad. Vrat. 1. 2. 3. et Misn. Ceteri omnes, in quibus sane sunt praestantiores libri, habent *invitum*, quod recte ad Marium referri posse non adducor ut credam. Nam *invitus* per se non esse potest *solius substantivi* epitheton, sed rationem, quae *inter substantivum et verbum* est, designat; neque enim dicitur *Marius invitus*, aut *Marius invitus est*, sed *M. aliquid invitus facit*, *invitus abit*, *invitus manet*, *invitus paret*, etc. Quod Cortius autem explicat: *invitus erat cum Metello*, i. e. *manebat*, aliquid intulit, quod in verbis non inest. Praeterea *invitus* otiosum vocabulum est, quum sequatur *offensus;* nam qui offensus est, eum per se patet alieno esse animo in eum, quem oderit. Quare unice verum putamus *invisum*, quod eo modo refertur ad *offensum*, ut c. LXX, 1. sibi respondent verba: *Bomilcar suspectus regi et ipse eum suspiciens*, ubi plura eius generis attulimus; scilicet *inter se* grave odium exercebant Marius et Metellus: *Offensum* enim absolute dictum valet *infensum*, *iratum*, *inimicum;* neque vera est Cortii sententia, qui *offensum* ex *sibi* aptum esse dicit, ita, ut dativus significet *a se*. *Sibi* enim, quod pertinet ad *idoneum*, interpretandum est *suis consiliis atque rationibus*, cui sententiae optime convenit vocabuli *idoneus* potestas, quo significatur aliquis, qui ita comparatus est, ut ad aliquid agendum commode adhiberi possit; v. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. III. p. 276. et cf. ad Cat. LI, 27. *Simul* autem verba *et invisum et off.* non comprehendit in unum, sed ad verba *fatigantem de prof.*, quae unam caussam missionis continent, alteram adiungunt, *sibi parum idoneum ratus*, cuius caussae rursus caussam afferunt praemissa verba *et invisum et offensum.*

§. 3. et 4. *litteris, quae de Metello* etc.] cf. supra c. LXV, 4. — *Volenti animo* i. e. animo qui ista vellet, sive *talibus faveret*, (v. ad LXXXIV, 1. coll. c. CIII, 6.) i. e. uno verbo *cupide* aut *lubenter acceperant*, ut recte interpretatur Iaumannus. Coecutiunt enim, qui cum Cortio haec pro dativis habent, quasi hoc loco eadem structura sit, quae habetur infra c. LXXXIV, 2. *Quia*

teri generis humilitas favorem addiderat; ceterum in utroque magis studia partium quam bona aut mala sua moderabant. Praeterea seditiosi magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capi-

neque plebi militia volenti putabatur. Minus perversa quidem, quod ac structuram attinet, Palmerii est coniectura: *volentia* (omisso *animo*) *de amb. acceperant;* sed praeterquam, quod valde inutilis est, videndum etiam, ne sensu deterior sit, quam vulgata. Ceterum participia ablativum legitime in *i* terminant, ubi notione temporis abiecta in meram adiectivi vim abeunt, quo substantivi natura et indoles describitur; v. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 28. p. 45. III. not. 5. b. ed. I. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 7, 25. p. 50. — *Quae antea decori* scripsimus cum Cortio ex cod. Rem. 1. Vrat. 3. Mediol. 1. et Venet. 3. Alii enim libri post *decori* addunt *fuit*, alii *fuerat*, unus *erat*, ex qua magna diversitate recte coniicias verbum primitus abfuisse, structura tali, qualem notavimus ad Catil. XLVII, 2. p. 215. Si tamen verbum necessarium ducas, *fuit* ponendum erit, quippe quod optimi codd. velut Fabr. 1. Sen. 1. Bas. 1. Tur. 1. Paris. c. x. Berol. 2. et Goerl. cum multis aliis teneant.

ceterum in utroque magis studia — moderabant] Locus in paucis difficilis, et scripturae pariter discrepantia quam interpretum explicatione vexatus. Vulgo pro *moderabant* editur *moderata* (sc. *sunt*), ut multi codd. habent; quod verbum Cortius quum interpretatus esset *regnarunt*, *viguerunt*, totius loci sententiam hanc esse dicit: „magis ex studiis partium Metellum invidia, Marium favor *sequebatur*, quam ex bonis *virtutibus* aut *vitiis eorum*" Sed ista interpretatio ut neque verbum ullum, neque sententiam Sallustii attingit, ita propterea falsa est, quod *moderari*, activi sensus verbum, nullo modo intransitivum fieri potest, ac ne minima quidem ex parte ad vim verborum *regnare* et *vigere* accedit. Tum *bona* et *mala* alicuius nunquam significant animi ingeniique virtutes aut vitia, sed res atque condicionem secundam aut adversam. Denique huic explicationi, quam nihil commendat, etiam obest *sua* pronomen, quod in sententia a Cortio proposita nullo pacto tolerari posse ipse nescius professus est, in paraphrasi *eorum* substituens. Eum presse sequuntur Langius, Muellerus, Iaumannus, nisi quod hic, ut demonstret *moderari* idem esse atque *vigere* aut *valere*, pessime con-

6 tis arcessere, Mari virtutem in maius celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque

fert Cic. Acadd. II, 37, 119. *mens omnia moderatur, movet, regit*, et de Finn. II, 25, 81. *multi Epicurei fuerunt graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes*, quae exempla coecus videat nostro loco dissimillima esse. Weisius, qui pro *moderata* scripsit *moderari*, verba sic explicat: „in quo utroque *iudicando* magis studia partium *sese ostendebant*, quam *vitia* aut *virtutes eorum respiciebantur*. Quae interpretatio cunctis Cortianae vitiis, et pluribus etiam laborat. Sed cur verbi *moderari* interpretatio tam parum cederet editoribus, caussa haec fuit, quod *studia, mala* et *bona* pro subiecto habuerunt, quod falsissimum esse iam pronomen *sua* quemvis docere poterat. Ex altera parte locus obscuratus fuit interpolatione scribarum, qui et structura loci non intellecta, et insolenti verbi forma offensi varia tentarunt. Nam *moderabant*, quod edidimus, tantummodo exstat in Vin. 1. Fabric. 1. Tegerns. et Berol. 2.; his prope accedunt Fabric. 2. Guelf. 2. 3. 9. Leid. G. Bern. 3. Eichhof. et Emmeran. qui habent *moderabantur*; in ceteris legitur vel *moderata sunt*, vel *moderata*. Praeterea in edd. antiqq. fuit *moderatur*, *moderantur*, et *moderari*, quod postremum Weisius ex Gryphiana min. nuperrime repetiit. Quodsi quaeris unde haec omnia orta sint, respondemus ex *moderabant*, non solum activa verbi forma insolita, sed etiam subiecto enunciationis ita recondito, ut scribae pro captu suo expeditiorem rationem ineundam censerent. Subiectum est autem *plebes*, quod per synesin inest in *moderabant*, ut paullo ante in *acceperant*, et ad *plebem* etiam spectant verba *bona aut mala sua*. *Moderare* autem quo sensu dictum sit, facile e primaria verbi potestate cognoscitur. Nam *moderare* vel *moderari aliquid* significat aliquid instituere ac regere; quae autem regimus, iis sumus intenti, ea spectamus et curamus. Quare totius loci sensus hic est: in utroque (i. e. *respectu* utriusque viri, cf. ad Catil. LI, 35. p. 256.) magis *intenti erant* (plebs) in studia partium, quam in bona aut mala sua; sive: magis quaerebant, quomodo adversam in civitate partem affligerent, quam quomodo sibi ipsis prospicerent. Vides igitur scriptura a nobis recepta non solum difficultates totius structurae ac significationis verbi tolli, sed praeclaram etiam sententiam ea contineri, similem illi, quam auctor supra c. XLII, 4. proposuit, et huic nostro loco valde accommodatam.

omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus frequentarent Marium, et sua ne-

§. 5. *seditiosi magistratus*] Intelligendi sunt *tribuni plebis;* cf. Catil. XXXVIII, 1. ubi simul dictum est de *exagitare* verbo. — *Capitis arcessere* Gerlachius et Iaumannus non de ipsa accusatione instituta intelligendum censent, sed tantum de *minis* tribunorum, se illum accusaturos esse. Nobis vero ista verba hyperbolice dicta videntur, ut sensus sit: ita in eum invehebantur, tam gravia ei obiectabant crimina, quasi capitis arcesserent. Cur autem *accersere*, quod pauci libri habent, improbemus, diximus ad c. XXXII, 1. — *In maius celebrare* Cortius recte censet dictum esse ad Thucydidia verba I, 21. ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν, ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες. Ita Sallustius in Histor. Fragm. Inc. 66. Ger. dixit: *in maius componere*. Tacit. Annall. XIII, 8, 1. *Omnia in maius celebrata sunt.* ib. XV, 30, 1. *Cuncta in maius attollens.* Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 31, 4. Cort. ad Plin. Epp. III, 11, 1.

§. 6. *plebes*] Ita scriptum in Bas 1. Fabr. 1. Sen. 1. Vin. 1. Guelf. 3. Goerlit., qui libri omnes etiam supra §. 3. eandem formam exhibent. Praeterea h. l. Paris. c. x. z. aliique accedunt. — *Accensa* Cortius bene vidit non esse *irritata*, sed praegnanti sensu significare *studio* in Marium *accensa*, quemadmodum auctor supra c. VI, 3. dixit. — *Res* ubi *fidei* est oppositum significat ea, quae quis vere possidet, familiares opes praesentes, Ter. Heaut. III, 1, 77. Hecyr. II, 1, 27. Liv. XXXIII, 46, 2. *Fides* autem pertinet ad usum earum rerum, quae quis non ipse possidet, sed quarum ab alio ei copia fit, quoad ille *fidit* alterum reddendo parem fore, id quod vernacula voce *Credit* significatur. Saepissime autem haec coniuncta reperiuntur; Fragm. Histor. III, 11, 9. *Non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi.* Plaut. Truc. I, 1, 24. *Extemplo et ipsus perit, et res et fides;* ibid. v. 38. *Quum rem fidemque nosque nosmet perdimus.* Epidic. II, 2, 36. *Ubi fidemque remque seque teque properat perdere.* Mostell. I, 2, 64. Cic. in Catil. II, 5, 10. cf. etiam Liv. XXIII, 48, 9. Cort. *In manibus* idem valet atque Catil. XXXVII, 7. *in manuum mercede.* Sensus est igitur: qui nihil plane habebant, praeter *mercedem diurnam;* cf. Catil. XLVIII, 2. et Fragm. Historr. I, 19, 7. — *Frequentare aliquem* est frequenter eum adire et circa eum esse *honoris caussa;* cf. Tacit. Ann. V, 10. *Iuvenis iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur.* XIII, 18. *Ne coetu*

7 cessaria post illius honorem ducerent. Ita perculsa nobilitate post multas tempestates novo homini consulatus mandatur; et postea populus, a tribuno plebis Manlio Mancino rogatus, quem vellet cum Iugurtha bellum gerere, frequens Marium iussit. Sed

salutantium f r e q u e n t a r e t u r Agrippina. Hist. II, 16. *Digressis, qui Pacarium f r e q u e n t a b a n t.* Perperam autem apud Arus. Mess. v. *posthabeo* (Corp. Gramm. Latt. Vol. I. p. 255. ed. Lindem.) pro *honorem* scriptum est *negotium*, quod memoriae lapsu factum putamus. *Honorem* intellige de consulatu nobilibus quasi extorquendo et Mario conferendo.

§. 7. *post multas tempestates*] Haec non significare *post multas turbas et certamina* recte vidit Cortius; nam *tempestates* h. l. de *tempore* esse intelligendas perspicitur hac sententia cum c. LXIII, 6. comparata. Ceterum hoc sensu usitatior est singularis; pluralis tamen etiam legitur Catil. LIII, 5. et infra c. XCVI, 1. CVIII, 2. Liv. I, 5, 2. X, 11, 9. — *Nobilitate p e r c u l s a*, uti auctor supra iam dixit c. XLII, 1., idem significat atque *nob. f u s a*, quod explicavimus ad c. LXV, 5. — *Mancino* recte ita scriptum exstat in Commel. Sen. 1. Leid. L. Paris. b. z. Palat. 7. Franc. Leid. C. et Misn. cf. Pighii Annall. T. III. p. 116. Ceteri codd. multum variant, vel *Mantino*, vel *Mancio*, vel *Mancilio*, vel corruptius etiam exhibentes. Praenomen tribuno utrum *Manilius* an *Manlius* fuerit, non certo constitui potest; tamen in posteriore longe plurimi libri conspirant. — *Vellet* et *iussit* verba, in formula solenni rogationis promulgandae coniuncta (v. ad c. XL, 3.) hic re ipsa suadente ita disiunxit auctor, ut illud ad rem prius deliberandam, hoc ad decernendam referatur. — In postremis verbis: *Sed senatus paullo ante Metello Numidiam decreverat*, codd. tam mirifice discrepant, ut et singulas varietates afferre longum sit, neque certam tantarum turbarum caussam reperire liceat. Nam ut pauci post *Numidiam* addunt *provinciam*, quae haud dubie interpolatio est, ita in aliis utrumque deest; in aliis praeter *Numidiam*, quod pauci tantum habent, simul desideratur *senatus*, in aliis *ante*, in aliis *Metello*, in aliis *ante Metello*, in aliis plura simul; praeterea in nonnullis pro *Metello* legitur *Decio*, alii autem etiam varie transponunt verba, maxime *senatus* et *Numidiam.* Gruterus his ad desperandum adactus omnia pro glossis habet. Cortius tantummodo *sed* et *Numi-*

senatus paullo ante Metello Numidiam decreverat; ea res frustra fuit.

LXXIV. Eodem tempore Iugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum

diam abiicit, illud ex compendio *senatus* vocabuli ortum dicens, hoc ab imperitis scribis illatum iactans, „qui *decernere* absolute positum non concoquerent, quum tamen ἀπὸ κοινοῦ intelligatur *bellum cum Iugurtha gerendum*." Cui inconsulto iudicio quamquam hoc obstat, quod *sed* in omnibus codd., uno Sen. 1. excepto, legitur. *decernere* autem in hoc nexu neutiquam cum dativo personae construi potest (nam Cortii ratio *Metellum* postularet), Gerlachius tamen haec pro veris venditat. At vulgatam scripturam a nobis repetitam aeque structurae legibus atque sensui necessario satisfacere facile concedas. Quae quum in codd. Rivii, novem Wassii, Palat. 1. 10. 11. 12., omnibus Leidd. excepto N., Guelf. 7. 8. 11. Vin. 2. Eccard. Struv. Acad. Sen. 1. Franc. Vrat. 1. et 3. exstet, quibus proxime accedunt ii, qui *provinciam* additum habent, horum auctoritatem sequi satius duxi, quam ex ceterorum ineptis sane scripturis coniecturam quaerere. Cur in quibusdam libris *Metello* desit, eo explices, quod scribae *paullo* pro nomine proprio habuerunt; sed reliqua unde orta sint, vix dicas, nisi complura scribendi compendia male intellecta variis deinceps corruptelis ansam dederunt.

LXXIV. § 1. *amissis amicis*] *Amicos* hic vocat, qui sunt circa regem, consiliarii et administri rerum gerendarum, *proximi*, uti Bomilcarem appellat c. XXXV, 4. Iustin. XI, 10, 4. *Alexander Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliosque amicos ad recipiendas Asiae civitates misit.* ib. IX, 8, 17. *Alexander amicorum interfector convivio frequentior excessit.* XXXIV, 3, 3. *Antiochus quum consultationem ad amicos referret.* CORT. Plura *Iustini* exempla Wetzelius in indice latinitatis contulit h. v. p. 52. Adde Hertel. in Forcellini Lex. h. v. p. 155. — *Necaverat* verbum explicavimus ad c. XXVI, 3. — *Ceteri* cur dixerit Sallustius, non *ceterorum*, quum sequatur *pars — alii*, patebit ex dictis ad c. XIX, 1. Scilicet ex oppositionis ratione *plerisque* respondent *ceteri*, non *pars* et *alii*, quae voces per appositionem ad vocabulum *ceteri* referuntur. — De ordine verborum *ad regem Bocchum* v. ad c. XIX, 7. — Vim *administer* vocabuli illustravimus ad c. XXIX, 2; parum

profugerant, quum neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabat; neque illi res, neque consilium aut

recte nonnulli codd. habent *ministris.* — Pro *et novorum* olim edebatur *novorumque*, quemadmodum sane aliquot codd. exhibent. Sed quum longe plurimi optimique *et* ostendant, in aliis autem nulla plane copula sit, ex eo intelligitur *et* primo postremis litteris *posset* verbi absorptum esse, in eiusque locum scribas deinde *que* ex ingenio substituisse. Particulas *neque* — *et* explicavimus ad c. I, 5. — *In tanta perfidia;* v. ad c. XXXI, 24.

varius incertusque agitabat] *Varius* recte exstat in Rivii codd., Commel. Nazar. Rem. 2. Guelf. 6. 7. 8. Vrat. 1. 2. Leid. A. C. D. E. F. G. I. L. M. Bern. 3. Erl. Teg. Paris. c. x. z. Ceteri vel *vanus* habent, vel *vagus*, ineptâ sententiâ, quum Sallustius hoc agat, ut demonstret Iugurthae propter metum *certum* et *stabile* consilium, quod sequeretur, *non fuisse. Varium* enim dicitur omne, quod sibi non constat, quod frequenter mutatur, et modo huc, modo illuc fluctuat; v. ad c. XLIII, 3. et cf. Daehne ad Nep. Paus. I, 1. ac Doederlin. Synonymm. Latt. Vol. III. p. 269 sqq. Quam saepe autem et quam facile confundantur *varius* et *vanus* cognoscas ex nota Drakenborchii ad Liv. XXII, 7, 4. — *Agitabat* Cortius recte vidit veram scripturam esse pro vulgata *agitabatur*, quam fere omnes codd. tenent, praeter Commel. Fabric. 1. 2. Teg. Paris. c. x. z. Horum auctoritas eo etiam confirmatur, quod in Vatic. 1. legitur *agitabat se*, unde patet scribas *agitare* verbi vi intransitiva non intellecta, de qua v. ad Catil. XXIII, 3. et ad Iug. XVIII, 9., planiorem structuram interpolatione quaesivisse. — De *illi* pronomine cf. notata ad c. LIX, 3. et LXV, 5. — *Aut* ne putes pro *neque* dictum esse monuimus ad c. XVIII, 2. — Pro *hominum* frequenti confusione (v. Drakenborch. ad Liv. I, 32, 13. IX, 8, 11.) in multis codd. legitur *omnium*, quod h. l. falsum esse non tam colligitur ex c. LXXII, 2., ut Cortius censet, quam ex eo, quod *omnes* non opponuntur *singulis* antea memoratis, sed quod *rebus* et *consiliis* oppositi sunt *homines.* — *In dies* est *in singulos dies* sive cotidie; v. ad c. XLIV, 5. — *Modo* — *interdum*, v. ad c. LXII, 9. — *Post paullo* primus scripsit Gruterus; confirmant Leid. L. Bas. 1. tres codd. Cortii, Vatic. 1. 3. 6. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. Re-

quisquam hominum satis placebat; itinera praefectosque in dies mutare, modo advorsum hostis, interdum in solitudines pergere, saepe in fuga, ac post paullo in armis spem habere, dubitare, virtuti an

licui habent *paullo post;* cf. ad c. LVI, 3. LXXI, 5. — Cum Gerlachio revocavimus vulgatum verborum ordinem *in armis spem habere;* Cortius enim dedit *spem in armis habere*, Gruteri tacitam auctoritatem et tres codd. suos secutus, quibus nuper Venet. 4. accessit. Sed hanc mutationem non solum maximus ceterorum librorum consensus, sed etiam ipsa oppositorum vocabulorum et ad commune praedicatum relatorum ratio redarguit; cf. ad c. LXX, 5. — Statim post *popularium*, quam vocem omnes paene codd. post *fide* habent, Cortius post *virtuti* collocavit, qui ordo est in Fabric. 1. 2. Guelf. 3. 6. Misn. et Goerlit. Sed quamquam recte ita dici potest, tamen neque caussa probabilis factae de industria transpositionis apparet, et sensus ipse utriusque scripturae idem est, ut propterea a codicum plurimorum consensu discedendum non putemus. In eo tamen Cortio sumus obsecuti, quod *fide* scripsimus pro *fidei*, ut est in vulgata. Nam antiquiorem dativi quintae declinationis formam incorruptam servarunt Ven. 1. et Min. 2. Qua offensi librarii duplici modo structuram, quippe quam diversam putarent, aequare studuerunt; plurimi enim, quod in proclivi erat, scripserunt *fidei*, alii, *fide* retinentes, pro *virtuti* dederunt *virtute*, ut Fabric. 1. et Misn., unde in nonnullas edd. antiqq. duplex irrepsit peccatum *virtute an fidei.* Dativi in *e* exeuntis ratio eadem est, quae genitivi, de quo casu v. ad c. XXI, 2. De tertio casu cf. Drakenborch. ad Liv. V, 13, 5. Hor. Sat. I, 3, 95. *Quid faciam, si prodiderit commissa f i d e?* — Ad *intenderat* Gerlachius, Iaumannus et Weisius, vim verbi ignorantes, supplendum censent *animo*, quod ex eodem genere est, ut c. LXXIII, 2. ad *fatigare* voluerunt *precibus* intelligi. Nam *intendere*, a simplici *tendere* non nisi maiore quadam vi diversum, per se habet potestatem conatus et consilii, ad aliquam rem directi, et pro cuiusque loci ratione valet vel *aggredi*, vel *spectare*, vel *constituere* vel *petere aliquid*; cf. c. LXIV, 1. *Ubi haruspicis dicta eodem i n t e n d e r e videt.* LXXXVIII, 6. *Quem locum Marius capere i n t e n d i t.* CII, 1. *Pervenit in oppidum, quo intenderat.* CVII, 7. *Quo ire i n t e n d e r a n t, perventum est.* v. etiam annotata ad c. CIV, 1. Simul notandus Weisii error, qui in-

fide popularium minus crederet; ita, quocumque in-
2 tenderat, res advorsae erant. Sed inter eas moras
repente sese Metellus cum exercitu ostendit; Numi-
dae ab Iugurtha pro tempore parati instructique;
3 dein proelium incipitur. Qua in parte rex pugnae

tenderat plusquamperfectum pro imperfecto positum esse censet. Quod falsum esse quivis facile videbit, qui reputaverit, *consilium* semper praecedere rem effectam, eoque recte illud verbum, in quo consilii notio inest, plusquamperfecto enunciari. Non alia ratio est, cur verba *posse*, *velle*, *licet*, *placet* ad futurum tempus relata et cum alia actione consociata futuro exacto ponantur, dum alterum verbum futuro primo effertur. De qua re perquam prudenter Augustus Matthias in Excursu ad Cic. or. in Catil. IV, 6, 11. p. 239. „Mihi, inquit, in his Romani id spectasse videntur, quod, etiamsi actiones, quae verbis *posse*, *velle*, etc. declarantur, continuari necesse sit, dum actio ab iis profecta perficitur, tamen *potestas*, *voluntas*, etc. praecedere etiam debent ipsam rem, nec quisquam unquam rem aggreditur, nisi potestas ac voluntas eam et suscipiendi et perficiendi antea affuerit."

§. 2. et 3. *instructique*] In multis codd. additur *sunt*, in duobus *erant*, sed non eodem loco. Recte vero abest verbum substantivum a codd. Putschii, Gruteri, Leidd. excepto K., Mark. *Γ*. *Δ*. Bodlei. Sen. Fabr. 1. 2. Eccard. Guelf. 2. 10. 12. Berol. 1. 2. Misn. Paris. b. c. x. z. — *Pugnae* deest in Sen. 2. Heuss. Guelf. 4. 11. et Med. 9. Omisit Cortius, recoquens cramben suam de brevitate Sallustiana, quae istam vocem tanquam supervacaneam respuat; ei credidit Gerlachius tum, quum in Ven. 1. invenisset *rex adfuit pugnae*. Sed egregium acumen suum in Commentt. p. 311. his verbis proditum: „unde *patet* *pugnae* a librariis additum," nihili esse in ed. min. ostendit, ubi ad vulgatam rediit. Merito. Nulla enim caussa est, cur pauci codd. protritae auctoritatis longe praestantissimis praeferantur. — Post *certatum* pauci libri adiiciunt *est*, quo non est opus. — In verba *ceteri eius milites* plurimi libri *omnes* inserunt; sed quum hoc vocabulum in aliis post *ceteri*, in aliis post *eius* collocatum sit, a Bern. vero 1. Erl. Misn. Ven. 1. Min. 2. Med. 4. et Barber. 5. absit, hoc satis certum documentum est, a librariis profectum esse, quibus Sallustii verba ad perspicuitatem vel gravitatem sententiae non sufficere viderentur. Perverso

affuit, ibi aliquamdiu certatum; ceteri eius milites primo congressu pulsi fugatique. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti; nam ferme Numidas in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt.

igitur iudicio Cortius verba *eius milites*, quae in omnibus codd. constanter servantur, eiicienda duxit, *omnes*, plus quam suspectum, retinuit. — Pro *congressu* Cortius inconsulto invexit *concursu*, quod tantummodo exstat in Fabr. 1. 2. Guelf. 6. Leid. H. et Goerlit., sensu quidem eodem, sed exigua auctoritate improbandum. — Melius idem editor in sequentibus *et*, quod in permultis codd. et edd. ante *aliquanto* legebatur, ope aliquot codd. sustulit; ii sunt Vin. 1. Guelf. 3. 10. 11. 12. quibus postea accesserunt Paris. E. Z. et Misn. Scilicet sibi opponuntur *aliquanto numero* et *paucorum*, structura verbi ita variata, ut interdum fieri ostendimus ad Catil. XXXIII, 1. p. 153. Quod quamquam luce clarius est, Weisius tamen, ut plurimas edd. veterum sordes repetiit, ita ineptam revocavit Gryphianae utriusque et Putschianae editionis scripturam: *Romani signorum et armorum, et aliquanto numero hostium potiti*. Vides, neminem ita scribere posse, nisi qui nesciat *aliquantum* significare *satis magnum* (cf. notata ad Catil. VIII, 2. p. 44. Iug. LXXIX, 4. et 7. LXXXVI, 4. CV, 4.), cui prorsus repugnant sequentia, quibus auctor *paucos* captos esse ostendit, propter fugae consuetudinem. Praeterea, qua prudentia *paucorum* omitti possit, quod vocabulum ad unum omnes codd. tenent, non assequor. — Pro *tuta sunt* multi codd. *tutata sunt*, alii *tutati sunt*. *Tuta* exstat in Commel. Naz. Palat. 2. Pembroch. Mark. *Γ*. Bas. 1. Fabric. 1. Eccard. Guelf. 1. 2. 3. 4. 9. 10. Leid. A. D. F. I. Ven. 1. Vatic. 3. m. p Med. 1. m. sec. Paris. A. b. z. Tur. 1. m. pr. et Goerlit., idque primitus in textu fuisse certo intelligitur ex eo, quod *Numidas* in Bas. 1. m. pr., Fabric. 1. m. pr., Tur. 1. m. pr., Tegerns., Paris. c. z. depravatum fuit in *Numidis*, quem casum scribae comminisci non potuissent, nisi *tuta*, in antiquissimis exemplis repertum, pro adiectivo habuissent. Id ipsum tamen Gerlachius in ed. novissima scripsit; sed quomodo *arma alicui tuta esse* possint, quamquam ipse haud dubie scit, alios docere omisit. *Tutatus* autem quum multo usitatior perfecti forma sit, quam *tutus* (v. ad c. LII, 4. Drakenborch. ad Liv. X, 37, 2. Oudendorp. ad Frontin. Strateg. II,

LXXV. Ea fuga Iugurtha, impensius modo rebus suis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum, ubi plerique thesauri filio-
2 rumque eius multus pueritiae cultus erat. Quae postquam Metello comperta sunt, quamquam inter

12, 3.), neutiquam hoc ex illo factum putes, sed contra *tutata* aeque ac *tutati* pro interpolatione *tuta* vocis habebis. Ceterum nota verbum attractione ad nomen secundariae enunciationis esse relatum, quod in *comparativis* enunciationibus frequenter fieri docuit Kruegerus de Attract. Ling. Lat. §. 29. p. 67 sqq. cf. Catil. XXV, 3. *Ei cariora semper* ***omnia***, *quam decus atque* ***pudicitia fuit.*** Iug. L, 6. *Sin opportunior fugae* ***collis***, *quam* ***campi fuerant.*** De vi perfecti diximus ad c. XVII, 6. Eo significari id, quod *fieri solet*, h. l. etiam ostendit addita *ferme* particula. — Quod *magis* in Cortii editione post *pedes* comparet, vel editoris vel typothetae errore factum est; neque enim ipse quicquam de ea re monuit, neque ullus cod. hunc ordinem habet.

LXXV. §. 1. *impensius modo*] Pessime Weisius *modo* vi adverbii pro *tantummodo* positum censet, de comparativo *impensius* valde securus. Qui incorrupto iudicio praeditus est, non dubitabit, quin sit *supra modum*, ut c. XLVII, 3. *Impensius* enim valet validius ac vehementius; cf. Cic. Epp. ad Famm. XIII, 64, 5 Sueton. Claud. c. XI. — *In oppidum* satis certam scripturam esse non affirmaverim, multi enim codd. *id oppidum* habent, quo modo nova enunciatio satis bene ad praecedentem accommodari potuit. Neque displicet, quod in Vatic. 5. et Med. 7. *in* pariter atque *id* abest, ita ut *oppidum* appositionis vi ad *Thalam* referatur, quemadmodum apud Ciceronem Rull. II, 28, 76. *Capuam colonia deducetur,* ***urbem*** *amplissimam atque ornatissimam.* Sed in sensu harum lectionum fere pari *in* praetulimus, quia plurimis optimisque libris sustentatur; nam, ne alios nominemus, ita exstat in Commel. Naz. Bas. 1. Sen. 1. Fabric. 1. Tur. 1. Teg. Berol. 2. Goerlit. Paris. b. c. x. z. Vix est autem quod moneatur, praepositione posita sequentia verba ex *pervenit* apta intelligi, sine *in* ad nomen pertinere. Ob codicum plurimorum consensum etiam statim post probandum *ubi plerique*; nam quod aliqua librorum pars habet *ibi*-

Thalam flumenque proximum, spatio millium quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat, tamen spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret, omnis asperitates supervadere, ac naturam etiam vincere aggreditur. Igitur omnia iumenta sarcinis 3
levari iubet, nisi frumento dierum decem; ceterum

que plerique ferri potest (cf. c. LXXVI, 6.), quamquam oratio demonstrativo paullum inelegans fit. — *Filiorum pueritiae cultus* quid sit, bene explicavit Herzogius ad Catil. XLVIII, 2; intelliguntur enim omnia, quaecunque ad *pueros regio more excolendos educandosque pertinebant*, velut domus ipsa, varia supellex, familia, puerorum educatores, et quae sunt alia huius generis, ad ornatum et magnificentiam regiam necessaria. Gerlachius, qui *cultu* tantummodo significari censet aurum, argentum, gemmas ac vestes, non satis ad potestatem *pueritiae* vocis videtur attendisse.

§. 2. *comperta sunt*] *Sunt* Cortius omisit, nihil de suis codd. monens; sed quum relicui omnes teneant, incuria excidisse videtur. De verbo *compertum* v. ad c. XVII, 2; de vi dativi ad c. XLVI, 2. — Ante *spatio* longe plurimi libri *in* addunt; quod quum a Latinorum usu valde abhorreat, Cortio assentimur, qui praepositionem abiiciendam censuit, licet duo codd., Guelf. 9. et Min. 2., addicant; neque est quod dubites, voculam ex ultima praegressi vocabuli littera ortam esse. Distantia autem duorum locorum legitime solo ablativo significatur; cf. infra c. XCI, 3 *Marius pervenit in locum, ab Capsa non amplius duum millium intervallo.* CVI, 5. *Iugurtham circiter duum millium intervallo ante consedisse.* Livii exempla Drakenborchius ad VI, 32, 9. contulit haec: XXV, 9, 8. *Ipse quindecim ferme millium spatio castra ab Tarento posuit.* XXV, 40, 9. *Ab hoste quattuor ferme millium intervallo consedit.* Ex quibus locis pariter intelligitur Romanos in mensura itinerum significanda *passuum* omittere solitos fuisse. Praeter c. XLVIII, 3. et locos a Cortio ascriptos, Liv. XXXVI, 10, 11. *Oppidum Gonni viginti millia ab Larissa abest;* id. XLI, 19, 9. *Urbs, quae fere duodecim millia ab castris Bastarnarum aberat*, vide plura apud Drakenborch. ad Liv. VI, 32, 9. ut XXV, 11, 8. XXVIII, 37, 4. XXXII, 6, 2. XLV, 10, 4. — *Patrare bellum* explic. ad c. XXI, 2. — Pro *oppidi* pauci codd. satis inepte habent

4 utres modo et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris, eoque imponit vasa cuiusque modi, sed ple-

oppido. Eo Cortius permotus est, ut verba *si eius oppidi potitus foret* uncis includeret, in nota subiiciens: „nihil verius, quam haec ab glossa esse profecta.“ Sed has nugas esse, verissimum!

§. 3. *iumenta sarcinis levari iubet, nisi frumento dierum decem*] Per quandam attractionem zeugmati affinem *levari*, quod priori tantum membro convenit, etiam ad posterius refertur. Sensus est enim: iubet iumentis, *detractis* sarcinis, *non maius onus imponi*, quam frumentum decem dierum; quae sententia eo efficitur, quod notio *minuendi oneris impositi* commutatur cum notione *parvi oneris imponendi.* — *Aquae* deest in Guelf. 3. et Inc. 2., quod Cortius perperam probat. Licet enim *idoneus* grammatice sine casu poni possit, tamen h. l. ipsa res postulat *aquae* addi, quum sine ea voce sententia obscura evadat. — *Portari* absolute quidem positum est, ita tamen, ut ad sententiam explendam cogitatione addatur *ab iumentis.*

§. 4. *eoque imponit*] Ita recte edidit Cortius. Gerlachius *que* abiecit, codd. Heuss. Sen. 2. Commel. Leid. L. Med. 2. 7. 8 inconsulto secutus. De structura *imponere* verbi diximus ad c. XLVII, 2. *Eo* scilicet adverbium est, ad eum modum usurpatum, quem illustravimus ad Catil. V, 2. et ad Iug. XIII, 5. — *Sed* ante *pleraque* omisit Cortius, nihil de suis codd. dicens. Nos cum Gerlachio revocavimus, quum pauci tantum libri, neque ii auctoritate insignes, ignorent, sensus autem valde commendet, quippe quo praegressa dictio ad angustiorem quandam notionem astringatur; v. ad c. LXXXV, 15.

§. 5. *Metello dederant*] *Dederant* omnes fere libri habent, cuius loco in antiquioribus edd. legitur *dediderant*, quod Weisius nuper repetiit; sed id huic loco minime aptum esse intelliges ex nota ad c. XXXII, 5. p. 198. — *Metello*, quod omnes codd. tuentur, fortasse offendat aliquem, quum tota enunciatio ad Metellum referatur. Sed quamquam dicere possis, negligentia auctoris Metelli nomen, proximo verbo *imperat* contentum, in secundaria enunciatione iterum positum fuisse, tamen perspicuitatis caussa id factum esse concedas, quum pronomini, quod cum *dederant* coniungatur, vix locus sit. — Pro *portaret* Cortius ex uno Guelf. 11. scripsit *portarent*; quod cur damnandum sit diximus ad Catil.

raque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquae por-

XXXVII, 6. p. 173. — *Forent*, quod cum Grutero et Bipp. edidimus, veram putamus scripturam, quamquam dubia nititur fide codicum. Nam licet in omnibus edd. antiquioribus ita scriptum sit, tamen neque Gruterus, neque Wassius, neque priorum quisquam de codicum scriptura verbo monuit. Hoc silentium eo admodum suspectum fit, quod in iis, qui postea ab Cortio, Havercampio et Gerlachio collati sunt, fere omnibus, quemadmodum etiam in nostris, est *fuerit*; in Guelf. 3. *fuerint*; in Bas. 4. *fuerunt*; in Franc. et Vatic. 2. *sint*; in Bern. 1. *foret*, et in uno, quantum coniici potest, Guelf. 8. *forent*. Ex his *fuerint* Cortio probatum, *fuerit* Gerlachio; sed utrumque grammaticae repugnat. Nam quod Basileensis editor dicit: „perfectum *ἀορίστως* positum videtur, cf. Virg. Aen. VI, 78. *magnum si pectore possit excussisse deum*,“ id multum a vero abhorret, quum neque Virgilii locus aoristi potestatem habeat, neque haec aoristi potestas ad *coniunctivum* pertineat (cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 76, 10.), neque, si in hoc modo inesset, Sallustii sententiae conveniret. Qui enim *aoristo* locus esse potest in *certo ac definito* aliquo tempore *constituendo?* Huc accedit, quod, si *fuerit* scripseris, ut plurimi codd. suadent, id non ad aliam vocem, quam aut ad *Metellum* aut ad *aquam* aut ad *quisque* referri potest; sed verbo ad *Metellum* relato sententia inepta fit, ad *aquam*, incommoda, quoniam Metelli imperium, *ut praesto adessent*, rectius ad *homines*, qui aquam portare iussi erant, quam ad aquam ipsam spectat, eamque ob caussam ne ad *quisque* quidem trahi licet, siquidem pluralis numeri notio in hac sententia ita praevalet, ut interposito in secundaria enunciatione pronomine obscurari nequeat. Quae difficultates quum tollantur omnes, si *forent* scripseris, hoc ipsum satis commendat rationem nostram, quam ducibus Guelf. 8. et Bern. 1. inivimus, quodammodo etiam iuvante Franciani scriptura *sint*, quae interpolatio haud dubie non ad *fuerit*, sed ad *forent* pertinet. Corruptela autem huius loci quum antiquissima sit, tum eo orta videtur, quod scriba quidam, ratus *praesto esse* de Metello ipso intelligendum esse, *forent* in *fuerit* mutavit. Cortius, quod in tanta eius audacia non mireris, non solum haec tria verba, sed etiam *prae*, in *praedicit*, tanquam ab interpolatore profecta, deleri cupit. *Praedicit* autem minime sollicitandum est, quippe quod ver-

taret; diem locumque, ubi praesto forent, praedi-
6 cit; ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam supra diximus, iumenta onerat; eo modo instructus
7 ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ven-

bum saepissime idem valeat atque *iubere*, vel *imperio aliquid constituere;* cf. Bremium ad Nep. Themist. c. VII, 3. *Iis praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent.* Tacit. Ann. II, 79, 2. *Piso respondit affuturum, ubi praetor — diem praedixisset.* v. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 367. Hottinger. ad Cic. de Divin. I, 24, 48.

§. 6. et 7. *quam proxumam oppido aquam*] Relativum quum novae enunciationis *obiectum* sit, genere debebat cum *flumine* vocabulo congruere. Nihilominus ex interpolatione *quod* scriptum est in Fabric. 2. Guelf. 12. m. pr. Med. 8. 9. Misn. et Goerlit.; nam attractionis vi pronomen sequitur naturam nominis, quod *praedicatum* est, de qua structura diximus ad Cat. VII, 6. p. 41. LI, 14. Uberrime eam rem persecutus est Kruegerus in libro de Attract. Ling. Lat. §. 36 sqq. p. 88. 1. sqq. — *Ad Thalam*, cf. ad c. LVII, 1. — Post *ventum* pauci codd. addunt *est*, quod editores in tam exigua fide non receperunt. — Pro *quo* sat multi libri habent *quod*, velut Commel. Naz. Bas. 1. Fabr. 1. Teg. Sen. 1. 2. Heuss. Guelf. 1. 2. 6., Leidd. omnes, Paris. b. c. z. Ceteri in recepta lectione consentiunt, quam minus probabile est ex altera ortam esse, quam contra. Non assequebantur enim scribae ex praegresso *ventum* ad *quo* supplendum esse *venire*, quod Bas. 4. ex glossa habet; cf. Cic. de Off. II, 22, 79. *Atque ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam;* sc. *se consecuturos.* Terent. Adelph. III, 4, 8. *Nisi facient quae illos aequomst, haut sic auferent;* supple *facere.* Sall. Iug. LXXXV, 38. *Maiores illis virtutem non reliquere, neque poterant,* sc. *relinquere.* Quintil. I, 5, 72. *Nova verba non sine quodam periculo fingimus. Audendum tamen;* sc. *fingere.* Praeterea in oculos incurrit neque per se recte dici *praecipere alicui locum*, et perperam relativum referri ad *id*, quum non pronominis, sed *loci* significatio primaria sit. Scilicet *ad id loci* voces coniunctae valent *eo*, cui sensui legitime respondet *quo*. Ceterum mirifice hallucinatur Cortius, qui sententiam sic supplendam censeat: *quo ut aquam comportarent* Numidis praeceperat. — *Ut ea modo* i. e. *ut ea iam sola*, contra vulgarem usum *modo* non

tum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munitaque sunt, tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Praeterea commeatus spe amplior, quia Numidae, 8

ad id relato, quod parum adest, sed ad id, quod superest. — De structura adverbiorum *satis superque* cum *esse* coniunctorum cf. notata ad c. VII, 6. et ad c. XIV, 11.

§. 8. *in nova deditione*] Recte Cortius annotavit *nova* dictum esse pro *recenti*. *Novum* enim dicitur, quod quum antea non esset, nunc exstitit atque est; *recens* nuper demum et ex brevi tempore esse coepit; illud *rem* designat inusitati et insoliti *generis*, a prioribus et antea cognitis diversam, hoc tantummodo ad *tempus* pertinet et nihil aliud indicat, quam non multum temporis effluxisse, ex quo aliquid factum sit. *Novo* oppositum est *antiquum*, i. e. id, quod olim fuit, sed nunc non amplius exstat et iam diu esse desiit; *recenti* oppositum est *vetus*, i. e. id, quod iam ex longo tempore est ac diu iam duravit. Praeivit hanc explicationem Ludov. Doederlin. Synonymm. Latt. Vol. IV. cap. 111. §. 4. p. 83. et §. 21. p. 95 sq. secutus P. Manutium ad Cic. Epp. XI, 21.; planeque congruunt, quae Cicero Tusce. III, 31, 75. de vi *recens* et *vetus* vocabulorum disseruit. Ita apud Tacit. Ann. I, 48, 1. *Germanicus defectoribus dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent*, — *recens exempl.* intelligitur paullo ante (cf. c. 44, 2.) editum; sed id ipsum per se spectatum *novum* erat. A vero autem aberravit Herzogius, qui ad Catil. XXXVII, 2. p. 191. *novum* oppositum censet *veteri*, seductus Livii locis VIII, 17, 1. *Novi consules a veteribus exercitu accepto;* et IX, 24, 1. *Consules exercitum accipiunt, magna parte veterum militum dimissa novisque cohortibus in supplementem adductis.* Scilicet *novi* dicuntur *consules*, non quia *nuper* magistratum inierunt, sed respectu *prioris* vitae suae, ubi consules *non erant*; neque aliter *novae cohortes* intelligendae sunt, non *proximo* demum tempore conscriptae, sed factae ex hominibus, qui *antea nondum* stipendia fecissent; cf. Iug. LXXXVII, 3. Contra *veteres* consules sunt, qui iam per longum tempus, i. e. per integrum annum, consulatum gesserunt, sicut *veteres* cohortes dicuntur, quae iam per longum tempus militarunt, unde *veterani* dicti. Nostro autem loco *nova deditio* nullo modo esse potest ded. a quavis alia deditione diversa,

sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant.
9 Ceterum milites religione pluvia magis usi, eaque res multum animis eorum addidit; nam rati sese dis immortalibus curae esse. Deinde postero die, contra
10 opinionem Iugurthae, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant,

sed aperte significatur deditio *nupera* neque longo tempore ante facta. Nam quo longius tempus a deditione aliqua elapsum est, eo remissiores ac negligentiores plerique fiunt in officiis praestandis, ad quae cum fide obeunda primo tantum tempore prompti paratique esse solent. Sallustius igitur incuria quadam constantem vocis *novus* usum neglexisse videtur, nisi forte hanc interpretandi viam ineas, ut dicas *deditionem* h. l. esse *statum deditorum*, qui cum statu *ante deditionem* comparatus *novus* sit. Igitur hic verborum sensus foret: sicuti plerique *in novo statu per deditionem orto.* — *Officia intenderant* est: officiis intenta cura et prolixis studiis satisfecerant. Nam *intendere aliquid* significat *augere*, *acuere*, *incitare;* cf. Tacit. Hist. I, 12, extr. *Inhiantes amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat.* id. I, 24, med. *Largitionem Otho praemiis intendebat.* cf. Boetticheri Lex. Tac. h. v. p. 282.

§. 9. et 10. *religione*] In paucis codd. ab interpolatoribus male *pro* vel *ex* additum est; vim ablativi ostendimus ad Catil. XXXI, 3. Ceterum *religionem* h. l. significare pietatem deorum auctoris ipsius verbis sequentibus *rati sese* etc. declaratur. — Pro *addidit* Weisius scripsit *addiderat*, ut est in Leid. E. F. Inepte idem annotat: „plusquamperfectum, ut saepe, pro perfecto aut imperfecto.“ — *Multum addidit* dictum est ut c. XLII, 1. *Gracchorum maiores multum reipublicae addiderant.* cf. LXXIII, 4. XCIV, 2. — *Locorum asperitas* non intelligenda est de urbe, *natura* et *operibus* (cf. ad c. LVII, 1.) *firma;* sed *loca* sunt regiones circa urbem, quarum *asperitas* constabat vastitate et aquae penuria spatio quinquaginta millium, cf. supra §. 2. Eadem auctor refert de Capsa urbe c. LXXXIX, 4. *Capsenses muniti advorsum hostis non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam praeter oppido propinqua alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus.* Quare *munitos* est *tutos*, eo, quod neminem ad se *accedere* ausu-

magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare; idem nostri facere.

LXXVI. Sed rex, nihil iam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pe-

rum esse confiderent. — Pro *nihilo segnius* Cortius coniecit scribendum esse *n. sequius*, quod haud necessarium est. Vulgata enim significat *nihilo minus intenti, neque remissa cura;* cf. Liv. VII, 18, 10. *Consules, relicti a parte populi, per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt;* v. Iac. Gronov. ad eund. XXVI, 12, 3. — *Bellum* i. e. defensionem ac *pugnam*, cf. ad Catil. IX, 4.

LXXVI. §. 1. *nihil infectum M. credens*] Hoc ordine verba exstant in Fabric. 1. 2. Bas. 1. 4. septem aliis Cortii, Tur. 1. Erl. Teg. Bern. 1. 3. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. 2. Misn. Goerl. In ceteris et in vulgata est *nihil Med. inf.* Sensus vocis *infectum* est, nihil esse, quod Metellus *perficere non posset.* Quae enim participia perfecti pass. in adiectivorum naturam abierunt, ac deposita *praeteriti* temporis significatione rei statum aliquem aut condicionem *perpetuam ac constantem* designant, ea proxime accedunt ad sensum adiectivorum in — *bilis* exeuntium, secundum eam rationem, quae inter caussam et effectum obtinet. Nam uti res, quae non potest perfici, eo ipso *infecta* est atque manet, ita rursus quae constanter *infecta* est, pro tali habenda est, quae perfici nequeat. Non alia natura est earum vocum, quarum exempla afferemus. cf. supra c. XLIII, 5. *Metellus advorsum divitias invictum animum gerebat*, i. e. vinci nescium, vel qui vinci non posset. Hertel. ad Tacit. Agric. c. XVIII, p. med. *Lectissimos auxiliarium ita repente immisit, ut hostes nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus.* ibid. c. XXXIII, in. *Agricola laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus.* Sall. Iug. XCI, 7. *Genus hominum mobile, infidum, neque beneficio neque metu coercitum.* c. II, 3. *Animus incorruptus, aeternus, agit atque habet cuncta.* Plin. H. N. XII, 14, 30. *Mare scopulis inaccessum.* cf. Boetticheri Lex. Tacit. v. *particip.* n. 3. p. 340. Ruddiman. Institt. Gramm. Vol. II. p. 374. IV, 1. Periz. et Bauer. ad Sanct. Minerv. I, 15. p. 164. Weberi Exercitat. Styli Lat. Vol. I.

cuniae ex oppido noctu profugit. Neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte moratus simulabat sese negoti gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate puta-

p. 119. n. 32. Heusinger. ad Cic. de Off. I, 17, 9. Eadem ratio est Graecorum adiectivorum verbalium in τός exeuntium; v. Buttmanni Gramm. Gr. amplior. §. 102. not. 5. p. 461. Matthiae Gr. Gr. ampl. §. 220. p. 420. Neque negligendum quod Walchius ad Taciti Agricol. p. 352. monuit, haec participia propterea in hunc sensum usurpata fuisse, quod adiectiva in *ilis* deessent. — *Omnia* saepe appositione plurium substantivorum illustrari diximus ad Cat. XXX, 4. p. 139. cf. etiam Iug. XCIV, 5. — *Locos* habent libri Gruteriani, in quibus Naz. et Commel., Bas. 1. Fabr. 1. 2. Acad. Erl. Teg. Bern. 1. 3. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. 2. Misn. Goerlit. Ceteri *loca*. Utraque forma quum in usu sit, (v. XVIII, 4. LIV, 8. coll. c. LXVI, 1. XCVII, 1.) non contemnendorum codicum auctoritatem secuti sumus. — *Ceteris* vix dubium est, quin masculino genere intelligendum sit, quum Metellus ceteris, vel hominibus vel ducibus opponatur. — *Industria*, quam vocem Doederlinus Synonymm. Lat. Vol. I. p. 120. acute a verbo *induere*, i. e. subire, suscipere aliquid, derivandam putat, eius est, qui magno ac strenuo animo ad res gerendas sese offert, qui negotiis se non subducit, sed quaecunque agenda sunt impigre aggreditur. Differt igitur a *diligentia*, quae cernitur in re aliqua tanta cura et tam accurate tractanda, ut nulla eius pars negligatur; cf. Doederl. l. l. p. 121. §. 10. et Daehnium ad Nep. Themist. c. I, 3. Eo fit, ut *industriae* laus latius pateat et magis generalis sit (cf. Iug. I, 2. IV, 7. XCV, 4.), *diligentia* plerumque in rebus certis ac singulis spectetur. Illa igitur magis ad *virtutem* accedit, eamque ob caussam saepe cum hac ipsa voce coniungitur, ut praeeunte Ruhnkenio ad Rutil. Lup. II, 2. p. 78. observavit Herzogius ad Catil. XXXV, 3. p. 178. De sententia ipsa, qua *natura vinci* dicitur, cf. Caes. B. G. VI, 43. ibique Herzogium. — *Uno die* cum Gerlachio scripsimus ex Naz. Bas. 1. Leid. L. Bern. 1. 3. Erl. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. Misn. Goerl. multisque aliis; alii *una die* habent, quemadmodum Cortius vulgatam secutus edidit. Repetitum numerale ante *nocte* in paucis libris deest; quod quamquam fieri potest, tamen facile senties iteratam vocem multum ad sententiae vim addere; cf. quae de simili

bat; nam talia consilia per otium et ex opportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos proelio in- 2
tentos, simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo fossaque moenia circumvenit. Deinde 3

re diximus ad Catil. c. LI, 40. p. 259. — *Ceterum*, quo de v. ad c. II, 4., *timebat* ita opponit praegresso *simulabat*, ut significet *re vera autem*. — Pro *vitare* in paucis codd. scriptum est *vitari*, ignorantia scribarum, qui subiecti ellipsin non concoquerent; v. ad c. XIV, 3. p. 73. CVII, 4. CIX, 1. CXIV, 2. Grysar. art. Lat. scribendi p. 33 sq. — Quae sequuntur aperte pendent ex verbo *putabat;* cuius structurae ignari librarii in aliquot codd. scripserunt *capi solent*, in aliis *capiuntur*. — *Ex* praepositionis potestatem illustravimus ad Cat. XII, 2.

§. 2. *proelio intentos*] *Proelio*, quod Faber fidenter pro dativo habet, utrum tertius an sextus casus sit, dici non potest; nam utrumque licet, ut demonstravimus ad Catil. II, 9. p. 14. — Verba *operibus* et *loco* quomodo sibi opposita sint dictum est ad c. LVII, 1. et ad LXI, 1. — *Vallo moenia circumvenit* pro *circumdedit* sive *cinxit*, paullo insolentius dictum videtur, quamquam Sallustius saepe *circumvenire* ita usurpat, neque alii hoc usu abstinent; cf. supra c. LXVIII, 1. *Pervenit in planitiem locis paullo superioribus circumventam.* LVII, 2. *Moenia exercitu circumvenit.* Caes. B. C. III, 97, 2. *Montem opere circumvenire instituit.* Tacit. Ann. II, 6, 3. *Rhenus modicas insulas circumveniens.* De re ipsa v. notata ad c. XXIII, 1.

§. 3. *deinde locis — tutari*] Totus hic locus in codd. haud uno modo turbatus satis bene a Cortio emendatus est. Primum enim expulit *iubet*, quod ante *locis* plurimi libri ostendunt; sed deest in aliquot codd. Palmerii, Vinar. 1. Vrat. 1. Flor. 1. Med. 2. Berol. 2. Paris. z. Praeterea erasum est in Tur. 1. ac versui superscriptum in Paris. z.; in aliis autem alio loco comparet, velut in Fabr. 2. post *copia*, in Ven. 1. Leid. M. et Barber. 5. post *opus*, in Ven. 2. Vat. 1. 3. post *iacere*, denique in Med. 4. et 8. post *deinde* ac simul post *tutari*. Quae tantae discrepantiae clare ostendunt *iubet* a scribis esse profectum, qui infinitivos historicos in hac enunciatione haberi ignorantes, expeditiorem structuram quaererent, non reputantes nisi simul istos infinitivos in passivam formam mutarent, *iubet* interposito ne Latinam quidem constructionem fieri.

locis ex copia maxume idoneis vineas agere, aggerem iacere, et super aggerem impositis turribus opus et administros tutari. Contra haec oppidani festi-

Gerlachius, qui *iubet* in textu ed. mai. expressum in Commentt. p. 312. recte damnat, paullo post in ed. min. lectoribus indigno modo illudens, spuriam vocem repetiit, quam Weisius quoque, ut falsa omnia, amplectitur. In tali re autem narranda non opus esse *iubere* verbum, monuimus ad c. LIV, 6. — Tum partem codicum alia corruptela invasit; nam in nonnullis Glareani, Guelf. 2. Leid. C. G. L. Erl. Berol. 1. 2. Guelf. 3. m. pr. Tur. 1. m. sec. et in quinque Itall. ante *locis* additum est *duobus*. Quod quamquam apparet propter verba *ex copia* insertum esse, tamen difficile est dictu, cur interpolatores *duobus* potissimum locis, neque pluribus vineas actas esse opinarentur. Sed luce clarius est incertum aliquem numerum significare verba *maxime idoneis* relata ad proximas voces *ex copia*, quarum quae sententia sit iam diximus ad c. LIV, 9. Inepte autem Langius: „*duobus*, inquit, ob sequentia *ex copia* vix reiiciendum videtur. Nam haec aliter explicari non possunt, ac *ex omnibus locis*.“ — Porro incredibilem rem Sallustium narrantem fecerunt librarii, post *vineas agere* inferentes *superque eas*, quod absurdum esse et res ipsa clamat, et plerique omnes editores pro certo habent. Glossam, quam haud dubie proximum *super*, vel loco motum, vel versui superscriptum, genuit, produnt etiam multae discrepantiae; nam pro *superque eas* in Guelf. 1. et Vin. 1. est *super easque*, in Guelf. 6. *super eos*, in Leid. M. *super eas*, in Heuss. et Sen. 2. *superque;* contra in Fabric. 2. desunt verba *iacere et super aggerem*, in Venet. 4. *et super aggerem*, in uno Putschii *super* ante *aggerem;* in Berol. 1. autem pro *iacere et super aggerem* legitur *iacere superque agg.*, quibus corruptelis inter se confusis et conflatis facile intelligitur, quomodo vulgaris codicum scriptura oriri potuerit. Sallustii manum paene integram solus servavit Vatic. 3. a quo voces *superque eas* plane absunt, nisi quod pro *v. agere, aggerem i.* habet *v. agere et agg. i.* Quod Gerlachius autem propter Venet. 4. totum locum sic constituendum censet: *dein locis, ex copia maxume idoneis, vineas agere, aggerem iacere, impositis turribus opus ministros tutari*, omissis non solum spuriis verbis *superque eas*, sed etiam *et super aggerem*, id est satis certa temere in suspicionem vocare. Affuisse autem ista verba primitus in contextu, ipsae depravationes supra allatae do-

nare, parare; prorsus ab utrisque nihil relicuum fieri. Denique Romani, multo ante labore proeliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ven-

cent, quae nullo modo potuissent oriri, si Sallustius ita scripsisset, ut Gerlachius coniecit. Neque obscurum est, verba a Basil. editore damnata perspicuitatis caussa ab auctore addita esse; non enim omnes turres super aggerem imponebantur. — Verba *opus et administros tutari* plerique codd. tenere videntur. Gerlachius tamen, ne minima quidem discrepantia in varr. lectt. notata, in textu edidit *opus ad ministros tutari*, quasi omnes in ea scriptura conspirarent, et nihil esset cur displiceret. Sed ita tantum inveni in Berol. 1., in Misn. vero, Vinar. 1. et Leid. M. est *opus administris tutari*, in Fabric. 2. *opus et administrantes t.;* in Inc. 1. Guelf. 12. et Leid. C. *op. et ministros t.;* in uno Vat. 5. *opus ministros tutari*, ceteri autem Italici cum vulgato consentire videntur. Ex his ut patet copulam exigua codd. auctoritate a Gerlachio omissam esse, ita etiam loquendi usus plane obest, quominus id fiat; v. quae de copulae ellipsi inter duo vocabula dixi ad c. XXXVIII, 9. et ad LXII, 1. Non minus inconsulte *ministros* scriptum pro *administros*, quod codicibus aeque ac loquendi usu confirmatur. In re militari enim *administer* et *administrare* peculiariter dicitur de iis, qui negotia cuiusque generis ad bellum aut pugnam pertinentia obeunt; cf. infra c. XCII, 9. *Milites neque pro opere consistere, neque inter vineas sine periculo administrare.* Caes. B. G. VII, 81. *Galli fundis, sagittis, lapidibus nostros de vallo deturbare, reliquaque, quae ad oppugnationem pertinent, administrare.* Igitur h. l. *administri*, sc. *operis*, intelligendi sunt qui vineas agerent et aggerem iacerent et in ipso aggere oppidanos impugnarent. De *vineis* ac *turribus* v. ad c. XXI, 3; de *aggeribus* cf. Herzog. ad Caes. B. G. II, 12. p. 123.

§. 4. et 5. *festinare, parare*] *Festinare* explicavimus ad c. LXVI, 1. *parare* ad c. LX, 1. — De *prorsus* voce cf. ad Cat. c. XV, 5. — Praepositionem *ante* Gerlachius, comparans Graecam structuram πολλῷ πρόσθεν πόνῳ, per hyphen figuram artissimo nexu cum *labore* cohaerere dicit. Sed ista figura, ab antiquioribus grammaticis nimio studio quaesita, ingenio Latinae linguae repugnat et parum accurata grammaticae cognitione nititur, quamquam non omnium locorum, qui huc trahuntur, eadem est ratio. Nam in multis id vocabulum, quod cum altero in unum quasi cor-

tum erat, oppido modo potiti; praeda omnis ab
6 perfugis corrupta. Ii postquam murum arietibus feriri resque suas afflictas vident, aurum atque argentum et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant; ibi vino et epulis onerati illaque et domum et semet igni corrumpunt, et quas victi ab

pus coire censent, cuius vis a composito non differat, cum alia, quam proxima voce est coniungendum, ut apud Terent. Andr. I, 2, 4. *Heri semper lenitas verebar quorsum evaderet*, ubi Ruhnkenius recte vidit non cum Donato esse construendum *semper* — *lenitas*, sed *semper* ad *verebar* pertinere; cf. Drakenborch. ad Liv. V, 3, 2. Aliqua ex parte idem statuit Ramshornius Gramm. Lat. §. 206. C. 4. b. p. 715. ed. I., quamquam in aliis veteris doctrinae retinens. Nam si Curtius dixit V, 2, 16. *Macedonum aetate graves praesidere arcis custodiae iussi*, quis hoc hyphen cum V. D. putabit? Aut quomodo huc pertinet Cic. Epp. ad Attic. XIII, 50. *Quaeris, quid cogitem de obviam itione*, quum substantivum verbale structuram verbi retineat, nemo autem *obviam ire* per hyphen dictum putet? Alia eorum exemplorum est natura, ubi praepositio adverbii potestate posita cum substantivo in unam notionem conflari videtur, velut Virg. Aen. I, 198. *O socii! neque enim ignari sumus ante malorum.* Sed quem adverbiorum *circum* et *circa* usum frequentissimum esse demonstravimus ad Catil. XXX, 8. p. 137., ut absolute posita *vi enunciationis secundariae*, *relativo* et *esse* verbo explendae, ad *nomen* accuratius definiendum pertinerent, eundem etiam in his structuris obtinere certum est. cf. Catull. IV, 11. *Ubi iste post phaselus ante fuit comata silva*, i. e. *qui postea fuit*, seu *postea factus*. Plaut. Amphitr. II, 2, 138. *Tu intus pateram proferto foras*, i. e. *quae intus est*, pateram p. f. Id. Pers. III, 1, 57. *Non tu nunc hominum mores vides*, i. e. *qui nunc sunt.* Hanc veram huius structurae rationem esse augurabatur iam Ruddimannus Institt. Gramm. Vol. II. p. 396., unde haec exempla desumpsimus; neque multum favet ineptae figurae Drakenborch. ad Liv. II, 52, 7. et ad V, 3, 2., quam nollem probatam fuisse Herzogio ad Caes. B. G. V, 54. Neque tamen nostro loco *ante*, ut apud Virg. Aen. I, 198., ad definiendum nomen *labore* pertinet, sed simul cum *fatigati* spectat ad primariam enun-

hostibus poenas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, uti praesidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis

ciationis partem *potiti*, quibus verbis interposita est accuratior temporis oppugnatione consumpti et molestiis pleni significatio. — *Modo* particula *oppidum* gravius opponi *praedae* Cortius recte vidit. — *Ab perf.* cum Cortio et Gerlachio scripsimus ex Sen. 1. Fabric. 1. Vin. 1. 2. Ecc. Guelf. 1. 4. 7. Berol. 1. et Goerl. Ceteri habent *a perf.*

§. 6. *murum arietibus feriri*] Ubi enim aries murum percussisset, nulla spes salutis oppidanis dabatur; cf. Caesar. B. G. II, 32. ubi v. Herzog., qui simul de forma atque usu arietis disseruit. Cortius remisit ad Veget. IV, 14. et ad Lips. Poliorc. III, 1. — *Afflictas* i. e. pessumdatas, prorsus desperatas; Cic. p. Sext. c. 2, 5. *in ruinis eversae atque afflictae reipublicae.* Tacit. Hist. III, 46. IV, 14. Cort. — *Atque* ante *argentum* plurimi libri habent; in paucis vel *et*, vel *que*, vel nulla omnino copula est. — Ante *domum* quattuor codd. *in* addunt, quo non est opus; v. ad c. LXVI, 3. — *Onerati* multo gravius dictum, quam *gravati*, quod in edd. antiqq. et paucis codd. est. Cortius apte contulit Curt. IV, 4, 5. *oneravere se vino.* Id. V, 7, 4. *mero onerati.* Iustin. I, 8, 6. *vino se onerare.* Sueton. Tiber. c. LXI. Petron. c. L. — Pro *metuerant* Cortius pessime ex Fabric. 1. 2. Sen. 1. Guelf. 1. et 6. scripsit *metuerent*, quod nullo pacto tolerari potest. — Pro *pependere* duodeviginti codd. habent *pendere*, qui infinitivus in hoc nexu incommodus est.

LXXVII. §. 1. *pariter cum*] De his vocibus v. ad c. LXVIII, 1. — De *Lepti* diximus ad c. XIX, 3. — Post *Hamilcarem* scribae in nonnullis codd. addiderunt *dicebant*, nescientes verbum *declarandi*, unde penderet accus. c. inf., ex *orantes* esse supplendum; cf. ad c. VIII, 1. p. 44. — De copula inter *nobilem*, *factiosum* omissa v. ad XXVIII, 4. p. 162. — *Novis rebus* i. e. defectioni; cf. ad c. LXX, 1. — *Ni id festinaret* tetigimus ad c. XXXVII, 4. p. 215 sq. — Verba *illorum socios* ad Romanos pertinere clarissime ostendunt sequentia, non alio consilio addita, nisi ut probetur

rebus studere, advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent. Ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios
2 fore. Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam mi-
3 serant, amicitiam societatemque rogatum; deinde,

Leptitanos revera Romanorum socios fuisse, ut legati dixerant. *Illorum* autem ad synesin dictum est, Romanis non nominatis quidem in antecedentibus, sed intellectis tamen; nam qui *ad Metellum venerant legati auxilium rogantes*, non ad alios quam ad Romanos confugerant. Prorsus inepte igitur Weisius *illorum* pro *suos* dictum putans ad Leptitanos refert. Idem *et* ante *illorum* intulit, quod sane complures codd. habent; sed copulam ab interpolatoribus esse insertam sensus loci demonstrat, siquidem Leptitani eo maxime nitebantur, quod *iidem*, quorum salus periclitaretur, socii Romanorum essent; *et* vero illatum socios *alios* esse indicaret, quam de salute anxios. Neque tamen illa verba pro appositione habenda sunt, quae structura praegresso possessivo pronomine genitivum posceret, sed tanquam *alteram* et graviorem caussam legati referunt, Romanorum *socios* in periculo fore. Quod quum ad maiestatem populi Romani spectaret, apertum est, illos hoc dicere velle: ni id festinaret, in summo periculo *non solum suam salutem*, *sed etiam maiestatem populi R.* fore. Sed auctor brevitatis et concinnitatis studio satis habuit *sociis* nominatis caussam pro effectu significasse. Nam *sociis laesis* ipsa Romani imperii *maiestas despiciebatur.*

§. 2. *iam inde*] Pro *inde* aliquot libri habent *ante* vel *antea*; *inde* solum deest in Bodl., utraque autem vox omittitur in Fabr. 2. Guelf. 10., unde Cortius haec pro additamentis habet. Sed minime sollicitanda sunt verba, saepissime apud Livium lecta, ut ostendit Drakenborch. ad I, 2, 3. — De verbis *amicitiam societatemque rogatum* v. ad c. XXIV, 3. p. 143. coll. annotatione ad c. LXXX, 4. — Post *impetrata* multi libri habent *fuere*, Guelf. 6. vero ante *impetr.* Alii ostendunt *sunt*, sed non eodem loco, quae res fidem facit veram scripturam eos codd. praebere, qui verbo substantivo prorsus carent, in quibus sunt Naz. Sen. 1. Bas. 1. Tur. 1. Leid. L. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. ac sedecim alii. Temere Bipp. simul *ubi* ex coniectura omiserunt. — *Nave fecerant* in magna scriptu-

ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata nave fecerant. Itaque ab imperatore facile quae 4 petebant adepti, et missae eo cohortes Ligurum quattuor, et C. Annius praefectus.

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum

rae discrepantia plurimam fidem merere videtur; nam quod alii codd. habent *navi*, alii *gnave* (unde nova depravatione in Vrat. 2. factum est *ignave*, in Guelf. 1. *grave*) alii *naviter*, alii *gnaviter* aut *graviter*, id eiusmodi est, ut facilius credas has varietates ex *nave* ortas esse, quam hanc inusitatiorem formam ab interpolatoribus in locum notioris vocabuli esse substitutam. Ad hoc *nave* sustentatur auctoritate meliorum codd., ut Commel. Naz. Bas. 1. Sen. 1. Leid. L. Paris. c. x. et z. m. sec., ac praeterea multorum Palatt., Wassianorum, Rivianorum, Leid. M. Guelf. 1. Vin. 1. et Fabr. 2. Cortius *navi* scripsit, quod per se non foret improbandum, si codicum auctoritate satis stabilitum esset. — Post *adepti* pauci neque ii optimi libri addunt *sunt*, quo non est opus. — *Et missae eo* edidimus ex satis commendabili coniectura Muelleri. Nam in codd. plerisque est *emissae eo*, quemadmodum etiam Cortius et Gerl. scripserunt. Sed *emittere* in tali sententia nullo modo dici potest; neque aliquid faciunt ad vulgatam defendendam Livii exempla, a Drakenborchio ad I, 32, 14. ascripta, velut IV, 18, 7. *Quod ubi conspexit, primos equites clamore sublato in hostem emisit.* XXIV, 15, 6. *Tum eques etiam in hostem emissus.* ibid. c. 34, 8. *Archimedes in naves saxa emittebat.* XXVIII, 14, 10. *Equitatum omnem extemplo in equites emisit;* patet enim in his locis *emittere* de iis dici, quae antea quasi clausa ac retenta iussu repente prorumpant et cum vi irruant. Nihil certius petas ex variis nostri loci scripturis; nam in Leid. C. F. N. Bas. 4. et Tur. 1. est *emissae sunt eo;* in Guelf. 3. *missae eo;* in Vin. 1. Fabr. 2. Leid. G. H. *eo missae;* in Bern. 1. *eoque missae*, in quibus omnibus nihil est, ex quo cognoscas, unde *emissae* ortum sit. Quare his dimissis, rem acu tetigisse putamus Muellerum, qui molestum illud *e* ex *et* natum esse coniecit, qua copula restituta non solum difficultas in verbo posita evanescit, sed etiam sententiarum nexus talis exsistit, qualis Catil. XIX, 2. habetur, ubi *et* explicandi potestate positum illustravimus.

est, quos accepimus profugos ob discordias civilis navibus in eos locos venisse; ceterum situm inter
2 duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magni-

LXXVIII. §. 1. et 2. *conditum est*] *Est*, quod Cortius omisit nulla codicum mentione facta, omnes libri retinere videntur. — *Accepimus* haud dubie pertinet ad percontationes a Sallustio in ipsa Africa de origine urbium et incolarum institutas; cf. c. XVII, 7. — *Situm inter duas Syrtis*, cf. c. XIX, 3. De Syrtium natura v. Strab. XVII, 3. Ptolem. IV, 3. Plin. H. N. V, 4. Mela I, 6. Cellarius Not. Orb. IV, 3. p. 117. Car. Ritter. Africa, p. 934. — Post *inditum* pauci libri habent *est*, haud dubie a scribis assutum. — *Extremam Africam* Gerlachius recte interpretatur eam Africae partem quae in orientem versus spectans Aegypto propius adiacet, a Numidia valde remota. — Pro *pari natura* quasi viginti codd. praebent *pares natura*, quemadmodum etiam Servius ad Virg. Aen. I, 115. verba refert, locum *memoriter* laudans; sed optimi libri omnes in vulgata conspirant, quam patet librarios mutasse ad aequalitatem membrorum efficiendam (v. ad c. CIII, 7.), quae tamen minime est necessaria; cf. VI, 1. *Pollens viribus, decora facie.* LII, 1. *Ipsi pares, ceterum opibus disparibus;* v. etiam notata ad c. LXX, 2. — *Proxuma terrae*, quod omnes codd. maximo consensu tuentur, Gronovius Obss. III, 2. p. 341. ed. Platn. mutatum vult in *pr. terram.* Sed quamquam accusativus Sallustio usitatissimus est (v. ad Cat. XI, 1. et ad Iug. XVIII, 11. p. 117.), tamen invitis codd. eum casum inferre temerarium videtur.— *Cetera uti fors tulit alta, alia in tempestate vadosa* verissima scriptura est, et paene omnibus, certe praestantioribus omnibus codd. firmata. In ea sibi respondent verba *uti fors tulit* et *alia in tempestate;* quibus quum auctor id fere significaverit, quod declaratur particulis *modo — modo*, quivis tamen facile videbit quam eleganter et accommodate ad rei naturam vulgarem dicendi rationem variaverit. cf. ad c. XXXVIII, 3. *Tempestas* autem *tempus* significat, additaque *in* particula efficitur, ut sit sensus: *mutata rerum condicione*, ut ostendimus ad Cat. XLVIII, 5. p. 222. Hanc simplicem et valde aptam loci conformationem non perspexit Gerlach., ex Bern. 1. scribens *alta alia, alia in tempestate.* Quod autem ad hanc *unius* libri interpolationem tuendam sufficere putat hoc unum monuisse Vol. II. p. 313: „*certissimam* esse hanc lectionem,“

tudine, pari natura; quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera uti fors tulit alta, alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et sae- 3
vire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingen-

id incredibilem iudicii levitatem aeque ac perversitatem prodit. Pariter omnium ineptiarum patronus Weisius ex obsoleta sua ed. Gryphiana min. edidit: *cetera*, *uti fors tulit*, *alias alta*, *alias intempestate vadosa.*

§. 3. *mare magnum*] i. e. mare intumescens et fluctibus inflatum. Lucret. II, 1. *Suave mari magno turbantibus aequora ventis E terra magnum alterius spectare laborem.* Catull. XXV, 12. *Et insolenter aestues, velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento.* cf. Sallust. Fragm. Historr. III, 14. Gerl. *Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente.* — Pro *ventis* Muellerus male coniecit scribendum esse *vadis*, quod commentum vix est quod refellas. Nam loca vadosa sive *vada* ipsa sunt Syrtum *facies*, quam *ventis mutari* Sallustius refert; quippe quotiescunque saevi venti exoriuntur, qui limum, arenam et saxa ingentia trahere solent, loca vadosa alta fiunt, alta vero vadosa, ita ut nunquam eadem illis facies sit. Iam vides, opinor, Muelleri coniecturam hunc sensum habere: ita *facies* locorum cum *facie simul* mutatur, quod absurdum est. — *Syrtes ab tractu nominatae*, quae verba omnes editores pro foedissima glossa habent, qua Sallustius unquam contaminatus sit, postliminio reduximus, non solum quod externa codicum auctoritate maxime stabilita sunt, sed etiam quod sententiâ ipsâ commendantur. Levissima est enim ratio, qua utuntur critici, neque aliam sententiam haec verba continere, quam illa superiora *Syrtibus nomen ex re inditum*, et alieno prorsus loco esse posita. Nam licet concedas, illa intelligentibus non prorsus obscura esse, tamen negari nequit, non satis accurate significatam esse sententiam, et quo omnibus clara et perspicua fieret, explicatione aliqua opus fuisse. Eam ipsam ob caussam auctor accuratiorem Syrtium descriptionem subiicit, docetque loca a continenti remotiora modo alta esse, modo vadosa, quia fluctus saevis ventis coortis limum, arenam et saxa *trahant.* Iam apte et ad plenam intelligentiam accommodate addit *Syrtes ab tractu nominatae.* Vides igitur haec verba, ad praegressum *trahunt* relata, non alio loco, quam hoc, poni potuisse, nec supervacua esse, quum nunc demum intelligatur, quid sit, quod

tia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis si-
4 mul mutatur. Syrtes ab tractu nominatae. Eius ci-
vitatis lingua modo convorsa connubio Numidarum;
legum cultusque pleraque Sidonica, quae eo faci-
lius retinebant, quod procul ab imperio regis aeta-
5 tem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam
multi vastique loci erant.

auctor dixerat *Syrtibus e x r e nomen inditum esse.* Quod autem Syrtes, Graecae originis vocem, Latino vocabulo explicat mirum videri nequit, quum neminem eruditorum Romanorum fugere posset, quid in Graeco sermone *trahere* verbo responderet. Prorsus eodem modo Cicero Acadd. II, 16, 49. *Et primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur; quod genus minime in philosophia probari solet, quum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. S o r i t a s hos vocant, quia a c e r v u m efficiunt uno addito grano.* Neque dissimile est quod apud eundem legitur Legg. I, 6, 19. *Itaque arbitrantur prudentiam esse l e g e m, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere, eamque rem illi G r a e c o putant nomine a s u o c u i q u e t r i b u e n d o appellatam*, ubi v. Goerenz. In summo omnium codd., qui illa verba habent, consensu soli discrepant Laud. 3. Vat. 5. et Goerlit., in quibus desunt. Sed istam ellipsin non ex antiquo et incorrupto quodam codice fluxisse cetera natura horum librorum ostendit. Quare probabile est, eandem suspicionem, quae editorum iudicia pervertit, scribas quoque ut ista verba omitterent commovisse, quam coniecturam confirmat Guelf. 2. ubi eadem manus, quae verba scripsit, rursus induxit. Sed omnem scrupulum eximit Isidorus, auctor nostris certe codicibus antiquior, qui XIII, 18, 6. (Gramm. Lat. Vol. III. p. 428. ed. Lind.) haec habet: *Syrtes autem Sallustius a t r a c t u v o c a r i dicit.*

§. 4. et 5. *leges cultusque pleraque*] *Leges* exstat in Vin. 1. Inc. 2. Guelf. 6. Sen. 2. Heuss. Vrat. 3. Berol. 1. Goerlit. Misn. Med. 1. 2. 8. Vat. 1. 4. 5. Barber. 5. Min. 2. Eichh. Ceteri *legum* habent, quod factum est a scribis, qui hanc quoque vocem ad *pleraque* pertinere rati structuram aequandam esse censerent. Primitus autem genitivo posito, quis credat ulli in mentem venisse nominativum substituere? Ad hoc probabile est Leptitanos non partem le-

LXXIX. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare; eam rem nos locus admonuit.
Qua tempestate Carthaginienses pleraque Africa im- 2
peritabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie; 3

gum patriarum, sed leges omnino retinuisse, quum alieno imperio nunquam parerent; idque Sallustium dicere voluisse sequentia declarant. *Cultum* autem i. e. universam externae vitae rationem ex aliqua parte immutatum fuisse non est mirum, quum hae res non unice ex moribus et institutis, sed etiam ex loco atque tempore pendeant. — *Procul ab imperio regis* i. e. regibus nunquam subiecti. Hoc autem significat Sallustius, reges, qui ex arbitrio et libidine agere soleant, proclives esse ad veteres consuetudines tollendas novisque moribus inducendis vitae aequabilitatem turbandam. — *Frequentem*, sc. oppidis et cultoribus; cf. c. XLVIII, 4. Curt. III, 1, 11. *Phrygia pluribus vicis, quam urbibus frequens.* — De copula *vasti* vocabulo addita v. ad c. CII, 10.

LXXIX. §. 1. *quoniam*] v. ad c. III, 1. — De *per* praepositione v. annotata ad c. XCIX, 1. — *Facinus* in universum est factum quod non sine magna aliqua *audacia* perpetratur. Quae quum duplicis sit generis, aut nobilis illa, quae in contemnendis periculis cernitur, aut prava et malis artibus conspicua, facile intelligitur, cur ista vox modo egregium, modo detestabile factum significet. De altera potestate diximus ad Cat. II, 9., de altera ad XIV, 1. cf. Doederlin. Synonym. Latt. Vol. II. p. 145 sqq. — *Nos* pronomen ante *locus* cum Gerlachio retinuimus, optimis plurimisque libris ita suadentibus. Tamen negari nequit Cortium, qui illud delevit, non sine idonea caussa videri id fecisse; nam in Fabric. 1. 2. Misn. et Goerlit. pronomen legitur ante *admonuit*, in Guelf. 12. ante *rem*, ac deest plane in Vin. 2. Sen. 2. Heuss. Guelf. 10. Med. 4. et Vat. 5., unde coniicias ex glossa in auctoris verba esse illatum.

§. 2. *pleraque Africa imperitabant*] Omnes omnino codd. habent *pleraeque Africae imp.;* sed ablativum antiquius nostris codd. testimonium tuetur Arusiani Messi, qui in Exempl. Elocutt. (Corp. Grammatt. antiqq. Lat. Vol. I. p. 237. ed. Lindemann.) ut defende-

neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret, quae res eos in magno diuturnoque
4 bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes saepe fusae fugataeque, et alteri alteros aliquantum attriverant, veriti, ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias

ret structuram *imperat* **h a c** *r e g i o n e* nostrum locum ita affert, ut edidimus. Quam scripturam mature in codd. corruptam fuisse non est mirum, quum librarios fugeret *pleraque Africa* non vim habere *obiecti*, *in quod* sese exsereret imperium, sed *loci*, *ubi* valeret imperium. In promptu est autem hanc structuram pendere ex *intransitiva* potestate verbi, quod si semper obiectum rei aut personae requireret, nullo pacto posset ablativum adiunctum habere. Sed *imperitare* pariter atque *imperare* etiam absolute ponitur, ac significat *imperium exercere*, *imperatorem esse*, *dominari;* cf. Iug. XVIII, 12. *Victi in nomen i m p e r a n t i u m concessere.* LXXXI, 1. *Romanos caussam belli habere lubidinem i m p e r i t a n d i.* Cic. de Legg. III, 2, 5. *Neque solum magistratibus praescribendus est i m p e r a n d i, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et qui bene i m p e r e t, paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret, videtur qui aliquando i m p e r e t dignus esse.* Tacit. Hist. III, 7, med. *Minucius adductius quam civili bello i m p e r i t a b a t.* ibid. IV, 61, med. *Veleda, virgo nationis Bructerae, late i m p e r i t a b a t.* id. Annall. IV, 4, 3. *Mihi exsequendum reor, quanto sit angustius i m p e r i t a t u m.* In hoc vocabuli usu ablativus, quo verbum tanquam adverbio definitur, nihil plane insolentiae habet. Quodsi vero *in* addendum fuisse putes, reputes auctorem adiectivo *plerusque* ad analogiam vocis *totus* usurpasse, quam constat legitime sine *in* praepositione poni; cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 13. not. p. 367. ed. IV. Bremi ad Nep. Praef. §. 5. Idem usus in voce *cunctus* obtinet; v. Aug. Matthias ad Cic. p. l. Manil. c. 5, 12. *Civitates omnes c u n c t a A s i a atque Graecia vestrum auxilium exspectare coguntur.*

§. 3. *una specie*] Pauci codd. pro *specie* habent *facie*, ut c. LXXVIII, 3. Sed *species* quoque de externo habitu dicitur; cf. Daehnium ad Nep. Agesil. c. VIII, 1. Sall. Fragm. Historr. IV, 22. Gerl. *Equites cataphracti ferrea omni specie.* Liv. IV, 33, 8. *Quae*

sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere; Cyrenenses tardius iere. Id socordiane an casu acciderit, parum

militem terruerat species, nihil equos terruit. V, 40, 3. *Ipsa res speciesque miserabilis fuit.* Cum *facie* confusum *species* etiam apud Liv. XL, 12, 4. ubi v. Drakenborch. — De variata structura ablativis absolutis pro adiectivo positis v. ad LXX, 2. — Pro *diuturnoque* Cortius tantummodo scripsit *diuturno*, de codicum suorum scriptura prorsus tacens. Sed ex ceteris libris tantummodo Venet. 3. copulam non agnoscit, qui defectus haud dubie eo ortus est, quod praegressa *o* littera *que* compendio scriptum absorpsit, de quo corruptelae genere vide ad c. XXXV, 2. Quare vocula apud Cortium casu excidisse videtur, quamquam eius absentia quodammodo potest iis excusari, quae ad c. XXX, 3. disputavimus. Sed praestat codicum certam scripturam sequi, quae ad sententiam accommodatior est, siquidem copula non simpliciter novum epitheton addit, sed praegressum exaggerat, ita ut sensus sit *in magno eoque diut. b.*, sive *in m. et quidem diut. b.*; v. ad c. XXXII, 2. — *In bello habuit* ita dictum est, ut perpetua et nunquam intermissa bellandi ratio significetur; nam *durandi* notio in actione aliqua aut statu conspicua *habere* verbo propria est. Liv. XXVI, 24, 3. *Valerius adiecit, Romanos ex sociis alios in ea fortuna habere, ut socii esse, quam cives mallent.* X, 2, 9. *Semper eos in armis accolae Galli habebant.* Sall. Iug. XCIV, 3. *Quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat.* Nostri loci sensum haud male cepit Cortius interpretatus: *bello eos exercuit.* — *Inter se* explic. ad c. LXVI, 2.

§. 4. et 5. *saepe fusae*] Cortius *saepe* omisit, nulla codicum discrepantia notata. Ex nostris Goerlit. et Misn. non habent; sed ceteri omnes tueri videntur, quam ob rem, quum ad caussae perspicuitatem faciat, non omittendum putavimus. — Quo modo Cyrenensibus et Carthaginiensibus *legiones* fuisse dicantur ostendimus ad Cat. LIII, 3. — Pro *aliquantum*, de quo v. ad c. LXXIV, 3., nonnulli codd. male habent *aliquantulum*. — *Sponsionem faciunt*

6 cognovi. Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari retinere; nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam

non est intelligendum ex more Romanorum, secundum quem in rebus negotiisque contrahendis pignore se obstringebant ad praestandam rei susceptae vel promissae veritatem, de quo usu doctissime egit Carol. Beierus ad Cic. de Off. III, 19, 77. p. 326 sqq., sed simpliciter significat *paciscuntur*, sive *pacto constituunt*. — *Philaenis* tantummodo est in codd. Rivii, Bas. 4. et Paris. b. c. x. z.; *Philaenii* legitur in Pembr. et B. Publ.; ceteri omnes corrupte habent *Philaenes*. De dativo v. ad c. V, 4. p. 33. — *Maturare* c. infinitivo iunctum tetigimus ad c. XXXVI, 1. Adde Plancum in Cic. Epp. ad Famm. X, 21, 5. *petierat ut maturarem venire*. — *Iter pergere* i. e. *iter persequi*, vel itinere procedere, Sallustii exemplo saepius dixit Tacitus, velut Ann. III, 66, 3. *Si rectum iter pergeret*. IV, 20, 4. XV, 27, 1. Quod ad structurae rationem attinet, Boetticherus in Lex. Tacit. v. *accusat*. 4. p. 19., cui haec exempla debentur, *pergere* censet ex analogia verborum *erigere*, *dirigere*, *corrigere* veri transitivi instar accusativum obiecti regere. Nobis vero tum in hoc, tum omnino in omnibus verbis intransitivis, quibus accusativus adiunctus est, et ipsa verborum natura, et accusativi propria potestas constare videtur. Nam quum accusativus in universum id designet, cuius respectu aliquid sit vel fiat, sive, quod idem est, quum id contineat, *ad quod* vel status aliquis, vel actio *spectat* (cf. ad c. V, 4. p. 34.), *pergere iter* nihil aliud est, quam *pergere* sive *procedere*, *quantum id quidem ad iter spectat*, i. e. respectu itineris, idque sensu idem est atque *iter persequi*, quamquam cogitandi ratione discrepat. Ad eundem modum exigenda sunt, quae ad Catil. XX, 11. non satis perspicue de hoc usu diximus. — *Parum* explicavimus ad c. XXXI, 9. p. 179.

§. 6. *nuda gignentium*] *Gignentium* omnes interpretes uno ore clamant dictum esse pro *genitorum*, qua sententia nihil potest perversius esse. Quasi vero unquam activum pro passivo, praesens pro perfecto poni possit! Ineptam rem ineptiorem reddunt, qui eam ad *rationem* aliquam exigere volunt, velut Gerlachius, qui, si *gignere* cum graeco γίγνομαι compararet, omnia expedita putavit, aut Langius, qui mirifica subtilitate „quodcunque *genitum est*, inquit, id quoque *gignit*," quod scilicet ita comparatum est, ut pariter *vivum* dicere possis *mortuum*, quia quicunque vivit certo mo-

humo excitavit, ea magna vi agitata ora oculosque implere solet; ita prospectu impedito morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se vi- 7

rietur. Sed in promptu est has nugas, quas pro doctrina venditant, a ieiuna comparatione latinae dictionis cum *germanica* profectas esse. Nam latina, ut par est, per se spectata, nihil prorsus est, quod passivam potestatem prodat. Quippe quae Sallustius *gignentia* dicit quum ita comparata sint, ut alia eiusdem generis ex sese gignant, quae nata suapte vi crescant, augeantur, et rursus gignendi facultatem habeant, luce clarius est, ea significari, quae vernacula vocamus *organische Körper*, quibus quae opposita sunt ἀνόργανα, tanquam inferiore gradu collocata, et illa gignendi virtute et ceteris cum hac coniunctis carent; cf. infra c. XCIII, 4. *Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paullum modo prona, deinde flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert.* Nostrum locum imitatus est Hegesippus IV, 16. *Urbs condita in campo, cui supereminet mons diffusior et nudus gignentium;* unde patet *gignentia* maxime de arboribus et fruticibus intelligi, quamquam *animantia* omnia simul hac voce comprehenduntur. Quin ea sola significavit Appuleius de Habit. doctr. Plat. I. p. 6. ed. Elmenh. *Animam vero animantium omnium non corpoream esse, nec sane perituram, quum corpore fuerit absoluta, omniumque gignentium esse seniorem.* Sed vocem angustiore illo sensu plerumque usurpatam fuisse, et Sallustii loci ostendunt, et probat usus posteriorum scriptorum, ut Lactant. de Ira Dei I, 13. *Aiunt enim multa esse in gignentibus et in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas.* Eadem re ab effectu spectata Vitruvius *nascentia* dicit, quae a Sallustio *gignentia* vocantur; cf. V, 1. *Non minus quam etiam nascentium oportet imitari naturam, ut in arboribus teretibus.* id. VIII, 1. *Si invenientur nascentia, tenuis iuncus, salix erratica.* — *Coortus* male in nonnullis codd. depravatum est in *ortus* vel *exortus;* nam usu valuit, ut *coorior* paene legitimum verbum sit de ventis et tempestatibus. Cf. Drakenborch. ad Liv. I, 16, 1. *Subito coorta tempestas.* XL, 2, 1. ib. c. 45, 2. Caes. B. G. V, 10, 2. id. B. C. I, 48, 1. Praeter haec exempla Cortius laudavit Plin. H. N. II, 48, init. Flor. II, 6, 45. Virg. Georg. III, 478. Inde patet *cooriri* esse cum vi magna et vehementia oriri vel excitari, quae notio abest a simplici verbo.

dent, et ob rem corruptam domi poenas metuunt, criminari Carthaginiensis ante tempus domo digressos, conturbare rem, denique omnia malle, quam
8 victi abire. Sed quum Poeni aliam condicionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem

§. 7. *se vident*] In plerisque omnibus codd. est *se e s s e vid.*, quemadmodum Langius edidit. Sed *esse* deest in Bas. 1. Inc. 2. Reg. Martin. Paris. b. c. x. Erl., neque dubitari potest, quin vel ex interpolatione, vel errore scribarum irrepserit, id quod coniicias tum ex Paris. z. *posteriore es se*, tum ex Berol. 1. *se posteriores esse*, ubi, infinitivo ex postrema syllaba praegressae vocis cum *se* conflata orto, pronomen, quod necessarium est, alieno loco est illatum. Praeterea orationis numerus non solum valde languet *esse* addito, sed ipse dicendi usus, quem illustravimus ad Cat. I, 3. p. 6. et ad XX, 3. p. 98., ei non favet. cf. Cat. XXI, 5. *Postquam omnium animos a l a c r i s v i d e t.* Iug. LXI, 1. *Postquam v i d e t f r u s t r a inceptum.* LIV, 1. LXXVI, 6. XCIII, 3. — *Ob rem corruptam* i. e. ob acceptum in constituendo negotio detrimentum, sive ob amissum quod speraverant commodum; cf. ad c. LXIV, 5. XXXIII, 4. Ceterum Cortius recte monet ex *criminari*, i. e. crimen imputare, non pendere accusativum obiecti *Carthaginiensis*, sed accus. c. infinit. *Carth. digressos. Tempus* autem, ut saepissime, praegnanti sensu est *constitutum* sive *iustum* tempus; cf. c. LXX, 5. LXXXIX, 3. XCI, 3. XCIV, 1. et v. interprr. ad Liv. VI, 18, 12. Bremi ad Nep. Alcib. V, 2. — *Conturbare rem* vix est quod moneatur esse infinitivum historicum ad Cyrenenses referendum; quo quum etiam *malle* pertineat, incommode vulgo post *rem* semicolo interpungitur. Sensus est autem: laesam sponsionem esse querentes rem ut convenerat transigere recusabant, ac pactum dissolutum esse contendebant. — Pro *digressos* Bipontini pessime scripserunt *degressos*. — *Denique* pariter ut *postremo* vim habet id, de quo agitur, paucis complectendi, ut germanicum *kurz*; cf. Hand. Tursell. Vol. II. p. 271. Iug. XV, 2. CX, 4. — *Victi a b i r e* significantius dictum quam *vinci*. V. notata ad Catil. XLIX, 3. p. 229. coll. Voigtlaendero in Forcellini Lex. v. *abire*.

§. 8 *condicionem*] Non satis recte Wassius interpretatur *eligendi potestatem*. Significatur potius *n e g o t i i c o n f i c i e n d i v i a pactione constituenda*, eaque tali, qua ultro citroque aliquid

Carthaginiensibus faciunt, ut vel illi, quos finis po-
pulo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadem
condicione sese quem in locum vellent processuros.
Philaeni condicione probata seque vitamque suam 9
reipublicae condonavere; ita vivi obruti. Carthagi- 10

conceditur; cf. Beier. ad Cic. de Off. I, 7, 21. p. 48. Eodem vocabulo de Philaenis agens usus est Valer. Max. V, 6. ext. 4. *Postremo acerbitate condicionis iniuriam discutere conati sunt.* Nep. Attic. c. II, 4. *Quum versuram facere publice necesse esset, neque eius condicionem aequam haberent.* Cic. p. Quint. c. 14, 46. *Qui condicionem aequissimam repudiet.* Coel. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 14, 7. *Fert illam tamen condicionem* (sc. Caesar Pompeio) *ut ambo exercitus tradant.* — *Carthaginiensibus* tantummodo exstat in Bern. 1. Vat. 1. et 5. Ceteri habent *Carthaginiensium*, quod a Gronovio ad Liv. XXVII, 8, 3. defensum editores nimia patientia tolerarunt. Nam *optionem facere* quum significet potestatem optandi vel eligendi dare (v. Gronov. ad Plauti Casin. II, 2, 16.), non usus tantum, sed recta ratio postulat *rem*, quae eligenda conceditur, *genitivo* enunciari, *personam dativo* significari, tertio casu ex verbo, secundo ex nomine *optionis* apto. Quare omnia pervertunt, qui eodem casu, quo res designatur, simul declarari posse putant personam, *cui datur* rei copia, quod pariter absurdum est et soloecum, ac si quis contendat *spem facere alicuius* ita dici posse, ut genitivo non res intelligatur, quae speranda ostenditur, sed persona, quae sperare iubetur. — *Uti* ante *vel illi* Cortius cum Vin. 1. Guelf. 3 7. 12. omisit; sed quum particula haud dubie aut a praegressis litteris *ut*, (cf. Goerenz. ad Cic. de Finn. III, 9, 31. p. 351. V, 10, 29. p. 565.) aut a sequenti *vel*, (cf. Drakenborch. ad Liv. XXXVI, 41, 2.) intercepta sit, ceterorum auctoritas satis valet ad eam retinendam. — *Illi* ita dictum esse, ut in recta oratione pronomen personale secundae personae ponendum foret, diximus ad c. LVI, 4. — In verbis *quos finis — peterent, ibi — obruerentur* singularis quaedam attractio obtinet. Nam quum proprie dicendum fuisset: *quem locum fines populo suo peterent* i. e. *esse vellent*, *ibi* i. e. *in eo obruerentur*, auctor omissa *primaria loci* voce relativum cum *praedicati* nomine sociavit, demonstrativo tamen adverbio ita posito, quasi illa attractio per ellipsin facta non praecessisset. Quae orationis conformatio

nienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

LXXX. Iugurtha postquam amissa Thala nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque et eo tem-

quamquam insolens est, tamen sententiae natura satis excusatur. Certe minus commendabile foret, si quis cum Rivio et Fabro, ut planiorem structuram tueretur, *ibi* ad ipsam vocis *finis* notionem referret, *in iis* interpretatus, quem adverbiorum loci usum illustravimus ad Cat. V, 2. et ad Iug. XIII, 5. — Gerlachius *velint* pro *vellent* scribendum esse coniiciens grammaticae inscientiam prodit.— Ex verbis *seque vitamque* noli alterutrum otiosum putare; nam haec coniunxit auctor, ut quam gravissime significaret virtutis magnitudinem, qua Philaeni omnia, quae ad *ipsos* pertinerent, post patriae utilitatem, potentiam atque gloriam haberent. Eandem ob caussam pronomen *suam*, temere et contra codd. a Cortio abiectum, addidit; v. ad c. XV, 1. p. 93. Eodem modo Cat. LII, 8. Cato dicit: *Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem.* cf. Iug. LXXXV, 27. — *Condonavere* i. e. dono quasi obtulere, sive, ut Cicero de Finn. II, 19, 61. de Decio loquitur, reipublicae *se victimam praebuere.* — De *Philaenon aris* v. ad c. XIX, 3. Ceterum *ara* h. l. non intelligenda est *sacrorum* caussa facta, sed omnino *monumentum* aliquod *erectum* ad memoriam rei insignis servandam, quae significatio proxime coniuncta est cum primaria vocis vi, quippe quae ab *αἴρω* descendens quamvis eminentiam designet; cf. Hertel. in Forcellini Thes. h. v. p. 214. Cic. Phil. XIV, 13, 34. *Gauderent potius, suos contectos publicis operibus atque muneribus, eaque exstructione, quae sit ad memoriam aeternitatis ara virtutis.* Curt. IX, 3, 19. *Erigi duodecim aras ex quadrato saxo monumentum expeditionis suae iussit.* Iustin. XII, 10, 6. *Ibi in monumenta rerum a se gestarum urbem Barcen condidit, arasque statuit.* Qui loci debentur Fabro. — Pro *instituti* Weissius ex ed. Gryph. mai. edidit *constituti*, omnibus codd. praeter Paris. b. repugnantibus.

pore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem 2 in unum cogit, ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos 3 magnis muneribus et maioribus promissis ad studium sui perducit, quis adiutoribus regem aggressus impellit, uti advorsum Romanos bellum suscipiat. Id 4

LXXX. §. 1. et 2. *Gaetulos*] De his cf. XVIII, 1. ubi vitae genere comparantur cum *pecoribus;* h. l. *feri incultique* dicuntur, quia ab omni humanitate longissime absunt. cf. Doederlin. Synonym. Lat. Vol. I. p. 44. et Vol. IV. c. 125. §. 15. p. 230. — *Eorum* non comprehendendi sed partiendi vi pertinet ad *multitudinem;* non valet igitur *eos multos*, sed *ex iis multos.* — *In unum*, v. ad Cat. XVII, 2. p. 82. — Pro *cogit* pauci iique deteriores libri habent *coegit*, ut statim post duo *consuefecit*, haud infrequenti lapsu vel interpolatione; v. ad c. XXIX, 5. p. 167. — *Ordines habere* etiam dicebatur *ord. servare* aut *observare*, uti diximus ad c. LI, 1. neque diversum est *ordine non egredi*, quod legitur c. XLV, 2. Veget. I, 26. Liv. XXIII, 35, 6. *Consul crebro decurrere milites cogebat, ut tirones adsuescerent signa sequi et in acie agnoscere ordines suos.* id. XXIV, 48, 11. *Statorius pedites proxime morem Romanum instruendo et decurrendo signa sequi et servare ordines docuit.* Curt. III, 2, 13. *Sequi signa, ordines servare didicere.* — *Imperium observare* non continuo significat *exsequi* quod imperatum est, ut Cortius interpretatur, sed *intentum esse* ad imperium intelligendum et exsequendum; cf. ad c. XLV, 2.

§. 3. et 4. *proxumos*] i. e. amicos, v. ad Cat. XIV, 3. — Pro *studium sui* Vin. 2. et Fabr. 2. male habent *stud. suum;* cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 73, 1. not. 2. p. 337. ed. IV. — *Quis* fere omnes codd. habent. — *Regem* tantummodo referes ad *aggressus*, non ad *impellit*, ad quod verbum supplendum est *eum.* — *Advorsum* Gerlachius auctoritate Bas. 1. Vin. Fabr. 2. Inc. Franc. Bern. 3. mutavit in *advorsus*, quod, quum longe plurimi libri in antiquiore forma consentiant, inconsulto factum. — *Ea gratia*, cf. ad c. LIV, 4. — In verbis *facilius proniusque fuit* inanes Cortius subtilitates quaerit, *facilius* ad Iugurtham referens, cui facile facta

ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum, quam rem opportunissimam incepto bello pauci impediverant, caeci avaritia, quis

fuerit Bocchum sibi conciliare, *pronius* ad Bocchum, quippe qui *propenso animo* fuerit ad Romanos bello petendos. Sed utrumque vocabulum pariter ad Iugurthae conatum spectat, sententia fere eadem. Nam quum *pronum* dicatur, quicquid in aliquam rem inclinat, id a rebus corporeis etiam transfertur ad ea, quae actione constant et quasi sua sponte ad finem suum vergunt atque properant. *Pronae* igitur dicuntur res, *quibus nihil obstat quominus fiant*, cf. Walch. ad Tac. Agric. 1. p. 107., easque recte *faciles* dixeris, quamvis facilitatis notio alia imagine concipiatur. cf. c. CXIV, 2. *Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae p r o n a esse.* Tacit. Agric. c. XXXIII, med. *Omnia p r o n a victoribus.* — Verba *foedus et amicitiam* inverso ordine posita esse videri possint, quum non omnis amicitia foedus sit, et Sulla c. CXI, 1. in commemorandis commodis, quae Boccho Iugurtham tradenti ventura essent, post amicitiam foedus tanquam graviorem rem nominet. Sed quum foedus sine amicitia esse non possit, veteres scriptores ubi utrumque nominant, non videntur accurate haec vocabula distinguere voluisse, sed iis coniunctis maiorem quandam rei dicendae gravitatem spectasse. cf. infra c. CIV, 4. *Legatis a m i c i t i a m et f o e d u s petentibus respondetur: f o e d u s et a m i c i t i a dabuntur, quum meruerit.* Liv. IV, 7, 4. *Ardeates in f o e d e r e atque a m i c i t i a mansuros apparebat*, quibus verbis paullo post eod. cap. §. 10. subiicitur: *cum Ardeatibus f o e d u s renovatum est.* ibid. XXIII, 14, 9. *In f o e d u s a m i c i t i a m q u e novam transeant.* XXIII, 33, 9. *F o e d u s cum eo a t q u e a m i c i t i a m iunxit.*

§. 5. *opportunissumam incepto b e l l o*] Quod *bello* edidimus, non spondemus veram scripturam nos dedisse. Nam longe plurimi libri, in iisque fere praestantiores omnes, habent *incepto b e l l i*, quod vix latinum videtur, quum *inceptum* i. e. *r e s incepta* semper generali sensu dicatur, neque genitivo certae cuiusdam rei definiatur; cf. Cat. IV, 2 VII, 7. XVII, 6. XXXVII, 1. LVI, 4. Iug. IV, 9. VII, 6. XI, 9. XXV, 6. XXXVII, 4. XLII, 5. LV, 8. LXI, 1. XC, 3. XCIII, 1. Contra nihil est quod *incepto b e l l o* vituperes; quin adeo perspicuitati sententiae ita valde consuli apertum est; sed

omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat. Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nupserat. Verum 6
ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, quia singuli, pro opibus quisque, quam plu-

scrupulum iniicit, quod haec scriptura per se bona tantummodo legitur in Vin. 1. 2. Sen. 2. Heuss. Franc. Vrat. 2. Rem. 1. Guelf. 3. 4. 7. 11. 12. Tur. 1. Leid. B. G. Berol. 1. 2. Goerlit., qui codd. maximam partem inferioris sunt ordinis. Cortio maxime placet tantummodo scribi *opportunissimam incepto*, uti est in solo Inc. 1. Sed quum magis de Bocchi, quam de Romanorum consilio agatur, *inceptum* nude positum ambiguam atque obscuram narrationem faceret. Quare *bello* negligentia omissum putamus, ut plurima vocabula in omnibus fere codd. exciderunt, et interim in recepta scriptura acquiescimus.

caeci] sc. qui avaritia praepediti quid reipublicae utile esset non viderent. — Quae sequuntur: *quis omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat*, quamquam omnibus omnino codd. firmata, Bipontini tanquam a glossatore aliquo ex Cat. XXX, 4. huc illata uncinis incluserunt, Sallustium parum cognitum habentes, qui non solum easdem voces vocumque formas saepe repetere amat, sed etiam in iisdem sententiis, vel non mutatis verbis, vel leviter variatis, plus uno loco ponendis sibi placet. Documento sunt haec ipsa, de quibus agitur, verba, quibus auctor iam supra c. XXXI, 12. iterum usus est, nullo interpretum offenso. Quae dixerat ad describendum timorem mulierum, Catilinae coniuratione factum, Cat. XXXI, 2. *Neque loco, nec homini cuiquam satis credere*, eadem integra recurrunt Iug. LXXII, 2. Metellum *naturam etiam vicisse* non contentus fuit c. LXX, 2. dixisse, sed idem repetit LXXVI, 1. Quae c. LXXXI, 1. Iugurtham querentem facit de Romanorum avaritia et iniusto bellum aliis inferendi studio, eadem in epistola Mithridatis ad Arsacem, Fragm. Historr. IV, 12., ita persecutus est, ut haec priora quasi pro argumento illius epistolae haberi possint. Ad eandem rem etiam pertinet, quod saepius in *paucos potentes* invehitur, qui soli omnes magistratus, honores atque opes tenerent, velut Cat. XX, 7. XXXIX, 2. Iug. XLI, 9. alibi.

§. 6. *filia Bocchi*] Ita exstat in duobus codd. Castilionei, Bodl. Martin. Arondel. Vin. 2. Franc. Vratisl. 3. Inc. 1. Eccard. Guelf. 4. 7. 9. 10. 11. Leid. C. F. H. I. K. M. N. Bas. 1. Paris. D. c. x.

rimas uxores, denas alii, alii pluris habent, sed re-
7 ges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nulla pro socia obtinet, pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt; ibi, fide data et accepta, Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos

et Misn. Ceteri, in quibus meliores, *Boccho* habent, quo affinitatis ratio plane contraria exsistit. Sed Iugurtham Bocchi filiam in matrimonio habuisse non solum patet ex Floro III, 1, 17. *Fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est,* sed etiam duplici eoque firmissimo Plutarchi testimonio, in Sulla c. III. *Ὁ δὲ Βόκχος ἐτύγχανε μὲν ἔτι γε πάλαι γαμβρὸν ὄντα μισῶν καὶ φοβούμενος τὸν Ἰουγούρθαν,* et in Mario c. X. *Βόκχος ἦν πενθερὸς Ἰουγούρθα. Boccho* cum praestantioribus Sallustii codd. etiam habet Nonius IV, 322., unde cognoscitur, iam antiquissimo tempore hanc corruptelam quandam librorum familiam invasisse. Gerlachius in ed. mai. *Bocchi* scripsit, in min. *Boccho*, scilicet ut lectores, qui utraque ed. utuntur, pro arbitrio alterum eligere possent.

quia singuli] *Quia* longe plurimi codd. tuentur; alii *quod* habent, quos Cortius est secutus. Ad sententiam non multum refert, utrum hanc illamve particulam probes; nam licet discrimen inter utramque esse facile concedas, tamen neque veteres ubique id servasse videntur, neque recentiores in eo constituendo consentiunt; cf. Zumpt. Gram. Lat. §. 67, 6. p. 282. Frotscher. Obss. ad Sall. p. 16. Iahn. ad Virg. Aen. VIII, 650. Herzog. ad Sall. Cat. I, 3. Daehne ad Nep. Themist. c. X, 5. Ex his Herzogii potissimum probamus sententiam, qui docet *quod* usurpari ad caussam in *facto* aliquo positam afferendam, *quia* vero adhiberi, ubi *iudicando* alicuius rei *ratio* afferatur. Exempla *quod* particulae sunt supra §. 4. LXXXI, 2. CII, 7. — *Eo amplius* Gerlachius interpretatur *plures denis*, quod vix fieri potest, quum antecedat *alii plures. Plures* enim quomodo cum *pluribus* comparari possunt? Quare verba *reges eo amplius* spectare puto ad praegressa *pro opibus quisque*, omisso comparativo membro, quod in hunc fere modum suppleas: *sed reges, quo magis ceteros opibus superant, eo amplius uxores habent.* — *Nulla* quamquam tantummodo exstat in

iniustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse; eandem illos caussam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi, quis omnia regna advorsa sint; tum sese, paullo ante Carthaginiensis, item Persen regem, post uti quisque opulentissumus videatur, ita Roma-

Guelf. 11. Laud. 3. Med. 10. et Ven. 1. m. pr., tamen haud dubie vera scriptura est. *Nullam* enim, quod ceteri codd. omnes praebent, quum necessario ad *animus* referri debeat, absurdam sententiam reddit. Quomodo enim *animus uxorem sociam* habere potest? Sed scribae ignorarunt *obtinere* absolute dici, quem usum uberius ad c. XVII, 7. p. 105 sq. illustravimus. Eundem agnoscens Faber h. l. contulit Cic. de Rep. VI, 17. *Subter mediam fere regionem sol obtinet.*

LXXXI. §. 1. *placitum*] De hoc et multorum verborum neutralium participio perfecti cf. Ruddimanni Institt. Gramm. Vol. I. p. 299 sq. — Locutionis *fidem dare et accipere* vim Voigtlaenderus in Forcellini Lex. Vol. I. p. 27. recte repetit a more *dextrarum iungendarum*, quod fidei signum esset. *Accipere* enim proprie est aliquid oblatum *manu capere*. — *Bocchi animum* i. e. Bocchum, cf. ad c. XXXIX, 5. p. 228. — *Profunda avaritia*, i. e. quae expleri nequeat, vasta, immensa; cf. Fragm. Historr. IV, 12, 5. Gerl. *Cupido profunda imperi.* Cic. in Pison. c. 21, 48. *Quum partem eius praedae profundae libidines devorassent.* Similiter Seneca dixit Epist. LXXXIX. *Profunda et insatiabilis gula.* — Ad *caussam* vocem non tantum pertinet *belli*, sed verba *belli cum Boccho* quasi in unum coniuncta; pariterque *belli* etiam ad sequentia *secum et cum aliis gentibus* trahendum est. — *Lubidinem imperitandi* praestant Fabr. 1. Sen. 1. 2. Heuss. Guelf. 1. 2. 12. Teg. omnes Leidd., septem Wassii, duo Rivii, Paris. b. Berol. 2. Goerlit. Ceteri habent *lubidine imp.*, ieiuna ac paene inepta sententia; cf. Cat. II, 2. *Postquam Lacedaemonii atque Athenienses coepere lubidinem dominandi caussam belli habere.* De *imperitare* verbo v. ad c. LXXIX, 2. — *Advorsa sunt* confirmant Bas. 1. Inc. 1. 2. Ecc. Guelf. 6. 7. 11. 12., omnes Italici exceptis Med. 7. et Ven. 1. m. pr., Paris. b. c. x. z m. sec., Berol. 2. et Misn., cuius modi quae ratio sit in oratione obliqua satis diximus

2 nis hostem fore. His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod ibi Metellus

ad c. LXIII, 1. In ceteris codd. est *sint*, quod Cortius, minus quam alias audax, retinuit. Gerlachius, in ed. mai. verum se dedisse nimium ratus, in min. coniunctivum reduxit, quamquam omnes libri, ad quorum fidem alteram recensionem direxit, *sunt* exhibent. I iam, et admirare criticum! — *Tum* perperam interpretantur *nunc*, repugnante usu Latini sermonis, ut ostendimus ad c. XI, 6. XLVI, 1. et XLIX, 3. cf. LXXXIII, 1. CII, 14. et Weberi Exercit. styli Lat. Vol. I. p. 93. Grysar. Art. Lat. scribendi p. 531.— *Persen regem* scripsimus auctoritate Bas. 1. Teg. Goerl. et Berol. 1. Ceteri codd. et edd. omnes inversum ordinem tenent, qui non potest iis excusari, quae de hoc verba collocandi genere monuimus ad Catil. LI, 5. et ad Iug. XIX, 7. Ceterum ex verbis *hostem fore* ad superiora *tum sese* supplendum est *esse*, ad verba *paullo ante Carthaginienses, item Persen regem* cogitatione addendum *fuisse*, de qua ellipsi v. notata ad Cat. XLVII, 2. coll. Iug. XLIX, 2. LXXI, 2. LXXIII, 4.

§. 2. *aliis talibus*] *Aliis*, quod in Fabr. 2. tantummodo in margine comparet, Cortius temere sollicitat. Ista enim vox quamquam non est necessaria, tamen perspicuitati inservit, neque invitis codd. eiicienda est; cf. c. XL, 4. *Illa et alia talia.* XLIV, 5. LXIV, 3. *Postquam haec atque alia talia dixit*, ubi eandem Cortii perversitatem notavimus. LXII, 2. *His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit.* LXXXV, 10. *Si quem ad hoc aut aliud tale negotium mittatis.* ibid. §. 41. XXXII, 1. *Haec atque alia huiuscemodi saepe dicundo.* Ceterum ablativi sunt absoluti, non ad verbum referendi. — Pro *Metellus* multi codd. habent *Q. Metellus*, quod Weisius repetiit. Sed quum Cortius in Guelf. 2. invenisset *ibique Metellus*, bene coniecit ex *que* ortum esse *Q.*, quod praenomen Sallustius Metello nunquam addit.— Particulis *que et* Sallustius saepius usus est, ubi *et* solum sufficiebat; cf. c. VI, 3. LV, 1. LXXXVII, 2. v. Passov. ad Taciti German. c. XLVI, extr. et Drakenborch. ad Liv. X, 30, 2., qui plurima exempla contulit. Huius usus ignari scribae in aliis codd. omisere *que*, in aliis *et*, in aliis pro *captivosque* dederunt *atque capt.* Sed longe plurimi in vulgata consentiunt.

§. 3. *operae pretium*] *Operae* omnes libri tuentur, exceptis Bas. 1. et Fabric. Rivii, in quibus manu secunda additum est, et paucis A. Manutii codicibus. Quibus eam ob caussam potissimum

praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita 3
Iugurtha ratus, aut capta urbe operae pretium fore,

obsequuti sunt Cortius et Gerlachius, quod sibi persuaserunt *pretium* elliptica dicendi ratione pro *operae pretium* dici. Sed quae afferunt exempla alieni sunt generis, ut Tacit. Ann. I, 57, 3. *Germanico pretium fuit agmen convertere;* ib. II, 35, 1. *Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Pisonis et Asinii Galli sententias noscere.* Tacitus enim vocabulo *pretium* ita utitur, ut praegnanti sensu sit i. q. *res pretii*, quod pro cuiusque loci natura valet res gravis, res magni momenti, res utilissima, vel simile quid, ut iam monuimus in Ephemerr. scholl. a. 1831. Sect. II. n. 12. p. 92. Sed quum isto modo *praedicatum* tantum constituatur, nostro loco, nisi scribatur *captam urbem pretium fore*, quod codd. prohibent, *pretium* nude ita positum, ut *subiectum* sit, ferri non potest. *Operae* etiam necessarium est propter verba *capta urbe*, quae aegre cum voce *pretium* conciliari possunt, sed arcte cohaerent cum *operae*. Hunc enim sensum vulgata habet: Iug. ratus est, si urbem cepisset, *id* pretium, i. e. satis magnum commodum, fore *operae*, i. e. laboris et periculi *in ea re suscepti.* Ceterum ut falsi sunt intpp., qui *pretium* cum ellipsi vocis *operae* dici putant, ita errant, qui in formula *aliqua res operae est*, inverso modo *pretium* supplendum censent, velut Wassius, qui laudat Curt. VIII, 9, extr. *Multa et alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud operae videbatur.* Liv. I, 24, 6. *Verba, longo effata carmine, non operae est referre.* IV, 8, 3. *Consulibus non operae erat id negotium agere*, ubi Drakenborchius multo plura contulit ex Livio petita. Ex quibus omnibus primum hoc perspicitur, usu evaluisse, ut ista dictio vix aliter, quam negatione adiuncta usurparetur; tum genitivum non pendere ex omisso vocabulo *pretium*, sed suapte potestate intelligendum esse. Nam quum secundo casu id significetur, quocum aliquid coniunctum est et aliquo modo cohaeret, hoc in dictione *aliquid non est operae* ita est comparatum, ut sensus sit: *aliquid non est eiusmodi, ut cum opera coniunctum sit*, i. e. *ut operam requirat*, sive *ut opera ei impendatur.* Ita v. c. apud Livium XXIX, 17, 17. *Neque ego exsequi possum, nec vobis operae est audire singula, quae passi sumus*, sententiae ratio haec est: neque ego exsequi possum singula, quae passi sumus, neque *res ita comparata est, ut singulis audiendis operam dare possitis.* Ad hanc igitur normam exigenda sunt quae perperam de elliptica structurae ratione disputata sunt a Perizonio

aut si Romanus auxilio suis venisset, proelio sese
4 certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne moras agitando aliud quam bellum mallet.

LXXXII. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere, neque, uti saepe iam

ad Sanctii Minerv. IV, 4. p. 165 sq. ed. Bau. et a Boettichero in Lex. Tacit. Prolegom. p. LXXXIII. — Pro *Romanus* Weisius ex obsoletis edd. repetiit *dux Rom.*; sed *dux* glossam esse non solum ex eo patet, quod longe plurimi codd. hanc vocem non habent, sed etiam ex eo, quod in aliis *dux Romanus*, in aliis *Romanus dux* legitur, in Paris. z. autem *dux* versui superscriptum est. Ignorabant enim scribae saepissime populi nomine singulari numero posito non significari indefinite *unum* ex populo, sed eum qui summum imperium teneat, ita, ut quasi totius instar populi sit: quem usum Cortius exemplis scite illustravit, coll. Liv. I, 23, 7. *Ibi infit Albanus*, sc. dictator. XXXII, 11, 10. *Eo intentius Romanus instat*, sc. consul. ibid. c. 32, 12. et c. 33, 1. Plura congessere Gronovius et Drakenborchius ad X, 4, 6. Ita apud eundem in historia belli Punici nihil frequentius est, quam *Poeni* nomine significari Hannibalem aut alium Carthaginiensium ducem. Apud Sallustium ipsum *Numida* saepe dicitur pro rege Numidarum Iugurtha, ut c. CI, 6. CVI, 3. CVIII, 3. CXI, 4. CXIII, 6., *Maurus* pro rege Maurorum Boccho, cf. c. XCVII, 2. CVIII, 1. CXIII, 3. [Cf. Herodot. I, 3. et 80. Demosth. de pace §. 25. Fr.]

§. 4. *id modo festinabat*] *Id* non redundat, ut videri possit, sed vim orationis auget, si quidem sequentia, quibus festinandi finis declaratur, iam aliquatenus pronomine indicata sunt, ut quodammodo ei explicando inserviant. Vide notata ad Catil. LI, 7. p. 239. — *Bocchi pacem imminuere* ut explicet Langius, *pacem* inepte interpretatur *pacis animum*; sed quum alicuius rei *imminutio* spectet ad eam corrumpendam ac dissolvendam, sensum verborum bene expressit Gerlachius: pacem, quam Bocchus agitabat, turbare atque impedire; cf. Cic. p. Rosc. Amer. c. 38, 109. *Nullum est officium, nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eius scelus violarit et imminuerit.* v. etiam ad c. CX, 3. Ceterum ad Iugurthae consilia illustranda Cortius apposite utitur Caesaris ver-

victo Iugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit; ceterum haud procul ab Cirta castris munitis reges opperitur, melius esse ratus cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras 2
certior fit provinciam Numidiam Mario datam; nam

bis de B. G. VII, 42, 4., id Numidam egisse dicens, ut Bocchum *facinore admisso ad sanitatem puderet reverti.*

LXXXII. §. 1. *saepe iam*] Haec non trahenda sunt ad *consueverat*, sed ad verba *victo Iug.;* nullum enim locum pugnae detrectare solebat Metellus, quum *saepe victo* Iugurtha cognovisset, *quovis loco hostem inferiorem discedere.* — *Copiam facit* sc. *regibus* vel *iis*, quod facile elicias ex superioribus; cf. ad c. I, 3. et XIV, 19. — *Ceterum*, quod adversandi vim habet, Weisius pessime explicat *itaque;* v. ad c. II, 4. — *Esse* ante *ratus* Cortius omisit, sed non dixit quorum codd. auctoritate. Certe abest tantummodo a Bern. 1. 3. Tur. 1. Vatic. 4. et Goerlit., et recte abesse posse non est dubium, v. ad Cat. I, 3. p. 6. Sed quum plurimorum codd. consensum confirmet Arus. Messius v. *ex commodo,* Grammatt. Latt. Vol. I. p. 229. ed. Lindem., nihil in vulgata mutandum videtur. — *Cognitis Mauris* i. e. tum demum, quum, quo pugnandi genere et more Mauri uterentur, cognovisset; cf. c. VII, 4. Caes. B. G. II, 8. IV, 20. — *Ex commodo* Iaumannus non satis accurate interpretatur *ubi commodum posceret.* Sensus est potius *commoda occasione oblata;* nam *ex* propria caussae et originis potestate non deposita indicat *pugnam ex commoda caussa aut occasione quasi prodire.*

§. 2. *provinciam Numidiam Mario datam*] In Teg. Bas. 4. Bern. 1. Berol. 1. Misn. et Goerlit. et paucis aliis inverso ordine legitur *Mario prov. Num. datam*, qui ordo haud dubie vulgato est deterior, quum vis sententiae in voce *provinciam* insit, ut ex eo patet, quod *consulatus* ei est oppositus. Simul intelligitur *provinciam* praedicatum esse (cf. c. LXXXV, 34.), neque pro appositione *Numidiae* haberi posse. — *Nam* particula spectat ad omissam aliquam sententiam, quam sic fere suppleveris: quae res ei non plane praeter exspectationem accidit. cf. ad c. XIX, 2. — *Ante acceperat*

consulem factum ante acceperat. Quis rebus supra bonum atque honestum perculsus neque lacrumas tenere, neque moderari linguam; vir egregius in
3 aliis artibus nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant, alii bonum ingenium contumelia accensum esse, multi, quod iam

omnium fere codd. scriptura est. Cortius edidit *iam antea acc.*; sed *antea* paucissimi tantum libri tenent, *iam* autem in nullo comparet, neque eo est opus. — *Factum* i. e. *designatum*; *fieri* enim omnes dicuntur magistratus, qui populi suffragio declarantur, ut plurimis exemplis collatis observavit Car. Beierus ad Cic. de Off. III, 20, 79. p. 332. Sall. Iug. LXXXIV, 1. LXXXV, 11. v. etiam Drakenborch. ad Liv. II, 51, 4. — *Quis* tantummodo habet Guelf. 3. ceteri *quibus*. — Pro *atque honestum* in haud paucis codd. est *aut hon.*, quod nullo modo ferri potest, quum Sallustius non id agat, ut notionem *honesti* in locum *boni* substituat, de qua *aut* particulae potestate cf. notata ad c. LXVII, 3., sed ut utrâque coniunctâ vim sententiae augeat. *Bonum* autem h. l. idem est atque *utile*, sive id, quod conducit et iuvat, quae vocis potestas, ut alia omittam, obtinet in precandi formula: quod bonum faustum felixque sit; *honestum* vero intelligendum de *decoro*, quod virum gravem decet. Sensus est igitur: in dolendo ita modum excedebat, ut nullam neque commodi sui, neque dignitatis rationem haberet. Aliter Langius *bonum* interpretatur *honestum internum*, *honestum* ipsum vero, nude a Sallustio dictum, *decorum externum*. Sed huic sententiae primum adversatur incommoda notionum commutatio; tum hoc obest, quod *honestum* per se non de rebus *externis* dicitur. Denique *bonum* tantummodo ex Stoicorum doctrina non diversum est ab *honesto* (cf. Cic. de Off. I, 20, 66. III, 3, 13. et utroque loco Car. Beierum), quorum placita et dicendi usum Sallustium secutum esse non est quod credas. — *Moderari linguam* i. e. coercere, modum statuere linguae. Non servat autem Sallustius discrimen sensus, quod pro varia huius verbi structura statuit Zumptius in Gramm. Lat. §. 72, 3. not. 2. p. 327. ed. IV. Nam quod dicit *moderari alicui rei esse modum facere*, *moderari rem* valere *instituere ac regere*, illud refellitur Catil. LI, 25. *fortunae lubido gentibus moderatur*, hoc redarguitur nostro loco;

parta victoria ex manibus eriperetur. Nobis satis cognitum est illum magis honore Mari quam iniuria sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii quam Mario traderetur.

LXXXIII. Igitur eo dolore impeditus, et quia stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare,

utroque enim ratio inversa obtinet. Eodem sensu Livius XLII, 62, 11. *Moderari animos in secundis.* — Pro *egregius in aliis artibus* nonnulli codd. habent *egr. aliis art.* sine *in*, quod sane dici posse ostendimus ad c. LXIII, 7; sed *egregius in aliqua re* aeque probum est. Ciceronis exempla Faber attulit haec: Brut. c. 21, 84. *In bellica laude egregium reperimus fuisse Laelium.* de Orat. I, 49, 215. *In procuratione civitatis egregius;* quibus adde Gell. NN. AA. V, 3, in. *Protagoram, virum in studiis doctrinarum egregium, aiunt* etc. Id. X, 11. *Nigidius, homo in omnium bonarum artium disciplinis egregius.* Neque dissimiliter Livius dixit XXXVII, 7, 15. *Virum ad cetera egregium.* — *Artes* h. l. praegnanti sensu significant omnes res, quae virum bonum decent.— *Nimis molliter* i. e. non viriliter, non satis fortiter, sed fracto animo. Cic. de Finn. II, 20, 64. *Dolor si adesset, Epicurus non molliter ferret.* id. de Off. I, 21, 71. *Sunt — qui in dolore sint molliores,* ubi v. Car. Beierum. Caes. B. G. III, 19, 6. *Gallorum animus mollis est ad calamitates perferendas.*

§. 3. *vortebant*] Ita, non *vertebant*, exstat in Guelf. 1. Sen. 1. Bas. 1. Fabriciano Rivii, Paris. b. x. z. Ceterum ex hoc verbo eliciendum vel *censebant* vel *dicebant*, unde pendet structura sequentium; v. ad c. VIII, 1. — Ad *bonum ingenium* supplendum est *eius;* nam sensus est: virum generosae indolis et malorum artium ignarum. — Verbo *contumelia* respondent variatâ structurâ *quod iam parta victoria — eriperetur*, quae utraque pendent ex verbo *accensum esse.* Ineptit igitur Muellerus, qui ad hunc infinitivum *irâ* suppleri vult. — *Est* post *cognitum* Cortius tacite omisit. Sed quum tantummodo ab Vat. 2. 4. et Goerlit. absit, ceteros sequi maluimus. — *Iniuria sua* i. e. ipsi illata; cf. ad Cat. LI, 11. p. 243. — *Excruciatum* Gruterus male mutatum volebat in *exercitum*, quod praebet Commel. et unus Wassii, non sentiens ille infirmius se vocabulum graviori substituere. Vulgatam bene defendit Was-

legatos ad Bocchum mittit, postulatum, ne sine caussa hostis populo Romano fieret; habere tum magnam copiam societatis amicitiaeque coniungendae, quae potior bello esset; quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mu-

sius, coll. Cic. de Fin. I, 16, 50. *Temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant.* ibid. II, 16, 53. *Animi conscientia improbos excruciari.* Epp. ad Famm. XIV, 3, 1. *Conficior moerore, nec me meae miseriae magis excruciant, quam tuae.* Adde Tacit. Ann. II, 31, 1. Plaut. Mil. IV, 2, 76. Terent. Andr. V, 3, 15. Eun. V, 3, 11. Heaut. III, 1, 4. Phorm. I, 4, 10. — *Anxie* i. e. perturbato et deiecto animo; v. ad c. LXV, 3. — *Traderetur* non cum editoribus putabis pro *tradita esset* dictum; nam imperfecto significatur Metelli cogitationem vel potius Sallustii de Metello iudicium ita se referre ad praeteritum tempus, ut *tradendi* actionem durantem necdum absolutam mente intueatur; quamquam etiam altera cogitandi ratio, cum nostra magis congrua, recte se habet. V. ad c. LIX, 3.

LXXXIII. §. 1. *Stultitiae*] Acad. Vrat. 1. 3. Eccard. Guelf. 2. 4. 7. 11. 12. Fabr. 1. Arond. *stultitia* habent, quod quamquam dici potest, tamen aperta est interpolatio eorum, qui in tritissimo genitivi usu offenderent. cf. supra c. XIV, 7. Zumptii Grammat. Lat. §. 73, 12. not. 1. p. 351. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 38. p. 453. Drakenborch. ad Liv. III, 70, 15. ubi genitivus in uno cod. similiter in nominativum depravatus fuit. — *Suo* Cortius temere omisit, quippe quod et omnibus codd. sustentetur, et, praegressa voce *alienam*, cui opponitur, ad sententiae vim et perspicuitatem necessarium sit. Perperam tamen in Teg. Misn. et Goerlit. pronomen priorem locum tenet; nam primaria sententiae vis in *periculo* inest, quo in aliena re subeundo *stultitia* constat. — *Populo Romano* plurimi optimique codd. tuentur; pauci ex interpolatione habent *populi Romani*, ad sententiae vigorem aliquanto deterius; v. ad c. VII, 4. et X, 5. CVIII, 2.

habere tum magnam] *Tum*, quod longe plurimi optimique codd. habent, velut Commel. Naz. Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Paris. b. c. x. z., etiam Berol. 1. 2. et Goerlit., Gerlachius primus recte in textum recepit. Ceteri editores omnes scripserunt *cum*, ut minor codd. pars ex interpolatione valde ieiuna habet, scribis vel ac-

tare; omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere; non in eiusdem potestate initium eius et finem esse; incipere cuivis, etiam ignavo, licere; deponi, quum victores velint. Proinde sibi regnoque suo consuleret, neu florentis res suas cum Iu-

cusativum subiecti desiderantibus, quod facile intelligitur ex proximo *fieret*, vel usum *tum* particulae non intelligentibus; quam veram mutationis caussam esse ex eo colligas, quod alii *tum* in *tam* corruperunt. Sed *tum* optime habet et a dicendi usu, et ab sensu; hoc enim Metellus persuadere conatur Boccho, *non aliud tempus illi opportunius esse* ad gratiam Romanorum ineundam. *Tum* igitur ad *magnam* spectans eo modo dictum est, quem paullo supra tetigimus ad c. LXXXI, 1. — *Societatis amicitiaeque;* v. ad c. LXXX, 4. coll. c. LXXVII, 2. — *Suis*, quod Cortius ex uno cod. Fabr. 2. omisit, bene additum est ab auctore, quum eo maxime spectet Metelli oratio, ut Bocchum moneat ne nimium *sibi* tribuat. Eandem ob caussam *tamen* revocandum fuit, quod Cortius eiusdem cod. fide deleverat; nam addita particula id, quod Metellus monet, gravius urgetur; cf. c. X, 7. — *Mutare aliquid pro aliquo* inusitate quidem, sed ita dictum est, ut praepositione vis verbi propria augeatur. — *Bellum sumi* illustravimus ad c. XX, 5. Nostrum locum quodammodo ante oculos habuisse videtur Tacitus Hist. IV, 69, 1. *Sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri.* — *Deponi* non pendet ex *licere*, sed primarium in enunciatione locum obtinens huic verbo ex altera parte respondet. Ceterum attende ad gravitatem orationis brevitate dicendi effectam, siquidem omissa adversandi particula et neglectis *non nisi* restringendi vocibus id, quod *incipiendo* contrarium esse dicitur, nude ita ponitur, ut, quia certissima est belli a victore deponendi condicio, haec sententia suapte vi praegressae opposita esse appareat. Qua verborum ratione non intellecta scribae varia locum interpolatione foedarunt; nam in Guelf. 7. 9. Bas. 4. est *non deponi nisi cum v. v.;* in Leid. A. N. *dep. non nisi c. v. v.;* in Leid. M. *dep. non posse nisi cum v. v.;* in Leid. B. *dep. autem nisi* etc.; in Vin. 2. *sed dep. cum* etc. — *Suo*, quod omnes codd. retinent, Cortius omisit. Pronominis vim facile sentias, si reputaveris Metellum Boccho suadere, caveret ne omitteret, *quae haberet.* — *Florentis* hac terminatione servatum est in Paris. c. x. z.

2 gurthae perditis misceret. Ad ea rex satis placide verba facit: sese pacem cupere, sed Iugurthae fortunarum misereri; si eadem illi copia fieret, omnia
3 conventura. Rursus imperator contra postulata Bocchi nuncios mittit; ille probare partim, alia abnuere.

§. 2. *placide*] i. e. animo ab omni perturbatione libero, ut non offensus aut infestus, sed amicus videretur; cf. c. LXXII, 1. CII, 12. — *Eadem copia* i. e. *earumdem rerum*, sc. societatis amicitiaeque, copia, de quo attractionis genere v. ad c. LIV, 6. — Pro *fieret* pauci codd. habent *foret*, quod ferri quidem potest, sed vulgatae auctoritate codicum satis munitae non praeferri meretur, ut Cortio placuit. — *Omnia conventura. Conveniunt res* quae *utraque parte consentiente* constituuntur aut perficiuntur; cf. supra c. XXXVIII, 10. *Pax convenit*, ubi v. plura. Nep. Paus. c. IV, 2. *Erant in eadem epistola, quae ad ea pertinebant, quae inter regem Pausaniamque convenerant.* id. Hannib. c. VI, 2. *Condiciones non convenerunt.* Liv. XXIV, 27, 6. *Marcellus posse rem convenire ratus.* XXX, 4, 7. *Imperator spem facere rem conventuram.*

§. 3. *ille probare*] Weisius *ille* de *imperatore* intelligendum censens, et coecutit mirifice in hoc loco, et Latinae linguae usum parum perspectum habet. Nam *per vices* actum esse inter Metellum et Bocchum de condicionibus pacis, non solum ex Romani ducis consilio bellum *trahendi*, sed etiam ex Sallustii verbis *missis remissisque nunciis* patet. Tum si de praegresso *imperator* nomine etiam sequentia dicerentur, quis sibi persuaserit, subiecto non mutato, *ille* inferri, illatum vero vices proxime praegressi *subiecti* sustinere posse? Contra ea pronomen *ille* hunc usum habet, ut praegressae enunciationis *secundarium* aliquod nomen sequentis *subiectum* constituat, quod ostendimus ad Cat. c. XLV, 2. Iug. LIX, 3. Quare *ille* refertur ad *Bocchum*. — *Probare partim, alia abnuere*, quemadmodum cum Gerlachio scripsimus, longe plurimi codd. habent. Sed in Fabr. 1. Inc. 2. Vrat. 1. Guelf. 6. 9. 12. deterioribus Gruteri, Teg. Bas. 4. Berol. 1. 2. et Goerl. legitur *pr. part. partim abn.*; scilicet ut eadem vox sibi responderet, scribae *alia* in *partim* mutaverunt; sed v. ad c. XXXVIII, 3. Ex geminata autem ab interpolatoribus *partim* voce alia corruptela fluxit in Sen. 1. Vin. 1. Vrat. 3. Guelf. 1. 2. et aliquot Gruteri codd., qui tantummodo habent

Eo modo saepe ab utroque missis remissisque nunciis tempus procedere, et ex Metelli voluntate bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe consul factus, postquam ei pro-

ille probare, partim abnuere, oculorum haud dubie lapsu altera voce omissa, quod depravationis genus in libris manu scriptis haud rarum est. Nihilominus Cortius hanc scripturam pro vera venditat. — *Ex voluntate* sensu paullo differt a solo ablativo *voluntate.* Sextus enim casus quum *caussae* significationem habeat, hoc simpliciter indicaret *voluisse* Metellum bellum trahi, i. e. belli tracti *caussam fuisse* Metelli *voluntatem.* Contra *ex* praepositio, qua in universum significatur aliquid *prodire* ex aliqua re, simul declarat *eventum* sive *effectum habuisse Metelli voluntatem.* Hunc sensum vernacula ita reddas: *ganz so, wie* Metellus es wollte; alterum foret *mit Willen* des Metellus. Subtilior ista praepositionis *ex* ratio, quam saepe facilius est sensu percipere, quam verbo exprimere, nunquam plane delitescit, neque obscurum est ab generali *effectus* aut *eventus* notione repetendum esse eum particulae usum, quem ad Cat. IV, 1. et ad XII, 2. illustravimus. Cum dictione *ex voluntate* congruit *ex composito*, cuius nubem exemplorum attulit Drakenborch. ad Liv. I, 9, 10. — *Bellum trahi* notissimum est dici, ubi de industria id quaeritur, ut desidia et nihil agendo bellum aliquod non finiatur; v. supra c. XXIII, 2. XXXVI, 3. et cf. Drakenborch. ad Liv. V, 11, 8. Quam sententiam ut augeret Sallustius *intactum* addidit, quamquam huius vocabuli notio iam in verbo *trahere* inest. Sed talia perspicuitatis caussa fieri diximus ad c. LXXIII, 1.

LXXXIV. §. 1. *cupientissuma plebe*] Perperam Langius hoc antique dictum censet pro *cupidissuma plebe.* Rectius Cortius interpretatur *favente et maxime annitente plebe;* nam *cupere* et *velle* verba non solum ad dativum personae relata, sed etiam absolute posita praegnanti sensu significant *bene cupere* aut *velle* i. e. favere, studere, propenso animo esse; v. ad c. LXXIII, 3. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. I, 1, 2. XIII, 6, 12. Gronov. ad Gell. VII, 3. — *Factus* i. e. designatus; v. ad LXXXII, 2. — In verbis *ei provinciam iussit* dativum per se patet non eam rationem habere, qua in vulgari *iubere* verbi structura accusativus ponitur; nam aliud est iubere aliquam rem *fieri ab aliquo*, aliud, iubere

vinciam Numidiam populus iussit, antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare; sin-

aliquam rem *esse in alicuius commodum.* Sed ut ratio huius structurae penitus intelligatur, tenendum est, ubi de rebus in comitiis actis sermo est, *iubere* de populo dictum hunc peculiarem usum habere, ut cum simplici accusativo *obiecti* coniunctum valeat *aliquid confirmare, constituere, ratum facere, decernere*; cf. Liv. III, 55, 3. *Legem tulere, ut, quod tributim plebes iussisset, populum teneret.* XXXI, 8, 1. *In suffragium missi bellum iusserunt.* XXI, 17, 4. *Adorati dii, ut bene ac feliciter eveniret, quod bellum populus Rom. iussisset.* XXXII, 22, 12. *Argivi concilio, quod inclinaverat ad Romanam societatem iubendam, excesserunt.* X, 8, 12. *Ego hanc legem iubendam censeo.* Cic. de lege Agrar. II, 22, 58. *Hoc quia vos foedus non iusseritis, veretur Hiempsal, ut satis firmum sit et ratum.* id. p. Balbo c. 17, 38. *Responderem legem populum Rom. iussisse de civitate tribuenda.* Iam si legitime dicitur *iubere aliquam rem*, nihil obstat quominus dativo personae adiecto indicetur *cuius respectu*, i. e. in cuius commodum vel incommodum aliquid iubeatur; cf. Liv. IV, 43, 2. *Iam enim Anagninis Hernicisque aliis bellum iussum erat.* id. XLII, 33, 1. *Consul senatusconsultum recitari iussit, quod bellum senatus Perseo iussisset.* Non alia autem ratione, nisi quod dativus commodi, quem dicunt, obtinet, dictum est *Mario provinciam Numidiam populus iussit*, ad eundem plane modum, ut c. XXVII, 3. *Provinciae futuris consulibus Numidia atque Italia decretae*, et apud Vellei. II, 18, 5. *Sulpicius legem tulit, qua C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum;* in hac enim structura *iubere* vi et usu non differt a *decernere* verbo. Qui igitur concesserit, concedent autem omnes, dativi rationem ex ipso verbo *decernere* pendere, eidem simul est concedendum *iubere* quoque recte cum tertio casu coniungi. In errore igitur versantur Cortius ad h. l., Burmann. ad Petron. c. LXXI., Duker. ad Liv. XXVII, 24, 3. Drakenborch. ad XXVI, 41, 18., qui dativum ab omisso *dari* vel *esse* repetendum censeant, diversam structuram miscentes. Nam sane etiam ita, ut illi orationem suppleri volunt, loquuntur Latini; cf. Liv. XXVI, 41, 18. *Dii immortales centuriis omnibus ut mihi imperium iuberent dari fuere auctores.* id. ibid. c. 18, 9. *Ad unum omnes P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt.* XXX, 41, 4. *Cui iuberent in Hispania imperium esse?* XXXI, 50, 11.

gulos modo, modo universos laedere; dictitare sese consulatum ex victis illis spolia cepisse; alia prae-

Plebs Cn. Cornelio Lentulo et L. Stertinio pro consulibus imperium esse iussit. IX, 45, 8. *Populus Rom. bellum fieri Aequis iussit.* Sed quis non videt, in his exemplis *iubere* vim habere verbi quod dicunt *declarandi?* Quod quum legitime sequatur accusativus cum infinitivo, dativus rite pendet ex hoc infinitivo, non ex *iubere.* Contra illa superiora ita sunt comparata, ut *iubere* potestate *transitivi* verbi simplicem accusativum obiecti regat et simul qua ratione id, quod enunciatur, ad personam pertineat, addito dativo, remotioris obiecti casu, designet. Quare quum utraque structura cum Latinae linguae legibus conveniat, inconsultum est alteram ad normam alterius exigere velle.

tum vero] *Vero* cum vi effert *tum* vocem, ut in vernacula *jetzt ganz besonders;* cf. Cat. c. LXI, 1. *tum vero cerneres* etc. Plura diximus ad Cat. LII, 15. — *Multus atque ferox instare* Langius, Muellerus et Iaumannus explicant *saepe et ferociter inst.* Sed *temporis* notio a voce *multus* aliena est. Quocirca interpretamur modum excedens, immodicus, sibi i. e. odio suo non temperans. De ratione adiectivi pro adverbio positi v. ad c. XXXVIII, 1. — Ante *spolia* in aliquot codd. *quasi* additum legitur, quae vox insolentiae ac ferociae Marii minime convenit, quippe qua molliri soleat si quid in aliquo vocabulo durum aut acerbum inest; v. ad c. XLI, 10. *Spolia* ignominiose dicitur *pretium victoriae*, victo potentia et viribus exuto; cf. Fragm. Historr. I, 15, 7. *Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vostra penes illos sint.* ib. III, 22, 6. *Aerarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vostris.* IV, 12, 11. *Asiam spolium regis Antiochi recepi.* Cic. p. Quint. c. 31, 99. *Hoc te obsecrat, ne ornamentis eius omnibus Sex. Naevius pro spoliis abutatur.* Ceterum hunc Sallustii locum expressit Plutarchus in Mario c. IX. (ed. Reisk. Vol. II. p. 816.) *Οἱ λόγοι* (*τοῦ Μαρίου*) *θρασεῖς ὄντες ὑπεροψίᾳ καὶ ὕβρει τοὺς πρώτους ἐλύπουν, σκῦλον βοῶντος αὐτοῦ τὴν ὑπατείαν φέρεσθαι τῆς τῶν εὐγενῶν καὶ πλουσίων μαλακίας.* — *Illis dolentia*, i. e. *quae illis dolerent;* nam *dolet mihi aliquid* significat *dolorem mihi affert*, quae dicendi ratio Plauto haud inusitata est, Ciceroni et aequalibus non item; cf. Plaut. Epidic. I, 2, 44. Menaechm. II, 3, 84. Capt. I, 2, 49. Cist. II, 1, 20.

2 terea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, quae bello opus erant, prima habere; postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque accersere; praeterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militiae, paucos fama

§. 2. *auxilia a populis et regibus sociisque accersere*] De simili auxiliorum parandorum modo cf. c. XLIII, 4., ubi simul dictum est *socios* intelligendos esse *Italicos*. — *Accersere* longe plurimi libri habent; v. ad Cat. XL, 6. Alii *accersire*, pauci *arcessere*. — *Militiae* est in Naz. Bas. 1. Sen. 1. Fabr. 1. m. pr. Vin. 1. Rem. Acad. Vrat. 1. 2. Eccard. Guelf. 1. 2. 4. 6. aliquot Palatt. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. 2. et Misn. Ceteri habent *militia*, ut casus cum *fama* congrueret. Sed duplicem eiusdem verbi structuram interdum a Sallustio coniungi, iam diximus ad Cat. XXXIII, 1. *Plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus.* Iug. LXXIV, 3. *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti.* De genitivi ratione v. Zumpt. Gramm. §. 73, 6, 1. p. 344. et Ruddim. Institt. Gramm. Vol. II. p. 73 — 78. — Pro *emeritis stipendiis* Bipontini et Muellerus ex Guelf. 1. 2. 3. scripserunt *emeritos stipendiis*, quod dicendi usui repugnat; nam aut activa participii potestate dicitur *homo emeritus stipendia*, aut passivo sensu *homo emeritis stipendiis;* cf. Liv. XXI, 43, 10. *Hic vobis terminum laborum fortuna dedit; hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit*, ubi Drakenborchius comparavit III, 57, 9. *Non iuniores modo, sed emeritis etiam stipendiis pars magna voluntariorum ad nomina danda praesto fuere.* XXXIII, 3, 4. *Emeritis quidam stipendiis ad signa revocabantur.* Caussa importunae mutationis vix alia fuerit, quam quod fugit illos ablativorum ratio, quibus nomen definitur; v. ad Cat. XLIX, 2. — Verba *secum proficisci*, omnibus omnino codd. firmata, Cortius futilissimis hallucinationibus indulgens eiicienda censuit, eiusque auctoritate moti eiecerunt Bipontini et Muellerus. Immerito eos verbo *cogere* offensos fuisse, quia emeriti stipendia nulla vi ad militiam adigi potuerint, neque opus esse ut huius rei vitandae caussa *cogere* pro *colligere* dictum putes, bene monuit Gerlachius. Quippe *cogere* non vulgari sensu de *adhibenda vi* est intelligendum, sed cum *ambiundo* coniunctum ita mollitur, ut loci sensus sit: verbis ad favorem et studia aucu-

cognitos accire, et ambiundo cogere homines eme-
ritis stipendiis secum proficisci. Neque illi senatus, 3
quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere
audebat; ceterum supplementum etiam laetus decre-
verat, quia neque plebi militia volenti putabatur, et

panda compositis commovere eos atque impellere, ut secum proficiscerentur. De hoc verbi *ambire* extra honorum petitionem usu cf. c. XIII, 7. XIV, 20. Terent. Andr. II, 2, 36. ubi v. Ruhnken.

§. 3. *de ullo negotio abnuere*] Pro *abnuere* aliquot codd., neque ii insignes, habent *negare*, quae aperte glossa est. Quid autem intersit inter accusativum obiecti, qui sane poterat poni, et inter *de* praepositionem, cuius ope saepe obiecti ratio significatur, scite docuit Herzogius ad Catil. III, 2. p. 17. Scilicet *de* posito, obiectum non pro *una* re est, quam praedicatum *totam* complectatur, sed notione quasi diducta et in partes soluta indefinitum proponitur, ita ut ex omnibus, quaecunque ad id pertinent, singula cuique cogitatione amplectenda permittantur. cf. Catil. XXX, 6. *Si qui indicavisset de coniuratione.* ib. c. XLVIII, 4. Iug. XIII, 3. *Qui senatum docerent de caede fratris.* XXVII, 4. *Cuius de natura supra memoravimus.* LXXIII, 1. *Ubi de casu Bomilcaris cognovit.* LXXXII, 1. LXXXVII, 4. XCVII, 4.

quia neque plebi militia volenti putabatur] Hanc scripturam, quam in magna codicum inconstantia tutam praestat Prisciani testimonium XVIII, 20, 169. p. 181. ed. Kr, confirmant etiam Fabric. 1. Vin. 1. Vrat. 1. Guelf. 1. 2. 7. Leid. K. M. Paris. z. Alii habent *q. n. plebe militia volente p.*; alii *q. n. plebi militiam volenti p.*; alii *q. n. plebe militia volenti p.*; alii *q. n. plebe militia nolente p.*; alii *q. n. plebe militiam nolente p.*; alii denique *q. n. plebe militiam volente p.*, quae peccata omnia structura paullo insolentior genuit. Quam ad Graecorum exemplum instituisse Sallustium et plerique editores viderunt, et primus monuit Priscianus l. l. auctoritate usus Demosthenis p. Cor. p. 229. ed. Reisk. *Τῆς δὲ πομπείας ταύτης ὕστερον, ἂν βουλομένοις ᾖ τούτοις ἀκούειν, μνησθήσομαι.* cf. Thucyd. II, 3. *τῷ πλήθει τῶν Πλαταιέων οὐ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίστασθαι.* VII, 35. *Οἱ Κροτωνιᾶται εἶπον οὐκ ἂν σφίσι βουλομένοις εἶναι διὰ τῆς γῆς σφῶν τὸν στρατὸν ἰέναι.* Dionys. Halic. IV, 11. *Εἰ ὑμῖν ταῦτα βουλομένοις ἐστίν.*

Marius aut belli usum aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata; tanta lubido cum Mario

id. IV, 42. *Οἷς οὖν ἦν βουλομένοις Τύλλιον ἐκπεσεῖν τῆς ἀρχῆς.* Eodem plane modo Thucydides VI, 46. etiam dicit *τῷ Νικίᾳ προσδεχομένῳ ἦν τὰ περὶ τῶν Ἐγεσταίων.* Ubere hanc structuram illustravit Aug. Matthias in Gramm. Gr. ampl. §. 388. e. p. 712. ed. II. Alia praebent, quos Hermannus ad Viger. p. 739. n. 181. laudat, Koen. ad Greg. Cor. p. 376. ed. Schaef. et Valcken. ad Herodot. VIII, 101. Ex Latinis huc pertinent Sall. Iug. C, 4. *Vigilias ipse circumire, uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset.* Liv. XXI, 50, 10. *Grande periculum maritimis civitatibus esse et quibusdam volentibus novas res fore.* Tacit. Ann. I, 59, 1. *Ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.* Histor. III, 43, med. *Maturo ceterisque remanere volentibus fuit.* Agric. c. XVIII, in. *Quibus bellum volentibus erat.* Macrob. Saturn. I, 7. *Si volentibus vobis erit, diem fabulis et epulis exigamus.* id. ibid. II, 3, extr. *Si volentibus vobis erit, aliqua eius relaturus sum.* VI, 6, in. *Figuras, si volentibus vobis erit, enumerato.* Sed ad huius dicendi generis naturam explicandam non sufficit ad Graeca provocasse, quo contenti fuere omnes, etiam Walchius ad Agricolae l. l. p. 239., qui non perspecta summa rei caussam structurae in verbo *velle* quaerit, perperam huc trahens eam structuram, quam Palmerius ex coniectura intulit Iug. LXXIII, 3., nos explicabimus ad Fragm. Histor. IV, 17. Gerl. Neque verum tetigit Aug. Grotefend. in Gramm. Lat. ampl. Vol. II. p. 354. §. 444. not. constructionem ad ablativos absolutos revocans. Ad *attractionem* quandam haec referebat Boetticherus in Lex. Tacit. v. *Particip.* n. 6. p. 343 sq., eamque rationem nos ipsi nuper in Iahnii Novis Annall. Philol. et Paedag. a. 1832. Vol. II. Fasc. IV. amplexi et uberius persecuti sumus, quam falsam esse non pudet profiteri, vero postea invento. Nam et Graeci et Latini usus ratio eo constat, quod verbum *esse* vel *εἶναι* non *copulae* vim habet, neque *pars* praedicati est, alio nomine adiuncto complendi, sed praedicatum ipsum, integrum atque plenum, quippe quo enuncietur aliquid *exstare*, sive *locum habere.* Iam si aliqua res, quae dicitur simpliciter *exstare*, ad *dativum* personae cum participio verbi *voluntatis* coniunctum refertur, eo proprie significatur *exstare* illam rem *respectu alicuius, qui eam velit*, i. e. tali

eundi plerosque invaserat. Sese quisque praeda lo- 4
cupletem fore, victorem domum rediturum, alia

ratione contineri rem, *quae exstet*, cum aliquo, *ut eam velit*, quod simplicius et communi modo enunciatum idem est atque: *aliquis aliquam rem vult.* Quemadmodum igitur *habendi* notio notissimae structurae *mihi est aliquid* eo nititur, quod *esse* vim habet τοῦ ὑπάρχειν (germanice: es *existirt* etwas, ist vorhanden, *in Bezug auf mich*, insofern ich es besitze = ich habe es), ita eodem prorsus modo prodit *voluntatis* notio ex formula *est mihi aliquid volenti* (es *existirt* etwas, findet statt, *in Bezug auf mich, der ich es will* = ich will es). Nostro autem loco dativos *plebi volenti* non pendere ex *putabatur*, sed ex omisso *esse* verbo, vix est quod moneatur. Eodem modo ut Latina, et Graeca expedienda sunt omnia, etiam ea, ubi verbum *γίγνεσθαι* pro *εἶναι* habetur. A vero igitur aberravit vir summus G. H. Schaeferus, qui ad Greg. Cor. p. 377., laudato loco Philostrati Vit. Soph. I, 21. §. 7. *ὅθεν ἀσμένῳ οἱ ἐγένετο ἡ ἀποδημία τοῦ ἀνδρός*, haec annotat: hinc certe hoc discas, quod Lexica non docent, *ἄσμενος* significare etiam *iucundus*, *suavis*, *ἡδύς*.

et Marius] *Et* particulam, quae deest in Vin. 2. Acad. et Fabric. 2. omiserunt Bipontini et Muellerus, totum locum sic scribentes: *quia, neque plebe militiam volente, putabatur Marius aut belli usum, aut studia volgi amissurus.* De prioribus satis dictum; sed cetera illis etiam peiora sunt. Nam inepte eos *neque* pro *non* positum censere arguit non solum locus particulae, sed etiam participium *volente;* tum *putabatur* eo loco collocatum est, quem nullo modo patitur Latinae linguae ratio; denique quae ita prodit sententia, aperte repugnat sequentibus. Non *detrectabat* enim plebs militiam, sed Senatus *sperabat detrectaturam.* Ne multa, *neque — et* sibi respondent, ita tamen, ut aiens membrum simul consectarium esse ex negante significetur, quem sensum germanice sic reddas: weil man *auf der einen Seite* glaubte, dass das Volk dem Kriegsdienste *abgeneigt sei*, und dass *desshalb auf der anderen Seite* Marius entweder die Hülfsmittel zum Kriege, oder die Gunst des Volkes verlieren werde. — *Belli usus* significat *ea quae bello usui sunt*, ut loquitur Cat. XXXII, 1. Iug. XLIII, 3. Ita Tacitus Ann. IV, 30, 2. *vitae usus* dicit ea, *quibus ad vivendum est opus.* Hoc loco autem *supplementum* intelligi clarum est. cf. c. LXXXIX, 6.

huiuscemodi animis trahebant, et eos non paullum oratione sua Marius arrexerat. Nam postquam, omnibus, quae postulaverat, decretis, milites scribere volt, hortandi caussa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem populi advocavit; deinde hoc modo disseruit.

LXXXV. „Scio ego, Quirites, plerosque non isdem artibus imperium a vobis petere, et, post-

§. 4. *fore*] Hanc vocem, quae in solo Guelf. 11. deest, Cortius omisit. — *Aliquid trahere animo* est alicuius rei cogitationem non dimittere ex animo, semper aliquid animo volvere; cf. XCIII, 1. *Marius anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum.* — *Non paullum*; v. ad Catil. III, 1. p. 16. — *Arrexerat* Cortius sine idonea caussa in *erexerat* mutatum cupit; v. ad Cat. XXXIX, 3. p. 184. — *Omnibus decretis* sc. a senatu. — *Simul et*, v. ad c. XX, 1.

LXXXV. §. 1. et 2. *Scio ego*] De vi pronominis *ego* verbo additi v. ad c. IV, 5. p. 23. — *Isdem* exstat in Sen. 1. Vin. 1. Inc. 1. Vrat. 1. 3. Guelf. 1. 3. Flor. 1. Paris. b. z. et Vat. A. cf. ad c. XIV, 11. Ceteri plerumque *hisdem*, vel *iisdem* aut *eisdem*. — *Supplicis* hac terminatione legitur in Paris. z.; confirmatur etiam eo, quod in Ven. 1. est *supplicii*, in Flor. 1. *suppliciis*. — *Modicos*, i. e. modestos; v. ad c. CXI, 1. — *Deinde* longe plurimi libri habent; Cortius ex duodecim codd. dedit *dehinc*, Gerlachius ex tribus *dein*; v. ad V, 6. — *Per ignaviam et superbiam* illustravimus ad Cat. c. XX, 2. p. 97. — *Contra ea* non solum plurimi, sed etiam optimi libri tenent, ut Commel. Naz. Bas. 1. Fabr. 1. Sen. 1. Paris. b. c. x. z., alii. Minor pars *ea* non habet, quam vocem *contra* praepositioni additam iam tetigimus ad c. LVII, 5. Caes. B. Civ. III, 74, 3. *Contra ea Caesar non satis militibus perterritis confidebat.* Male autem plerique omnes editores verba *sed mihi contra ea videtur* clausulam faciunt praegressae sententiae, semicolo post *agere*, puncto post *videtur* posito. Quod falsum esse arguit structura sequentis enunciationis, per ἀνακολουθίαν quandam ex his verbis aptae. Nam quum duplex enunciationum ratio esse posset, ita ut aut *contra ea videtur* plenum praedicatum foret, cui

quam adepti sunt, gerere; primo industrios, supplicis, modicos esse, deinde per ignaviam et superbiam aetatem agere. Sed mihi contra ea videtur; 2
nam quo pluris est univorsa respublica quam consulatus aut praetura, eo maiore cura illam administrari quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum 3
cum maxumo beneficio vostro negoti sustineam. Bellum parare simul, et aerario parcere, cogere ad

illustrando nova sententia, oratione *recta* concepta, subiungeretur (*nam* quo pluris *est* univorsa respubl. q. cons. aut praet., eo maiore cura *illa* adm. — *debet*), aut verbis *contra ea* vi adverbii positis, *videtur* continuo sequentem enunciationem, accusativo c. inf. elatam, regeret, (sed mihi contra ea *videtur quo pluris sit univ. resp.* q. cons. aut praet., eo maiore cura *illam* administrari *debere*), auctor utramque coniunxit vel confudit potius, ex priore in posteriorem transiens, particulae *nam* et indicativi *est* immemor, quasi omnia ex *videtur* penderent. Quare ut aliquem structurae nexum inter utrumque orationis membrum esse pateat, ita interpungendum est, ut praeeuntibus Bipp. fecimus. Vulgari enim interpunctione admissa non habes, quomodo accusativum cum infin. explices aut excuses. Longe enim asperrimam et non tolerabilem faciunt structuram, qui *videtur* cogitatione supplendum vel repetendum censent; quod Iaumannus autem *videntur* suppleri vult, id ad *illam* relatum soloecismus haud levis est. Verborum ordinem *quo pluris est univorsa resp.* fere omnes libri praestant, neque alia discrepantia deprehenditur, quam quod pauci *quanto* pro *quo* habent. Cortius autem fide librorum neglecta scripsit *quo univ. resp. pluris est*; Gerlachius, reducto quem codd. iubent ordine, *est* post *pluris* omisit. *Illam*, quod deest in Fabr. 1. Vin. 1. Inc. 1., Cortius pessime delevit, non sentiens pronomine in sententiis oppositis non solum ad vim, sed ad perspicuitatem orationis opus esse. Non minus vitiose Muellerus scripsit *illa*, cui rei omnes codd. obstant. — *Haec* i. e. consulatus et praetura.

§. 3. *cum maxumo beneficio vostro*] *Cum* praepositionis vim supra illustravimus ad c. LXV, 3. cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 139. — *Beneficium*, qua voce h. l. intelligitur consulatus, in

militiam eos, quos nolis offendere, domi forisque omnia curare, et ea agere inter invidos, occursan-
4 tis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum et affinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio assunt; mihi spes omnes

universum dicitur de quovis munere, favori et benevolentiae populi debito. v. Car. Beier. ad Cic. Off. II, 19, 67. Ita Sall. loquitur etiam §. 8. et 26.; cf. etiam supra ad c. XXXI, 16. *Beneficia vostra penes optumos, non audacissumos forent*, ubi v. Faber. Cic. p. Mur. c. I, 2. in Verr. V, 70, 180. Caes. B. C. I, 9. — *Eos* ante *quos* non legitur in Inc. 1. Rem. 2. Leid. C. et Flor. 1. Cortius omisit, probante Gerlachio in Comment. p. 316. Sed vide, ne cum aliqua vi dictum significet *tales*, *tam caros*, quod huic loco accommodatissimum videtur, quum Marius subiiciat *quos nolis offendere*. — *Foris* non uno modo oppositum est *domi* voci, ut bene ostendit Cortius ad Catil. LII, 21. Proprie enim *domi* dicitur de iis, quae ad domum cuiusque *privatam* resque *domesticas* pertinent, quibus quae oppositae sunt res extra domum ad alienos pertinentes *foris* vocabulo comprehenduntur; cf. Cat. XX, 13. *Nobis domi inopia, foris aes alienum.* Plaut. Cistell. II, 1, 2. *Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quaeram.* Sueton. Ner. c. 36, in. *Nec minore saevitia foris et in exteros grassatus est;* in superioribus enim caedes *domesticas* narraverat. Tum *domi* dicitur de rebus *urbanis*, in Roma urbe, imperii sede, a Senatu populoque agendis, quo sensu *foris* omnia ea, quae ad regendas *provincias* et devictas gentes pertinent, designat, cuius generis est noster locus, et Cat. LII, 21. *Maiores magnos fecere domi industria, foris iustum imperium.* Denique huic usui cognatus est is, quo *domi forisque* de pace belloque dicitur, ut *foris* idem fere sit atque *belli;* cf. Cic. de Off. I, 22, 76. *Parvi enim foris sunt arma, nisi sit consilium domi*, quem locum ex ingeniosa Beieri emendatione exhibuimus. Idem contulit Valer. Max. II, 9, pr. *Quid enim prodest foris esse strenuum, si domi male vivitur.* — *Et* ante *ea agere* non tenuiter adiungit sequentia antegressis, sed ea exaggerat et adauget, ita ut idem valeat atque *et quidem;* cf. ad c. XXXII, 2. CV, 4. Fragm. Hist. I, 19, 1. *Omnia turbata*

in memet sitae, quas necesse est et virtute et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intel- 5
lego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse, aequos bonosque favere (quippe benefacta mea reipublicae procedunt), nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius annitendum est, ut ne- 6

sunt, *et ab iis*, *quos prohibere decebat.* v. F. A. Wolf. ad Tac. Annall. I, 56, 1. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 16, 57. p. 110 sq. — *Occursantis* hac terminatione exstat in Bas. 1. Paris. c. x. z. *Occursare* autem est reniti, impedimento esse, obstare.

§. 4. *fortia facta*] Ita omnes et Gerlachii et nostri codd. Cortius cum aliis inverso ordine scripsit *facta fortia*, quod repetere noluimus, quum neque satis constet, quorum librorum auctoritate hic ordo nitatur et sensus potior in adiectivo sit, idemque verborum ordo §. 21. recurrat; cf. annotata ad c. XX, 1. — *Haec* ante *omnia* male deest in Reg. Arond. Laud. 1. 2. 3. Praeter ceteros codd. pronomen tuetur etiam Donat. ad Terent. Phorm. I, 2, 80., qui locus et eiusdem est generis ut noster, et recte explicatus est a Donato, qui „post *enumerationem*, inquit, veteres hoc dicebant." Ita scilicet singulas partes in unum comprehensas cum vi denuo proponebant cogitandas; cf. ad Catil. XIV, 3. XXXVII, 5. et Grysar. Art. Latine scribendi p. 71 s. — *Praesidio assunt* rem gravissime designat, quum iam *adesse* per se significet *auxilio esse*, ut ostendimus ad c. XIV, 13. Quare *praesidio* ad id pleonasmi genus referendum videtur, de quo diximus ad c. LXXIII, 1. — *Innocentia* h. l. non peculiariter *avaritiae* opponitur, ut Gerlachius censet, quamquam id saepissime fieri diximus ad Cat. XII, 1. et ad Iug. XLVI, 1., sed in universum intelligenda est de vitae morumque integritate, nulla male factorum macula contaminata.

§. 5. et 6. *illud intellego*] De pronomine *illud*, quo sequentis enunciati sensus indefinite comprehenditur, v. ad Catil. LI, 7. p. 239. et Grysar. Art. Latine scribendi p. 86. — *Favere* sc. *mihi*, quod in Guelf. 6. additum est; cf. ad c. XIV, 19. p. 87. Animi caussa commemoramus pro *aequos bonosque* in Guelf. 10. legi *equos et boves.* — *Bene facta* non satis recte a Cortio et Gerlachio in unum vocabulum contractum esse diximus ad Cat. VIII, 5. p. 46. — *Procedunt* Cortius prorsus mirifice interpretatur *reputantur* vel *con-*

7 que vos capiamini, et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula
8 consueta habeam. Quae ante vostra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram,
9 non est consilium, Quirites. Illis difficile est in

siderantur, auctoritatem secutus Fr. Gronovii ad Liv. V, 48, 7., qui et ipse parum enucleate de hoc verbo disseruit. Rectius ceteri editores viderunt *procedere* significare *prospere evenire*, sive talem eventum habere, qui alicui rei utilitatem et commodum afferat; cf. supra c. LXV, 5. Liv. XXIV, 26, 5. *Si Andranodoro consilia processissent.* Simul intelligitur dativum in hac structura ex verbo pendere, neque secundum Cortii sententiam coniungi debere *benefacta reipublicae;* cf. ad Cat. XXXII, 1. — *Locum invadendi* i. e. occasionem sive copiam inv.; nam ut *tempus* praegnanti sensu dicitur de iusto aut commodo tempore (v. ad c. LXXIX, 7.), ita *locus* quoque eadem ratione designat commodum aptumque alicui rei locum, i. e. occasionem; cf. Drakenborch. ad Liv. III, 46, 2. *Inquietum hominem locum seditionis quaerere;* et ad IX, 2, 15. Ruhnken. ad Terent. Andr. IV, 3, 3. Daehnius ad Nep. Pelop. c. II, 1. — *Invadendi*, sc. et me, et vos, qui mihi favetis. Huc enim haud dubie spectant sequentia *ut neque vos capiamini.* — *Capi* autem h. l. non est *decipi*, ut volunt Gerlachius, Iaumannus, Faber, sed graviorem sententiam exigente incitato Marii animo significat *circumveniri* vel *opprimi;* cf. Fragm. Hist. I, 15, 20. *Vereor, ne ante capiamini, quam captum ire licet.* — Pro *frustra sint* male aliquot codd. habent *frustrati sint. Frustra esse* supra explicavimus ad c. VII, 6. et XIV, 11. Quod quamquam saepius de rebus dicitur, tamen ratio eadem est, si ad personas spectat; cf. Plaut. Merc. III, 1, 30. *Nunc mulier, ne tu frustra sis, mea non es, ne arbitrere.* Amphitr. III, 3, 20. *Iam hi ambo, et servus et era frustra sunt.* Cort. v. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 747. §. 5. — Ad eundem modum dictum est quod statim sequitur *ita fui*, pro *talis fui;* cf. Cic. p. Sulla c. 7, 22. *Si ita sum.* [Cf. adn. m. ad Muret. I. p. 165. Fr.]

§. 7. et 8. *ut omnis labores, pericula consueta habeam*] De copulae defectu post *labores* v. ad c. XX, 8. p. 130. — Vim *habere* verbi cum participio perf. passivi coniuncti, quo perennitas quaedam effectus aut status designatur, illustravimus ad Cat. XXIII, 4.

potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere; mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus egi, bene facere iam ex consuetudine in naturam vortit. Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis, quam rem nobilitas aegerrume tulit. Quaeso,

Iug. X, 1. *Consuetum habere alqd.* Sallustius etiam infra dixit c. C, 5. — *Deserere* quam huic loco accommodatum sit, patebit ex dictis ad c. XXXI, 18. — Structuram *consilium est*, *ut deseram* non satis illustravit Faber, praecipiens „*ut* saepe pro genitivo gerundii poni,“ quod quale sit non potest neque ex natura gerundii, neque *ut* particulae intelligi. Res autem sic se habet. Ubi solum consilii *vocabulum* definiri vult auctor, genitivus gerundii ponitur; *verbo* autem ad *consilium* aut similem vocem adiuncto quoniam *enunciatio* efficitur studii ac voluntatis notionem habens, recte altera enunciatio per *ut* particulam, tali sententiarum nexui propriam, addi potest; cf. Daehnium ad Nep. Praef. §. 8. *Plura persequi prohibet festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum.* Cic. Epp. ad Attic. VII, 10, in. *Subito consilium cepi — ut exirem.* Liv. XXIV, 30, 12. *Hippocrates et Epicydes unum consilium esse rati, ut se militibus permitterent.* id. XXV, 34, 7. *Dux cautus temerarium capit consilium, ut nocte Indibili obviam iret.* XXVII, 33, 9. *Una praecipua cura patres populumque incessit, ut eos potissimum consules crearent, quorum* etc.

§. 9. *in potestatibus*] *Potestates* sunt summi honores vel munera a populo data; cf. ad c. LXIII, 5. — *Temperare* absolute positum esse omnes interpretes agnoscunt, quamquam diversis modis obiectum supplentes. Gerlachius enim nescio qua ratione verba *in potestatibus* id efficere putat, ut obiectum facile omittatur; Muellerus supplet *libidinibus improbis*, Weisius vero sine ellipsi explicat *modum servare.* Rectius ceteri viderunt, quum subiectum tacite in obiecti locum cedat, nihil aliud quam *sibi* cogitatione addi posse, quod et analogia aliorum verborum, et singulorum exemplorum natura postulat. cf. Plaut. Epidic. I, 2, 8. *Iam istoc probior es — quom in amore temperes.* Pari modo dicitur *temperare ab aliqua re;* Auct. ad Herenn. II, 19, 29. *Cui mirum videbitur, istum a maleficio non temperasse?* v. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 455. — Verba *qui — egi* non caussalem nexum exprimere, qui sensus coniunctivum posceret, supra diximus ad c. X, 7. p. 54. —

reputate cum animis vostris, num id mutari melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendi, scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festi-

Bene facere explicatum est ad Cat. III, 1. — Pro *vortit* multi libri male habent *vertitur*; v. ad Cat. VI, 7.

§. 10. *bellum me gerere — iussistis*] Temere Cortius coniecit scribendum esse *bellum mihi iussistis*, codd. omnibus obstantibus, nisi quod Guelf. 11. *mihi* pro *me* habet. — *Quaeso*, quod plerumque orationi inseritur, cf. Fragm. Hist. I, 19, 13. ib. IV, 12, 16. Zumpt. Gramm. Lat. §. 59. n. 13. p. 202. ed. IV., h. l. praemissum indicat, quanta vi Marius et ipse commotus sit, et plebi instet. — *Reputate cum animis* tetigimus supra ad c. XI, 8. — Illustrandis verbis *id mutari* subiiciuntur sequentia *si quem — mittatis*. — *Globus nobilitatis* ad invidiam faciendam dictum est. Nam ut in re militari *globum facere* dicitur de constipata et in unum coarctata manu, quam nulla hostium vis frangere possit, v. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 223., ita *globus* vocabulum ad civiles factiones translatum significat quasi cohortem conspirantium, quos nullus adversae partis impetus disiicere valeat. Vellei. II, 58, 1. *Hi una cum coniurationis globo Capitolium occupavere.* Nep. Attic. c. VIII, 4. *Ille consensionis globus huius unius dissensione disiectus est.* — *Prosapiae* vocabulum non solum prisci usus esse, sed etiam ob id ipsum commode in re antiqua et a Mario plebeio et inculto homine usurpari Cortius iam observavit. cf. Cic. de Universo c. XI. *Memoremus Iovem atque Iunonem, reliquos, et eorum, ut utamur veteri verbo, prosapiam.* Eandem vocem Quintil. I, 6, 40. refert inter vocabula *ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus;* cf. eund. VIII, 3, 26. Quum Nonio teste I, 343. Cato in Origg. I. dixerit *veteres prosapias* (vett. Historicc. Fragmm. p. 375. n. 8. ed. Frotscher.), valde probabile est Sallustium hoc ex Catone sumpsisse. — De *imaginibus* v. ad c. IV, 5. p. 24. — *Scilicet* cum ironia dictum esse monuimus ad c. XLI, 3. — *Ex populo*, i. e. si rem ipsam et Marii mentem spectas, *ex plebe.* Saepe enim *populus* dicebatur pro illa parte populi, quae Romae proprie *plebs* vocabatur, quae sunt verba Drakenborchii ad Liv. VII, 42, 1. cf. Duker. ad XXXI, 50, 1. et Ferdin. Schulzium de Comitiis Romm.

net, sumat aliquem ex populo monitorem offici sui. Ita plerumque evenit, ut quem vos imperatorem 11 iussistis, is sibi imperatorem alium quaerat. Atque 12 ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt, acta maiorum et Graecorum militaria praecepta

I, 1. p. 10. Sall. Catil. XXXVIII, 3. Iug. XXVII, 2. XXX, 3. XLI, 5. XLIII, 1. — *Sui* post *offici* omissum a Cortio, quum in Vin. 1. desit, et in paucis libris ante *offici* legatur. Sed ea caussa non sufficit ad pronomen delendum, quod non plane otiosum est. Nam qui *aliis* moderari vult, eum ante omnia nosse decet quid *sui* sit officii.

§. 11. *imperatorem iussistis*] In plerisque codd. et edd. omnibus est *imperare iussistis*, quam lectionem ut repudiaremus permovit nos et auctoritas cod. antiquissimi Vat. A., quocum consentiunt Barber. 2. 5. Vin. 1. et Eichhof., et ipsa scripturae huc usque neglectae praestantia. Vulgata enim quamquam ferri potest, tamen irrisio nobilium, quam quaerit Marius, aliquanto acerbior exsistit variata vocis *imperator* sententia. Praeterea etiam structura talis est, ut facilius credas scribas accusativum mutasse in infinitivum, legitime ex verbo *iubere* pendentem, quam contra. Ex annotatis ad c. LXXXIV, 1. patebit autem *iubere* cum solo accusativo coniunctum idem esse atque *declarare* vel *constituere;* cf. Liv. I, 17, 9. *Quum populus regem iussisset.* ib. I, 22, 1. *Inde Tullum Hostilium regem populus iussit.* III, 30, 6. *Expressit hoc necessitas patribus; id modo excepere, ne postea eosdem tribunos iuberent.* — *Is*, quod in decem codd. deest, Cortius et Gerlachius deleri volunt, non sentientes pronomen, quod multum ad vim orationis conferre diximus ad c. LXIII, 3., ultima praegressae vocis syllaba interceptum esse. Sed multo maiore sententiae detrimento Cortius *sibi* omisit, paucorum codd. auctoritati, qui id non habent, plus iusto tribuens. Nihilominus Gerlachius in ed. min. ei assentitur.

§. 12. *Atque ego*] Ita Gerlachius recte scripsit ex paucis Cortii libris, Leidd. G. H. I. K. L. M. Paris. a. b. c. e. Erl. Bas. 1. 4. Vulgo edebatur *At ego*, quod Cortius pessime corrupit in *ac ego*, immemor legis, *ac* non poni ante vocalem, quam, quum Ramshornius in Gramm. Lat. §. 179. p. 515. temere labefactare conatus esset, egregie stabilivit Car. Henr. Frotscherus in Excursu

legere coeperint; praeposteri homines; nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est.
13 Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quae illi audire et legere solent,

ad Quintil. X, 7, 24. p. 257 — 262. cf. etiam Ferd. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 454 sqq. et v. infra c. C, 7. — Quosnam intelligat Marius, qui demum consules facti acta maiorum et Graecorum militaria praecepta legere coeperint, non potest dici. Lucullum fortasse significari coniicit Gerlachius, coll. Cic. Acadd. II, 1, 2. Sed si *ipsius Marii* animo Luculli exemplum obversatum esse putat, oppido fallitur V. D., quum quadraginta annis prior esset Marius Lucullo. Fieri tamen potuit ut *Sallustius*, clarissimi ducis cogitatione motus, dum Marium loquentem facit, in anachronismum incideret, id, quod *suis* temporibus recte iudicari poterat, iam Mario tribuens, cuius personam quasi induit. Sed utut est, veteres magnopere probabant militiam usu, non litteris disci. cf. Catil. c. VII, 4. Cic. p. Font. c. 15, 33. *C. Marius, P. Didius, Q. Catulus — non litteris homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditi.* Plin. Panegyr. c. XIII. *Postquam vero studium armorum a manibus ad oculos, ad voluptatem a laboribus translatum est.* — *Praeposteri homines* Gerlachius recte ex bonis codd. scripsit, quum vulgo inverso ordine legeretur *hom. praep.* In adiectivo enim vim sententiae inesse neminem fugit; v. ad c. XX, 1. p. 125. — Verba *gerere quam fieri* multi cum Cortio ita intelligenda censent, ut ad prius suppleatur *consulatum*, ad posterius *consulem*, quod parum accommodatum est. Quamquam enim de his proxime sermo fuit, tamen caussa, qua praeposteros esse tales homines intelligatur, *generalis* a Mario subiicitur, ut patet ex verbis nude positis. Sententiae autem vis, quae ad oxymori naturam accedit, eo constat, quod *gerere*, ad diversa relatum, tanquam una res *fieri* verbo oppositum est. Diductâ igitur in partes suas sententiâ hoc dicit Marius: magistratum *gerere et administrare* tempore quidem posterius est, quam *creari; sed talem te praebere, ut magistratui gerendo dignus et idoneus videaris*, re et usu prius est.

§. 13. *Comparate nunc*] *Nunc* in argumentando et demonstrando ita ponitur, ut antea dictis vel factis in unum quasi con-

eorum partim vidi, alia egomet gessi, quae illi litte-
ris, ea ego militando didici. Nunc vos existumate, 14
facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem
meam, ego illorum ignaviam; mihi fortuna, illis

spectum datis, audientes legentesque ad novum aliquod, ex illis consectarium, transducantur, quae res in caussa est, cur plerumque cum imperativo iungatur. Sensus autem particulae in tali nexu hic est: *hoc rerum statu*, sive *rebus ita*, *ut dictum est*, *comparatis;* cf. Meiner. de Particc. Latt. p. 328. Eodem modo apud Nostrum in hac Marii oratione legitur §. 14. et 25. Cic. Epp. ad Famm. X, 32, 7. *A b i n u n c*, *populi fidem implora.* Seneca Ep. CI, extr. *N e g a n u n c magnum beneficium esse naturae*, *quod necesse est mori.* Id. de Beneff. VI, 35, extr. — De more Romanorum personas comparandi non cum personis, sed cum iis, quae in personis insunt, iam diximus ad Catil. c. LI, 14. p. 245., ubi etiam hunc locum attulimus. Satis bene de ea re disseruit Raph. Kuehnerus ad Cic. Tuscc. I, 1, 2. cf. Tacit. VI, 7, 1. *C o t t a per flagitia infamis sanctissimis Arruntii a r t i b u s aequabatur.* id. IV, 17, 2. Liv. XXI, 11, 2. — Pro *partem*, quod omnes codd. tuentur, Cortius e coniectura Gronovii in Obss. III, 2. p. 342. ed. Lips. proposita scripsit *partim;* quam formam, per se non damnandam, ut diximus ad c. LV, 4., sine ulla codd. auctoritate inferre inconsultum est. — *Ea* ante *ego* idem delevit, codd. Vin. 2. et Vrat. 3. secutus; cf. ad Cat. LI, 14. — Pro *militando didici* Gruterus male contra omnes codd. scripsit *didici milit.*, qui verborum ordo cur non ferendus sit diximus ad c. LXX, 5. Nuperrime tamen Weisius perversam rationem secutus est.

§. 14. *vos existumate*] Pronomen personale imperativo addit Marius, ut significet quantum populo tribuat. — *Existumate*, pro quo paucissimi libri habent *aestimate*, Cortius bene sic defendit: „Marius non modo deliberationem et considerationem, sed etiam *iudicium et sententiam* plebis facit.“ v. annotationem nostram ad Catil. VIII, 2. Iug. CX, 5. — De contemptu *novitatis* v. Car. Beier. ad Cic. de Off. I, 39, 138. coll. Catil. XXIII, 6. — *Fortuna* h. l. significat generis obscuritatem et imaginum inopiam. cf. notata ad c. LXIV, 2. — *Probrum* dicitur omne id, quod dedecus affert, quia ab honestate et morum integritate abest; v. Ludov. Doederleini Synonymm. Latt. Vol. IV. p. 195 sqq.

15 probra obiectantur. Quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum
16 quemque generosissumum. Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi
17 sese liberos quam optumos voluisse? Quodsi iure

§. 15. *Quamquam ego — existumo*] *Quamquam* in enunciatione simplici, quae apodosin non habet, sententiam adiungit, quae antecedentia corrigens modum illis quasi imponit neque ultra in re proposita versandum esse significat. cf. Zumpt. Lat. Gramm. §. 67, 3. p. 279. ed. IV. Car. Beier. ad Cic. de Off. II, 12, 43. et ad Lael. c. 9, 2. p. 50. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 2, 41. Otto ad Cic. de Finn. I, 1, 2. Bremi ad Nep. Attic. c. XVI, 2. Vernacula hunc sensum exprimas particulis *wiewohl*, *jedoch*. — Vim *sed* particulae minime perspexit Cortius, eius loco *sic* scriptum fuisse coniiciens, quia sententia comparativa talis sit: „*uti* naturam unam et communem omnium existumo, *sic* fortissumum quemque generosissumum existumo." His nugis reiectis Faber *sed* per anacoluthiam quandam *adversandi* potestate censet ad enunciationem negativam referri, quam Sallustius mente quidem conceperit, sed verbis non accurate expresserit. Quippe illum hoc dicere voluisse: *Non* maiorum meritis et imaginibus gloriandum existimo, quod isti faciunt, *sed* fortissimum quemque generosissimum esse. Sed haec quoque explicatio paullo est intricatior, neque ingenio h. l. accommodata. Ea est enim sententiae ratio, ut non alia eaque integra enunciatio ei opponatur, sed ut praedicatum ad angustiores fines revocetur, et quasi quadam exceptione coarctetur, cui rei *sed* inservire iam monuimus ad Cat. LI, 13. p. 245. et supra ad LXXV, 4. Quare quum naturam *unam et omnium communem esse* pronunciasset auctor, quae adiicit per *sed* particulam sic astringunt illam sententiam, quasi dicat, *ita tamen, ut fortiss. quemque generos. putem.* — Post *generosissumum* multi codd. addunt *esse*, quod Naz. Commel. Bas. 1. Leid. L. multique alii ignorant, et recte quidem; v. ad c. LXXXIX, 7. Weisius vero puerili latinitate *generosum esse* scripsit ex edd. Gryph. min., Ingolstad. et ex cod. Fabr. 1.

§. 16. *Ac si iam — quaeri posset*] Hanc sententiam ex Sallustio expressit Plutarchus in vita Marii c. IX. *Ἐπυνθάνετο, εἰ μὴ*

me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident ho- 18
nori meo; ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi.
Verum homines corrupti superbia ita aetatem agunt, 19
quasi vostros honores contemnant, ita hos petunt,

καὶ τοὺς ἐκείνων (Βηστίου καὶ Ἀλβίνου) οἴονται προγόνους αὐτῷ μᾶλλον ἂν εὔξασθαι παραπλησίους ἐκγόνους ἀπολιπεῖν. — *Gigni* Iaumannus perperam statuit dictum pro *genitos esse*, non reputans et per se rectae rationi repugnare hanc temporum enallagen, et h. l. verbo *maluerint* rem referri ad praeterlapsum tempus, quo nondum geniti erant, de quibus interrogari patres fingit Marius.

§. 17. *faciant idem*] Quamquam haec scriptura, quam longe plurimi libri praebent, sententiam satis bonam habet, tamen haud multum abfuit, quin probaremus *faciunt idem*, quod, quum in Sen. 1. Guelf. 3. Vrat. 1. Ven. 2. Misn. Einsiedel. et Paris. z. m. pr. exstet, a Cortio et nuper a Gerlachio in ed. novissima receptum est. Multo gravior enim in sententia vis inest, si non *iubentur* illi maiores suos despicere, sed *re vera iam despicere* eos, quamquam inviti et *sibi ipsi repugnantes*, dicuntur, si quidem Marius ita sentit, maiorum contemptum cum suo tam necessario coniunctum esse, ut alter ab altero seiungi nequeat, sed uterque simul fiat. Hanc simplicem rationem non assecutus Faber parum accurate propter vocem *iure* indicativum non ferendum censet, quem nos propter codicum non satis certam fidem reiecimus. — De structura verbi *facere* v. ad Cat. c. LII, 25. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 16. not. p. 371. ed. IV. Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. II. p. 217.

§. 18. *invideant labori*] Cortius ante *labori* intulit *et*, nulla codicum fide; nam copula tantummodo in Eccard. Vin. 2. et Guelf. 3., sed ante *invideant*, comparet. Ceteri omnes ita habent, ut edidimus, omninoque *et* ab h. l. alienum est, quum novae invidiae accessio particula *etiam* declaretur. — *Innocentia* h. l. *avaritiae* maxime opposita est, ut diximus ad Cat. XII, 1. — *Cepi* i. e. accepi; v. ad c. XXXII, 1. p. 195.

§. 19. *quasi vostros honores contemnant*] i. e. quasi honores, quorum dandorum penes vos ius est et potestas, *nihil ad se pertinere putent*. *Contemnere* enim, quod proprie de iis rebus dicitur,

20 quasi honeste vixerint. Ne illi falsi sunt, qui di-
vorsissumas res pariter exspectant, ignaviae volupta-
21 tem et praemia virtutis. Atque etiam quum apud
vos aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione
maiores suos extollunt; eorum fortia facta memo-
22 rando clariores sese putant. Quod contra est. Nam
quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socor-

quas non metuimus, paullo latiore sensu etiam de iis usurpatur, quas a nobis alienas nobisque haud dignas iudicamus, quia quae non metuimus, plerumque vilia sunt ac nullius momenti. Hunc autem sensum prope ad vim *despicere* verbi accedere recte vidit Ludov. Doederlinus in Synonymm. Latt. Vol. II. p. 101 sq. *Despicere* enim, cui contrarium est *suspicere* vel *vereri*, significat aliquam rem, tanquam infra nos positam (cf. Cic. Tuscc. III, 7, 15.) *nihili putare*, a quo sensu *spernere* rursus ita differt, ut de iis dicatur, quae *sequi* vel *amplecti nolimus*, sed reiiciamus potius et fugiamus.

§. 20. *Ne illi falsi sunt*] Pro *ne* Gerlachius vulgatam scribendi rationem *nae* secutus est. *Ne* genuinum esse intelligitur ex depravatione Bas. 1. et Berol. 1. ubi scribae *sunt* mutarunt in *sint*, quod non potuisset fieri, si *nae* primitus fuisset scriptum. V. ad Cat. c. LII, 27. p. 276. — *Divorsissumas res*, v. ad Cat. V, 5. — Pro *exspectant* cod. Goerl. et Guelf. 4. m. sec. habet *expetunt;* Rivius autem edidit *expetant*, quod Fabro valde probabile videtur, et a Weisio receptum est in textum. Sed ut taceam de exigua huius scripturae auctoritate, quis non videt *exspectare* verbum egregie ad praegressum *falsi sunt* referri, *falli* autem qui *expctat aliquid*, non satis commode dici posse? *Exspectare* autem praegnanti sensu dictum h. l. valet cum confidentia opinari, id quod cupias tibi et deberi et certo datum iri.

§. 21. et 22. *facta memorando*] Cur gerundio auctor, non participio futuri pass. usus sit, facile intelligas ex annotatione ad Cat. IV, 1. coll. ad Iug. VII, 2. p. 40. Nam in sola verbi notione vim sententiae inesse in promptu est. — *Est* post *contra* Cortius abiecit, solum Guelf. 3. secutus. — Idem statim post *quanto* mutavit in *quantum*, quod est in Sen. 1. Fabric. 1. Rem. 1. Guelf. 3. Sed quamquam in comparatione modus, quo una res alteram superat,

dia flagitiosior. Et profecto ita se res habet; ma- 23
iorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum neque mala in occulto patitur. Huiusce rei 24
ego inopiam patior, Quirites; verum, id quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc 25
videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt, scili-

praeter ablativum, qui casus legitimus est, etiam accusativo potest indicari (v. ad Catil. VIII, 2. p. 44. et Frotscher. ad Quinctil. X, 1, 94. p. 83, a.), tamen quum sequatur *tanto*, per se patet in prioribus quartum casum non ferri posse, quia duo membra ita ad se referuntur, ut alterum altero ex aequo respondeat. In huiusmodi enim enunciatis concinnitatis lex magis valet, quam orationis variandae ratio; v. annotata ad c. LXIV, 1.

§. 23. *quasi tamen*] *Quasi* particulam, quae deest in Fabric. 1. 2. Guelf. 3. Bas. 4. codd. Rivii et aliquot Wassii, Cortius inconsulto abiecit, ignarus consuetudinis bonorum auctorum, qui hac particula utuntur ad vocis alicuius tropice positae vim mitigandam, quo caveant, ne similitudo quaesita nimis insolens aut aliena videatur. cf. Catil. X, 3. et 6. XI, 3. Cic. de Off. II, 9, 32. *Honestum decorumque quasi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus.* ib. I, 4, 11. *Homo rerum progressus et quasi antecessiones non ignorat.* v. supra ad c. XLI, 10. coll. Goerenz. ad Acadd. I, 6, 24. et ad II, 28, 91. Quare, quum *gloria* per se non satis commode *lumen* vocari possit, sine *quasi* particula oratio parum accurata foret. — Quo modo *neque* — *neque* particulae h. l. intelligendae sint diximus ad c. LXI, 1. — *Eorum* post *mala* Cortius delevit, secutus Guelf. 4. et 6. Sed pronomine utique opus est, ut intelligatur non in universum dici de bonis aut malis hominum, sed tantummodo posterorum, qui maiorum gloriae lumine illustrentur. Similiter in pronominis demonstrativi usu erravit Cortius ad Catil. VIII, 4. ubi v.

§. 24. et 25. *verum, id quod*] Vulgo interpungitur *verum id, quod* etc., de qua perversa ratione egimus ad c. LVI, 1. — *Meamet*, quae forma librarios offendit, ut ostendunt variae scripturae, satis illustravimus ad Cat. XXIII, 2. et ad Iug. VIII, 2. — *Mihi*, quod in Heuss. Sen. 2. Guelf. 1. 10. deest et in Vin. 1. post *dicere*

cet quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse melius est, quam
26 acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, ubunde illis facundam et compositam orationem fore. Sed in maxumo vostro beneficio quum omnibus locis me vosque ma-

legitur, Cortius, perpetuus osor pronominum et orationis perspicuae, omisit. — De *nunc* particula v. supra ad §. 13. — *Melius est* omnes Cortii, Gerlachii et nostri codices post *peperisse* habent; Gruterus vero, Wassius et Havercampius, nulla mentione codicum facta, post *corrupisse* collocarunt, quem ordinem Weisius etiam recepit. In pari utriusque ordinis bonitate maluimus igitur codd. fidem sequi, quam coeci agere.

§. 26. *Equidem ego*] V. ad c. X, 6. p. 53. — *Mihi* Cortius nulla codd. auctoritate delevit. — *Facunda oratio* intelligitur quae cum elegantia expedita et prompta suppetit. *Facundus* est enim qui *naturali* quadam pollet facultate et copia dicendi, cuiusque verba nullo studio quaesita placeant et capiant aures, etiamsi doctrina et acumine destituantur; cf. c. XCV, 3. CII, 4. *Disertus* vero est, qui perspicue et dilucide dicere potest, ita ut audientes accurate rem intelligant, neque quicquam, quod scire oporteat, desiderent. Qui autem utrumque ita coniungit, ut non solum eleganter et perspicue, sed etiam graviter et ornate dicat, quod sola natura non efficere potest, nisi studium et ars accedat, eum *eloquentem* dixeris; cf. Cic. de Orat. I, 21, 94. Orat. 5, 18. Doederlin. Synonymm. Lat. Vol. IV. p. 14 sqq. Herzog. ad Sall. Catil. LIII, 3. p. 332. Daehnius ad Nep. Epam. c. V, 1. — *Composita oratio* quae sit, iam diximus ad Cat. LI, 9. — *Abunde*, quod cum *fore* verbo coniungendum est (v. ad Iug. VII, 6. XIV, 11.), Gerlachius perperam refert ad *facundam*, cui rei et verborum collocatio obstat, et ipsa sensus natura. — *In maxumo vostro beneficio* i. e. quum maxumum beneficium mihi contuleritis; v. ad c. XXXI, 24. *Beneficium* autem intelligit consulatum, ut supra §. 3. — Pro *me vosque* in Rem. 2. et Bern. 1. est *meque vosque*, quod haud malum quidem est (v. ad X, 2.), sed non tale, ut vulgatae praeferatur. — *Reticere* cum maiore vi dictum quam *tacere*, significat *tacendo* ea, quae dicenda erant, *retinere* et quasi *reprimere*; cf. supra

ledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, 27
ex animi mei sententia, nulla oratio laedere potest; quippe vera necesse est bene praedicet, falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vostra con- 28
silia accusantur, qui mihi summum honorem et

c. XXXIII, 4. Liv. XXIII, 12, 9. — *Conscientia* praegnanti sensu pro *mala conscientia* dictum, ut Cat. XV, 5. Iug. XXXII, 5. XXXV, 4. *In conscientiam ducere* a vulgari quidem structura, quae dativum habet, discedit, sed cum usu dicendi, quem Sallustius sequitur, congruit; cf. LXXXII, 2. *Quam rem alii in superbiam vortebant.* XCII, 2. *Omnia in virtutem trahebantur.* Cort.

§. 27. *animi mei*] Pronomen, quod multi libri non habent, immerito abiecit Cortius, uncis in novissima editione inclusit Gerlachius, quid constans et antiquitate stabilitus dicendi usus postularet ignorantes. Solenni enim formula Latini in vera animi persuasione contestanda et cum vi asseveranda dicebant *ex mei (tui, sui) animi sententia;* cf. Car. Beier. ad Cic. Off. III, 29, 108. *Quod ex animi tui sententia iuraris (sicut verbis concipitur more nostro), id non facere periurium est.* Gell. NN. AA. IV, 20. Cic. Acadd. II, 47, 146. *Maiores primum iurare ex sui animi sententia quemque voluerunt.* Gronov. Obss. IV, 14. p. 685. ed. Lips. Brisson. de Formull. VIII, 9. p. 711. Perperam Cortius cum hac formula confudit dictionem *ex sententia*, ut Iug. XLIII, 5. CIX, 4., qua significatur aliquid ita fieri aut comparatum esse, ut nostrae exspectationi aut voluntati satisfiat. — *Bene* Faber interpretatur *multum*, *valde*, quae vocis potestas huic loco minime convenit. Recte Cortius verborum sensum esse vidit hunc: bona et praeclara omnia praedicet. Fabri error haud dubie eam caussam habet, quod V. D. putavit *praedicare* per se iam esse *laudibus aliquem efferre;* quod secus est. — *Superant* i. e. veritatis vi vincunt et ita redarguunt ac refellunt. Quem Cortius confert verbi *vincere* usum, quod sequente accusativo cum inf. ita ponitur, ut significet *rationibus probare* (cf. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. XI, 28, 4. Lambin. ad Lucret. II, 747.), is cognatus quidem est cum nostro loco, sed non idem plane.

maxumum negotium imposuistis, etiam atque etiam
29 reputate, num eorum poenitundum sit. Non possum fidei caussa imagines, neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare, at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria

§. 28. et 29. *imposuistis*] Hoc verbum per zeugma ad *honorem* referri, qui *datur* non imponitur, iam monuimus ad c. XIV, 4. — Pro *eorum poenitundum* Cortius et eius sectatores scripserunt *id poenitundum*, ut legitur in Fabriciano Rivii et Vin. 1. Sed quum ceteri codd. omnes in vulgata consentiant, audacius videtur tam exigua auctoritate externa aliquid novare, quamquam recte dicitur *poenitere aliquam rem.* cf. Cic. de Invent. II, 13. *Utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse.* Colum. II, 11. *Itaque hic ager colono est poenitendus ac tanquam pestilens refugiendus.* Tacit. Ann. VI, 48, 2. *Arruntius respondit non aliud poenitendum, quam quod anxiam senectam toleravisset.* — De *aut* particula v. ad c. XVIII, 2. — De *militaribus donis*, quae in universum memorat Cicero p. Mur. c. V, 11. Liv. XXXIX, 5, 17. Gell. NN. AA. V, 6., cf. Lips. de Milit. V, 17. Nitschii Antiqq. Romm. Vol. II. p. 1454 sqq. et Creuzeri Antiqq. Rom. §. 260 sq. p. 396 sq. ed. II. *Hastas*, quibus fortes donabantur (cf. Festus h. v.), vocatas esse *puras*, i. e. sine ferro, Varronis auctoritate tradit Servius ad Virg. Aen. VI, 760. De *phaleris* v. Duker. ad Flor. I, 5, 6. Liv. XXXIX, 31, 17. Praeter haec dona tribui solebant *coronae* varii generis, *torques*, *armillae*, *catellae* ac *fibulae*; v. A. Gell. II, 11. *L. Siccius Dentatus dicitur coronis esse donatus aureis octo, obsidionali una, muralibus tribus, civicis quattuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti; phaleris item donatus est quinquies viciesque.* Liv. l. l. §. 17. *Donati a C. Calpurnio equites phaleris; Quinctius suos equites catellis ac fibulis donavit.* Sueton. Aug. c. XXV, med. *Dona militaria, aliquanto facilius phaleras, torques et quicquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas dabat. M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam caeruleo vexillo donavit*, ubi v. Casaubon.

§. 30. *Hac sunt*] De pronominis genere v. ad Cat. VII, 6.; de anaphora ad Cat. XX, 4. LI, 16. — Ante *nobilitas* Weisius ex

dona; praeterea cicatrices advorso corpore. Hae 30
sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate
relicta, ut illa illis, sed quae egomet plurumis labo-
ribus et periculis quaesivi. Non sunt composita mea 31
verba; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit;

ed. Gryph. intulit *mea*, invitis codd. — Pro *ego meis*, ut vulgo editur, non dubitavimus primi *egomet* in textum recipere. Nam ita aperte habet Vat. A., cui scripturae fidem faciunt Guelf. 9. *quae egomet mei plurimis*, et Ven. 1. *q. egomet meis pl.*, unde natum est vulgatum *q. ego meis pl.* Sed *meis* falsum esse ipsa sententia declarat, quum Marius non *sua* pericula *alienis* opponat, sed hoc dicat, quae aliis *hereditate* obvenerint, ea ipsum *periculis* comparasse sibi, neque *aliis* debere se nobilitatem suam, sed *ipsum* esse eius *auctorem;* v. Grysar. Art. Latine scribendi p. 29. not. 1. Cui sententiae ut necessarium est *egomet*, ita *meis* est alienum, quod ex depravata *met* syllaba ortum esse clarissime ostendit scriptura Guelf. 9. Praeterea spuriam eius originem arguit etiam hoc, quod in multis codd. post *plurumis* legitur, in aliis plane deest, ut fieri solet in vocibus ex interpolatione versui superscriptis.

§. 31. *mea verba*] Vulgo editur *verba mea;* sed alterum ordinem praestant Bas. 1. Paris. x. Vin. 1. Fabric. 2., quem confirmatum Nonii IV, 62. auctoritate praeferendum duximus, quum maior vis sententiae sit vocabulo *verba* in clausula posito. — *Parum* Gerlachius falso dicit vim obtinere vocis *parvi*, quod mirificum praeceptum „*adverbium* poni pro *genitivo* adiectivi“ V. D. stabilivisse sibi visus est alienissimis exemplis, Plaut. Pers. II, 2, 42. *Nihil facio scire*, et Stich. I, 1, 42. *Aliter nos faciunt, quam aequum est.!* Non melius Cortius censet *parum* idem esse atque *minus*, vel *non*, quae explicationes quum inter se discrepant, tum a natura vocis abeunt. Omnino errant autem, qui *facio* interpretantur *aestimo* vel *curo;* nam simplicissima verborum sententia haec est: *exiguam curam ei rei impendo*, sc. ut mea verba composita sint. *Parum* enim, de cuius vocis ratione quod ad structuram attinet, diximus ad c. XXXI, 9., non semper contrarium sibi habet vocabulum *nimium* (quemadmodum alios secutus praecipit Raph. Kuehner ad Cic. Tusc. IV, 17, 39.), quae vis aurea aetate valuit, sed primaria potestate opponitur voci *multum*, id quod scite mo-

illis artificio opus est, ut turpia facta oratione te-
32 gant. Neque litteras Graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus
33 nihil profuerunt. At illa multo optuma reipublicae doctus sum, hostem ferire, praesidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem et aestatem

nuit Doederlinus Synonymm. Latt. T. I. p. 146. et T. III. p. 313., Spalding. ad Quintil. III, 1, 5. *Sed nos veremur, ne parum hic liber mellis et absinthii multum habere videatur*, et Frotscherus in Excurs. IV. ad Quintil. X, 1, 130. p. 255. qui haec laudavit exempla: Cic. Tusc. V, 14, 41. *Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum; non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. Ut enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet; sic sine metu is habendus est, non qui parum metuit, sed qui omnino metu vacat.* Cic. de Rep. IV, 8. *Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris, aut parum.* Auct. libri de bello Afric. c. 2. *Ipse parum commoratus bona paucorum vendit publice.* In paucissimis codd. pro *parum* legitur *parvi;* quod quamquam etiam Nonius IV, 62. habet, tamen non est dubium quin ex interpolatione ortum sit. Sed haec ipsa caussa fuisse videtur, cur Weisius, mirificus interpolationum patronus, in textum reciperet. — *Artificio* sc. compositorum verborum.

§. 32. *ad virtutem doctoribus nihil profuerunt*] Pro *profuerunt* permulti codd. in iisque Bas. 1. Vin. 1. 2., plerique Gruteri, quattuor Wassii, Erl. Bern. 1. Paris. b. x. z. Berol. 1. 2. Misn. habent *profuerant*, quae scriptura aliquam veritatis speciem habet, quum vulgatâ quidem difficilior commode tamen ita explicari possit, si statuas Marium de Graecis iudicium non generaliter proponere, id quod perfecto fit, sed restringere ac referre ad illud praeteriti temporis punctum, quo ipse Graecarum litterarum studium tanquam inutile et viro indignum repudiaret, quam rem bene perspexit Cortius. Sed quum Vat. A. aliique multi et boni codd. *profuerunt* teneant, horum auctoritas sine gravissima caussa non videtur negligenda. Ceterum hanc Marii sententiam ex Sallustio expressit Plutarchus in vita Marii c. II. *Λέγεται δὲ μήτε γράμματα μαθεῖν Ἑλληνικά, μήτε γλώττῃ πρὸς μηδὲν Ἑλληνίδι χρῆσθαι*

iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis mi- 34
lites hortabor, neque illos arte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam.
Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque, quum 35
tute per mollitiem agas, exercitum supplicio co-

τῶν σπουδῆς ἐχομένων, ὡς γελοῖον ὂν γράμματα μανθάνειν, ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις. Hunc eundem locum ante oculos habuit Pseudo-Sallustius Ep. ad Caes. de Rep. ord. II, 9, 3. *Unius M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur haec disciplina Graecorum; sed virtus, vigilantia, labos apud Graecos nulla sunt. Quippe qui domi libertatem suam per inertiam amiserint, cencesne eorum praeceptis imperium haberi posse?* His locis comparatis facile patet *virtutem* Mario esse *fortitudinem; doctores* autem universam Graecorum gentem intelligi, non singulos grammaticos, Romae Graecas litteras docentes.

§. 33. *optuma*] i. e. utilissima; cf. ad c. LXXXII, 2. — *Hostem* legitur in Bas. 1. 4. Ecc., quinque Gruteri, quattuor Wassii, Leidd. omnibus praeter I., Berol. 1. 2. Paris. b. c. x. z. Ceteri habent *hostes*, quod minus huic loco convenit, quum Marius de fortitudine in singulari certamine conspicua glorietur. cf. Cat. VII, 6. Eandem ob caussam magis etiam placet scriptura Vat. A. *praesidium agitare.* Sed quum ceteri omnes *praesidia* tueantur, in plurali interim acquiescendum est. *Praes. agitare* idem est atque *in praesidio esse;* cf. c. LV, 4. — *Iuxta*, v. ad Cat. II, 8.

§. 34. *his ego*] Fabr. 1. Bas. 1. Inc. 1. Vin. 2. Guelf. 10. Tur. 1. Paris. x. *his ergo;* male. Nam auctor *suam* agendi rationem cum *aliorum* comparat. — *Arte*, quemadmodum omnes codd. habent, perperam in nonnullis edd. scribitur *arcte;* v. ad c. LII, 6. *Colere aliquem* quum non simpliciter idem sit atque *tractare* vel *habere*, sed *bene tractare*, facile apparet h. l. zeugma quoddam effici, siquidem *colere* plena vi tantummodo cum *opulenter* verbo conspirat, ad *arte* relatum idem est atque *habere.* — *Gloriam*, quod praedicatum est, cum vi praemittitur; cf. supra c. LXXXII, 2. et v. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 6, 19. et ad Finn. II, 8, 23. p. 152.

§. 35. *civile imperium*] *Civile* quum sit quod civem decet, neque fastu aut arrogantia civium modum excedat, saepissime dicitur

36 gere, id est dominum, non imperatorem esse. Haec atque talia maiores vostri faciundo seque remque
37 publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos, illorum aemulos, contemnit, et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos
38 a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi pro-

de comitate et humanitate, qua nobiles sese exaequant inferioribus; cf. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 89. Mureti Varr. Lectt. XI, 3. Duker. ad Flor. I, 26, 8. Liv. XLV, 32, 5. *Nulli (erat) civilis animus.* Tacit. Ann. I, 72, 2. *Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi.* — *Per mollitiem agere* i. e. molliter ac delicate vivere; cf. ad Cat. XX, 2. et ad XXIII, 3. — *Supplicio cogere* significat duriter, severo imperio ac poenis acerbissimis ad officium compellere, ut bene interpretatur Cortius. — De structura verborum *id est dominum esse* cf. supra c. XXXI, 26. *Impune quaelibet facere id est regem esse*, et v. Zumpt. Gramm. §. 80, 8. p. 439. ed. IV.

§. 36. et 37. *atque talia*] Aliquot codd. habent *atque alia*, longe plures tamen *atq. talia*, quemadmodum cum Cortio et Gerl. edidimus. In Ball. Mark. Γ. Inc. 2. et Berol. 2. legitur *atque alia talia*, quod Faber recepit, usum Sallustii ita postulare ratus. Quod quamquam veritatis speciem habet (v. ad c. LXXXI, 2.), tamen non est, cur ubique ita dicendum putes, ubi codd. repugnant. — De geminata particula *que* v. ad c. X, 2. — *Celebravere* i. e. magnam *claramque* fecere; cf. LXXXVI, 3. *Quod ab eo genere celebratus auctusque erat;* supra c. LXXIII, 5. Cic. Epp. ad Famm. V, 12, 8. *Me a te potissimum ornari celebrarique velle.* Cort. — De verbis *ex merito* v. Hand. de Particc. Vol. II. p. 654 sq. — *Repetere* proprie dicitur de *debitis reposcendis;* cf. infra c. XCVI, 2. *Sulla aes mutuum ab nullo repetere.* Cic. Tusec. I, 39, 93. *Natura dedit usuram vitae, tanquam pecuniae. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult?* Matius in Cic. Epp. ad Famm. XI, 28, 17. *Quod munus et hominis amicissimi memoriae ac [atque] honoribus praestare etiam mortui debui, et optimae spei adolescenti repetenti negare non potui.* Plaut. Trinumm. V, 2, 7. Senec. de vita Beat. V 24. de Beneff. I, 1. Curt. VII, 9, 10. Iustin. XIX, 1, 2. Cort.

cul errant. Maiores eorum omnia, quae licebat,
illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui
praeclaram; virtutem non reliquere, neque poterant;
ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordi- 39
dum me et incultis moribus aiunt, quia parum scite
convivium exorno, neque histrionem ullum, neque

§. 38. *procul errant*] Ad haec verba Gerlachius paullo obscurius annotat: „Adverbium additum, quia h. l. verbum *primaria* significatione est positum." Rectius, opinor, *procul* vocis cum *errare* coniunctionem repetes ab hac, quae dictioni subest, sententia: errore suo et perversa opinione procul *a veritate abducuntur*. — In verbis *virtutem non reliquere* observa Latinorum dicendi morem, ut, ubi in bimembri oratione prioris membri verbum aiens in posteriore negetur, id non sola negatione, ut in nostra lingua, sed repetito verbo fiat; cf. Muellerus ad Cic. orat. p. Sext. c. 3, 6. *Ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem non ademit.* p. Milone c. 35, 95. *Negat se ingratis civibus fecisse, quae fecerit; timidis et omnia circumspicientibus pericula non negat.* Tuscull. I, 49, 116. *Alcidamanti rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit.* ib. II, 14, 34. — De infinitivo *relinquere* et ad *licebat* et ad *poterant* ex *reliquere* supplendo v. ad c. LXXV, 7. Praeterea nota orationem bis *ἀσύνδετον*; quippe adversativam particulam poscunt verba *virt. non rel.*, explicativam quae in fine adiiciuntur *ea sola neque datur* etc. De illo asyndeti genere v. ad Cat. XXXV, 2., de hoc diximus ad Iug. XXVIII, 5. p. 163.

§. 39. *neque histrionem ullum* etc.] De convivali luxuria cf. Liv. XXXIX, 6, 8. *Tunc (i. e. Antiocho victo) psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Epulae quoque ipsae et cura et sumptu maiore apparari coeptae; tum coquus, vilissimum antiquis mancipium, et aestimatione et usu in pretio esse.* De eadem re legendus etiam Macrobius Saturn. II, 13. — *Coquus* vile primitus fuit mancipium; cf. Gell. XI, 2. *Equos carius, quam coquos emebant.* Postea coqui apud helluones in summo pretio habiti, v. Petron. c. XXXVIII. et Cic. p. Rosc. Amer. c. 46, 134. *Villici* igitur deterioris erant condicionis apud luxuriosos; quippe qui operi rustico faciendo praeerant; cf. Varro de R.

pluris preti cocum quam villicum habeo. Quae
40 mihi lubet confiteri, Quirites; nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse; arma,
41 non supellectilem decori esse. Quin ergo quod

R. I, 2. Cort. De universa re cf. doctam Creuzeri commentationem in Antiqq. Rom. p. 407 — 437. ed. II. — *Cocum*, de qua scribendi ratione v. Schneideri Gramm. Lat. I, 1. p. 336., ita exstat in Bas. 1. Sen. 1. Fabr. 2. Guelf. 1. 2, 6. 9. Misn. et Goerl. Ceterum *habeo* h. l. non significat *aestumo*, sed *possideo*, quo efficitur, ut verba *pluris preti* pro epitheto vocis *cocum* sint, quasi dictum foret *maiore pretio paratum cocum.*

§. 40. *ex aliis sanctis viris*] *Aliis* deest in solo Sen. 1., quem Cortius cupide secutus est, quia arrogans et parum modestus videatur Marius, si ipse patrem sanctum virum dicat. Sed videndum, ne talis, qualem Cortius vult, modestia et a Marii incultis moribus, et ab antiquitatis simplicitate alienissima sit. Nam patris virtutem memorare non immodestum, sed potius pium videbatur. *Sanctus* autem *homo* dicitur qui est integer vitae omniumque omnino officiorum atque honesti observantissimus; cf. infra c. CIX, 4. et v. Bremium ad Nep. Lysand. c. IV. 1.; unde *sancta mulier* intelligitur *casta ac pudica*, cf. intprr. ad Liv. X, 23, 8. De discrimine inter *sanctus* et *sacer* v. Doederlini Synonymm. Lat. Vol. III. p. 198. Utrumque enim dicitur respectu deorum, sed ita, ut *sanctum* sit id, quod deorum tutelae commissum non contaminatur et quavis macula liberum est, *sacrum* vero, quod deorum proprium est et a rebus humanis quasi segregatum. *Sancto* apud Graecos respondet ὅσιον, *sacro* ἱερόν; illud opponitur *polluto*, hoc *profano.*— De *ita* particula verbo *accepi*, unde pendet accusativus c. inf., addita cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 85, 10. p. 503 sq. coll. Cat. LI, 7. — *Munditias* praegnanti sensu Marius intelligit nimias illas, molles et luxuriosas, quas etiam Cicero vitari vult, de Off. I, 36, 130. *Adhibenda est munditia non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam.* cf. Liv. XXXIV, 7, 9. *Munditiae et ornatus et cultus, haec feminarum insignia sunt; hunc mundum muliebrem appella-*

iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant,
ament, potent, ubi adulescentiam habuere, ibi se-
nectutem agant, in conviviis, dediti ventri et tur-
pissumae parti corporis; sudorem, pulverem et alia
talia relinquant nobis, quibus illa epulis iocundiora
sunt. Verum non est ita. Nam ubi se flagitiis de- 42

runt maiores nostri; ubi v. Duker. — *Esse* post *divitiarum* Cortius delevit, quum ea vox in codd. Gruteri, Rivii, Laud. 2. 3. Balliol. Fabric. 1. Sen. 1. 2. Heuss. Inc. 1. Guelf. 1. 2. 9. Med. 1. 4. 8. 10. Ven. 1. 4. Flor. 1. et m. pr. in Paris. z. et Goerl. desit; quo codicum numero permotus Gerlachius, quum in textu retinuisset verbum, in Commentt. p. 318. abiiciendum censet. Et sane potest utrumque membrum ex dativo *omnibus bonis* aptum esse, si statuas *esse*, quod proxime ad *decori* refertur, per zeugma simpliciter ad superiora trahi, cuius generis structuram notavimus ad Cat. XVII, 2. p. 82.; neque sententia ita fit incommoda. Sed quum summae auctoritatis cod. Vat. A. *esse* habeat, cum eoque Leid. L. Bas. 1. aliique boni libri consentiant, satius duximus, hos sequi, praesertim quum sententia generalis in clausula posita aliquanto maiorem vim quam vulgata habere videatur. Quam sensus diversitatem non animadvertentes librarii, facile potuerunt prius *esse* in tanta propinquitate vitiosum iudicare.

§. 41. *aestumant*] Nonnulli codd. male exhibent *existimant;* cf. ad Cat. VIII, 2. — *Adulescentiam* ita scribitur in Bern. 1.; vulgo *adolesc.* — *Ubi habuere* ita dictum est ut Cat. LI, 12. *Qui demissi in obscuro* *v i t a m h a b e n t.* — Verba *turpissumae parti corporis* honesta circumlocutione significant, quae auctor Cat. XIV, 2. minus verecunde suo nomine appellaverat. Sed tali circumlocutione in rebus obscoenis interdum utuntur veteres; cf. Pseudo-Sall. de Rep. ord. II, 9, 2. *L. Domitii manus cruentae, pedes fugaces,* *q u a e h o n e s t e n o m i n a r i n e q u e u n t inhonestissuma.* v. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 18. p. 61. Creuzer. ad Cic. de N. D. II, 51. p. 423. Car. Beier. ad Off. I, 35, 126. p. 263. — *Sudorem* ac *pulverem* ferre milites Romani in laudibus suis habebant; cf. Horat. Od. II, 1, 21. Plin. Epp. IX, 2. Panegyr. c. XIII. Cort. — *Iocundiora*, non *iucund.*, ut vulgo editur, exstat in Bas. 1. Fabr. 2. Paris. b. c. x. z. Berol. 1. 2. Misn. Goerl. multisque aliis.

decoravere turpissumi viri, bonorum praemia ere-
43 ptum eunt; ita iniustissume luxuria et ignavia, pes-
sumae artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt,
44 reipublicae innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam il-
lis, quantum mores mei, non illorum flagitia posce-
45 bant, respondi, pauca de republica loquar. Pri-
mum omnium de Numidia bonum habete animum, Quirites; nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam. Deinde exercitus ibi est locorum sciens,

§. 42 — 45. *non est ita*] Pauci codd. *non ita est*, de quo verborum ordine v. ad Catil. LI, 11. p. 243. — Vocabulo *flagitiis* Gruterus praemisit *omnibus;* quod quum in nullo Cortii, Wassii, Gerlachii aut nostro cod. reperiatur, excepto solo Bern. 3., merito abiiciendum fuit. — *Ereptum eunt* explic. ad Catil. XXXVI, 4. — *Nihil officiunt* i. e. nihil detrimenti afferunt; cf. Cort. ad Cat. XXVII, 4. Gronov. ad Liv. Praef. §. 3. id. II, 2, 2. — Pro *habete*, quod Vat. A. et longe plurimi libri tuentur, Cortius ex Fabric. 1. et 2. scripsit *habetote*, quemadmodum est etiam in Leidd. A. C. K. N. Vatic. 3. 5. Med. 5. Venet. 2. 3. 4. et Misn. Quin utrumque dici possit, non est dubium, forma *habete* ad praesens tempus, *habetote* magis ad futurum spectante. Quod Gerlachius autem censet *habetote* „magis *truci* Marii ingenio convenire," id puerilem Latinae linguae scientiam sapit, siquidem pueri *habetote* convertunt *ihr sollt haben.* — *Tutata* longe plurimi optimique libri tuentur; pauci habent *tuta;* v. ad c. LII, 4. et LXXIV, 3. — Pro *mehercule* solus Vat. A. habet *mehercules*, de qua forma v. ad Cat. XXXV, 2. et LII, 35.

§. 46 — 48. *avaritia aut temeritate ducum*] Bestiae nimirum, c. XXIX., Albini, c. XXXVI., Auli, c. XXXVIII. Nec dubium, quin temeritatem etiam in Metellum contulerit Marius, quam tum aliis rebus, tum obsidione Zamae et miserabili illo praesidii Vagensis exitu plebi potuit persuadere; cf. c. LVIII. LXI. LXVI. Cort. — *Est* post *attrita* non legitur in Guelf. 1. Berol. 2. Med. 4. Ven. 4. et Goerlit. Cortius abiecit, probante Gerlachio in Commentariis

sed mehercule magis strenuus quam felix; nam 46
magna pars eius avaritia aut temeritate ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus militaris est ae- 47
tas, annitimini mecum et capessite rempublicam; neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in proelio consultor idem et socius periculi vobiscum adero, meque vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto dis iuvantibus omnia matura 48
sunt, victoria, praeda, laus; quae si dubia aut pro-

p. 318. Iidem verbum substantivum post *militaris* deletum volunt; maiore fortasse iure, quum in Vrat. 2. desit, in Ven. 3. Vat. 3. Min. 2. ante *militaris* locum habeat, in Berol. 2. autem *aetas inest* scriptum sit. Nihilominus vulgatam bonorum librorum auctoritate satis firmatam putamus. — *Capessere rempubl.* explicavimus ad Cat. LII, 5. — *Ex* h. l. sensu idem est atque *propter*; v. ad Catil. c. XII, 2. — Pro *in proelio* Vat. A. Bas. 1. Vin. 1. 2. Rem. 1. 2. Vratisl. 1. Eccard. Guelf. 6. 7. 9. 10. Leid. D. E. F. K. L. N. Bern. 1. Paris. b. x. Berol. 1. et Misn. habent *aut in proelio*, quae scriptura, quamquam auctoritate externa non destituta, nullo modo tolerari potest, quum Marius *proelium* non substituat in locum *agminis*, sed utrumque comprehendat. Copulam autem omisit, quoniam graviore affectu commotus gradatione orationis utitur; cf. ad Cat. XLIII, 2. ad Iug. XX, 8. Corruptela eo orta videtur, quod *aut* ex antegresso versu scribae oculorum lapsu in sequentem versum tractum est. Ceterum Sallustius eandem sententiam aliter extulit in Catil. XX, 16. *Vel imperatore vel milite me utimini; neque animus, neque corpus a vobis aberit.* — De varia *gerere* verbi relatione v. ad c. LV, 1.

§. 48 — 50. *si dubia essent*] *Si* intentiore vi effert condicionem, ita ut idem valeat atque *etiamsi*, ad quem vocis usum illustrandum Faber comparavit Cic. p. Mur. 4, 8. *Quae si caussa non esset, tamen dignitas hominis summam mihi superbiae famam inussisset.* Id. de Sen. c. 11, 38. *Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipsa cogitantem.* Adde Cic. p. Quint.

cul essent, tamen omnis bonos reipublicae subvenire
49 decebat. Etenim ignavia nemo immortalis factus, neque quisquam parens liberis uti aeterni forent optavit; magis, uti boni honestique vitam exigerent.
50 Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; nam strenuis abunde dictum puto.

LXXXVI. Huiuscemodi oratione habita Marius, postquam plebis animos arrectos videt, pro-

c. 25, 78. *Roscius si nihil diceret, tacito ipso officio et studio quemvis commoveret.* Terent. Eun. I, 1, 4. *Redeam? Non, si me obsecret.* cf. Ruhnken. ad Heauton. V, 4, 13. Drakenborch. ad Liv. XXXIII, 49, 3. Oudendorp. ad Auct. B. Alexandr. c. LV, 5. Grysar. Art. Latine scribendi p. 589. — *Decebat* legitur in Vat. A. duobus Rivii, Mark. *A.*, Palatt. 3. 4. 7. Bas. 1. Leid. L. D. G. Vin. 1. Paris. b. c. x. z. et Berol. 2. Ex ceteris plerique habent *decet*, pauci *deceret*, utrumque ex interpolatione. Nam scribae ignorabant in enunciatione condicionali apodosin imperfecti indicativo efferri, si id, quod ex proposita condicione pendet, non incerti, sed certissimi ac necessarii eventus esse asseritur. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 190. I, 3, c. p. 585. ed. I., ex cuius exemplis haec transscribemus: Cic. p. l. Manil. c. 17, 50. *Quodsi Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus*, ad q. l. plura attulit Aug. Matthias. Tacit. Hist. I, 16, 1. *Etiamsi immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram* (Galla loquitur) *a quo respubl. inciperet.* v. Boetticheri Lex. Tacit. v. *indicat.* p. 255. 3, a. — Quae sequuntur verba si sensum spectes ex Platonis Menexeno expressa videri iam observavit A. Manutius; nam ibi haec leguntur c. 20: *οὐ γὰρ ἀθανάτους σφίσι παῖδας εὔχονται γενέσθαι, ἀλλ' ἀγαθοὺς καὶ εὐκλεεῖς*, quae sane sunt nostris valde similia. — *Exigere vitam* explicavimus ad c. XIV, 15. — Verba *si timidis virtutem verba adderent* non multum differunt ab oratione Catilinae c. LVIII, 1.

LXXXVI. §. 1. *arrectos*] Non male Cortius huius vocis vim refert ad tacitam cogitationem *belli;* v. quae annotavimus ad Cat. XXXIX, 3. et ad Iug. XXIII, 1. p. 141. — Pro *aliisque*, ut omne

pere commeatu, stipendio, armis, aliis utilibus navis onerat; cum his A. Manlium legatum proficisci iubet. Ipse interea milites scribere, non more maio- 2
rum, neque ex classibus, sed uti cuiusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii ino- 3
pia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat; et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque

fere codd. habent, cum Cortio scripsimus *aliis*, sine copula; nam quum desit in Fabric. 1. Eccard. Vat. 2. Tur. 1. ac m. pr. in Med. 1., in Goerlit. vero legatur *et aliis*, in Inc. 2. *atque aliis*, ista discrepantia satis certo documento est scribas asyndeti usum ignorantes voculam intulisse; v. ad Cat. XLIII, 2. — *Navis* hac terminatione exstat in Paris. c. x. z. — *Manlium* probatissimi codd. testantur; alii *Mallium* exhibent, pariter ut Cat. XXIV, 2.

§. 2. *non more maiorum*] i. e. in scribendis militibus non eum modum atque ordinem observans, qui esset usu receptus, ut populo per edictum in campum Martium convocato singulae centuriae deinceps excitarentur, ex quibus idonei ad militiam sumerentur; v. Nitschii Antiquitt. Romm. T. II. p. 1396. — *Neque ex classibus* i. e. neque ex iis, *quibus ius esset militiae.* Nam quum cives Romani a Servio Tullio pro censu essent in sex classes descripti, ac pro dignitate classium etiam dignitas militiae et armorum ac telorum, quibus quisque uteretur, genera essent constituta, sexta classis, quae erat capite censorum sive census tenuissimi, militia vacabat; cf. Liv. I, 43. Gell. XVI, 10. Creuzer. Antiqq. Rom. §. 223. p. 348 sq. ed. II. *Ex classibus* est igitur *ex quinque prioribus classibus*, omissa sexta, quae, ubi de militia agebatur, *classium* nomine non comprehendebatur. — Quae sequuntur verba, *sed uti cuiusque lubido erat*, accuratius declarant Marium non *iustum delectum* habuisse eorum, quos posset ex lege *cogere*, sed *voluntarios* ascivisse quicunque vellent exercitum sequi. De eadem re egit etiam Plutarchus in vita Marii c. IX. *Ἐστρατολόγει παρὰ τὸν νόμον καὶ τὴν συνήθειαν, πολὺν τὸν ἄπορον καὶ δοῦλον καταγράφων· τῶν πρόσθεν ἡγεμόνων οὐ προσδεχομένων τοὺς τοιούτους, ἀλλ' ὥσπερ ἄλλο τι τῶν καλῶν, καὶ τὰ ὅπλα μετὰ τιμῆς*

opportunissumus, cui neque sua cara, quippe quae nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur.
4 Igitur Marius cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat, in Africam profectus paucis diebus
5 Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato, nam Metellus conspectum Mari fugerat,

τοῖς ἀξίοις νεμόντων, ἐνέχυρον τὴν οὐσίαν ἑκάστου τιθέναι δοκοῦντος.

§. 3. *celebratus*] v. ad c. LXXXV, 36. — *Auctus* quamquam haud dubie ad consulatus honorem spectat, tamen Fabro non assentiar *augere aliquem* semper sic dici, ut *honore* vel *honoribus*, quod interdum huic verbo additur, (v. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 11.) suppleatur. Propria enim vi *augere* valet *potentiorem reddere*, sive ad altiorem dignitatis et auctoritatis gradum extollere. cf. Daehnium ad Nep. Phoc. c. II, 3. *Auctus adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, ascenderat gradum;* adde Drakenborch. ad Liv. XXV, 16, 11. et Walchii Emendd. Liv. c. II. p. 34 sq. Boetticheri Lex. Tacit. h. v. p. 73 sq. — Quae sequuntur *et homini* — *videntur* omnes interpretes apta esse putant ex *quod* particula, ut ostendunt commate post *erat* posito, sententiam eorum, qui ambitionem consulis memorabant, continuari censentes. Sed multo aptior sententia prodibit, si statuis Sallustium ipsum memoratae nonnullorum opinioni suum iudicium adiicere illamque sententia generali confirmare. Quare post *erat* semicolo orationem distinximus, quo efficitur, ut *et* cum asseveratione gravi adiungat verba sequentia, quasi dictum sit *et profecto*, *et sane*. cf. Goerenz. ad Cic. de Legg. II, 3, 7. *Praeclare exigis, Quinte; et tibi horum nihil deberi potest.* Tacit. Hist. IV, 78, in. *Tutor et Classicus et Civilis pugnam ciebant, Gallos — instigantes; et cuncta pro hostibus erant.* Kuehner. ad Tuscull. III, 8, 18 p. 210. et qui luculenter de hoc usu exposuit, Ferd. Handius de Particc. Latt. Vol. II. p. 488. 2. — *Curae*, quae scriptura unice vera est, tuentur codd. Rivii, Mart. Bodlei. Balliol. Reg. Laud. 2. Leidd. B. C. D. E. G. H. Paris. z. Einsiedel. Goerl.; inde vel casu vel mala coniectura factum *cura*, ut in Palat. 6. Eccard. Acad. Commel. et Pembroch.; in duobus postremis m. sec. superscripsit *cara*, quod reliquos omnes tenere non est mirum, quum scribae in *cura* voce me-

ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

LXXXVII. Sed consul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onustum proficiscitur, omnia ibi capta militibus donat, dein castella et oppida natura et viris parum

rito offenderent. — *Cum* praepositionem ante vocem *pretio* Faber recte censet condicionis vim habere, siquidem res alii coniuncta dici potest, quae tanquam condicio illi adhaeret, ut Handio videtur de Particc. Latt. Vol. II. p. 155. Simplicius fortasse dicas duarum rerum coniunctionem, talem, quae non iam facta sit, sed fieri *possit*, ad condicionis notionem accedere. cf. Cic. Tuscull. I, 49, 116. *Multis videmus optabilis mortis fuisse* *c u m* *g l o r i a*, i. e. *ea condicione*, *ut* gloria adiuncta esset, vel *si modo gl. adi. esset.* Idem usus est particulae in formula *cum eo ut*, quam Faber tetigit, coll. Livio VIII, 14, 2., uberius illustravit Handius l. l. p. 166.

§. 4. et 5. *aliquanto maiore*] Fabr. 1. 2. Tur. 1. inverso ordine habent *mai. aliquanto*, quod Cort. statim arripuit. De potestate vocis *aliquanto* diximus ad c. LXXIV, 3. — Pro *paucis diebus* Cortius male scripsit *diebus pauc.*, ut est in Fabr. 1. 2. Tur. Bas. 4. Vis sententiae in adiectivo inest. De structura v. ad c. XI, 2. — *Rutilii* legati iam supra mentio facta est c. L, 1. et LII, 5.

LXXXVII. §. 1. *praeda onustum*] *Praeda* h. l. non significat rem a victoribus *captam*, sed *quae capi posset* sive in praedam cederet, consimili modo, ut c. XXIII, 1. *formidinem* vidimus dici de eo, quod formidinem excitare posset. *O n u s t u s praeda ager* insolenter dictum videtur, si vernaculam vocem *beladen* sive *belastet* compares; sed apud Latinos *onustum* latiore sensu etiam id dicitur, quod magna alicuius rei copia abundat, itaque refertum est, ut quasi onere quodam premi videatur; comparavit Forcellinus Tacit. Ann. XII, 13, 4. *Ubi pharetras telis* *o n u s t a s* *accepere;* Plaut. Aulul. IV, 2, 10. *Se aulam* *o n u s t a m* *auri abstrusisse hic intus in fano;* Afranium apud Priscian. X, 2, 7. p. 477. Kr. *Postquam pectus est laetitia* *o n u s t u m.* V. etiam ad Iug. XII, 4. — *Ceterum* *l e v i a*, *a l i a* *aliis locis* ex egregia Ciacconii emendatione scripsimus; codd. enim omnes habent *ceterum* *a l i a* *l e v i a* *al. l.*,

munita aggreditur; proelia multa, ceterum levia,
2 alia aliis locis facere. Interim novi milites sine metu pugnae adesse, videre fugientis capi aut occidi, fortissumum quemque tutissumum, armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi, gloriam at-
3 que divitias quaeri. Sic brevi spatio novi veteres-
4 que coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Mari cognoverunt, divorsi in locos difficilis abeunt. Ita Iugurthae placuerat, spe-

quem perversum ordinem Gerlachius in maiore ed. retentum nuper demum relinquere ausus est. Et ita iubet non solum oppositio verborum *multa* et *levia*, sed etiam constans usus geminatas *alius* vocis formas iuxta collocandi; v. ad Cat. VI, 2. p. 32. Nihilominus Weisius vulgatam, tamquam integerrimam, repetiit.

§. 2. *sine metu*] Collatis iis, quae c. LXX, 5. de *metus* vocis significatione diximus, apparet *sine metu* h. l. respondere vernaculo *kaltblütig*. — *Aut* ante *occidi* quum in Fabr. 2. desit, in Inc. 2. autem legatur *et occidi*, a Cortio et a Gerlachio in ed. maiore deletum est. Ac per se ferri posse asyndeton facile concedo, altero verbo quam prius graviore, ut per gradationem adiectum dicas; v. ad Catil. XLIII, 2. coll. XI, 4. et ad Iug. XX, 8. Liv. VII, 33, 15. *tum capi, occidi Samnis;* sed in omnium fere librorum summo consensu nihil mutandum est. — De verbis *patriam parentesque* v. ad Catil. VI, 5. Locis ibi laudatis hic addimus Tacit. Hist. III, 5, med. *Nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, exuere patriam, parentes.* Cic. Off. I, 17, 58. *Si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum offici, principes sint patria atque parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus.* Id. de Invent. II, 22, 66. *Pietatem appellant, quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine coniunctos officium conservare monet.* Epp. ad Famm. I, 9, 44. *Vim neque parenti neque patriae afferri oportere.* — *Quaeri* i. e. comparari; v. ad c. III, 3. p. 18.

§. 3. et 4. *Sic*] Vim huius particulae illustravimus ad Cat. VII, 6. — *Novi veteresque* quomodo sibi opponantur dictum est ad c. LXXV, 8. — *Reges*, Iugurtha et Bocchus. — *De adventu* quid

ranti mox effusos hostis invadi posse, Romanos, sicuti plerosque, remoto metu laxius licentiusque futuros.

LXXXVIII. Metellus interea Romam profectus
contra spem suam laetissumis animis excipitur, plebi
patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta ca-
rus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et 2
hostium res pariter attendere, cognoscere quid boni
utrisque aut contra esset, explorare itinera regum,

differat ab accusativo *adventum* supra significavimus ad c. LXXXIV, 3. Perperam igitur in nonnullis codd. *adventum* scribitur; perperam etiam Langius utrumque idem esse opinatur. — *Loci* dicuntur *difficiles* respectu *aditus*; eodem sensu auctor c. LXXV, 10. et LXXXIX, 4. loquitur de *locorum asperitate*. — De structura verborum *laxius* — *futuros* v. ad Cat. LVIII, 9. coll. Iug. VII, 6. et XIV, 11.

LXXXVIII. §. 1. *contra spem*] i. e. contra opinionem vel metum, ut ostendimus ad Cat. XX, 13. p. 104. cf. Liv. II, 3, 1. *Bellum ab Tarquiniis imminens spe omnium serius fuit.* XXI, 6, 5. *Omnium spe celerius Saguntum oppugnari allatum est.* — *Decedere* qua ratione dicatur exposuimus ad c. XX, 1.; inde intelligetur, quam male hic nonnulli codd. *discedere* exhibeant. — *Eorum* post *insidias* temere a Cortio deletum est, quum tantummodo in Vin. 1. et Franc. desit. — *Remissum* iam explicavimus ad c. LVIII, 1. Ceterum *nihil remissum* quum latissime pateat, h. l. ad *personas* maxime spectat, v. ad c. XIII, 6. et ad XIV, 16.; sensus est enim: *neminem* suorum ac nulla in re remissum sive negligentem esse patiebatur, neque hostium quemquam *tutum*, i. e. apud hostes autem omnia *periculorum plena* effecit. Erravit tamen Cortius *tutum* interpretatus *id quod tuetur et tutum praestat*, secutus eius sententiae auctorem Dukerum ad Flor. IV, 2, 23. *Tutus* enim dicitur, qui *a periculo prorsus liber* est cuique nihil potest nocere; ab eo diversus est *securus*, quippe qui *opinetur* tantummodo a periculo se esse liberum, sive vera est ista opinio, sive falsa. Quum igitur horum vocabulorum ratio talis sit, qualis intercedit inter *rem* ipsam et rei *opinionem*, fieri potest, ut qui re ipsa *tutus* sit, tamen er-

consilia et insidias eorum antevenire, nihil apud se
3 remissum neque apud illos tutum pati. Itaque et
Gaetulos et Iugurtham, ex sociis nostris praedam
agentis, saepe aggressus in itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exu-

rore quodam iudicii vel sensus sui *haud securus* sibi videatur; contra *securus* esse possit, cui, scilicet nihil sentienti et quasi imprudenti, gravissima pericula immineant. cf. Doederlini Synon. Lat. Vol. III. p. 120 sqq.

§. 3. *ex sociis*] i. e. *ex a g r o sociorum*, ut supra c. XLIV, 1. *Praedator ex s o c i i s*. Saepe enim incolarum vel populorum nomina ponuntur pro ipsorum terra vel regione, quam habitant; v. Drakenborch. ad Liv. IV, 41, 11. et ad V, 28, 5. Ramshorn. Gramm. Lat. § 203. I. 3. p. 657. ed. I. *Ex* praepositio *abigendi* notioni valde convenit; pariter dicitur *p r a e d a r i e x agro hostium*, velut apud Liv. XXIV, 47, 12. cf. Kreyssig. in Sall. Historr. Fragmm. ab Ang. Maio editis, p. 39. et Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 620. §. 13. *Praedas*, quem vocis numerum defendimus ad c. XX, 8., plurimi optimique codd. tuentur; nonnulli ex interpolatione habent *praedam*, quod Cortius recepit. — *In itinere* est *dum in itinere erant*, dum iter faciebant, v. ad c. LIV, 4.; praepositione, quam Cortius paucos codd. secutus, omisit, vix careas. — Plusquamperfecta *fuderat*, *exuerat* pendent ex tacita comparatione posterioris alicuius facti, quem usum illustravimus ad Cat. XXIV, 1. et ad Iug. LVII, 6. — *Armis e x u e r e* significat aliquem ita vincere, ut armis relictis vel abiectis fugiat; Liv. XXII, 21, 4. Caes. B. G. III, 6. ubi v. Herzog.

§. 4. *gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit*] Hic locus multis interpolationibus foedatus est, ita tamen, ut vera scriptura non solum in nonnullis codd. integra servata sit, sed ex turbatis quoque exemplis possit erui. Exstat autem quod in contextu dedimus in Bas. 1. Paris. c. x. z., ut videtur, in Leid. A. B. E. G., confirmatum quam maxime auctoritate Prisciani, qui XVIII, 24, 209. Kr. hunc locum laudat, ut doceat genitivum ex voce *caussa* supplenda pendere. Proxime accedunt ii codd., in quibus ad genitivum explicandum post *patrandi* additur *copiam;* alii et hanc vocem insiticiam habent, et post *gloriosa* ostendunt *facta sunt;* alii, utraque interpolatione inquinati, *modo* voce carent; praeterea in

erat. Quae postquam gloriosa modo, neque belli 4 patrandi cognovit, statuit urbis, quae viris aut loco pro hostibus et advorsum se opportunissumae erant, singulas circumvenire; ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum.

uno alterove aliis adhuc modis peccatur. Ex his tantis corruptelis primum patet scribas non intellexisse genitivi rationem, quam enucleavimus ad Cat. VI, 7. p. 36.; nam *esse* verbo intellecto, genitivi, inde pendentes, adiectivi instar referuntur ad *quae*, hoc sensu: quae postquam cognovit non *eiusmodi esse*, *ut* ad patrandum bellum *pertinerent*. cf. Liv. XL, 29, 11. *Quum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse.* XXXIX, 16, 9. *Iudicabant nihil aeque dissolvendae religionis esse.* Praeterea Drakenborch. ad V, 3, 5 comparavit ex eodem haec: III, 24, 1. III, 31, 7. XXX, 9, 4. XXXIV, 54, 5. Altera depravationis caussa haec fuit, quod librarii non assecuti sunt, *gloriosa* pariter atque *belli patrandi* ex *cognovit* pendere, ac genitivis, vim adiectivi sustinentibus, praedicati *formam* tantum, non *rationem* mutari; v. notata ad c. LXX, 2. coll. Cortio ad c. CIII, 7. Ne igitur *gloriosa* sine verbo esset, pingui Minerva intulerunt *facta sunt*, quae interpolationes multis modis, ut diximus, confusae sunt. — *Viri* in tali nexu, maxime ubi *arma* simul memorantur, intelligendi sunt praegnanti sensu *viri arma gerentes et ad bellum apti;* cf. XVI, 5. LVII, 1. LXII, 8. LXXXVII, 1. XCII, 7. — *Loco* i. e. naturali situ; v. ad c. LVII, 1. — *Opportunissumae* non est dubium quin et ad *pro* et ad *advorsum* pertineat, siquidem omnis opportunitas in contraria trahi potest. Inconsulto autem Gruterus ac Wassius hanc vocem suspectam habent, quia *esse pro aliquo* iam significet *alicui favere* vel *prodesse*, velut ap. Tac. Hist. IV, 78. *Cuncta pro hostibus erant.* Curt. IX, 9. *Pro equitibus planities erat.* Quod quamquam verum est, quivis tamen videt adiectivo addito rem multo gravius designari. — *Circumvenire* Weisius interpretatur *obsidere, obsidione cingere;* et ita legitur c. LVII, 2. *Metellus cuncta moenia exercitu circumvenit.* LXXVI, 2. *Metellus vallo fossaque moenia circumvenit.* Sed quum Marius repentino impetu rem gerere voluisse videatur, melius erit, opinor, verbum eo sensu intelligere, quo valet insidiis aliquem ac fraudulento consilio opprimere. De *personis* saepissime ita dici monuimus ad Cat. XXXI, 9.

5 Nam Bocchus nuncios ad eum saepe miserat, velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile ti-
6 meret. Id simulaveritne, quo improvisus gravior ac-

p. 149. et ad Iug. L, 6.; sed etiam in rebus bellicis usurpari apparet ex c. XXXVIII, 4. *Iugurtha intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit.* — Ad *nudatum* fere omnes editores *fore* supplendum censent, Cortio auctore ineptissimis exemplis usi, quibus hoc demonstrent, Iug. LXXVI, 1. Cat. XXVII, 1. et XLVI, 2. Neque reputarunt isti, ut infinitivus futuri passivi evadat, non *fore* participio *perf.* pass. addi, sed *iri* cum *supino* coniungi debere, ac nullum talis infinitivi, qualem volunt, exemplum exstare. Id quamvis sentiens Faber, tamen non satis considerate Sallustium dicit *alias* quidem *fore* non omittere, sed h. l. propter sequens futurum *certaturum* facile omittere potuisse. Sed quod positum falsum foret, id neque omitti potest, neque cogitatione additum rectum fit. Quare censemus locum aut corruptum esse, *iri* voce, quam legitima structura postulat, iam mature per *m* litteram absorpta, aut Sallustium in quoddam *ἀνακολουθίας* genus incidisse, nihilque esse mutandum. Fieri enim potuit, ut, quum primo *duobus* participiis, geminata *aut* particula disiunctis, commune verbum vellet subiicere, velut in hunc modum: ita Iug. *aut* praes. *nudatum*, *aut* praelio *certantem damnum passurum*, — tum interiectis verbis *si ea pat.* ab incepta structura deflectens alterum participium statim faceret verbum finitum. Utrum ex his verum sit, alii videant; nos certe nihil vulgatam mutavimus.

§. 5. et 6. *Nam Bocchus*] *Nam* particula spectat ad omissam sententiam huiusmodi: Bocchum vero non ita petere volebat; *nam* is etc. v. ad c. XIX, 2. p. 119. — *Velle*, sc. *se*, quod subiectum ex verbis proxime praegressis elicias; v. ad Cat. XXXI, 7. ad Iug. XIV, 3. — De totius enunciationis structura v. ad Cat. XXI, 3. ad Iug. VIII, 1. — *Gravior* in multis codd. scribae mutarunt in *gravius*, scilicet veriti ut adiectivum recte cum verbo sociari posset; sed v. ad Cat. XXVI, 5. et ad Iug. XXXVIII, 1. — *Accideret*, quod exstat in Naz. Paris. z. Fabric. 1. Franc. et Berol. 1., recte a Cortio et Gerlachio vulgatae scripturae *accederet* praelatum est: in promptu est enim repentini impetus vim multo significantius designari *accidere* verbo, in quo notio *rei gravis*, quae cum vi fertur et irruit, inest, quam leviore et indefiniti sensus vocabulo *ac-*

cideret, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.

LXXXIX. Sed consul, uti statuerat, oppida

cedere; v. ad c. CVII, 6. Ita tela vehementi iactu missa dicuntur *accidere*, cf. Herzog. ad Caes. B. G. III, 14. *Missa a Gallis tela gravius accidebant.* Similiter ea, quae aures cum vehementia feriunt, dicuntur *accidere*, velut *clamor*, *strepitus*, *sonus;* cf. Drakenborch. ad Liv. XL, 32, 2. Etiam *fama* rei gravis praeter exspectationem allata et animos perturbans *accidere* dicitur, ut docuit Gronovius ad Liv. XXI, 10, 12. In tam obvio verbi usu nihil valet Fabri sententia *accidere* propterea damnantis, quod non de *personis* dicatur. Quasi vero scriptori ἐνεργείᾳ studenti non liceat verba de rebus usurpata ubi commodum est ad personas transferre, et contra? — Vocabulo *solitus* in aliquot codd. additur *esset*, ex inepta interpolatione. Quo structura constet, supplebis *sit*, quod interdum in oratione obliqua omitti observavit Beierus ad Cic. de Off. I, 17, 58. *Si comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum offici*, sc. *sit*. cf. ib. I, 43, 152. *Potest incidere comparatio, de duobus utrum honestius.* Sall. Iug. CXIII, 1. *Dolo, an vere cunctatus, parum comperimus.* Quam Faber explicandi rationem iniri posse putavit, ut ad vocem *solitus*, participii vi intellectam, ex praegresso *simulaverit* suppleatur *fecerit*, coll. Ramshornii Gramm. Lat. §. 205. 3, b. p. 684. ed. I., eam nullo modo ferri posse non est quod ostendam. — *Est* post *exploratum*, quod in tribus codd. desideratur, a Cortio deletum.

LXXXIX. §. 1. *partim vi*] De *partim* particula, cui *alius* respondet, v. ad c. XXXVIII, 3. — *Metum ostentare* quomodo intelligendum putem, dixi ad c. XXIII, 1. — *Mediocria gerebat* i. e. res mediocres, neque magni momenti perpetrabat; quod vix opus erat monere, nisi Gronovius ad Liv. II, 46, 3. *gerebat* delendum ac *mediocria* de oppidis castellisque intelligendum censuisset. — In verbis *ob suos tutandos* praepositio *consilii* ac finis notionem habet, qua potestate vocis apud Tacitum Ann. I, 79, 1. non intellecta interpretes Wolfio excepto male *ad* substitui voluerunt, ac revera invitis codd. substituerunt apud Livium XXXVII, 27, 5. cf. infra c. CII, 12. Iahn. ad Hor. Sat. I, 4, 26. Aug. Matthias ad Cic. p. Mur. c. 1, 1. Boetticher. Lex. Tacit. h. v. p. 324. Cic. Tusc. III, 13, 28. in Verr. II, 32, 78. — *In manus venire* est congredi, manum conserere; cf. CI, 4. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. II, 46,

castellaque munita adire, partim vi, alia metu aut
2 praemia ostentando avortere ab hostibus. Ac primo
mediocria gerebat, existumans Iugurtham ob suos
3 tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul
abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et
4 magis aspera aggredi tempus visum est. Erat inter
ingentis solitudines oppidum magnum atque valens,
nomine Capsa, cuius conditor Hercules Libys me-

3. Tacit. Histor. IV, 71, extr. *Ut ventum in manus, deturbati praecipitantur.* Annall. II, 80, 4. *Ut venere in manus, vertunt terga Cilices.* — *Illam* Cortius nulla auctoritate delevit; neque idem intemperantes manus abstinuit a voculis *magis* et *est*, in posteriore voce assensum nactus Gerlachii in Commentt. p. 320. propter Ven. 1., quamquam in ed. min. vulgatam rursus amplectitur. — *Aggredi*, quod volunt pro *aggrediendi* dictum esse, quam structurae rationem habeat intelliges ex nota ad Cat. XXX, 5. *Tempus* enim praegnanti sensu est *opportunum tempus;* v. ad c. LXXIX, 7. Drakenborch. ad Liv. VI, 18, 12. XXI, 54, 2. Ter. Hecyr. IV, 2, 21.

§. 4. *valens*] *Valens oppidum* Bremius ad Nep. Hamilc. II, 4. commode interpretatur: quum armis et viribus, tum opibus ac divitiis potens. — De *Capsa* urbe, in Byzacio inter Bagradam et Tritonem sita, cf. Strabonem XVII, 3, qui eam τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ἰουγούρθα nominat, et Mannerti Geograph. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 344 sqq. — *Hercules Libys* a Servio ad Virg. Aen. VIII, 564. dicitur *Libyus.* Num ad eandem de eo fabulam hic respiciatur, quam Sallustius supra c. XVIII, 2. memoraverat, dubium est. Neque tamen Hercules *Libys* cum Muellero et Weisio intelligendus est *Aegyptius*, sed potius *Tyrius* ille sive *Phoenicius*, de quo v. Herod. II, 44. Diodor. I, p. 262.; unde patet hac fama nihil aliud significari, nisi Capsam, ut plurima alia Africae oppida, Phoeniciae fuisse originis, quod apertius etiam indicat Orosius V, 15., ab Hercule *Phoenice* conditam esse tradens. cf. Heeren. Ideen etc. T. I. P. II. p. 26 sqq. Ceterum quod Sallustius dicit *memorabatur*, non *memoratur*, eo declarat, sibi, *quum in Africa esset* rerumque antiquitatem inquireret, ab incolis ita narratum esse;

morabatur. Eius cives apud Iugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissumi habebantur, muniti advorsum hostis non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam praeter oppido propinqua alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus, quorum vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium, ipsa perniciosa,

cf. c. XVII, 7. — *Immunes* paullo insolentius absolute dictum significat *a tributis et ceteris subditorum oneribus liberi;* ita Sueton. Claud. c. 25. accuratius dixit: *Ilienses ab omni onere immunes praestitit.* Inde continuo intelligitur parum recte sensisse Palmerium ad h. l. et Berneggerum ad Iustin. V, 1, 11., qui *levi*, omnibus codd. firmatum, mutatum cuperent in *leni*. Nam *leve* est, quod, quum ipsum pondere careat, *nullo onere aliquid premit; lene* vero dicitur, quod mollitie sua blanditur, et asperitate omni et severitate ac vehementia vacat. cf. Spalding. ad Quinctil. X, 1, 121. Doederlini Synonym. Lat. Vol. II. p. 176 sq. §. 6. Drakenborch. ad Liv. VI, 19, 3. Imperite igitur Weisius *levi* interpretatur *leni*. — *Habebantur* per zeugma cum praegressis praedicatis continetur, siquidem ad duo priora relatum valet *tractabantur* sive *regebantur* (cf. ad Cat. XI, 5. p. 59.), ad *fidelissumi* spectans significat *tenebantur* vel simpliciter *erant*, v. ad Cat. I, 4. — *Viris* v. ad c. LXXXVIII, 4. — *Verum etiam* ante *multo magis* Cortius inepte omisit, codicibus et rectae rationi illudens.

§. 5. *infesta serpentibus*] *Infesta* passivum sensum habere diximus ad Cat. XV, 4.; sed quae in hoc vocabulo inesse videri possit passiva significatio, eam alio modo expediendam esse primus ingeniose docuit Doederlinus Synonym. Latt. Vol. IV. p. 400. §. 12. Nimirum isto sensu vocabulum compositum est ex *festus* et negante *in* syllaba. *Res festae* enim quum non solum laetitiam habeant, sed otium quoque et *securitatem*, illae *sunt infestae*, quae securitatis sensu sublato timorem et formidinem excitant, periculis obiectis. Rem solam igitur si spectes *infesta* sane possunt etiam *infestata* dici, quasi periculosis rebus petita ac perturbata. Iis opponuntur autem *tuta*, ita tamen, ut *infesta* rursus differant ab *intutis*. *Intu-*

6 siti magis quam alia re accenditur. Eius potiundi Marium maxuma cupido invaserat, quum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur, et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque, nisi quod apud Thalam non longe a moenibus aliquot fontes erant, Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, iugi

tum est enim quod reapse periculis non est liberum damnumque minatur; *infestum* vero, quod animum periculorum instantium *opinione* perturbat et horribili quadam *formidine* implet. Igitur *loca serpentibus infesta* non simpliciter sunt per serpentes periculosa, sed quae eo horrorem animo iniiciant. — *Quorum* recte Gerlachium scripsisse putamus pro *quarum*, ut in vulgata est; masculinum enim praebent Bas. 1. 4. Paris. b. c. z. et x. m. pr. Leid. A. B. C. Berol. 1. 2. Misn., omnes fere Ital., ac probabilius videtur scribas femininum, quod usitatius est (v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. II. p. 125.), in masculinum mutasse, quam contra. — *Ipsa* i. e. per se, cf. ad c. LXVI, 4.

§. 6. *Eius potiundi*] Pronomine *eius* oratio se recipit ad *oppidum Capsam*, ita ut quasi per parenthesin accipiantur, quae auctor, in illius natura illustranda ab una re ad alteram delatus, paullo prolixius disputavit. Weisius ex corruptis edd. scripsit *eius oppidi pot.* — *Propter usum belli*, v. ad c. LXXXIV, 3. — Maiorem interpunctionem post *videbatur* Gerlachius in minore ed., Fabrum secutus, recte in comma mutavit, caussarum expositione, cur Marius Capsam capere vellet, ita continuata, ut sequentia quoque ex *quia* pendeant. — Pro *non longe* Cortius ex uno Vin. 1. qui habet *haud procul*, scripsit *haud longe.* — *Atque ea*, v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 84. C. 7. p. 484. ed. IV. — *Iugis aqua* paene aeque constanti usu dicitur ac *perennis*, i. e. quae nunquam non scaturit, opposita aquae ex pluvia collectae vel cisterninae. cf. Cic. de Div. II, 13, 31. *Etiamne futurum esse (terrae motum) aquae iugis colore praesentiunt?* cf. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 6, 2. Epp. I, 15, 15. Doederlini Synonym. Lat. Vol. I. p. 5., qui acute coniicit descendere vocem a *diu*, abiecta *D* littera, ut in Ianus, bellum, Iupiter, additaque in fine *gis* syllaba, ita ut sensu valde cognatum sit *diuturnus* voci. A *iugi* autem *perennis* ita differt, ut illo voca-

aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique et in omni 7
Africa, quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina carne vescebantur, et neque salem neque alia irritamenta gulae quaerebant; cibus illis advor- 8
sum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriae erat.

bulo aqua *nunquam deficiens*, velut lacuum aut etiam puteorum, hoc *semper fluens* designetur, quo valde sustentatur Doederlini sententia, *perennis* non a *per* et *annus*, sed a *per* et *amnis* ductum esse. — *Cetera*, quod Langius in incerto relinquit, utrum accus. plur., an ablativus singul. sit, non posse alio atque sexto casu dictum esse patet ex opposito vocabulo *una;* recte igitur relicui interpretes *aqua* supplendum censent. De propria potestate vocis *cetera* v. ad c. LXI, 2. Singulari numero legitur etiam Cat. XIII, 3. XXXVI, 2. XLIII, 1. LII, 31. LIX, 5. Iug. XCII, 5.

§. 7. et 8. *quae — agebat*] Terrae nomen *agebat* praedicatum habere, quod incolis modo convenit, paullo durius quidem est, sed tamen in generali sententia ferri potest. Similiter Cicero dixit in Tuscc. I, 1, 2. *Illa, quae nostri maiores natura, non litteris assecuti sunt, neque cum Graecia, neque cum ulla gente sunt conferenda.* Sed vulgatae insolentiam non concoquens Cortius multo insolentissima coniectura locum depravavit, scribendo *qui — agebant*, quam temeritatem non opus est rationibus refellere. — *Carne*, quam vocem omnes omnino codd. retinent, Weisius, cui inquinatae interpolationibus et corruptelis editiones pluris sunt, quam omnes libri manu scripti, delevit. — *Et* ante *neque*, quam voculam Cortius non habet, Gerlachius vero in ed. maiore expressit, in Commentt. p. 320. se invito a typographis illatam dicit, ac nihilominus, quae est inconstantia eius, in minore ed. in contextum recepit, exstat in Bas. 1. Tur. 1. Teg. Leid. H. et L. Bern. 1. 3. Paris. c. x. z. Berol. 1. 2. Misn. et Goerl.; qui codd. quum fere omnes ex potioribus sint, neque in editorum silentio constet, relicui libri copula careant, necne, eam iure recipiendam putavi. Fortasse scribis *et neque* iuxta positum offensioni fuit. Ceterum etiam sine *et* oratio recte haberet, eo quippe modo nexa, quem illustravimus ad Cat. LVIII, 1. p. 303. — *Cibus* in universum de alimentis corporis dictus

XC. Igitur consul, omnibus exploratis, credo dis fretus (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat; quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis quam arvo student, et quodcumque natum

praegnanti sensu etiam potum comprehendit, quamquam hic interdum diserte nominatur, ut apud Liv. XXI, 4, 6. *Hannibali cibi potionisque — modus finitus.* Nostri loci similis est Vell. II, 41, 2. *Caesar semper cibo in vitam, non in voluptatem utebatur.* Inconsulto igitur Weisius ex suis editt. antiqq. scripsit *cibus potusque.* — Quod Sallustius in describenda Numidarum natura *imperfectis* utitur (*agebat — tolerabatur — vescebantur — quaerebant — erat*), eius rei caussa haec est, quod illius temporis, quo haec memorabilis expugnatio facta est, tam vividam animo concepit cogitationem, ut ea quoque, quae per se non ad illud quidem tempus solum pertinerent, sed tamen *tunc* maxime commodum afferrent Numidis, eodem tenore ut antecedentia enunciaret.

XC. §. 1. *Credo, dis fretus*] *Credo* h. l. sine ironia dictum esse, qui sane frequens est usus, ut diximus ad Catil. LII, 13., bene monuit Faber. — *Dis fretus* haud dubie spectat ad c. LXIII, 1. *Mario haruspex dixerat, quae animo agitabat fretus dis ageret.* — *Nam* Langius prorsus inepte h. l. idem esse dicit atque *etsi.* — *Providere* paullo insolentius absolute dictum valet *sibi cavere*, satis cautum esse. — *Tentabatur* i. e. in periculum et angustias adducebatur; cf. c. XLVIII, 1. *Iugurtha ubi se suis artibus tentari animadvertit.* Flor. IV, 2, 27. *Sic fame castra tentata sunt.* In tanta perspicuitate Cortius nugas agit *inopia* pro nominativo venditans, ut structura talis sit, qualis fuit c. L, 1. — *Arvum* dicitur ager qui aratur et seritur; cf. Plaut. Truc. I, 2, 47. *Non arvus hic, sed pascuus est ager.* Sueton. Ner. c. 31. *Rura arvis et vinetis et pascuis varia.* Doederlin. Synonym. Lat. Vol. III. p. 8. H. l. quum *pabulo* opponatur, Sallustius videtur paullo liberius efficiens pro effecto posuisse, nisi malis, vocabulis *pabulum* et *arvum* latiore sensu *rem pecuariam* et *agriculturam* designari. — Verbis *quodcunque natum fuerat* significantur fruges *iam collectae* et ad usum *reconditae*, ut patet ex sequentibus *ager autem* etc. Sensus est igitur: neque in horreis, neque in agris erat, quo Romani uterentur. Hanc oppositionem non assecutus Weisius pessime

fuerat iussu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam aestatis extremum erat), tamen pro rei copia satis providenter exornat; pecus omne, quod superiori- 2
bus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agen-

dicit *autem* non habere vim adversativam, sed significare *atque ideo!* — De structura *aestatis extremum* pro *aestas extrema* v. ad c. XXXVII, 4. p. 214. — *Tamen* ad verba *dis fretus* ante parenthesin posita sensu quidem refertur, sed non structura, quae interiectis verbis turbata orationem ἀνακόλουθον effecit. Nam quum Sallustius hoc dicere vellet, Mario spem et *confidentiam* in deorum ope positam haudquaquam offuisse, ut interdum fieri solet, quominus *providenter* ageret, duos dicendi modos, quibus hoc enunciare poterat, confudit. Aut enim debebat praemisso subiecto *dis fretus*, post parenthesin, arctioribus finibus constringendam, *praedicatum* aliquod subiicere, velut *tantam rem suscepit*, cui apodosis ita se adiungeret: *nihilominus pro c. r. s. providenter exornat;* aut protasi ita constituta: *quamquam rem aggressus erat, credo dis fretus*, — sequi poterat, quae in vulgata habetur, apodosis *tamen p. r. c. satis providenter exornat.* Patet igitur auctorem ex priore illo modo transisse in alterum, quum paullo longiore parenthesi seductus inceptae structurae oblitus esset. Hoc autem anacoluthorum genus neque vitii aliquid habere, et haud infrequens esse recte monuit Kuehnerus ad Cic. Tuscc. I, 13, 30. p. 70. Non satis perspexerunt huius loci naturam Cortius et Faber, qui *tamen* non ad mancam protasin, sed ad ea, quae parenthesi continentur, spectare putant; prorsus autem coecutit Weisius, parenthesin iam a verbo *credo* incipere statuens. — *Pro rei copia* explicatum ad c. LIV, 9. — Ad *exornat* Cortius supplet *iter*, Muellerus *exercitum*, Langius *se*; sed nihil horum satis aptum est. *Exornare* absolute dictum valet *instruere et parare quae ad rem opus sunt*, quod vernacula dicimus *Anstalten*, *Massregeln*, *Vorkehrungen treffen.* Ad hunc absolutum verbi usum non alienum erit comparare militare vocabulum *curare*, quo de v. ad Cat. LIX, 3.

§. 2. *ad oppidum Laris*] De vi *ad* praepositionis cf. annotata ad c. LVII, 1. — *Laris*, quod oppidi nomen nonnulli secundo casu positum censent, Cortius recte pro accusativo plur. habuit, quum non solum in Antonini Itinerario, sed etiam apud Augustin. adv.

dum attribuit, A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire iubet, dicitque se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occultato pergit ad flumen Tanam.

XCI. Ceterum in itinere cotidie pecus exer-

Donatist. VI, 28. forma *Laribus* inveniatur. De urbis situ cf. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. Tom. X. P. II. p. 332. Accusativi terminatio in *is* h. l. intacta permansit, quod ignorantiae scribarum debetur; v. ad Cat. I, 1. — *Dicitque*, quod omnes codd., ne uno quidem excepto, tenent, Cortius, futilissima argumentatione usus, tanquam spurium omisit. Gerlachius in utraque editione retinuit, sed in Commentt. p. 321. haec scripsit: „Vel omnibus codd. invitis (!) hoc verbum deleverim. Inprimis enim sub finem Iugurthae est perspicuum (?), multa eiusmodi (?) a Sallustio omissa et ab insulsis grammaticis postea alieno loco interposita esse. recte Cort. confert infra cap. 109. quamvis non negaverim, multa quae in serioribus (?) Sallustii scriptis occurrunt, in priora (?) non esse inferenda. fieri enim potuit, ut labentibus annis (?) durior eius fieret oratio.“!! In quibus verbis si quis tantam iudicii subtilitatem tantumque acumen inesse dicat, ut quantum id sit, non possit dici, me non habebit refragantem. — *Occultato* omnes codd. habent, praeter Guelf. 3. 6. 12. et Eccard. in quibus est *occulto*, quod Cortius recepit.

XCI. §. 1. *cotidie*] Hanc scripturam complures servarunt libri, ut Bas. 1. Tur. 1. Teg. Bern. 3. Paris. z. Goerl.; v. ad Cat. XLVIII, 2. — De *turmis* et *centuriis* v. ad c. XLIX, 2. *Aequaliter* autem h. l. non est *paribus partibus*, sed iusta ratione utriusque numeri habita; nam turma triginta tantum equites habebat, v. ad c. XXXVIII, 6. — *Distribuerat* Cortius, „mutatione temporum Sallustio longe usitatissima“ pro imperfecto dictum censet, assentiente Langio; plusquamperfecto etiam offensus Muellerus non multum abest quin probet *distribuere*, quod est in Guelf. 3. Sed propria constat plusquamperfecti vis; nam distributio, cotidie instituta, cogitatur *ante* facta, quam et cetera negotia, et utrium confectio peragerentur. Apertior haec temporis ratio foret, si auctor ita dixisset: ex coriis pecorum, *quae* cotidie *distribuerat*, utres uti fierent *cura-*

citui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent curabat; simul et inopiam frumenti lenire, et ignaris omnibus parare, quae mox usui forent; denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxima vis utrium effecta. Ibi 2
castris levi munimento positis, milites cibum capere,

bat. — *Et* post *simul* non exstat in Bas. 1. Paris. b. c. x. z. Acad. Guelf. 1. 2. Palat. 1. 2. Bern. 3. Berol. 1. 2. Goerl. et duobus Wassii, ac sane abesse potest, quum *simul* — *et* sibi saepe respondeant, ut ostendimus ad c. XLVII, 2. Sed si duae res, quae *simul* particulâ ut eodem tempore factae comprehenduntur, pari vi et prorsus aequaliter cogitandae proponuntur, *simul* voci *et* geminatum subiicitur; cuius structurae quamquam non aliud exemplum apud Sallustium habetur (nam loci c. LXXIII, 2. alia ratio est), tamen longe plurimorum codd. lectio non videtur damnanda, quum minus probabile sit adiecisse scribas *et*, quam omisisse potius, quia *simul* sufficere rebantur. Saepe ita locutum esse Livium ostendit Drakenborch. ad XXVI, 43, 6. ibi comparans XXIII, 26, 8. XXXII, 18, 3. et c. 24, 3., neque aliter Cic. Tusc. IV, 28, 60. *Illa autem altera ratio et oratio simul et opinionem falsam tollit, et aegritudinem detrahit*, et Sueton. Caes. c. 57. Eodem sensu pro *simul* Caesar dixit *uno tempore*, de B. G. II, 19. 7. *Incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt, ut paene uno tempore et ad silvas, et in flumine, et iam in manibus nostris hostes viderentur.* Tota autem enunciatio bimembris eo consilio addita est, ut *lenire* spectet ad verba *pecus distribuerat*, *parare* ad *utres uti f. curabat*. — *Sexto die, quum* i. e. *sexto die, ex quo*, vel *post sext. diem, quam*; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74. 12. b. not. 2. p. 366. ed. IV. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. p. 308. §. 382. not. 1. Plancus in Cic. Epp. ad Famm. X, 23, 8. *Collegam triduo, quum hos dabam litteras, exspectabam.* Plaut. Pers. I, 3, 58. *Nondum sex menses sunt, quum huc commigravit.* v. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. XV, 14, 1. *Multi anni sunt, quum ille in aere meo est.*

§. 2. et 3. *simul cum occasu*] v. ad c. LXVIII, 2. — Pro *sarcinis abiectis* Weisius ex sola Gryph. min. scripsit *abi. sarc.* Recte autem Gerlachius in ed. novissima colon post *iubet* in comma

atque uti simul cum occasu solis egrederentur para-
tos esse iubet, omnibus sarcinis abiectis aqua modo
3 seque et iumenta onerare. Dein, postquam tempus
visum, castris egreditur, noctemque totam itinere
facto consedit; idem proxuma facit; dein tertia
multo ante lucis adventum pervenit in locum tumu-
losum, ab Capsa non amplius duum millium inter-
vallo, ibique quam occultissume potest cum omnibus
4 copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidae,
nihil hostile metuentes, multi oppido egressi, re-
pente omnem equitatum, et cum his velocissumos
pedites cursu tendere ad Capsam et portas obsidere
iubet; deinde ipse intentus propere sequi, neque

mutavit, quum *onerare* quoque ex isto verbo pendeat. — De voce *lucis* v. ad c. XXI, 2. — *Tumulosus* explic. ad c. LXVI, 2. — *Duum*, ut c. L, 3. et CVI, 5. cf. Drakenborch. ad Liv. III, 25, 4. Plin. H. N. XX, 7, 24. XXI, 17, 68. — Ad verba *duum millium* supplendum esse *passuum* diximus ad c. LXXV, 2.

§. 4 — 7. *cum his*] *His* per synesin spectat ad *equitatum*, quasi dictum esset *equites*, plane ut c. XCV, 1.; v. ad Catil. XXXIX, 3. ad Iug. XV, 1. — *Intentus* explicavimus ad c. XLVI, 5. — *Ceterum* per se patet h. l. adverbium esse, de quo v. ad c. II, 4. — *Aditu difficilis* non explicamus consueto more Grammaticorum, supinum in *u* ubique pro ablativo habentium, sed duas eius formas statuentes *dativum* esse censemus. Nam quod dicunt ex *facilis*, *difficilis*, *utilis*, *iucundus*, aliisque eiusmodi adiectivis pendere supini *ablativum*, id cum peculiari sexti casus potestate non potest conciliari, quum illo caussa aliquid efficiens declaretur, supino autem finis quidam, ad quem aliqua res tendat, significetur. Ita v. c. *liber lectu utilis* non est liber *eo quod legatur* aut instituta lectione utilis, sed liber cuius *instituenda lectio utilitatem afferat*, sive *liber ad legendum* utilis. Rem quum hoc conficit, quod supini loco interdum substantivi verbalis dativus ponitur, ut apud

milites praedari sinere. Quae postquam oppidani 5
cognovere, res trepidae, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate, coegere, uti deditionem facerent.
Ceterum oppidum incensum, Numidae puberes in- 6
terfecti, alii omnes venumdati, praeda militibus divisa. Id facinus contra ius belli non avaritia neque 7
scelere consulis admissum; sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum ante, neque beneficio neque metu coercitum.

XCII. Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo patravit, magnus atque clarus

Plin. H. N. XXIII, 8, 79. Arbutus fructum fert *difficilem concoctioni*, i. e. *concoctu* (cuius generis plura exempla contulit Drakenborch. ad Liv. XLV, 29, 2.), tum quod saepissime pro supino *ad c. accus. gerundii* substituitur; neutrum enim fieri posset, si ablativi potestas in supino inesset; quanta autem sensus similitudo inter dativum et accusativum cum *ad* praepositione coniunctum intercedat, non est quod moneatur; v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 72, 2. Dativum supini, quantum scio, solus agnovit Kaercherus in Iahnii Annall. Philol. et Paedag. a. 1826. Vol. I. Fasc. I. p. 55. ac nuper Aug. Grotefend. in Gramm. Lat. schol. p. 247. §. 314. not. 2. [Ante Kaercher, quum alii agnoverant, tum Langius ad Sall. Cat. 8. Fr.] Ex vocabulis vero *dignus, indignus, opus est*, similibusque legitime ablativum supini pendere per se patet. — *Ante*, quod in paucis codd. deest, Cortius temere eiecit. — *Coercitum* i. e. *quod coerceri p o s s e t*, sive *domabile*, quam vocis potestatem satis illustravimus ad c. LXXVI, 1. Similiter locutus est Tacitus Annall. IV, 30, 2. *Delatores, genus hominum poenis quidem nunquam satis c o e r c i t u m, per praemia eliciebantur.*

XCII. §. 1. *patravit*] Hoc verbum in aliquot codd. deest; in aliis variae interpolationes leguntur, ut *fecit, egit, peregit, pera-*

2 antea, maior et clarior haberi coepit. Omnia, non bene consulta modo, verum etiam casu data in virtutem trahebantur, milites, modesto imperio habiti,

git, *gessit*, quas Cortius recte iudicavit non pro interpretationibus verbi *patravit* habendas esse, sed eo ortas, quod mature verbum in contextu exciderit; quam lacunam librarii pro ingenio expleverunt. Eius rei certissimum indicium hoc est, quod spuria ista verba in aliis leguntur post *postquam*, in aliis post *rem*, in aliis denique post *incommodo*, vera autem scriptura, quam nonnulli libri praestant, in Palat. 2. inter versus conspicitur. De vi verbi *patrare* v. ad c. XXI, 1.

§. 2. *non bene consulta modo, verum etiam casu data*] Quod ita edidi, praevideo multos id inconsulto factum esse dicturos; neque pro certo affirmaverim me verum dedisse, contentus in loco perquam dubio probabilitatem secutus esse. Nam in plerisque omnibus codd. desunt verba *modo, verum etiam casu data*, quae tantummodo leguntur in paucis Glareani codd., Leid. A. C. Guelf. 3. et 11., nisi quod hic calami lapsu habet *rerum* pro *verum;* Leid. A. autem particula *modo* caret; praeterea in Erlang. est *omnia non consulta bene modo, verum etiam casu data*, in Bodlei. et Balliol. autem *omnia non bene consulta modo, neque etiam data casu.* Iam si vulgatam examines accurate, haud dubie videbis *verba non bene consulta*, tam nude vocabulo *omnia* comprehensa, hoc aperte declarare, Marium *multa* aut *plurima temere egisse*, quod quum aliis laudibus, a Sallustio ei datis, tum iis repugnat, quae de eius prudentia paullo ante c. XC, 1. narravit. Neque ad rem facit, quod Cortius ac Faber provocant ad c. XCIV, 7. ubi *Marii temeritas forte correcta gloriam ex culpa invenisse* dicitur. Non viderunt enim et *singulare* factum ibi a Sallustio notari, et quae h. l. de favore militum narrantur ad *praeteritum* tempus, et ad gestas res, non ad gerendas spectare. Ad hoc vix credas *non bene consulta*, eoque male gesta et imprudentiam atque temeritatem ducis testantia ab ullo potuisse in laudem trahi; nam stulte suscepta stolideque gesta nemo facile probaverit. At contra ea est multitudinis natura et ingenium, ut, si cui duci faveant, non ea tantum admirentur et celebrent, quae eius consiliorum prudentiae debentur, sed ea quoque, quae *casu aut fortuna ac sine ducis merito prospera evenerunt*, eius virtuti tribuant et in laudem trahant. Quod igitur res ipsa postulat, ut in favoris caussis *bene*

simul et locupletes, ad coelum ferre, Numidae magis quam mortalem timere, postremo omnes, socii atque hostes, credere illi aut mentem divinam esse,

consulta non aequentur *male consultis*, sed ut *consilii* et *fortunae* discrimen tollatur, omnibus secundis rebus ad solam ducis virtutem relatis, id scripturà a nobis receptà egregie declaratur. Neque obstat, quod proprie non dici potest *bene consulta in virtutem trahere*, quum quod per se laudabile est, id non opus sit *trahi* in laudem. Sed in aperto est *trahebantur*, quod verbum proximis tantum accurate convenit, per zeugma ad alterum membrum referri, ita ut plena sententia sit: *Gloriam augebant* omnia, non bene consulta modo, verum etiam casu data, *quae* in virtutem *trahebantur.* Sed quum ista sententiae conformatio non satis concinna sit, et aliquantum diffluat, facile perspicitur cur Sallustius, coartatae orationi studens, diversas notiones uni praedicato subiicere maluerit, quod structurae genus apud eum haud raro invenitur, cf. ad c. XIV, 4. 9. 23. XLVI, 8. Sed ut internae rationes scripturam nostram maximopere sustentant, ita externa auctoritate non multum commendatur. Nihilominus verba Sallustii esse credo, quum lacunae singulorum aut plurium verborum, iam satis antiquo tempore ortae, non sine exemplo sint. Ita hoc ipso capite §. 1. *patravit*, et §. 3. *deserta* in multis codd. deest; alia atque insigniora exempla cognovimus supra c. XXI, 4. XLI, 5. et XLIV, 5. ubi v., et in longe antiquissimo Vat. A. Iug. XIV, 25. totus versus excidit. Quod autem deteriores codd. illa verba habent, meliores ignorant, id nemini suspectum erit, qui reputaverit bonitatem librorum scripturae *veritate* censeri, optimosque fluere potuisse ex codice nonnullis vocabulis defecto, ac nihil obstare, quominus deteriores originem referant ad codicem nulla quidem lacuna deformatum, sed alioquin minus accurate scriptum. — De structura *trahere alqd. in virtutem* v. ad c. LXXXV, 26. — *Simul et*, quas voces Cortius commate interposito male disiungit, illustravimus ad c. XX, 1. — *Socii* non comprehendunt, ut Fabro videtur, *cives Romanos* sive *milites*, de quibus iam dictum est, sed intelliguntur incolae Africae provinciae, de qua v. XIX, 7. Ceterum *omnes* vocabulum vi substantivi positum appositione sequentium verborum illustratur; quare Faber ea recte commatibus inclusit. cf. XCIV, 5. et v. ad Cat. c. XXX, 4. p. 138 sq. — *Esse* post *divinam* deest in Guelf. 3. et Med. 7; delevit Cortius.

3 aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit, pauca repugnantibus Numidis capit, plura, deserta propter Capsensium miserias, igni corrumpit; luctu atque
4 caede omnia complentur. Denique multis locis po-

§. 3. *deserta*] Haec vox in multis codd. non legitur; exstat tamen in tribus Cortii, sex Wassii. Leid. L. Paris. b. x. et Erlang., neque potest ea salvo sensu abesse. Quare hoc quoque loco iam mature aliquid turbatum est. Praeterea notandum est brevitatis studio sententiarum oppositionem paullo esse obscuratam. Nam quum verbis *pauca repugnantibus Numidis capit* respondere debebat *plura d e s e r t a — i n v e n i t, e a q u e igni corrumpit*, auctor priore verbo omisso alterum ad *capit* retulit, ita ut proxima oppositio in participio delitescat. Tamen non est dubium, quin et vi capta oppida igni corrupta fuerint. Non erat igitur, quod Muellerus locum coniectura tentaret, *corrumpit* delendum censens, ut *deserta* verbum finitum sit, *igni* autem cum sequentibus substantivis ad verba *omnia complentur* referatur.

§. 4. *ac plerisque*] *Ac* h. l. addit notionem, qua antecedens pressius definiatur, in quo nexu valet *et quidem;* cf. XXXI, 17. LXXXIX, 6. XCV, 3. CI, 2. Sueton. Ner. c. 10. *Omnes ordines subinde a c m e m o r i t e r salutavit.* v. Hand. de Particc. Latt. Vol. I. p. 467. §. 10. Eandem vim *et* particulae esse vidimus ad c. XXXII, 2. et LXXXV, 3. — Ante *aliam* Cortius ex Eccard. et Guelf. 6. *ad* intulit; quae praepositio quamquam verbo *aggredi* addi potest (v. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. I, 42, 4.), tamen duorum librorum auctoritate id fieri nequit. — *Capsensium* genitivus pendet ex voce *res* cogitatione ex praegressis assumenda, quam substantivi repetitionem Germani solo articulo significant; v. Zumptii Gramm. Lat. §. 86, 9. p. 513. ed. IV. Tacit. Annall. I, 43, 1. *Legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, V a r i tamen et trium legionum ulcisceretur.* ib. II, 37, 2. *Modo Hortensii imaginem, modo A u g u s t i intuens.* Bremi. ad Nep. Alcib. c. V, 3. *Quum Atheniensium opes senescere, contra L a c e d a e m o n i o r u m crescere videret.* F. A. Wolf. ad Suet. Caes c. 80. Matthias ad Cic. p. Mur. c. 10, 23. Beier. ad Lael. c. 16, 57. p. 90. Grysar. Art. Lat. scribendi p. 46 sq not. 8. Si nomini, unde pendet genitivus, *praepositio* addita est, altero loco sola praepositio

titus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem aggreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthae Bocchique regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem mons

sine casu suo repetitur; v. Caes. B. G. I, 21. *P. Considius et in exercitu L. Sullae, et postea in M. Crassi fuerat.* Cic. de Finn. III, 2, 5. *Elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed in illorum ipsorum consequamur.*

haud secus difficilem] Haec verba Gerlachius, ne repugnarent antecedentibus *non eadem asperitate*, interpretatur *sed et ipsam difficilem*, neque tamen docuit, quomodo *haud secus* significare possit *et ipse;* Faber autem, eadem re, ut Gerl., offensus, supra modum argutatur, *haud secus* germanice non esse dicens *eben so schwierig*, sed *eben so*, i. e. *gleichfalls schw.*, qui error tum eo ortus est, quod *asperitatem* idem significare putarunt atque *difficultatem*, tum quod propriam *secus* vocis vim non intellexerunt. *Secus* enim a *sequor* descendens et cum voce *secundum* cognatum, eam rationem indicat, qua aliquid aliquam rem sequens eam *nullo pacto potest attingere*, sed infra eam subsistit. Eo efficitur ut *secus* valeat *minus*, sc. quam iusta rei ratio postulat, aut quam decet, debet, par est. Quum autem id, quod aliquo minus aut deterius est, ob id ipsum ab eo *diversum* sit et *alio modo* comparatum, *secus* etiam vim adverbii *aliter* accipit; quae duae significationes plerumque ita sunt confusae, ut vix alteram ab altera disiungas; cf. c. XX, 5. XXV, 10. LXXIX, 6. C, 4. Iam si reputaveris *asperitatem* non esse simpliciter i. q. difficultatem, sed *difficultatem cum magnis periculis coniunctam* (v. ad c. XXIX, 1. p. 164.), videbis sensum nostri loci hunc esse: aliam rem aggreditur, *non tantis quidem periculis coniunctam,* quantis fuit Capsensium (quae qualia fuerint Sall. docuit c. LXXXIX, 5.), sed tamen *per se non minus difficilem.* Ceterum non possum probare, quod Doederlinus in Synonym. Latt. Vol. IV. p. 213 sq. censet, *secus* comparativi formam esse, ex *secius* eiecta *i* littera ortum, ab istoque vocabulo plane non diversam.

§. 5. *inter ceteram planitiem*] *Inter* h. l. est *in*, vel *in medio*, ut supra c. LXXXIX, 4. *Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum.* Sed *cetera planities* audacius dictum est pro

saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto; nam omnis na-
6 tura, velut opere atque consulto, praeceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consi-
7 lio melius gesta; nam castello virorum atque armo-

loco ceterum plano, vel *loco*, *cuius ceterae partes planities erant;* quae structura attractione quadam effecta est. Omisso enim latioris notionis vocabulo, cuius respectu *ceterum* dictum esset, *planities*, quae vox *praedicatum* esse debebat, istud adiectivum traxit, et primarii nominis potestatem obtinuit. Insolentiam dicendi sensit etiam Palmerius scribendum coniiciens *inter cetera planitiem*, quod ipsum tamen nullo modo ferri potest. — Post *castello* Bipp. praeeunte Grutero et Wassio commate distinxerunt; ut *med. cast.* ablativi sint. Sed dativos esse ex voce *patens* aptos iam Cortius vidit, recte verbis hoc significari ostendens, montem tam late patuisse, ut caperet mediocre castellum. — *Omnis* ante *natura* legitur in novem codd. Palatt. et in Commel. a m. sec, in Martin. B. Publ. Bodlei. Arond. Laud. 1. Rem. 1. 2. Guelf. 3. 6. 8. 10. Sen. 1. 2. Heuss. Struv. Vrat. 2. 3. et Paris. c. In relicuis variae corruptelae habentur; nam quum scribae *omnis natura* coniungerent, sed ex nominativo sensum ineptum prodire viderent, alii *omnis* mutarunt in *omni*, ut est in Tur. 1. Teg. Par. z. m. pr. Mark. *Γ. Δ.* Laud. 2. 3. Vin. 1. et Fabr. 1.; alii, quibus *omni* non sufficiebat, fecerunt *omni parte*, ut in Fabr. 2. Vrat. 1.; alii alio modo interpretati sunt *per omnia*, quod tantummodo versui superscriptum est in Tur. 1. Par. z. Mark. *Δ. Γ.* Pembroch., sed ipsum textum invasit in Palatt. 3. 6. Balliol. Berger. Ecc. Acad. Inc. 1. 2. Guelf. 4. 7. 11. 12. Leidd. A. E. G. N. Berol. 1. 2. et Misn.; alii omissa praepositione, sed eodem sensu scripserunt *omnia*, velut in Bas. 1. Vin. 2. Guelf. 1. 2. a pr. m., Pembroch. a pr. m., Leid. L. Commel. a pr. m., Naz. Palat. 2, quam interpolationem Gerlachius, quum in Commentariis hunc locum alto silentio transiisset, in ed. minore recepit, ut sensu incommodam, ita origine haud obscuram. Veram autem scripturam esse *omnis* intelligitur ex eo quoque, quod in Wassii praestanti cod. Regio legitur *omnis mons;* nam scriba ceteris prudentior addito *mons* vocabulo cavere voluit, ne quis *omnis*

rum satis, magna vis frumenti et fons aquae, aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus, iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum. Vineae cum ingenti periculo 8
frustra agebantur; nam quum eae paullum processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur; milites 9

cum *natura* coniungeret. — *Opere* i. e. munitione arte facta; v. ad c. LVII, 1.

§. 6 — 8. *summa vi*] Haec verba non videntur cum *capere*, sed cum *intendere* coniungenda esse; nam studii et cupiditatis magnitudo magis in persequendo incepto, quam in ipsa expugnatione cernebatur. — *Virorum*, v. ad c. LXXXVIII, 4. — In sequentibus Cortium censemus comma, quod vulgo post *vis* erat, recte collocasse post *satis*, ac recte simul *at* ante *frumenti* auctoritate Guelf. 3. abiecisse. Quamquam autem unius cod. auctoritas per se exigua sit, tamen vulgata tanta inconcinnitate laborat, ut ferri non posse videatur; sed Cortii emendatione oratio plane fit Sallustiana. — *Praecisum* tantummodo exstare videtur in Arondel. B. Publ. Laud. 1. et Paris. b. Ceteri omnes, certe Cortii, Gerlachii ac mei, habent *precise* i. e. *praecisae*, quo totius loci nimis inepta fit sententia. *Iter praecisum* idem est atque *praeruptum*, quo vocabulo Sall. c. XXXVII, 4. usus est. Similiter Mela III, 9. *Omnia vastis praecisa montibus, ripae potius sunt, quam littora.*

§. 8. *quum eae paullum processerant*] Haec verba, nonnisi levi scripturae discrepantia in codd. omnibus exhibita (nam unus modo alterque cod. pro *eae* habet *ea*, vel *eo*, vel *haec*, vel *hae*, pro *paullum* autem in paucis scriptum est *paullo*), Gerlachius in ed. minore mirifice corrupit, turpem glossam pro Sallustii manu habens, veram autem scripturam eiiciens. Nam quum in Franc. Guelf. 3. 10. Leid. F. et Erlang. legatur *quum eae ex plano paullum proc.*, Gerlachius *ex plano*, cuius generis glossae innumerabiles in Sall. reperiuntur, in textum recepit, *eae paullum* omisit. Quae ratio ut auctoritate prorsus caret, ita sententiam alienissimam praebet. Nam quo consilio Marius *ex plano* potuit procedere ad castellum, in monte situm *in immensum edito*, et ad quod *unus perangustus aditus, utrinque praecisus* pateret? Vineas autem non *ex plano*, sed *illo ipso itinere angusto et praerupto* esse actas qui-

neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare; optumus quisque cadere aut sauciari, ceteris metus augeri.

XCIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat.
2 Quae quum multos dies noctisque aestuans agitaret,

vis intelliget, qui quo nexu haec cum *proxime* antecedentibus et sequentibus cohaereant reputaverit. Isto itinere autem quum Sallustius dicat vineas *cum ingenti periculo* esse actas, id non alia re constabat, quam quod non licebat prope accedere, sed quod *paullum* modo *progressae* corrumpebantur. — *Opus*, quod de quovis munitionum genere, quibus obsessi petuntur, dicitur, h. l. maxime de *vineis* est intelligendum; cf. Herzog. ad Caes. B. G. III, 3, 1. ib. VII, 24. Auct. B. Afric. c. LI. et LII. — *Inter*, pro quo Muellerus ex Glareani coniectura scripsit *intra*, ex omnibus libris firmatur, neque sollicitari debet, quamquam *intra* accuratius dictum fuisset, quum *inter* praepositionis notio latius pateat, alteramque in se comprehendat. *Inter* enim in universum dicitur de re, quae alia re *ab utraque parte coercetur; intra* vero usurpatur, si aliqua res *undique clauditur.* Milites igitur si cogitantur vineis undique tecti, dicendum est *intra vineas;* sed quum nihil obstet, quominus cogitentur tantummodo vinearum *lateribus* comprehensi et in unum coartati, etiam *inter vineas* potest dici. Saepius has particulas commutari, ubi ad *tempus* pertinent, observavit Gronovius et Drakenborchius ad Liv. I, 10, 7. *Bina postea inter tot annos opima parta sunt spolia.* Cic. p. l. Manil. c. XXIII, 67. *Pompeius inter annos tot unus inventus est, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant*, ubi noluerim cum Matthia *inter* explicare *per;* nam commode Pompeius medius quasi in illud longum tempus constitutus cogitari potest. — *Administrare* explicavimus ad c. LXXVI, 3. Erravit autem Iaumannus, *opus*, quod interpretatur *Beschäftigung*, supplendum censens.

XCIII. §. 1. *consumptis*] De hoc verbo v. ad c. XXVI, 11. — *Trahere cum animo* explicatum ad c. LXXXIV, 4. *Suo*, quod

forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod avorsum proeliantibus erat, animum advortit inter saxa repentis cochleas; quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legundi paullatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem in- 3
tellexit, more ingeni humani cupido difficilia faciun-

deest in Luc. 1, Cortius temere omisit. Idem *fuerat*, cuius loco perpauci habent *erat*, unus alterve *est*, propterea delevit. Neque minore importunitate copulam *noctis* voci additam, sed in uno Vratisl. 2. non exaratam, expunxit. — *Aestuans* i. e. anxius et dubitans, animo curis huc illuc agitato et vexato. Vocabulum bene explicuit Forcellinus, quem v. T. I. p. 102. ed. Germ. — De usu praepositionis in verbis *ex cohortibus aux. miles* v. ad c. LXI, 4. — *Avorsum* exstat in Sen. 1. et tribus aliis Cortii libris, Palatt. 1. 3. 9. 10. 11. 12. Mark. *A.* m. sec. Paris. c. et Misn. Reliqui tenent *advorsum*, quod Gruterus et Wassius nequicquam defendunt, verbis *haud procul* difficultatem omnem sublatam censentes. Sed res ipsa ostendit nonnisi loco a pugna *satis remoto* fieri potuisse, ut Ligus nihil sentientibus Numidis in summum montem evaderet; talis autem locus erat latus castelli proeliantibus *avorsum* vel *paene avorsum*, ut Sallustius indicavit verbis *haud procul ab latere* cet. Rem autem conficit hoc, quod milites, quos Ligus *eadem*, qua ipse primum escenderat, in castellum ducebat, Numidis, pugnae Romanorum intentis, repente *a tergo* institisse narrantur; v. XCIV, 5. Nihilominus Gerlachius, in Commentariis prorsus tacens, in ed. novissima *advorsum* scripsit, haud dubie non rationibus e re ipsa petitis permotus, sed coeca superstitione, qua ex codd. paucis pendet, ductus. — *Animum advortit* ita legitur in Fabric. Rivii, Nazar. Commel. Mark. *F.* Bas. 1. Rem. 1. Paris. c. x. z. et Goerlit.; reliqui omnes habent *animadvertit*; v. ad c. LXIX, 1. — Structuram *ad summum montis* illustravimus ad c. XXXVII, 4. — De sensu verbi *egressus* v. ad c. LX, 6.

§. 3. *more ingeni humani cupido difficilia faciundi animum vortit*] Revocavimus cum Gerlachio antiquam scripturam, mirifico

4 di animum vortit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paullum modo prona, deinde flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignen-

editorum errore diu expulsam, in qua omnes codd. conspirant, nisi quod in voce *cupido* et in postremo vocabulo variant aliquantum. Vera lectio *animum vertit* exstat in omnibus codd. Rivii, melioribus Gruteri, pluribus Wassii, Bas. 1. Fabr. 1. Rem. 1. 2. Sen. 1. 2. Heuss. Vin. 2. Vrat. 2. 3. Guelf. 2. 4. 7. 11. Teg. Paris. c. x. z. et Goerlit. Non satis accurate tamen Gerlachius Commentt. p. 322. verbi sententiam ita interpretatur: cupido animum eius *implevit*, *ita ut totus in hac re esset.* Sensus potius est: cupido *mutavit* eius animum, ita ut *primi consilii* cochlearum legendarum *prorsus oblitus*, *novae rei studeret*, et facinus incredibile simul et admirabile edere arderet. Quam sententiam huic loco egregie convenientem quum multi librarii non assequerentur, alii scripserunt *animum advertit*, alii *animadvertit*, alii *animum accendit*, alii *a. intendit*, alii *a. attendit*, alii *a. invadit*, alii *a. invasit*, alii denique *a. cepit.* Praeterea sex codd. pro *cupido* habent *cupidus*, ac totidem fere *cupidi;* sed haec omnia sunt eiusmodi, ut facile videas ab interpolatrice manu esse profecta, neque ullo modo labefactare aut in suspicionem vocare receptam scripturam, quam *cupidus* confirmat potius haud mediocriter. Nihilominus editores incerta et vana certis praetulerunt. Nam quum Gellius IX, 12. Sallustium alicubi dixisse referat *more humanae cupidinis ignara visendi*, Nonius autem II, 465. ex Iugurthino bello laudet *amore humanae cupiditatis ignara visendi*, editores, Nonii verbis primum ad Gellii correctis, utrumque hunc nostrum locum respexisse putarunt, nihilque antiquius habuerunt, quam ut eiecta codd. scriptura Gellii verba in textum inferrent. Sed quum vix una littera cum vulgata conspirent, neque intelligi queat, cur, si spuria esset codd. lectio, ne minima quidem discrepantia in quinque illis verbis appareat, quum tamen duo postrema vocabula tantopere variata sint, in promptu est, falso Nonium haec ex Iugurtha laudasse, quae haud dubie in Historiis scripta erant, et Fragmentis annumeranda sunt. Perversius tamen quam antiquiores editores egit Cortius, ex codicum scriptura et Grammaticorum verbis quasi per saturam conflans hanc scripturam: *more humani ingenii cupido ignara visundi invadit.* Quae Sallustii esse credat qui velit; refellendis certe operam non consumemus, quippe quae ne speciem quidem non dicam veritatis,

tium natura fert; cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus in castelli planitiem pervenit, quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant.

sed ne verisimilitudinis quidem habeant. Tamen quam inania ista essent non satis vidit Faber, in eo quoque falsus, quod pro *animum vortit* scripsit *an.* *advortit*, vernacula interpretatus *die Begierde regte ihn an*, qui sensus neque in verbo ipso inest, neque collatis ab illo exemplis, Liv. I, 12, 10. et Tac. Hist. III, 48, 1., potest confirmari.

§. 4. *Et forte*] Per *et* particulam h. l. fit transitus ad declarandum *effectum* eius rei, de qua ante dictum erat; v. Hand. de Particp. Latt. Vol. II. p. 489. §. 5. — *Grandis ilex* proprie dictum est; nam quum *grandis* originem referat ad *crescere* verbum, *grandia* sunt, quae crescendo vel, ut Pseudo-Fronto ait, incremento ad iustum et conspicuum modum sunt aucta, eoque specie externa sua quandam copiam et gravitatem produnt, quae vis translato sensu praevalet. cf. Doederlin. Synonymm. Latt. Vol. III. p. 223. §. 4. et p. 228. §. 14. et Forcell. Lex. T. II. p. 373. qui bene huius vocis usum exposuit. — *Deinde* plures libri habent accurate collati; ceteri *dein*, ut vulgo scribitur. — *Gignentium*, v. ad c. LXXIX, 6. — *Modo* geminatum in multis codd. semel tantum legitur, quod erroris genus saepius animadvertitur; v. Cort. ad c. XXIII, 1. Drakenb. ad Liv. XXXIII, 27, 5. et ad XXXVIII, 56, 6. — *In castelli planitiem pervenit*, ut primus scribere ausus sum, exstat in satis bonis libris, Bas. 1. Paris. b. c. x. z. Fabric. 1. m. sec. Erl. Guelf. 3. et nonnullis Ciacconii. Ex ceteris longe plurimi habent *perscribit*, pauci *perscripsit* vel *perscribere*, quod eodem redit. Vulgatum *perscribit* cur nullo modo tolerari possit luculenter docuit Faber, quem sequimur. Nam quod volunt interpretes *perscribere* significare *oculis perlustrare*, aut *concipere*, *perdiscere*, idque probasse se putant exemplis huiusmodi, Ter. Andr. I, 5, 48. *Etiamnunc mihi scripta illa sunt in animo dicta Chrysidis;* Senec. Praef. in I. Controv. *Aiebat se scribere in animo;* aut adeo Soph. Philoct. 1325. καὶ ταῦτ' ἐπίστω, καὶ γράφου φρενῶν ἔσω, et Aeschyl. Prom. 788. πολύδονον πλάνην φράσω, ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν, equidem dubites, utrum sibi ipsis, an lectoribus magis illuserint. Aeque peccant contra loquendi usum, qui *planitiem perscribit* interpretantur *planitiei formam describit* et primis quasi lineis de-

5 Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, uti escenderat, sed
6 tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit, acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet, pollicetur se-
7 se itineris periculique ducem. Marius cum Ligure, promissa eius cognitum, ex praesentibus misit; quo-

signat, quod etiamsi verbo posset significari, tamen in tali homine, loco et tempore ineptum est. Praeterea nemo interpretum, uno Fabro excepto, vidit Sallustii consilium esse, ut accurate doceat quomodo Ligus *ad ipsum castellum pervenerit*, a quo, quamquam *prope ad summum montis egressus* (§. 2.), aberat adhuc. Quare verba *ramis* et *saxis* *n i s u s* nihil aliud possunt significare, quam eorum ope Ligurem extremas difficultates *superasse* et ita adiutum ac sublevatum revera planitiem montis et castellum ibi situm *attigisse*, cui rei non minimum hoc profuit, *quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant.* Ut igitur ab universo totius loci sensu prorsus alienum est verbum, quo *perlustrandi*, *cognoscendi* aut *describendi* notio contineatur, ita egregie convenit, quod ex bonis codd. edidimus. Hoc unum modo Fabrum offendit, quod non pateat, quomodo tam plana lectio in *perscribit* depravari potuerit. Sed vulgata non depravatione, sed ex glossa orta est, ut clarissime cognoscitur ex Paris. b. ubi verae lectioni superscriptum est: vel *perscripsit*, vel *investigavit.* Scribae enim, Ligurem artis militaris peritum putantes et speculatoris gnari partes ei tribuentes, vulgatam ieiunam habuerunt ac barbara aetatis suae latinitate *perscribere* vocabulo id ipsum, quod interpretes bona fide amplexi sunt, significare voluerunt, illum castelli situm atque formam oculis dimensam animo quasi designasse ac descripsisse. — *Intenti* absolute dictum, ut saepe, v. ad Cat. II, 9.; *proeliantibus* enim ex verbo *aderant* pendet, quod h. l. et praesentiae et auxilii notionem coniunctam habet. v. ad c. XIV, 13. CIII, 7.

§. 5. *eadem regreditur*] *Eadem* in permultis codd. corruptum est in *eodem;* exstat tamen in Fabric. Rivii, Leid. A. B. C. E. K. L. M. N. Erl. Paris. z. Berol. 1. 2. et Tur. 1. m. sec. cf. ad XXXVIII, 6. L, 6. XLVI, 7. — *Ascenderat* revocandum duximus, quum Nazar. tantum *escenderat*, ut vulgo editur, habeat, nam in

rum uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem
aut facilem nunciavere; consulis animus tamen paul-
lum arrectus. Itaque ex copia tubicinum et corni- 8
cinum numero quinque quam velocissumos delegit,
et cum his, praesidio qui forent, quattuor centurio-
nes, omnisque Liguri parere iubet, et ei negotio
proxumum diem constituit.

Paris. z. sec. manus *a* superscripsit. Sensus discrimine non multum effici putaverim ad scripturam constituendam, quum utrumque verbum satis commode poni possit; quare magis codd. auctoritas hic quidem satis certa respicienda est. Sed paullo post ea ipsa dubia est, quum alii libri habeant *ascenderat*, alii, iique longe plures, *descenderat*, Nazar. m. sec. *escenderat*. Ac *descenderat*, ut Gerlachius in ed. mai. scripsit, prorsus alienum est; nam sana ratio exigit, Ligurem, ut Mario persuaderet alios *ascendere* posse, sui *ascensus* exemplo uti, et quod *ipse* fecerit, *alios* quoque posse, demonstrare. Primitus autem *escendere* scriptum fuisse inde coniicio, quod ita facile intelligi potest, quomodo duplici depravatione in aliis codd. *descendere*, in aliis *ascendere* oriri potuerit. Ex *ascendere* autem factum esse *descendere* mihi non est probabile.

§. 7. et 8. *quorum uti cuiusque ing. erat — nunciavere*] Relativum, quod proprie debebat ad primariae enunciationis verbum *nunciavere* referri, attractione cum secundaria enunciatione coaluit; talis enim foret vulgaris structura: *qui*, uti cuiusque *eorum* ing. erat, ita — *nunciavere*. cf. c. XCV, 1. *Sulla cum equitatu in castra venit, quos uti ex Latio et a sociis cogeret Romae relictus erat.* CII, 3. *Marius Sullam et Manlium ire iubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba facere*, ubi v. Plura de ea re diximus ad Catil. XI, 2. p. 55 sq., quibus adde Kruegerum de Attract. Lat. Ling. §. 96. p. 239 sqq. Walch. ad Tac. Agric. c. XXXIV. p. 356 sq. Otton. ad Cic. de Finn. II, 3, 6. cf. Cic. de N. D. III, 14, 35. *Qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus.* — *Arrectus*, quod paene omnes codd. tenent, cur praestet *erectus* verbo, diximus ad Cat. XXXIX, 3. p. 183. — De voce *numero* v. ad c. LIII, 4. — *Delegit* illustravimus ad Catil. VI, 6. coll. Iug. XXIII, 2. — *Que*, voci *omnis* additum, in quattuor codd. deest, eoque a Cortio omissum.

XCIV. Sed ubi ex praecepto tempus visum, paratis compositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui ascensuri erant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret; super terga gladii et scuta, verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul, et offensa quo le-

XCIV. §. 1. *pergit*] Quamquam *constituit* verbum proxime praegressum *Marium* subiectum habuit, tamen *pergit* non ad eundem refertur. Sed *Ligurem* tacite esse in prioris subiecti locum substituendum (v. annotata ad c. XXXV, 9. p. 211.) quum res ipsa flagitat, tum intelligitur ex verbis *ex praecepto pergit*, quod non potest de eo dici, qui *ipse praecepit*. — *Qui ascensuri erant* scripsimus ex Palat. 5. Guelf. 6. Sen. 2. Heuss. Erl. Tur. 1. m. sec. et Goerl., quum, quod in edd. omnibus editur *qui centuriis praeerant*, non modo sensu suspectum, sed certissimis indiciis corruptum sit. Nam primum offendit insolentissima nominis circumscriptio, ubi nulla plane caussa erat, cur auctor non simpliciter *centuriones* diceret; tum maxime mirum est, *solos centuriones* monitu Liguris instituisse ac parasse, quibus ascensus iuvaretur; quum *omnibus*, difficilem rem audentibus, pari cautione et diligentia opus esset. Sed non ita scripsisse Sallustium evincit dissensus codicum ita comparatus, ut et unde fluxerint et quomodo auctae sint variae librorum corruptelae facile intelligas. Nam quum auctoris ea verba sint, quae edidimus, in satis antiquo aliquo cod. ineptus error commissus est, quem a prima manu accepit Paris. z., scriba oculis aut manu decepta pro *ascensuri* exarante *centuri*. Inde factum est in Leid. L. *qui centuriones erant;* in Tur. 1. m. pr. *qui ex centuria erant;* in Guelf. 11. *qui ex centuriis erant;* in Pal. 3. et Vin. 2. *qui ex centuriis praeerant;* in Vin. 1. Vrat. 1. Sen. 1. Guelf. 1. Fabr. 1. 2. Naz. Commel. Pal. 2. Berol. 1. *qui et centuriae praeerant;* in Pal. 4. *qui et centuriis praeerant;* in Berol. 2. *qui centuriae praeerant;* in reliquis, ut vulgata habet, *qui centuriis praeerant.* Quibus consideratis quis putabit *praeerant* veram scripturam esse, quum *prae* luce clarius ex interpolatione adiectum sit? *Praeerant* autem si falsum est, *centuriis* non potest verum esse, de quo tanto minus dubitabis, quanto

vius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa et 2
si quae vetustate radices eminebant laqueis vinciebat, quibus allevati milites facilius escenderent, interdum timidos insolentia itineris levare manu, ubi paullo asperior ascensus erat, singulos prae se inermis mittere, deinde ipse cum illorum armis sequi, quae dubia nisu videbantur, potissumus tentare, ac

certius est, voculas *et* atque *ex*, quae in multis codd. ante *centuriis* leguntur, ex *as* syllaba, casu avulsa, esse ortas, ex *censuri* autem eas depravationes, quas attulimus, fluxisse. Si quis vero Carrioni magis assentiatur, in Emendatt. I, 5. coniicienti scriptum fuisse *qui escensuri erant*, non magnopere repugno; quamquam non opus est ista coniectura, quum *ascensuri* in septem codd. et ed. Veneta a. 1470. servatum sit, nisi forte putes spurias voces *ex* atque *et* facilius ad *es* quam ad *as* syllabam revocari. — *Ornatum* non est *ornamentum*, sed vestitum, cultum, ut iam Festus (Corp. Gramm. Latt. T. II. p. 189. ed. Lindem.) bene explicuit. cf. Cic. de Off. I, 18, 61. *Statuas quoque videmus ornatu fere militari.* — De adverbio *facilius* v. ad Cat. LVIII, 9. p. 306. Iug. XIV, 11. Corrupte nonnulli libri habent *facilior*, alii *facilis.* — *Ponderis*, sc. quod in eiusmodi scutis *levius* est. — *Simul*, *et* explic. ad c. XLVII, 2. — Ad *offensa* Wassius contulit Liv. VII, 36, 2. *Miles offenso scuto praebuit sonitum.*

§. 2. *et si quae vetustate radices eminebant*] *Radices*, quae vox pari casu atque *saxa* poni debebat, attractione subiectum secundariae enunciationis factum est; proprie enim dicendum erat: Ligus *saxa et radices*, si quae vetustate eminebant, laq. *vinciebat.* — Pro *vetustate*, quod Cortius inepte cum voce *radices* coniungit, Guelf. 1. 3. Berger. Sen. 2. Heuss. Leid. C. Tur. 1. et Misn. habent *vetustae*, quam interpolationem Weisius recepit. — *Milites* Cortius summa libidine, ne uno quidem codice assentiente, delevit; neque importunas manus abstinuit ab *erat* verbo, quod in solo Guelf. 3. excidit. — *Inermis* paene omnes tuentur codd. praeter Leidd. A. B. L. Tur. 1. Fabr. 1. m. pr., in quibus est *inermos*, quod omnes editores receperunt; sed v. notata ad Cat. LIX, 5. p. 318. — *Nisu* testantur Eccard. Guelf. 3. 4. 6 Leid. E. Tur. Paris. c. Misn., quam dativi formam Gerlachius, in ed. mai. et in

saepius eadem ascendens descendensque, dein sta-
3 tim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu
multumque fatigati tandem in castellum perveniunt,
desertum ab ea parte, quod omnes, sicuti aliis die-
bus, advorsum hostis aderant. Marius, ubi ex nun-
ciis quae Ligus egerat cognovit, quamquam toto die
intentos proelio Numidas habuerat, tum vero cohor-
tatus milites et ipse extra vineas egressus, testudine

Commentt. p. 323. probatam, in novissima editione inconsulto cum vulgata *nisui* mutavit; v. ad c. VI, 1. Structurae ratio non est obscura; nam quum de *efficienda* re agatur, quam commode *fini* alicui compares, cuius notio peculiaris est dativo, *nisui* i. e. q. *ad nitendum*. cf. Propert. IV, 4, 81. *Mons erat a s c e n s u d u b i u s.* V. etiam notata ad c. XCI, 7. — *Potissimus* nonnulli scribae mutarunt in *potissimum*, vim adiectivi non sentientes; v. ad c. XXXVIII, 1. Statim post quum in nonnullis Popmae codd. *descendensque* desit, quod etiam in Bodlei. Rem. 1. Guelf. 7. et Leid. K. desideratur, Weisius temere id tanquam spurium uncinis inclusit, ineptissime censens idem plane significari verbo *digrediens*, quod explicat *degrediens!* Sed postremum vocabulum, a multis non satis intellectum, recte interpretatus est Muellerus: secedens in dextram aut laevam partem, *ut locum faceret post ipsum enitentibus.*

§. 3. *quamquam — habuerat, tum vero*] Inepte Weisius quum *tamen* non sequatur, *quamquam* non *concedendi*, sed *temporis* vim habere ait, interpretatus *quum — habuisset.* Sed quum id, quod protasi enunciatur, etsi per se satis grave fuit, eo temporis puncto, quo Ligus cum suis in castellum pervenerat, auctum et maiore vi, quam antea, factum narretur, non poterat *tamen* subiici, sed temporis particula *tum* illa impetus accessio declarari debuit. Sententiae vim, quam *tum* infert, non minime auget *vero*, ut aliquoties iam monuimus; v. ad c. LXXXIV, 1. L, 6. coll. Cat. XXXVII, 4.— *Habuerat* cum participio *intentos* coniunctum quo sensu intelligendum sit patet ex dictis ad c. LXXIX, 3. coll. LXXXV, 7. — *Testudinem agere* vel *facere* quid sit, docet Livius XXXIV, 39, 6. *Sublatis supra capita scutis continuatisque ita inter se, ut non modo ad coecos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quicquam esset, t e s t u d i n e f a c t a subibant.* Aliud testudinis

acta succedere, et simul hostem tormentis sagitta-
riisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae 4
saepe antea vineis Romanorum subvorsis, item in-
censis, non castelli moenibus sese tutabantur, sed
pro muro dies noctisque agitare, maledicere Roma-
nis ac Mario vecordiam obiectare, militibus nostris
Iugurthae servitium minari, secundis rebus feroces
esse. Interim omnibus, Romanis hostibusque, proe- 5

genus idem descripsit XLIV, 9, 6. *Quadrato agmine facto*, *scutis super capita densatis*, *stantibus primis*, *secundis submissioribus*, *tertiis magis et quartis*, *postremis etiam genu nisis*, *fastigatam*, *sicut tecta aedificiorum sunt*, *testudinem faciebant*. cf. Herzog. ad Caes. B. G. II, 6. p. 114. — Verbo *succedere*, quod h. l. est *cominus aggredi*, per *simul* particulam opponuntur verba *eminus terrere*. — De ratione ablativorum *sagittariis* et *funditoribus* v. ad c. XXI, 3.

§. 4. *non moenibus sese tutabantur* etc.] Hic locus admonet de discrimine, quod inter *moenia* et *murum* interest. *Moenia* enim, ut ostendit vocis origo, habent notionem munimenti *toti* urbi circumdati, unde fit ut *moenia* saepe pro ipsa *urbe* dicantur, cf. Cat. LII, 25. *Intra moenia deprehensi hostes;* ib. §. 35. neque obstat, quod Iug. LVII, 2. *Cuncta moenia* dicitur; adiectivum enim nihil novi infert *moenium* notioni, sed tantummodo perspicuitatis caussa additum est. *Murus* vero est opus lapidibus aliaque materia excitatum, cuius summae parti insistas, impetumque defendas. *Singulae* igitur moenium *partes*, quia ambitus notionem abiiciunt, *murus* vocatur. Quare nostro loco *moenia* designant *universam* castelli munitionem, undique clausi et nusquam impetui patentis; *pro muro* autem intelligitur ea moenium *pars*, quae adversa erat Romanis et ubi stabant Numidae, hostibus repugnantes. cf. Herzog. ad Catil. VI, 2. p. 39. Per se autem patet *moenia* nunquam dici posse pro *muro; murus* vero latiore sensu saepe ponitur pro *moenibus*. v. Nolten. Lex. Antibarb. p. 1052. Grysar. Art. Latine scribendi p. 332. et W. E. Weberi Exercit. Styli Lat. Vol. I. p. 153. n. 3. — *Agitare* eodem modo dictum est c. LIX, 1.

§. 5 — 7. *omnibus*] Recte Faber hoc vocabulum a sequentibus commate seiunxit; non viderunt enim interpretes non coniungi

lio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere; ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere, deinde uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti, armati inermesque.
6 Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriae certantes

omnes Romanos, sed generali vocabulo appositionem adiici, qua illud accuratius explicaretur. Eadem ratio est verborum, quae statim post leguntur, *cuncti*, *armati inermesque*, ubi in vulgatis edd. nullum comma habetur. V. notata ad c. LXXVI, 1. ad XCII, 2. et ad Cat. XXX, 4. Non est igitur probandum, quod Gerlachius in ed. novissima scripsit *Rom. omnibus host.*, qui ordo verborum in aliquot codd. reperitur. — Pro *petere* pauci libri ex interpolatione habent *ascendere*. Tum *correcta* in aliquot libris inepte mutatum in *correpta*. — *Invenit* non eo sensu intelligendum, quem explicui ad c. LXX, 2.; sed auctor hoc vocabulo hic propterea usus videtur, ut significaret gloriam Mario contigisse fortuito, neque prudenter initis consiliis deberi.

XCV. §. 1. *quos uti ex Latio et a sociis cogeret*] Haec enunciatio quum eo consilio addita sit, ut res ad *Sullam* spectans illustretur, relativum debebat nominativo positum ad hunc referri, sed per attractionem eum casum, quem omissum nomen secundariae enunciationis poscebat, obtinuit, de quo structurae genere dixi ad c. XCIII, 7. Quamquam a scribis non intellecta multos corruptelas genuit. Nam veram scripturam tantummodo habet Guelf. 3. Tur. 1. Paris. x.; in multis vero est *qui uti* etc., sc. ut *Sulla* pronomine significaretur. Ex his autem nonnulli, quum scribae accusativum deesse viderent, ex interpolatione habent *exercitum cogeret*, alii *cogeret exercitum*, alii *auxilia cogeret*, alii *cogeret milites*, alii *milites cog.*, ex quibus corruptelis quam secundo loco posuimus a Weisio in textum recepta est. Alio modo peccatum est in multis aliis, qui his quidem vocabulis spuriis vacant, sed pro *quos* habent *quod;* quae scriptura quum aut casu orta sit, aut malo acumini librariorum debeatur, qui sequentem enunciatio-

murum petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic forte correcta Mari temeritas gloriam 7
ex culpa invenit.

XCV. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla quaestor cum magno equitatu in castra venit, quos uti ex Latio et a sociis cogeret Romae relictus erat.
Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum 2
visum est, de natura cultuque eius paucis dicere;

nem *caussali particula* priori addendam putarent, nihilominus patronos invenit Gronovium in Obss. III, 2. p. 338. ed. Platn. et Dukerum ad Liv. XXXIII, 14, 3., perquam inepte *quod* pro relativo habentes, et, ut hoc probent, planissima exempla pervertentes incredibiliter. Praeterea in Paris. D. et Barber. 2. pro *quos* legitur *quem*, ut numerus relativi cum vocabulo *equitatus* accurate congrueret. Sed nihil frequentius, quam vocabulis collectivis pluralem numerum subiici; v. in universum notata ad Cat. VII, 4. XXIII, 6. De *senatus* vocabulo diximus ad Iug. XV, 1. et ad XXVIII, 2; de *populo* ad Iug. CII, 6; de *equitatu* v. ad c. XCI, 4. Caes. B. G. I, 15, 1. *Equitatum omnem praemittit, qui videant quas in partes hostes iter faciant.* cf. Davis. et Oudendorp. ad eund. de B. C. II, 6, 3. Duker. ad Flor. I, 9, 8. — *Socii* intelligendi sunt *Italici*, ut iam monuimus ad c. XLIII, 4.

§. 2. *nos admonuit*] Pronomen, quod in paucissimis iisque non eximiis codd. locum mutat, in duobus autem deest, Cortius temere expulit, cui Gerlachius in Commentt. p. 324. assentitur, in ed. novissima tamen assensus sui oblitus. Nullius momenti esse Prisciani testimonium, qui XVIII, 25, 241. p. 223. hunc locum affert, recte monuit Krehlius, quum appareat, illum, memoriter haec laudantem, plura confudisse. — *Idoneum* Faber haud male dicit i. esse q. *non alienum*, quocum congruit, quod Doederlinus Synonym. Lat. Vol. III. p. 277. ex I. Hillii Britanni Synonym. Lat. p. 415. posuit, *idoneum* significare id, quod *naturá et per se alicui rei conveniat.* Quoniam igitur Sallustius dixit *res admonuit*, narratio de Sulla hic *suo* loco exhibita apparet. — Perfectum *visum est* Faber ea ratione pro praesenti dictum esse putat, quae obtinet in epistolis, ut ad *lectores* spectetur, quibus, quum haec legant,

neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna, optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero
3 ore locutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciae

ipsum scribendi tempus praeteritum sit. Mihi simplicius videtur, perfectum ad auctorem, duas res temporis respectu discernentem, referri; quippe qui non scriptionem ipsam, sed *consilium* scribendi, quod scriptionem *antecessit*, significare voluit. Eadem ratio est aliorum exemplorum, velut supra c. XXX, 4. *Decere existumavi unam ex tam multis orationem eius perscribere.* Cat. LIII, 6. *Quos quoniam res obtulerat silentio praeterire non fuit consilium.* — Quod interpretes *cultu* idem esse volunt ac *moribus*, non plane verum videtur; *cultus* notione enim quum omnia ea contineantur, quae ad *vitae externae* genus pertineant (v. ad Catil. XIII, 3. ad Iug. LXXV, 1.), Sallustius, ut sequentia docent, hoc vocabulo rem, quae minus late quam *morum* notio pateat, *luxuriam nimiumque voluptatis studium* Sullae, significavit. — Quae sequuntur verba *neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus* aperte ostendunt Sallustium tunc quidem de *Historiis* scribendis nondum cogitasse, sed demum post Iugurtham finitum ad illas componendas animum appulisse. Nam multum eum in primo libro de Sullae rebus egisse tum patet ex compluribus fragmentis inde servatis, tum ex Plutarchi verbis Comp. Lysandri c. Sulla c. III. (Vol. III. p. 164. ed. Reisk.) *αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλούστιος*, quibus non, ut nonnulli perperam putant, ad hunc nostrum locum respicitur, sed ad Historias. — De *L. Sisenna* videndus est Vell. II, 9, 5. *Opus belli socialis Sullanique ab eo seniore editum est*, ubi cf. Ruhnken. Alio nomine atque Sallustius eum vituperat Cicero Brut. c. LXIV, 228. *Sisennae historia quum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum.* id. de Legg. I, 2, 7. *Sisenna omnes adhuc nostros scriptores facile superavit. Is tamen in historia puerile quiddam consectatur.* De eius tempore et dicendi genere v. quae disputarunt Ellendtius in Hist. eloq. Rom. p. 101 sqq. et Bernhardy in Hist. litter. Rom. p. 90. — Ad *persecutus* ex antecedentibus assumendum est *eas*; v. ad c. XLVI, 7.

§. 3. *nobilis fuit*] Haec duo verba, quae in omnibus libris leguntur et in Fabr. 1. casu omissa eadem manu, quae codicem

nobilis fuit, familia prope iam extincta maiorum ignavia; litteris Graecis atque Latinis iuxta, atque doctissume, eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior, otio luxurioso esse; ta-

exaravit, margini ascripta sunt, Cortius temere eiecit, perversitatis auctorem secutus Gruterum. Neuter enim vidit non solum *genti* opponi *familiam*, sed illius etiam *nobilitati* respondere huius *obscuritatem.* Nam quum nobiles essent, quorum maiores magistratibus curulibus sive maioribus essent functi, qui multi fuerunt in *gente Cornelia*, in aprico est verbis *familia — extincta mai. ignavia* hoc significari, in Sullana familia per longum tempus neminem fuisse, qui industria atque virtute honores adeptus *nomen familiae adderet* eamque gloria illustraret. cf. Vell. II, 17, 1. *L. Corn. Sulla natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, quum familiae eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur.* Ad rem facit etiam contulisse, quae Asconius ad Cic. or. p. Scauro (ed. Verburg. Tom. II. p. 981.) tradit: *Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes et nullam vitae industriam honores adepti sunt. Itaque Scauro aeque ac novo homini laborandum fuit.* De *gentis* et *familiae* discrimine, quod Velleio accuratius servavit Sallustius, v. Heineccii Antiqq. Rom. III, 2, 2. p. 495 sq. ed. Haubold. et Nitschii Antiqq. Rom. Vol. I. p. 211 sqq. ed. III. — Muellerus loci nostri ratione et sententia plane non intellecta contra omnes codd. scripsit *nobili fuit familia.* Alio modo peccatum est in ed. Bip. commate, quo post *fuit* interpungendum est, post *familia* posito. Quippe non viderunt editores *familia extincta* non ut verba *gentis patriciae* ex *fuit*, variatâ structurâ, pendere, sed ablativos absolutos esse, quibus aliquid ad antecedens enunciatum illustrandum pertinens adiiciatur, quam enunciationum rationem Germanice sic fere exprimas: Sulla war aus einem durch Bekleidung der höchsten Aemter sehr angesehenen patricischen Geschlechte, *während* seine Familie durch Lässigkeit der Vorfahren fast ganz unbemerkt geworden war.

Graecis atque Latinis iuxta, atque doctissume] Pro *atque* post *Graecis* Gerlachius in ed. novissima solius Bas. 1. auctoritate scri-

men ab negotiis numquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli; facundus,

psit *et*, quod cur faciendum putaverit nulla caussa reperiri potest. Contrario modo pro *iuxta atque* in ed. mai. invitis codd. omnibus habet *iuxta et*; tum, ut est inconstantiâ insignis, in Commentt. p. 324. copulam deletam vult; postremo in ed. novissima ad codd. scripturam redit. Ceterum perspicuitati non satis consuluerunt, qui nulla interpunctione post *iuxta* distinxerunt, quasi particulae *iuxta atque*, ut alias fit, coniungi debeant. Nam vis praedicati constat sola *iuxta* voce, cui nova notio additur *doctissume*. Quare *atque* valet *et quidem*, ut recte monuit Faber; v. ad c. XCII, 4. — *Esse* post *luxurioso*, quod in tribus codd. deest, Cortius pessime delevit; ex hoc enim verbo singula enunciata, quibus Sullae ingenium describitur, pendent, ita ut oratio, per nomina progrediens, in verbo subsistat; quamobrem maior interpunctio tantummodo post *ignavia* et *esse* ponenda, cetera commatis distinguenda sunt. — Post *numquam* in uno alteroque cod. legitur *eum*, quod scribae addiderunt, obiectum suppleri posse nescientes, de qua re monuimus §. 2. — Particularum *nisi quod* usum elliptica dicendi ratione niti recte observavit Walchius ad Tacit. Agric. c. VI. p. 154. Nam quum sententia per *nisi quod* illata, quia novum praedicatum habet, non possit continuo ex antecedente excipi, ad verba *ab negotiis nunquam voluptas remorata* cogitatione tale quid addendum est: *ut appareat, voluptatibus eum potius duxisse honestum.* Cui laudi quum non annumerari possint, quae libidine abreptus minus honeste et contra decorum in matrimonio egit, turpibus amoribus et adulteriis indulgens, haec recte per particulas *nisi quod* ita excipiuntur, ut plena sententia sit, *nisi huic laudi repugnat, quod.* Ad sensum igitur non incommode, quamquam re non satis accurate, Faber *nisi quod* idem esse dicit atque *sed.* cf. Tacit. Ann. I, 33, 3. *Ipsa Agrippina paullo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat*, ubi nexus ita est concipiendus: *quae res non poterat non damnosa fieri, nisi salubrem temperationem hoc attulit, quod.* ibid. VI, 24, 2. *Astitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, vix fides*, (supple: quum alia eaque certa testimonia non habeantur) *nisi* (hoc idoneum testimonium est) *quod Actii centurionis epistolae servorum nomina praeferebant, ut quis Drusum pulsaverat, exterruerat.* id. XIV, 14, 5. *Notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus* (supple:

callidus et amicitia facilis; ad simulanda negotia altitudo ingeni incredibilis; multarum rerum ac maxu-

qui propter turpem pecuniae cupidinem detestabiles videntur), *nisi* (sc. eo excusandi sunt) *quod merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis affert.*

de uxore] Nonnulli de sola Valeria intelligunt, quam Sulla senex, meretricio more in theatro ipsi insidiantem, uxorem duxit, ut sane non admodum honeste quaesitam dicas, teste Plutarcho, qui in vita Sullae c. XXXV. extr. *οὐκ ἐκ σώφρονος*, inquit, *καὶ καλῆς ἔγημεν ἀρχῆς*. Sed quum antea plures haberet uxores et nihilominus perpetuo aliarum mulierum turpibus amoribus haereret, id quod intelligitur ex multis Plutarchi locis, (v. c. VI, extr. XXXVI, in. coll. verbis supra §. 3. allatis, quae ex nostro loco non expressa sunt, sed eum bene illustrant) melior videtur Langii et Fabri sententia, qui *uxoris* vocabulo censent latiore sensu omnino *rem uxoriam*, quae matrimonio colendo constat, designari — *Potuit* Latinorum more extra condicionem positum est, ubi nos rem ex cogitatione suspensam coniunctivo praeteriti temporis enunciamus. Nonnulla de hoc usu diximus ad Cat. LI, 4. p. 236. Diligenter eum persecuti sunt Kruegerus Quaestt. de Lat. Ling. Vol. II. p. 363 sqq. Kuehnerus ad Cic. Tusc. I, 49, 116. et ad II, 19, 45. Aug. Matthias ad or. in Catil. III, 9, 22. et Frotscherus ad Quinctil. X, 1, 118. p. 102. b. — *Consulere* cum adverbio coniunctum est *consilia* sive *agendi rationem inire et sequi;* cf. Cat. LI, 4. *Magna mihi copia est memorandi, quae reges atque populi male consuluerunt.* Pseudo - Sall. de Rep. ord. I, 1, 5. *Id evenit, quia plerique rerum potentes perverse consulunt.* Liv. XXX, 43, 13. *De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum.* — *Facundus* explicavimus ad c. LXXXV, 26. — *Amicitia facilis* Forcellinus in Lex. L. interpretatur *facile sibi amicos parans*, quod fere congruit cum Cortii sententia, qui explicat *quod ad amicitiam facilis.* Sed huic sententiae ablativus prorsus alienus est, ac dativus potius requiritur, ut demonstravimus ad c. XCI, 7. Non magis ferri potest, quod Langius verba interpretatur *in amicitia varius.* Nam *facilis* h. l. non ex vulgari usu est *expeditus*, *proclivis*, *promptus*, sed valet *comis*, *benignus*, *affabilis*; ablativo autem quum accuratius indicetur quonam modo Sulla *facilis* fuerit, *amicitiā* significat *amicum animum* (sc. omnibus) *ostendendo*, quod satis commode calliditatis commemorationi adiungitur. — *Altitudo ingeni* constat *condendis in imum seu profundum pectus consiliis,* ut nemini

4 me pecuniae largitor. Atque illi, felicissumo omnium ante civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quae fecerit incertum habeo pudeat magis an pigeat disserere.

XCVI. Igitur Sulla, ut supra dictum est,

in animi recessus coniectura penetrare sensusque assequi liceat. cf. Beier. ad Cic. de Off. I, 25, 88. *Exercenda est etiam altitudo animi.* Ernesti ad Tacit. III, 44, 3. *Neque loco, neque vultu mutato per illos dies egit, altitudine animi, an compererat modica esse.* Drakenborch. ad Liv. IV, 6, 12. Hanc altitudinem Cicero βαθύτητα vocat in Epp. ad Attic. V, 10, med. *Multa vel iracunde, vel insolenter vel insulse dicuntur, quae non quo te celem non perscribo, sed quia δυσεξίμητα sunt; quare admirabere meam βαθύτητα.*

§. 4. *Atque illi*] Pronomen, quod in perpaucis codd. deest, Cortius, Bipp., Langius, Muellerus male eiecerunt, qui quanta vi narratio ita destituatur non senserint; eo enim Sullae persona, in quam unice nos intueri vult auctor, quasi in conspicuo collocatur.— Verba *ante civilem victoriam*, quae ceteri editores recte ad antecedentia retulerunt, Faber, commate post *victoriam* sublato, cum sequentibus coniungenda censet, quia verba *postea quae fecerit* ostendant Sallustium non *felicitatem* Sullae, sed *industriam* ad illud tempus, quod victoriam civilem praecesserit, ustringere. Quod plane contra est. Clarum est enim Sallustium ea, quae Sulla post victoriam egit, quia immani crudelitate foeda sunt, pro nefandis et infaustis habere ac prorsus abominari, neque *felicitati* eius annumerare. Quare quamquam concedit *industriam* ei et *fortunam* per totam vitam (*nunquam super* ind. f. *fuit*) parem fuisse, *felicem* tamen ante victoriam modo nominat. Quippe *fortuna* est prosperitas *casui* debita, non virtute parata; *felicitas* vero prosper rerum eventus ex consilio et prudentia pendens; cf. Daehnius ad Nep. Lysandr. I, 1. Sallustii mentem egregie illustrant Ciceronis verba, quae ex perdita ad Nepotem epistola servavit Ammian. Marcell. XXI, 16. p. 291. ed. Vales. *Neque enim quicquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas. Vel ut alio modo definiam, felicitas est consiliorum fortuna adiutrix bonorum; quibus qui non utitur, felix esse nullo pacto potest.* cf. etiam Tuscc.

postquam in Africam atque in castra Mari cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne appellare, multis roganti- 2 bus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere, sed ea properantius quam aes mutuum red-

V, 19, 56. *Utrum tandem beatior C. Marius tum, quum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit, an quum civili bello victor iratus, necessariis Catuli deprecantibus, non semel respondit sed saepe, moriatur?* — De propria potestate vocis *industria* egimus ad c. LXXVI, 1. — *Que* particula h. l. sequentia non annectit simpliciter, sed ita, ut novum enunciatum ex antecedente *consectarium* esse indicetur, quod accuratius dicitur *et propterea*; v. ad Catil. III, 5. p. 21 sq. Id qua ratione fiat quamquam perspicue diximus ad Cat. IV, 2. p. 24 sq., Gerlachius tamen in Praef. ed. min. p. XII. suum captum prorsus exsuperare dicit. Facile credo. — *Nam* spectat ad verba *felicissumo — victoriam.* — *Pudeat magis an pigeat* satis multi tenent codd. Nonnulli tamen aperto errore habent *pudet m. a. piget*, alii facili lapsu *pudeat an pigeat magis*, qua varietate lectio vulgata non labefactatur. Quum vero in tribus deesset *magis*, Gerlachius in ed. mai. hanc particulam omisit, id factum in Commentt. p. 324. comprobavit, et, ut solet se ipsum ludificari, in ed. nov. restituit, ratione tamen non perspecta. Scilicet sine *magis* vocula Sallustius diceret se inter utrumque fluctuari et quasi de *eligendo* altero ambigere; quod absurdum est. Sed *magis* particula addita *utraque* re se dicit permoveri, ne illa disserat, sed tantummodo in incerto habere, utra re vehementius permoveatur. Hoc quam egregie conveniat detestationi Sullani temporis facile vides.

XCVI. §. 1. *Igitur*] De vi et usu huius particulae v. ad c. XIX, 7. p. 124. — *In paucis tempestatibus* idem esse atque *intra p. t.* iam diximus ad c. XXVIII, 2. cf. Cic. de N. D. II, 40, 102. *Sol binas in singulis annis conversiones facit.* Top. c. 10, 44. *Si facilius natus esset in decem mensibus.* Lucret. II, 77. *Inque brevi spatio mutantur saecla animantum.* Ita dicitur etiam *in brevi*; cf. Duker. ad Flor. I, 1, 15. Ruhnken. ad Vell. II, 61, 2. Inconsulto autem Cortius et Iaumannus hanc structuram confuderunt cum eo dicendi genere, quod illustravimus ad Cat.

dere, ipse ab nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent, ioca atque seria cum
3 humillumis agere, in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse, neque interim, quod prava ambitio solet, consulis aut cuiusquam boni famam laedere, tantummodo neque consilio neque manu

XLVIII, 5., ubi iam p. 223. ab hoc errore cavendum esse monuimus. — De plurali *tempestatibus* v. ad LXXIII, 7.

§. 2. *per se ipse*] Haec, quum opposita sint verbis *multis rogantibus*, significant *sua sponte*, *non rogatus*. Dictionis ratio facile patebit ex dictis ad c. XIV, 4. p. 74., si modo tenueris, quod ibi de *rebus* valebat, hic ad *personam* agendique caussas spectare.— *Ea* h. l. oppositionis caussa additum est. — *Repetere* illustravimus supra ad c. LXXXV, 37. — Pro *illi* poterat Sallustius *sibi* dicere, si hanc enunciationem ad Sullae mentem retulisset, ut poscebat legitimus cogitandi ordo; sed quum haud inusitata scriptorum negligentia in incepta cogitatione non pergeret, sed ex eius, quem cogitantem induxerat mente in suam ipsius personam transiret, eo factum est, ut pro reflexivo pronomine demonstrativum ponendum esset. Id liberioris structurae genus in universum explicavimus ad c. IV, 6. p. 25. veram eius caussam perspexit etiam Zumptius in Gramm. Lat. §. 78, 7, c. not. 1. p. 468. ed. IV. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 158. 6. a. 2. p. 350. ed. I. Daehnius ad Nep. Milt. c. IV, 5. Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 34, 96. *Tene, quum ceteri s o c i i tui fugerent ac s e occultarent, ut hoc iudicium non de i l l o r u m praeda fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse!* Mueller. ad or. p. Sest. c. 24, 54. *Hac tanta perturbatione civitatis ne noctem quidem c o n s u l e s inter meum discrimen et e o r u m praedam interesse passi sunt.* Goerenz. ad Legg. I, 7, 23. *Quibus autem haec sunt inter e o s communia.* Bremius ad Nep. Hannib. c. XI, 3. *At E u m e n e s soluta epistola nihil in ea r e p e r i t, nisi quod ad irridendum e u m pertineret.* Haec quamquam planissima sunt, tamen acutissimus Gerlachius nova doctrina rem se expedivisse gloriatur, docens „vim Graeci pronominis *αὐτός* a Sallustio esse expressam!“ Hoc nimirum est illud, quod Quinctil. IX, 3, 17. ait: *G r a e c a vero t r a n s l a t a vel Sallustii plurima!* — *Ioca atque seria* saepissime ut opposita coniunguntur; v. Doederlini

priorem alium pati, plerosque antevenire. Quis re- 4
bus et artibus brevi Mario militibusque carissumus
factus.

XCVII. At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utilis, simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuncios

Synonym. Lat. Vol. II. p. 33. Cic. de Finn. II, 26, 85. *Quicum* *ioca*, *seria*, *ut dicitur*, *quicum arcana*, *quicum occulta omnia?* Plerumque tamen *iocus* masculino genere usurpatur; cf. Liv. I, 4, 9. *Seria ac iocos celebrare.* Plin. Epp. II, 13. *Cum hoc seria*, *cum hoc iocos miscui.* Tacit. Ann. II, 13, 1. *Per seria*, *per iocos eundem animum laudibus ferebant.* Iustin. IX, 8. *In seria ac iocos artifex.* v. Conr. Leop. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 475.

§. 3. *in operibus*] i. e. in munitionibus faciendis, sive eae castris tutandis, sive hostibus oppugnandis inserviebant. — *Multus adesse* perbene explicat Forcellinus in Lex. L. Tom. III. p. 118. qui „*multus esse*, inquit, *in re quapiam* dicitur qui prolixus est, intentus, assiduus, diligens, *quasi multorum solus vices praestet* tum in bonam, tum in malam partem.“ cf. Flor. IV, 2, 50. *Multus in eo praelio Caesar fuit*, *mediusque inter imperatorem et militem.* Cic. de Off. II, 16, 56. *Theophrastus multus est in laudanda magnificentia.* de Orat. II, 87, 358. *Ne in re nota multus et insolens sim.* Ex quibus locis, quamquam singuli pro sententiarum nexu peculiari non prorsus cum nostro conveniunt, hoc tamen clare patet, *multus* non *temporis* potestate valere *saepe* aut *frequenter*, ut Muellerus, Gerlachius et Iaumannus interpretantur, sed *agendi industriam et strenuitatem* designare. cf. etiam supra LXXXIV, 1. — Ad *solet* Langius, Muellerus, Iaumannus suppleri volunt *facere*, quo non magis est opus, quam *fieri* addi, ubi subiectum vel indefinitum est, vel pronomine significatur, de quo egimus ad Cat. XXIX, 2. Nam ut infinitivus activi, qui ex *soleo* pendet, non aliam habet quam obiecti sive accusativi rationem, ita nulla plane caussa est, cur non eadem ratio valeat accusativo pronominis posito, quo ad verbum respicitur. — Verba *et artibus*, quae in tribus aut quattuor codd. desunt, Cortius parum consulto omisit.

XCVII. §. 1. et 2. *et sibi utilis*, *simul et*] Perperam Cortius et Bipp. particulas *simul et*, quas coniungendas esse ostendimus ad

mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret;
2 proelii faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit et dubium belli atque pacis rationes trahere, rursus, uti antea, proxumos eius donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut integris suis
3 finibus bellum compositum foret. Eo praemio ille-

c. XX, 1., distraxerunt, commate post *utilis* sublato et post *simul* posito. — De plusquamperfecto *amiserat* ex *postquam* particula pendente v. ad XI, 2. Ceterum haud dubie respicitur ad c. XCII, 6. — De imperfecto *adduceret* ex praesenti *mittit* apto dictum est ad Cat. XXXIV, 1. — *Et* ante *dubium*, quod in nonnullis codd. deest, Cortius omisit. Eum Gerlachius non secutus est in ed. mai.; sed propter paucos codd. Itall. in Commentt. p. 325. copulam delendam censet, quam tamen, ut sibi placet in mutandis opinionibus, in ed. novissima retinuit. — *Rationes trahere* non simpliciter est *deliberare*, ut Cortius, Langius et Weisius volunt, sed deliberando et rationes perpendendo moras facere remque differre. — *Proxumos*, v. ad Cat. XIV, 3. — *Eius*, quod in duobus codd. excidit, a Cortio deletum est.

§. 3. *parte die*] *Die*, quod non solum exstat in libris Popmae, Guelf. 3. 9. 12. Mark. *A.* m. pr. Paris. z. m. pr. Leid. A. B. C. D. E. K. L. M., sed etiam confirmatur Gellii IX, 14. auctoritate, genitivum esse diximus iam ad c. XXI, 2. Gronovius tamen ad Liv. XXIX, 7, 7. pro ablativo haberi vult, cuius perversae sententiae praeter Cortium vix quemquam Latine scientem habebit sectatorem. — *Et* ante *victis*, quod multi codd. non habent, neque a Cortio expressum est in textu, Gerlachius recte recepit. Nam sine ista particula reges nocturni impetus commoda *non pariter in utramque partem* expenderent, sed se victum iri quasi pro certo ponerent, quod ab eorum mente alienum est. De ista vi geminatae et particula cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. II. p. 524 sqq. — *Nullo impedimento* interpretes dubitant utrum pro dativo an pro ablativo habeant. Ac sextum quidem casum defendunt Cortius, Muellerus, Faber, maxime nisi loco Ciceronis Epp. ad Attic. X, 18, in. *Tranquillitates maiore impedimento fuerunt, quam custodiae, quibus asservor*, cui Faber addidit Auct. ad Herenn. II,

ctus Bocchus cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto Marium, iam in hiberna proficiscentem, vix [illegible] parte die reliqua, invadunt, rati noctem, quae iam aderat, et victis sibi munimento fore, et si vicissent nullo impedimento, quia locorum scientes erant; contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore.

11, 16. *Cognitionem amphiboliarum arbitramur non modo nullo adiumento esse, sed potius maximo impedimento.* Sed quis non videt in his obtinere ablativum, quem dicunt, *qualitatis*, qui in tritissimis structuris habetur. Sed is casus non potest per *esse* verbum cum *dativo* conciliari, ut significetur id, *quo* aliqua res, ad aliam rem vel personam relata, *pertineat*. Quis enim Latine dixit: haec res *mihi* est *magná laetitiá?* Quare quum ex *fore* verbo et *sibi* pronomine pariter *munimento* pendeat atque *nullo impedimento*, certissimum est haec tertio casu esse posita, cui rei minime obstat *nullo*, qua antiquiore pronominis forma cur Sallustius uti non potuerit, idonea caussa non intelligitur; cf. Priscian. VI, 7, 36. p. 243. Kr. *Vetustissimi solent omnium in — ius terminantium genitivum, etiam in i genitivum et in o dativum in genere masculino et neutro proferre.* Cic. p. Mur. c. 12, 26. *Ei quoque carmen compositum est quum ceteris rebus absurdum, tum vero nullo usui utrisque.* Praeterea non improbabile videtur auctorem ad evitandam cacophoniam, quam *i* litterae concursus habet, *nullo* quam *nulli* scribere maluisse. — *Si vicissent*, quae verba respondent *victis* participio, Sallustius non dixit orationis variandae caussa, sed quia deest participium perf. activi. — *Casus* h. l. neque *infortunium* significat, ut c. XXIII, 2., neque *commodam occasionem*, ut c. XXV, 9., sed quod fortuna dante quasi in tesserarum ludo *ceciderit*, quam potestatem verbi *cadere* illustravimus ad Catil. c. XX, 2. p. 96. Sensus est igitur: utrumcunque *cecidisset* — difficilius fore. — *Fore* post *difficiliorem* in quattuor codd. est ante comparativum; octo alii eius loco habent *esse*, in tribus vero verbum plane deest, unde suspicio fit, librarios id intulisse, praesertim quum oratio eo addito paulum langere videatur, eodem vix praegresso. Sed quum optimi codd. omnes et praeterea ex ceteris plerique in vulgata conspirent, noluimus Cortium imitari, qui cupide omisit.

4 Igitur simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant; et priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere, denique antequam signum aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie neque ullo

§. 4. *simul cognovit, et ipsi h. aderant*] *Simul — et* voces cave eo modo intelligas, quo eas pro copulativis particulis *et — et* poni ostendimus ad c. XLVII, 2.; nam illa potestas non valet, nisi ubi duae *eiusdem* enunciationis partes inter se nectuntur. Alia res est, si *duae enunciationes*, quarum altera vim protasis, altera apodosis sustinet, ita comprehenduntur, ut altera actio non excepisse alteram, sed eodem temporis momento utraque incidisse dicatur. Is autem sensus efficitur, sive *simul* statuis dictum esse pro *simulac* (v. ad Cat. XLV, 3.), apodosi per *et* i. e. *etiam* (v. ad Cat. XXXV, 3.) cum vi adiuncta, sive illud explicas *eodem tempore*, ita ut *et* actionis aequali tempore factae quasi alteram partem simpliciter et vulgari copulae potestate addat. Ac mihi quidem haec posterior ratio et simplicitate, et quia cum cetero particularum *simul et* usu (v. ad XX, 1. XLVII, 2. XCI, 1.) valde cognata est, magis placet. Priorem probabunt fortasse, qui, recordantes Graecos eodem modo *ἅμα — καί* particulis uti, Buttmanni in Gramm. Gr. med. §. 137. p. 444. ed. X. et Passovii in Lex. Gr. auctoritatem sequuntur. cf. Demosth. p. Cor. p. 236. Reisk. *'Ωνεῖται παρ' αὐτῶν, ὅπως μὴ ἀπίωσιν ἐκ Μακεδονίας, ἕως ἂν τὰ τῆς στρατείας τῆς ἐπὶ τοὺς Φωκέας εὐτρεπῆ ποιήσαιτο, ἵνα μὴ — κλείσαιτε τὸν πορθμόν, ἀλλ' ἅμ' ἀκούοιτε ταῦτα ἀπαγγελλόντων ὑμῖν τούτων, κἀκεῖνος ἐντὸς εἴη Πυλῶν.* Isocrat. Panegyr. c. XLII, in. *Οὗτοι πρὸς μὲν τοὺς ἄλλους ἅμα διαλλάττονται, καὶ τῆς ἔχθρας τῆς προγεγενημένης ἐπιλανθάνονται.* Ex Latinis cf. Tacit. Ann. I, 65, 4. *Simul haec* (sc. dixit), *et cum delectis scindit agmen.* ib. IV, 25. 2. *Simul coeptus dies, et aderant semisomnos in barbaros.* — *De adventu cognovit*, pro quo Vratisl. 1. habet *adventum cogn.* illustravimus ad c. LXXXIV, 3. — *Sarcinas colligere.* Ante pugnam enim sarcinas in unum locum conferebant; v. Caes. B. G. VII, 18. *Qua re nunciata Caesar celeriter sarcinas conferri, arma expediri iussit.* CORT. cf. Herzog. ad eund. I, 24. Nitschii Antiqq. Rom. Vol. II. p. 1434. ed II. — *Signum* non capies de aquila, vexillis aut similibus, sed aut de signo *tuba dato*, (v. Catil.

more proelii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt; qui omnes trepidi 5
improviso metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis alios ab hostibus defensabant; pars equos escendere, obviam ire hostibus,

LX, 1), aut de illo signo, quod alio nomine *symbolum* aut *tessera* dicitur, quodque militibus dabatur, ut socium ab hoste discernerent, aut denique de utroque hoc signo, ut ipse ego intelligo. Utrumque memorat Caes. B. G. II, 20, 1. *Caesari omnia uno tempore erant agenda, vexillum proponendum, signum tuba dandum, — acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum*, ubi v. Vossium (et Herzogium). Auct. B. Afric. c. LXXXIII, 1. *Quod postquam Caesar intellexit incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo felicitatis dato in hostem ire contendit.* v. interprr. ad Sil. VII, 347. Cort. cf. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 241. p. 375. ed. II. — De particulis *non* — *neque* v. ad Cat. LII, 6. — *Incurrunt* restituimus, plurimorum codd. consensu ita iubente. Cortius ediderat *concurrunt*, quod legitur in Eccard. Vin. 1. Bas. 1. 4. Franc. Inc. 1. 2. Struv. Vratisl. 2. Guelf. 7. 11. Leid. F. G. N. Paris. c. x. z. Berol. 2. Id verbum ferri posse facile concedo, sed vulgatae praestare non possum mihi persuadere, quippe qua vehementia impetus multo melius designetur.

§. 5. *escendere*] Codd. omnes tenent *ascendere*, nisi quod in Palat. 1. et Nazar. *a* in rasura scriptum; sed quam edidimus formam Arusian. Messus tuetur h. v. (Grammat. Latt. Vol. I. p. 229. ed. Lindem.), eiusque auctoritatem iam Cortius et Gerlachius secuti sunt. Quamquam fateor, nisi Arusianus et aetate codices anteiret, et multorum aliorum locorum scripturam integriorem quam illi servaret, vulgatam mihi magis probari, siquidem Conr. Leop. Schneiderus in Gram. Lat. Vol. I. P. II. p. 552. recte statuere videtur *escendere* esse *in summum*, vel *in locum editiorem eniti*, ac vix transitivo sensu usurpari. Quare si vera est Arusiani lectio, putandus est Sallustius insolentiore modo *escendere* pro *ascendere* vel *conscendere* dixisse. — *Latrocinium*, proelio aut bello saepissime oppositum, significat inconditum, fraudulentum et insidiosum pugnandi genus, quo utuntur qui in inhonesta caussa et viribus diffidentes rem aperte gerere aut nolunt aut non audent. *Proelium* igitur aut *bellum* in tali nexu praegnanti sensu valet *iustum pr.* aut

pugna latrocinio magis quam proelio similis fieri; sine signis, sine ordinibus equites pedites permixti caedere alios, alios obtruncare; multos, contra adversos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire; neque virtus neque arma satis tegere, quod hostes

bel., ut diserte dixit Livius XXIX, 6. 2. *Latrociniis magis quam iusto bello in Bruttiis gerebantur res.* cf. Cic. in Catil. I, 10, 26. *Tantum profeci, ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur.* Tacit. Ann. XII, 39, 2. Duker. ad Flor. II, 3, 4. Drakenborch. ad Liv. XXI, 35, 2. Similiter *latrones* opponuntur *iustis hostibus*; v. Herzog. ad Catil. LIX, 5. p. 370. — Pro *equites pedites* Gerl. in ed. novissima scripsit *eq. peditesque*; sed quum in aliis codd. legatur *et ped.*, in aliis *ac ped.*, in haud paucis autem nulla plane copula sit, vix dubium est, quin Sall. asyndeto usus sit; v. ad Cat. XI, 2. et ad Iug. LX, 4. LXXII, 2. — *Obtruncare*, quod h. l. *caedendo* opponitur, non est *inermem* vel *inopinato aliquem occidere*, ut Gerl. explicat, sed propria potestate valet caesi corpus abscindendis de trunco membris foedare; cf. Ennii Med. apud Cic. de N. D. III, 26, 67. *Puerum interea obtruncat, membraque articulatim dividit.* Inde vocabulum in universum traxit vim immanis ac barbarae in interficiendo aliquo crudelitatis; v. supra c. XXXV, 6. LXVI, 3. Fragm. Hist. II, 42. *Ceteri vice pecorum obtruncabantur.* cf. Doederlini Synonym. Lat. Vol. III. p. 190. §. 7. — Pro *quod hostes* Gerlachius in ed. novissima ex nonnullis codd. scripsit *quia hostes.* Sed quum caussa afferatur non ratiocinando inventa, sed in re ipsâ posita (v. ad c. LXXX, 6.), *quod* h. l. multo accommodatius est. — De vocabulo *numero* v. ad c. LIII, 4. — *Erant* post *circumfusi* Cortius temere omisit; nam in Eccard. solo deest.

Romani veteres, et ob ea scientes belli) In omnibus codd. est *R. veteres novique et ob ea* etc.; solus Guelf. 3. habet *R. vet. boni scientes erant ut quos* etc., ex quibus nihil proficias. Vulgatae aliquid perversi inesse plerique senserunt interpretes, sed ad removendas difficultates falsa via grassati sunt. Cortius enim sola construendi arte locum expedire conatus verba ita componenda censuit: „Denique si Romanos veteres novosque, qui *ob id*, quod coniungerentur cum veteribus, facile morem militiae discebant, casus coniunxerat, *illi* orbes facere;" quae a libidine, non a ratione

numero plures et undique circumfusi erant; denique Romani veteres et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbis facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

profecta non magis quam somnia curanda sunt. Gerlachius in Commentt. p. 326. „Mira, inquit, dicendi ratio; nihilominus tamen omnia sana esse videntur, libri enim nihil variant. *Sed talia testimonio sunt, quam longe Salustiana oratio a vulgari sermone recedat.*" Egregie sane! De tali interprete Phaedrus Fab. I, 6. *O quanta species, inquit, cerebrum non habes!* Sellingius in Lectt. Sall. p 32. Gruteri explicationem repetiit: „Intermixti erant veteribus novi, exercitiisque iisdem habiti, ideoque etiam gnari proeliorum. Respicit auctor ad ea, quae dixit c. LXXXVII. 2. *Sic brevi spatio novi veteresque coaluere et virtus omnium aequalis facta.*" Quam Gruteri sententiam ut confirmaret Sellingius hoc maxime inculcare studet, vocabula *veteres novique* non epitheta esse subiecti *Romanorum*, sed vim appositionis habere. quae, commate post *Romani* posito, ita constet: „*Romani, qui veteres novique* (i. e. non solum novi milites, sed etiam veteres) *et ob ea scientes belli erant* etc." Sed licet Faber quoque in Addendis p. 359. hanc rationem probet, tamen nihil ea efficitur. Nam loci difficultates, quibus aperiendis propositae interpretum explicationes per se refelluntur, non in *verbis* sive in mira dicendi ratione, ut doctissimus Gerlachius censet, sed in *rebus* insunt. Etenim quum totus exercitus nonnisi ex veteribus novisque constaret. cur *denique* diserte nominantur *ambo*, postquam *iam diu ab utrisque* pugnatum fuit? Tum quid est, quod auctor dicit *si quos locus aut casus coniunxerat*, qui *ubique permixti* pugnarent? Aut fortasse *veterani soli* non poterant orbes facere, sed faciebant demum, ubi casus *novis* ipsos coniunxisset? Denique quis putaverit novos *ob id ipsum, quod novi essent, scientes belli* fuisse? Haec omnia clare ostendunt, post multam demum pugnam, (*denique*) non ab *universo* exercitu, qui verbis *veteres novique* significatur, orbes factos esse, sed tantummodo *a parte* exercitus, quos *locus aut casus coniunxerat*, quique quid in tali periculo faciendum esset, usu didicerant (*scientes belli*). Illos autem *veteranos* fuisse quis dubitaverit; quippe qui in proeliis multum versati periculisque assueti in re trepida non perturbentur, sed pro copia sibi consulant;

XCVIII. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit, sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis quam familiarissumis paraverat, vagari passim, ac

cf. Caes. B. G. II, 20, 3. *IIis difficultatibus erat subsidio scientia atque usus militum, quod superioribus proeliis exercitati quid fieri oporteret non minus commode ipsi sibi praescribere, quam ab aliis doceri poterant.* Quae laus quum minime novorum sit, *novique* nullo modo potest a Sallustio scriptum esse. Hoc vocabulo igitur sublato quum omnes omnino difficultates tollantur, omittere non dubitavimus, quod faciendum esse iam dudum viderunt Ciacconius et Ursinus. Corruptela autem probabiliter eo orta est, quod librarius aliquis, recordatus loci c. LXXXVII, 3. *Brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta,* ne novi milites laude sua hic privarentur, *novique* vel versui superscripsit, vel statim in contextu posuit. Sed neque bonus ille librarius, neque interpretes isto loco usi viderunt plane diversam esse utriusque loci rationem. Ibi enim auctor tantummodo de *animo* et *virtute* novorum loquitur, hic *belli usum et scientiam* commemorat, quae non necessario cum animo forti et periculorum non metuente coniuncta est. Utraque re insignes esse solent veterani, novi non item.

XCVIII. §. 1. *quam familiarissumis*] Gerlachius recte observavit his verbis haud obscure notari perversum multorum ducum morem, qui in eligendis cohortis suae equitibus potius nobilitatis aut cognationis, quam fortitudinis rationem haberent. Similia de Agricola laudat Tacitus, Agric. c. XIX. *Non studiis privatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare.* Virtutis praemia occupare ambitionem et per gratiam promoveri milites queritur etiam Veget. III, 3. — *Passim* expl. ad c. XVIII, 3. — *Manu consulere mil.* Muellerus perperam explicat: „*gladio*, quem *manu* tenebat, *indicabat* suis, quid faciendum esset, quo concurrendum; ita ut conspicuus esset, dum audiri non poterat.“ Quam interpretationem vanam esse quivis intelliget, qui et ingentem pugnae perturbationem, et ea, quae Marius egisse narratur, consideraverit. Quare Faber *manu* recte vernacula reddidit *durch persönliche Theilnahme am Kampfe*; *manus* enim saepe de pugnae vi et impetu dicitur; cf. XXXIX, 1. *Aulo omnes infesti, quod dedecore potius, quam manu salutem quaesiverat.* XX, 4. CVI, 6. v. Daehnius ad Nep. Datam. c. I, 3. Epam. III, 1.

modo loborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissumi obstiterant, invadere; manu consulere militibus, quoniam imperare conturbatis omnibus non poterat. Iamque dies consumptus erat, quum ta- 2

§. 2. *Iamque dies consumptus erat*] Haec verba iustum hexametri initium efficere iam observavit Glareanus. Sed dimidiatos versus interdum reperiri non est mirum, quum adeo integri scriptoribus exciderint; v. ad Cat. XIX, 5. ibique notatis adde Spalding. ad Quintil. IX, 4, 52. Nolten. Lex. Antibarb. p. 1800. — Structurae *quum tamen barbari nihil remittere* ratio eadem est, quam tetigimus ad c. XII, 5. p. 64., nisi quod indicativi praesentis vel perfecti loco infinitivus historicus positus est, quo illius turbae, multis rerum vicissitudinibus agitatae, natura vividius describitur. Hunc infinitivi usum primus, ut videtur, Sallustius sibi permisit, aliquoties Livius, saepius Tacitus. cf. Liv. II, 27, 1. *Victor tot intra paucos dies bellis Romanus promissa consulis fidemque senatus exspectabat, quum Appius — ius de creditis pecuniis dicere.* id. IV, 51, 4. *Iacere tamdiu irritas sanctiones, quae de suis commodis ferrentur, quum interim de sanguine et supplicio suo latam legem confestim exerceri et tantam vim habere;* ubi Gronovius contulit VI, 27, 6. *Fugere senatum testes, tabulas publicas, census cuiusque, — quum interim obaeratam plebem obiectari aliis atque aliis hostibus.* Tacit. Annall. II, 31, 1. *Cingebatur interim milite domus, — quum Libo — vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium.* II, 40, 1. *Vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam, quum Tiberium anceps cura trahere.* IV, 50, 4. *Ingruebat nox nimbo atrox, — quum Sabinus circumire, hortari* etc. VI, 44, 2. *Iamque multa manu propinqua Seleuciae adventabat, quum Tiridates distrahi consiliis.* XI, 34, 2. *Iam erat in aspectu Messallina, quum obstrepere accusator.* XIV, 5, 1. *Nec multum erat progressa navis, — quum dato signo ruere tectum loci.* Histor. III, 31, 1. *Iam legiones in testudinem glomerabantur, quum languescere paullatim Vitellianorum animi.* Ad eandem analogiam, sed tamen paullo audacius et in alia enunciationum conformatione Tacitus coniunxit *ubi* et *postquam* cum *infinitivo;* cf. Ann. II, 4, 2. *Sed ubi minitari Artabanus.* XII, 51, 1. *Ubi quati uterus et viscera vibrantur.* III, 26, 2. *Postquam exui aequalitas, et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat.* — *Atque* adiungit rem

men barbari nihil remittere, atque, uti reges prae-
3 ceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, collis duos propinquos inter se occupat, quorum in uno, castris parum amplo,

graviorem eoque valet *et adeo;* v. Handium de Particc. Lat. Vol. I. p. 484. §. 9.

§. 3. *ex copia*] Hanc dicendi rationem explicavimus ad c. LIV. 9. — *Trahit* h. l. non habet *cunctandi* notionem, ut alias, sed *difficultatem* consilii capiendi significare videtur; nisi forte malis *trahere aliquid ex aliqua re* valere *repetere* vel *sumere* aliquid ex aliqua re. — *Inter se* voces, quibus in universum mutua duarum rerum ratio indicatur (cf. ad XLI, 2. LXVI, 2. et Grysar. Art. Latine scribendi p. 39. not. 3.), h. l. perspicuitatis caussa *propinquus* adiectivo additae sunt, ut intervallum duorum tumulorum clarius intelligatur; cf. Fragm. Histor. Inc. 2. *Duas insulas propinquas inter se.* LIII, 7. *Postquam haud procul inter se erant.* LV, 6. *Duobus locis haud longe inter se castra faciebant.* Cat. V, 8. *Divorsa inter se mala luxuria atque avaritia.*

pauca munimenta quaerebat] Ita Gerlachius recte scripsit in ed. novissima, relicta, quam in ed. mai. exhibuerat et in Commentt. p. 326. tanquam verissimam et elegantissimam commendaverat, Gruteri coniectura *pauca munimento quaerebat.* Quamvis enim singuli codd. permultis variisque corruptelis h. l. affecti sint, tamen facile intelligitur Sallustium ita scripsisse, ut edidimus. Nostram enim scripturam integram servarunt unus cod. Aldi et Rivii, Leid. A. E. Eccard. et ed. Venet. 1470., eamque confirmat quodammodo Paris. z., in quo m. pr. est *quaerebant.* Proxime accedit ad verum *gerebat*, quod in longe plurimis legitur et luce clarius ex *aurium* errore ortum est, siquidem *quaerere* et *gerere* non accurate pronunciata facile possunt confundi. Alius aliarum depravationum fons fuit *quaerere* verbi *significatio*; quam quum non satis usitatum putarent librarii, factum est, ut variae glossae, illi explicandae inservientes, in textum venirent. Ita eius loco in Pembr. est *habebat*, in Palat. 7. *accipiebat*, in Sen. 2 et Heuss. *rogabat*, in Goerl. *exigebat*, in Guelf. 3. 6. 7. Pal. 4. Reg. Arond. Pembr. Martin. Bas. 4. *pauco munimento egebat.* Quae interpolatio quum haud dubie

fons aquae magnus erat, alter usui opportunus, quia magna parte editus et praeceps pauca munimenta quaerebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equi- 4
tibus noctem agitare iubet; ipse paullatim dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum

o o egebat
primo ita esset proposita: *pauca munimenta quaerebat*, facile intelligitur, quomodo in Palat. 3. nonnullisque Palatt. aliis scribi potuerit *pauca munimento egebat*, in Fabr. 1. 2. *pauca munimento gerebat,* in Struv. *pauco munimenta gerebat,* in Franc. *pauca munimento regebat;* nimirum mutationes versui superscriptae singulas modo voces varie invaserunt, ac cum altera verbi *quaerebat* corruptela conflatae sunt. *Regebat* autem, quod etiam in Vin. 1. Guelf. 1. et Paris. b. conspicitur, mero scribarum stupore ex *gerebat* ortum. Ut igitur planissimum est, quomodo ex scriptura a nobis recepta reliquae discrepantiae omnes prodire potuerint, ita nullam probabilitatis speciem habet, quod Bipontini, Langius, Muellerus et Faber *pauco munimento egebat* pro genuina lectione venditant. *Quaerere* autem, quod Tellerus p. 229. censebat in pedestri oratione de rebus non dici pro *requirere*, *postulare*, *indigere*, sane ita dicitur; cf. Cic. in Verr. Act. II. lib. I, 10, 29. *Nego ego quicquam a testibus dictum, quod cuiusquam oratoris eloquentiam quaereret.* Liv. IV, 14, 2. *Quum expertes consiliorum, qui tumultus, quod bellum repens dictatoriam maiestatem quaesisset, rogitarent.* Varro de R. R. I, 15. *Fines praedii notis arborum tutiores fiunt, ne familiae rixentur cum vicinis, ac lites ex limitibus iudicem quaerant.*

§. 4. *neque minus hostibus conturbatis*] *Neque* vulgari modo in *et non* solutum vitiose habet in structura ablativorum absolutorum. Hoc primus animadvertens Faber, ut sensum expediret, particulam istam censet aut antiquo more *non* significare, aut vim habere vocum *etiam non*, ita quidem, ut *non* ad *minus*, *etiam* ad *hostibus* pertineat. Priorem explicationem nemo facile probaverit, v. ad c. XLIV, 5. et ad LXXXIV, 3.; alterâ rem tetigisse puto Fabrum. Quemadmodum enim non solum *et*, sed etiam *que* particula haud raro pro *etiam* ponitur (v. Aug. Grotefendii Gramm. schol. p. 289. §. 359. 2.), ita iusta caussa non obstat, quominus *neque* eandem vim cum negatione coniunctam habeat, valde cognatam ei, quam

contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem sub-
5 ducit. Ita reges, loci difficultate coacti, proelio deterrentur; neque tamen suos longius abire sinunt, sed utroque colle multitudine circumdato effusi con-
6 sedere. Dein crebris ignibus factis plerumque no-

supra ad c. LXI, 1. illustravimus. cf. c. LI, 5. *Sed* **n e c** *Iugurtha quidem interea quietus erat.* Nep. Dion. c. II, 3. *Platonem Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut se totum ei traderet;* **n e q u e** *vero* **m i n u s** *Plato delectatus est Dione*, i. e. *sed* **n o n** *minus* **e t i a m** *Plato*. Cic. de Off. I, 13, 40. *Eos omnes censores, qui peierassent, in aerariis reliquerunt;* **n e c** **m i n u s** *illum, qui iuris iurandi fraude culpam invenerat*, i. e. **n o n** *minus* **e t i a m** *illum*. Tusc. I, 26, 65. *Quid est inventio? profecto id, quo* **n e c** *in deo quicquam maius intelligi potest*, i. e. quo *etiam* in deo quicq. m. int. *non* potest. Tacit. Ann. II, 82, 2 *Nihil compositum in ostentationem; et quamquam* **n e q u e** *insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant*, i. e. *q.* **e t i a m** *insign. l. non abst.* v. Grysar. Art. Latine scribendi p. 557. not. 1. In promptu est autem a Sallustio interpositis verbis caussam explicari, cur Marius in tam atroci negotio suos milites in unum contrahere potuerit. Quare nollem Fabrum, de interpretationis suae veritate dubitantem, insuper coniecisse *conturbatos*, quemadmodum exstat in Mark. *A.* Reg. et Paris. z. m. pr., fortasse veram scripturam esse; nam eâ comparationis Romanorum atque hostium ratio prorsus invertitur. — **P l e n o** *gradu* i. e. gradu maxime citato. cf. Veget. I, 9. *Militari gradu XX millia passuum horis quinque duntaxat aestivis conficienda sunt.* **P l e n o** *autem gradu, qui citatior est, totidem horis XXIV millia peragenda sunt; quicquid addideris iam cursus est, cuius spatium non potest definiri.* v. Drakenborch. ad Liv. IV, 32, 10. Trebon. in Cic. Epp. ad Famm. XII, 16, 7. — *Effusi* est nulli ordini astricti, disiecti; v. ad c. LV, 5.

§. 6. *crebris ignibus*] De vi *creber* vocis dictum est ad c. XLV, 2. — *Et* ante *ipsi*, quod Cortius tacite omisit, omnibus Leidd., Gerlachii et nostris codd. firmatur. Quae deinceps sequuntur verba *quia non* **f u g e r e n t**, *pro victoribus agere* ex satis probabili Cortii coniectura exhibuimus, quum codd. h. l. corrupti videantur omnes. Plerique enim habent *quia non* **f u g e r e**, *ut pro* etc., vel *quia non*

ctis barbari suo more laetari, exsultare, strepere vo-
cibus, et ipsi duces feroces quia non fugerent pro
victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tene- 7
bris et editioribus locis facilia visu magnoque hor-
tamento erant.

fugere, aut pro; utrumque ineptum est, sive verbi, sive particularum ratione habita. Praeterea in nonnullis codd. Palatt, Leid. F. N. Guelf. 10 et 11. legitur *q. n. fugere atque p. v. a.*, quam scripturam Gerlachius in utraque ed. recepit. Sed ita bimembri facta oratione non solum durissima est *esse* verbi ellipsis, sed manet etiam eadem in *fugere* verbo difficultas, ac simul ipsa sententia pervertitur. Quippe *non facta hostium fuga* non caussa erat *ferociae*, sed ut *pro victoribus agerent* barbari; quare verba ex *quia* pendentia non ad *feroces* spectant, sed ad sequentia, hoc sensu: et ipsi duces, feroci ingenio praediti, *pro victoribus agebant, quia non, ut est Numidarum mos in pugna ancipiti, fuga abierant, sed remanserant.* Inde clarissimum est, nullam plane particulam ante verba *pro vict.* esse posse. Sed quum et *fugere* per se vix stare possit, neque ullo modo intelligatur, si ita scriptum fuisset, quomodo *ut*, *aut*, *atque* oriri potuerit, verum vidisse putamus Cortium, qui *fugerent* reponendum esse coniecit. Casu enim *ut* litteris avulsis, ut aliquis saltem sensus exsisteret, a librariis inde factum est *ut*, tum *aut* et *atque*, quae particulae saepissime commutantur, v. varias lectt. ad Cat. XXXI, 5. ad Iug. LXXXII, 2. XCIX, 1. CXII, 3. Drakenborch. ad Liv. VII, 39, 14.; in Palat. 4. vero, Guelf. 2. 3. Med. 11. et Taurin. scribae quid facerent *nt* litteris nescii, plane omiserunt. *Fugerent* autem et modi et temporis respectu valde commendatur; nam coniunctivus spectat ad significandam caussam in *cogitatione* ducum positam; imperfectum vero declarat istam caussam nondum cessasse, sed etiamtum valere. Eodem modo locutus est Livius XXI, 9, 1. *Quum diu anceps fuisset certamen et Saguntinis, quia praeter spem resisterent, crevissent animi, clamorem oppidani tollunt.* — *Pro victoribus* i. e. *quasi victores*, *pro* particula falsam quandam rationem indicante, quae in verae locum substituatur. Comparavit Cortius Liv. XXIV, 25, 3. *Illos novc scelera molitos, quum Andranodorus, quae procurator possederat, pro domino possederit.* Plaut. Trucul. I, 2, 73. *Cur, obsecro, ergo ante ostium*

XCIX. Plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus quam maxumum silentium haberi iubet; ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere. Deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus et

pro ignoto alienoque astas? Iustin. XXIII, 3, 9. *Quoniam tamen a Sicilia abiret, pro victo fugere visus est.* Curt. IV, 16, 28. *Dubio adhuc pugnae eventu pro victore se gessit.* Adde Drakenborch. ad Liv. XXVII, 15, 11. Daehnius ad Nep Datam. c. VI, 4. Grysar. Art. Latine scribendi p. 453. — Copulam *magno* voci additam Bipontini temere omiserunt. Ceterum *visu* aeque ac *magno hortamento* dativos esse facile intelliges, coll. annotatione ad c. XCVII, 3. et XCI, 7.

XCIX. §. 1. *per vigilias*] Noctes clepsydrae ope in quattuor vigilias dividebantur, quarum vices tuba aut buccina significabantur; v. Veget. III, 8. *A tubicine omnes vigiliae committuntur, et finitis horis a cornicine revocantur.* Cortius contulit Liv. VII, 35, 1. *Ubi secundae vigiliae buccina datum signum esset.* Lucan. VIII, 24. *Ne rumpite somnos Castrorum vigiles, nullos tuba verberet aures.* Tacit. Hist. V, 22, extr. *Vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere; ita intermisso signo se quoque in somnum lapsos.* — *Per* in hoc nexu non temporis, neque instrumenti, sed caussae significationem habet, quam vernacula reddas *in Veranlassung.* Apte Faber contulit c. LXXIX, 1. *Quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus.* LXXXV, 9. *Qui per ambitionem probos sese simulavere.* Fragm. Hist. Inc. 65. *Multa primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum parum celebrata sunt.* — De dictione *signa canunt* exposuimus ad Catil. c. LIX, 1. Ceterum interpretes h. l. *canere* et sequentes infinitivos ex *iubet* verbo pendere censent, quod nobis secus videtur. Nam primum vix dici potest *iubeo ne hoc quidem fieri;* quare si auctor haec ex *iubere* apta esse voluisset, aut *ne — quidem* particulis omissis dicendum fuisset *signa etiam — silere,* aut retentis illis *ne signa quidem permisit canere.* Tum ipsa collocatio verbi *iubere* in clausula primae enunciationis positi talis est, ut non commode possit ad sequentia trahi. Denique totius loci ingenium *descriptionem* potius aut narrationem, quam *iussum* prodit, eandemque rem testatur etiam *solebant* verbum; ac quamquam *res narratae* iussu Marii fiebant, tamen *verba* non pendent ex praegresso

paullo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes signa canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere. Mauri atque Gaetuli, ignoto et hor- 2

iubet. Quare sublatis commatis, quae Gerlachius et Faber post *iubet* et *canere* posuerunt, interpunctionem ita instituimus, ut haec verba structurà cum antecedentibus non cohaerere appareat. — *Lux* i. e. dies; v. ad XXI, 2. — *Ubi* eodem modo cum imperfecto coniunctum, ut *postquam*, de quo dictum ad c. XIII, 5. — *Defessus* explic. ad c. LIII, 5. — *Vigiles* Cortius egregia coniectura scripsit pro inepto *vectigales*, quod in omnibus codd. est. Langius, qui istam coniecturam sibi non satisfacere dicit, quia vigiles signa canere non soliti essent, non legisse videtur, quae Cortius monuit: „Quamquam illi alioquin non concinerent, si in hostem eundum esset, hic tamen strepitus caussa Marius eos tubicinibus adiunxit.“ Quid Muellerum autem permoverit, ut spreta Cortii emendatione ipse *vigilias* scripserit, equidem non assequor; nisi omni acumine ista mutatio destituitur. — *Cohortes* Faber et h. l. et omnibus aliis ubi simul *legiones* memorantur, perperam de *sociorum* auxiliis explicat, cuius rei ne minimum quidem indicium in Sallustii verbis deprehenditur. Cohortes enim aeque ac turmae (v. ad c. XXXVIII, 5. coll. c. C, 4.) *partes* sunt legionum, ac propterea diserte memorantur, quia singulis peculiares erant tubicines, ab iis diversi, qui universae legioni signa darent. Quorum quamquam ministeria varia essent, tamen Marius in hoc tempore eos cunctos simul, additis etiam vigilibus, canere voluit. Non magis Fabri interpretatio valet de Iug. XLVI, 7. et de Tacit. Ann. III, 33, 3. *Praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum.* Nam quid probat ibi cohortes sociorum fuisse? praesertim quum *decursio* cohortium esse nequeat. Nullo igitur Romanorum ac sociorum discrimine significato sensus potius est: praesedisse feminam tum *minoribus exercitiis*, quibus singulae cohortes utebantur, tum etiam *maioribus*, quae universis legionibus destinatae erant. — Pro *signa canere* Weisius ex corruptis edd. scripsit *tuba canere*, quemadmodum etiam in aliquot codd. exstat. Fontem depravationis cognoscas ex Acad. et Paris. b., qui habent *signa tuba canere.* — *Portis*, quod in paucissimis codd. deest, Langius uncinis inclusit, parum idonea ratione usus, in tali rerum condicione tamque brevi tempore vallum cum portis exstrui

ribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quicquam
3 poterant, ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore formido quasi vecordia ceperat. Denique omnes fusi fugati-

non potuisse. Sed munita fuisse castra in colle posita non solum clare intelligitur ex c. XCVIII, 3., verum etiam consentaneum est mori militiae Romanae. Propinquo enim hoste castra, etiam in singulas noctes facta, nunquam non iusto modo muniebantur, cf. c. C, 4. portae autem haud negligenda castrorum pars fuere, v. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 249. p. 385 sq. ed. II. — Post *erumpere* in multis codd. additum est *iubet*, quod per se non est incommodum quidem, sed non necessarium; nam quamquam haec iussu Marii fiebant, tamen, quia hoc per se intelligitur, sufficiebat ipsas actiones per infinitivos historicos commemorare. Ut autem non perspicitur, si *iubet* a Sallustio scriptum fuisset, quid librarios ad omittendum impellere potuerit, ita patet ex satis antiquo lapsu cod. Paris. z., in quo *erupere* legitur, *iubet* non in textu fuisse. Errare autem eos, qui *iubet* non receperunt, sed ex superioribus huc trahendum censent, iam ante monuimus.

§. 2. *Providere quicquam*] i. e. ante parare atque instituere, quo futura mala avertantur, vel simpliciter *cavere*. cf. Liv. XXV, 39, 4. *Hostes simul ignis, clamor, caedes velut alienatos sensibus nec audire, nec p r o v i d e r e q u i c q u a m sinunt.* v. Cortium ad Cic. Epp. ad Famm. VI, 11, 6. *Quae sunt in fortuna, temporibus regentur et consiliis nostris p r o v i d e b u n t u r.* Gronov. ad Liv. XXXVI, 17, 12. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 3, 3. Forcellini Lex. h. v. Tom. III. p. 536. ed. Germ. Apud Tacitum frequenter hoc sensu legitur *provisa*, de quo v. Boetticheri Lex. Tac. p. 392. — *Tumultu, t e r r o r e f o r m i d o quasi vecordia ceperat.* Ita Cortius recte edidit, ut scriptum exstat in Vin. 2. Fabric. 2. Guelf. 7. Palat. 3. Tur. 1. m. sec. Berol. 2. Inverso ordine in Vrat. 2. Guelf. 2. 3. et Putschii cod. legitur *formidine terror q. v. c.*; in ceteris plurimis est *terrore, formidine*, quod Weisius recepit, aut *formidine, terrore*, quae depravata esse facile vides. Nam *quasi* particula ostendit *vecordiam* comparari alii perturbationi animi, vecordiae simili, sed paullo minori tamen, eodemque modo iam supra locutus est auctor c. LXXII, 2. ubi v. *Formidine* autem nullo pacto cum

que, arma et signa militaria pleraque capta, pluresque eo proelio quam omnibus superioribus interempti; nam somno et metu insolito impedita fuga.

C. Dein Marius, uti coeperat, in hiberna proficiscitur, quae propter commeatum in oppidis mari-

tumultu et *terrore* coniungi posse eo patet, quod his vocabulis rerum status et condicio designatur, illa voce *animi affectio* exprimitur, tumultu et terrore effecta.

C. §. 1. *in hiberna proficiscitur, quae*] Ita scriptum exstat in Martin. BPubl. Reg. Laud. 1. Palat. 9. 10. 11. 12. Leid. A. C. D. F. G. H. I. K. L. N. Erl. Bas. 4. Misn. et Berol. 1. In ceteris plurimis non solum *proficiscitur*, sed etiam *quae* deest, quae voces iam mature fortuito omissae alias rursus discrepantias scripturae genuere. Ita in Palat. 6. *proficiscitur* est inter versus, in Pal. 7. ante *in hibernu;* in Bas. autem 1. Pembroch., nonnullis Cortii, Paris. c. et x. z. manu sec. *in hiberna it;* in Mark. *Γ. it in hiberna;* in aliis *iter in hiberna* vel *in hiberna iter*, quae omnia inde orta sunt, quod scribae, nullum verbum adesse videntes et sine eo rectam structuram inire nequeuntes, defectum orationis explere studuerunt. Cortius igitur et Gerlachius in his discrepantiis satis caussae esse putarunt, ut *proficiscitur* tanquam spurium abiicerent; sed quo iure istud verbum omiserint, *quae* retinuerint, non dixerunt. Praeterea cauto homini vix persuaserit Cortius exemplis ab ipso allatis, *eundi* vocabulum recte omitti ab historicis, proba quidem oratione usis; nam quae vel non emendate scripta sunt (Liv. XXVIII, 21, 1.), vel familiari nituntur consuetudine dicendi (Plin. Epp. VI, 20.), vel ex poetica dictione sunt repetenda (Virg. Aen. IX, 51.), vel a serioribus usurpata (Flor. III, 6, 12. 10, 18), parum ob rem sunt. Sed quod gravissimum est, *proficiscitur* paene necessario requiritur, quo lectorum animus iam hic ad *itineris* cogitationem advertatur, *quod quanta prudentia a Mario factum sit, sequentibus data opera exponitur.* Nimis imperite autem Bipp. *proficiscitur* omisso, *in hiberna* ex *incedere* pendere volunt. — *Propter commeatum* i. e. *eo, ut commeatus copiam haberet. Propter* enim pariter ut *ob* particula, de qua v. ad c. LXXXIX, 2., non solum caussam designat, qua aliquid effectum est, sed etiam *finem* et *consilium*, quod quis consequi studet. cf. Cic. Epp. ad Attic. VII, 5, in. *Tironem, etsi mirabiles utilitates mihi praebet, quum valet, ta-*

tumis agere decreverat; neque tamen victoria socors aut insolens factus; sed pariter atque in conspectu
2 hostium quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortis Ligurum

men propter humanitatem et modestiam malo salvum, quam propter usum meum, i. e. *eo, ut illius usum habere possim.* Iustin. XI, 7, 4. *Urbis potiundae non propter praedam cupido eum cepit.* — Verba *victoria socors* Cortius inverso ordine exhibuit, id factum dicens *ex more Crispi;* quamquam iste mos non plurium librorum auctoritate, quam cod. Berger. et Guelf. 3. comprobatur. — Idem ex paucis libris pro *pariter atque in* soloece scripsit *par. ac in*, quod Gerlachio in ed. mai. placuit. V. ad c. LXXXV, 12. — *Quadrato agmine* i. e. exercitu ita instructo, ut impedimentis in medium collatis (v. Serv. ad Virg. Aen. XII, 121.) non solum primum et postremum agmen, sed etiam utrumque latus subito hostium impetui non pateret. Tale agmen Sallustius supra c. XLVI, 6. *munitum* dixit, accurateque descripsit, ut pateret ita fuisse comparatum, ut *quacunque accederent hostes, propulsarentur.* Istius autem ordinis non in pugna usum fuisse, sed *itineris* tutandi caussa esse institutum, quum ipsi scriptorum loci ostendunt, tum patet ex potestate *agmen* vocabuli; cf. Herzog. ad Caes. B. G. VIII, 8, extr. Davis. ad Auct. B. Alexandr. c. 43, 3. Senec. Ep. LIX. *Movit me imago ab illo posita, ire quadrato agmine exercitum, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnae paratum.* v. Nitschii Antiqq. Rom. Tom. II. p. 1491. ed. III. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 255. p. 391. ed. II.

§. 2. *apud dextumos*] Forma insolentior *dextumos* in caussa fuit, cur scribae in nonnullis codd. darent *dextros*, in aliis *extremos*, Wassius autem coniiceret *extimos*, ut in Tur. 1. conspicitur inter versus. Sed vulgatam praeter codicum plurimorum consensum tuetur Prisciani testimonium, qui III, 3, 19. ed. Kr. de vocabulis *dextimus* et *sinistimus* agens nostrum locum laudat. cf. Nonium II, 198. et Festum p. 56. cum Lindemanni annotat. p. 406. — De ratione *cum* particulae iam diximus ad c. XLIX, 1. Cave enim coniungas verba *cum equitatu curabat*, quasi equitatui quaedam consortio curandi cum Sulla fuerit, neve vernacula vertas *Sulla befehligte mit der Reiterei auf der rechten Seite.* Sensus

curabat; primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugae, minume cari et re- 3
gionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul consul, quasi nullo imposito, omnia providere, apud omnis adesse, laudare, increpare merentis. Ipse ar- 4

est potius *Sulla mit der Reiterei* (i. e. cui equitatus erat datus) *befehligte auf d. rechten Seite*, scil. ubi equitatus collocatus erat. Sed praeter *cum* praepositionem etiam *curabat* verbum interpretes male habuit, quippe non videntes singula periodi enunciata ex eo pendere. Bipontini enim et Langius post *sagittariis* supplendum censent *erat*, illique adeo semicolo priora ab sequentibus disiunxerunt; Weisius autem, ut structurae *curabat* verbi consuleret, multo foedius ex corruptis edd. scripsit *praet. cohorte Lig. curabat*, quasi *curare cum equitatu*, *cum funditoribus*, *cum cohorte* dicatur! Tenendum potius, quum duplicem in re militari usum habeat *curare*, ut aut *absolute* ponatur, adiuncta *loci* significatione (v. exempla ad Catil. LIX, 3. p. 316. collata), aut *accusativum* regat (cf. Tacit. Annall. I, 31, 1. *Exercitum inferiorem A. Caecina curabat.* ib. VI, 30, 2. *Gaetulicus superioris Germaniae legiones curabat.* Liv. VII, 26, 10. *Iussus ab senatu bellum maritimum curare.*) utramque structuram hic coniunctam haberi, quod confusionis genus quam late pateat diximus ad Catil. V, 9. ad Iug. I, 2. p. 3. LXV, 2. — *Ligurum* in exercitu Romano iam supra mentio fuit c. XXXVIII, 8. ubi v. — Pro *manipulis* in Guelf. 1. Vin. 2. Inc. 2. et ed. Venet. a. 1470. exstat *maniplis*. Fortasse non male; v. ad c. VII, 1. p. 40. Ita certe pronunciasse Romanos intelligitur ex Ovidii Fastis III, 117 sq. *Pertica suspensos portabat longa maniplos, Unde maniplaris nomina miles habet.*

§. 3. *minume cari et*] Haec verba Pomponius Laetus tanquam spuria eiecerat, eumque editores antiquiores fere omnes, ex recentioribus Weisius secuti sunt. Sed quum omnes omnino codd. ea retineant, Gruterus et Cortius iure revocarunt. Sensus autem quum sit *non multum desiderari transfugas, neque magno in damno censeri, si pereant*, simul eo tecte significatur negotium periculi plenissimum iis datum fuisse itineris explorandi. — *Imponere* absolute usurpatum illustravimus ad Catil. c. LI, 28. p. 254. Exemplis ibi laudatis hic addimus quae Faber contulit, Cic. p. Planc.

matus intentusque, item milites cogebat; neque secus, atque iter facere, castra munire, excubitum in porta cohortis ex legionibus, pro castris equites

c. 25, 62. *Sin emimus, quem villicum imponeremus.* Liv. VI, 18, 13. *Minore negotio, qui imperet patribus, imponetis, quam, qui resisterent imperantibus imposuistis.* XLII, 41, 14. *Euphranorem praefectum a me impositum occiderunt.* De absoluto verborum, quae dativum regunt, usu v. etiam ad c. I, 3. et XIV, 19. — *Merentis* non est *noxios*, sed ad utrumque verbum spectans significat *pro merito quemque aut laudatum esse aut increpitum*, ut iam Rivius recte vidit.

§. 4. *item — cogebat*] De vi et usu *item* particulae v. annotata ad Catil. c. XXVII, 2. Miro autem acumine Gerlachius supplendum censet *armatum intentumque.* Idem V. D. aniliter admodum nugatur de verbis *atque iter facere*, quae ut etiam tirones intelligere possent iam provisum est a Cortio, explicatione prodita „*eadem cura eademque cautione*, qua iter *faciebat*, etiam castra *muniebat.*" In tam frequenti enim usu *infinitivi historici* (v. Indic.) apud Sallustium, nemo ex verbis *non secus atque* pendere hanc formam mirabitur, qui reputaverit auctorem priorem enunciationem non extulisse subordinatam alteri, ut grammatici loquuntur, sed *coordinatam*, re ipsa monente; nam profectionis in hiberna aeque pars fuit *iter facere*, atque *castra* (cotidie) *munire*; cf. ad c. XCIX, 1. Quare si dixisset *eodem modo et iter facere, et castra munire*, quis insolentiam dicendi quereretur? Sed in re clarissima alii aliter locum corruperunt. Inepte enim in Fabr. 1. Inc. 1. Vinar. 2. Berger. Struv. Vratisl. 1. 2. Eccard. Guelf. 10. 12. Tur. 1. Cas. 4. Bern. 1. 3. Leid. I. Paris. B. E. nonnullis Gruteri et Wassii, Berol. 2. Misn. et Goerlit. legitur *atque iter faceret.* Quasi vero castra *non in itinere faciendo* munita essent! Ineptius Bipontini ex coniectura dederunt *neque secus atque ii* (sc. milites) *iter facere*, (sc. pedibus) colo post *facere* posito. Sed longe ineptissime Weisius turpem, qua vilissima ed. Gryph. min. foedata est, glossam intulit *neque secus, atque si hostes adessent, iter facere; castra munire*, quas perversitates refellere non attinet. — *In porta*, quod paene omnes codd. tenent, Gerlachius recte revocavit. Olim enim edebatur *in portis*, quod in uno Guelf. 7. exstat, neque aliam ob caussam praelatum fuit, quam quod VV. DD. pluralem necessarium putarent. Sed *porta* collectivo

auxiliarios mittere, praeterea alios super vallum in munimentis locare; vigilias ipse circumire, non tam diffidentia, futurum, quae imperavisset, quam uti mi-

sensu intelligitur; v. ad c. LVII, 4. Eadem, ut priores editores, caussa permotus et praeterea falsa structura deceptus Cortius scripsit *in portas;* putavit enim has voces ex *mittere* verbo pendere, quae pariter ut verba *pro castris* ex supino *excubitum* apta sunt.

non tam diffidentia, futurum, quae imperavisset] *Tam* particula, quae non legitur in Sen. 1. Guelf. 1. 2. Leid. E. H. I. K. L. N., perperam a Cortio omissa est, cui Faber non satis caute assentitur, *non* — *quam* pro *non* — *sed* positum dicens, ut sententia sit: Marium *nihil prorsus de militum accurata obedientia dubitasse*, tantummodo eos exemplo suo alacriores reddere voluisse. Sed neque est periti ducis ita securum esse de suorum obedientia, neque omnino haec sententia potest vocibus *non* — *quam* declarari. Nam quum particulis *tam* — *quam* duae sententiae sibi plane aequentur (v. ad c. XXXI, 14. coll. Plaut. Capt. II, 2, 60. 61. 62. 66. 86. Cic. Epp. ad Attic. XIII, 20.), negatione *tam* voci addita hoc efficitur, ut sententiarum aequalitas tollatur, alterâ quasi elevatâ, alterâ pondere auctâ. cf. Cic. Epp. ad Attic. IX, 2. *Eundum igitur est, nec tam ut belli, quam ut fugae socii simus*, h. e. ut belli quidem aliquantulum, magis tamen ut fugae socii simus. Id. Topic. c. I, 2. *Ego te non tam vitandi laboris mei caussa, quam quod id tua interesse arbitrarer, ut eos per te ipse legeres hortatus sum.* in Verr. II, 34, 83. v. Meiner de Particc. Lat. p. 490. Sed si ex duabus sententiis compositis altera tota negatur, id Latine non significatur *non quam*, sed *non* — *sed* particulis; cf. Iug. XIV, 23. CII, 12. Cic. p. Arch. p. c. 4, 8. Id. Epp. ad Famm. I, 9, 30. VI, 7, 17. XII, 14, 19. Iustin. XI, 7, 4. Quae autem a VV. DD. afferuntur exempla, quibus probetur *non* — *quam* pro *non* — *sed* dici, depravata sunt omnia, ita quidem, ut bonorum librorum fide vel in priore membro scribendum sit *non tam*, vel in posteriore *quam* in *sed* mutandum. Nam apud Liv. XXV, 15, 9. *Attinium facile elici ad certamen rebantur posse, non militum, quos perpaucos habebat, fiducia, quam iuventutis Thurinae*, et multi codd. et edd. ante Gronovium recte habent *non tam.* ib. II, 56, 9. *Laetorius, Quandoquidem non facile loquor, inquit, quam quod locutus sum, praesto, crastino die adeste;* ubi duo Hearnii codd. veram scripturam *non tam* servarunt. ib. XXVI, 18, 3. *Nec tamen*

litibus exaequatus cum imperatore labos volentibus

quem mitterent satis constabat, *quam illud*, *ducem extraordinaria cura deligendum esse*, ubi pro *tamen* scribendum esse *tam* in promptu est, quae vix potest coniectura appellari, frequenti *tam* et *tamen* particularum confusione, v. Drakenborch. ad Liv. XXII, 59, 13. Ex altero genere est locus Livii XXVI, 31, 2. *Non quid ego fecerim in disquisitionem venit*, *quam quid isti pati debuerint*, ubi complures codd. veram scripturam *sed quid* tuentur. Depravatio autem eo orta est, quod, quum in Lovel. 1. et 4. esset *sed numquid*, inde in aliis factum est *nam quicquid*; ex *nam* autem rursus ortum *quam*. Iustin. XII, 8, 4. *Tandem orare* (sc. milites Alexandrum), *ut reliquias saltem suas paternis sepulchris reddat*, *quorum non studiis deficiatur*, *quam annis*, ubi reponenda edd. antiqq. lectio *sed annis*. Nostro igitur loco paucorum codd. *tam* non habentium scriptura neque Latina est, neque, si esset, commodum sensum praeberet. Haud dubie enim Sallustius dicere voluit, Marium sane *ob diffidentiam aliquam*, ut decet cautum ac strenuum imperatorem, vigilias ipsum circumisse, sed *multo magis ut exemplo suo milites excitaret*. — Statim post longe plurimi codd. habent *diffidentia futuri*, *quae imperavisset*, in qua soloeca structura defendenda nequicquam laborarunt interpretes et grammatici. Ad unum enim omnes, velut Cortius ad h. l., Perizonius ad Sanct. Min. II, 9. p. 268. ed. Bau., Ramshornius Gramm. Lat. §. 206. A. 4. a. p. 697. ed. I. id unice agunt, ut numeri singularis cum plurali coniunctionem defendant, non via et ratione, sed exemplis, et inter se diversis, et a nostro loco alienissimis, quae vel parum emendate in edd. leguntur, vel per se sana portentosam explicationem experta sunt, qualia tetigimus ad Catil. XVIII, 1. p. 85 sq. et ad LVI, 5. p. 297. Sed ut parumper concedamus dici posse *futuri*, *quae*, quod nullo modo licet, maiorem, quam *numeri* diversitas, insolentiam habet *participium* ex *diffidentia* aptum. Num putas unquam dictum fuisse, aut potuisse dici, ut hoc utar, *anxius sum diffidentia redituri eius*, *quem misi?* vel *spes amici venturi me fefellit?* In his et similibus ut necessario accusativus cum inf. requiritur, ita etiam nostro loco ex *diffidentiâ* nihil aliud quam haec structura pendere potest. Cui quamquam facile satisfiat, si cum Muellero et Weisio scribas *futura*, *quae*, ut nonnulli codd. Gruteri habent, tamen, quia ita lectionis magna varietas nullo modo potest explicari, insolentius aliquid a Sallustio scriptum esse apparet. Verum igitur putamus quod in Guelf. 7. et

esset. Et sane Marius illoque aliisque temporibus

11. exstat *futurum, quae.* Inde enim numeri aequandi caussa in nonnullis Palatt. et Barb. 5. factum *futura quae*, in Guelf. 3. *futurum quod*, in Struv. Inc. 1. Vrat. 3. Leid. B. N. Bas. 4. Paris. z. et nonnullis Palatt. *futurorum quae*, in Sen. 2. Heuss. *futurorum quod*, scilicet ex coniectura versui superscripta et temere intellecta, in Vin. 1. Bern. 1. et Berol. 2. *futuri quod*, denique in plurimis vulgatum illud *futuri quae*, quod haud dubie ab iis profectum est, qui pingui Minerva *futurum* cum proximo vocabulo *diffidentia* conciliare studerent, de sequentibus plane securi. Iam si quaeris, quo tandem modo *quae* ad singularem infinitivi formam referri possit, pro nobis respondeat Gellius, qui, quum libro I, 7. retulisset, vitiosum nonnullis visum esse, quod apud Ciceronem in Verrem (V, 65, 167.) legatur: *Homines quocumque venerint hanc sibi rem praesidio sperant futurum*, doctum amicum inducit, illos vituperatores redarguentem, qui: „*Futurum*, inquit, non refertur ad *rem*, sicut legentibus temere et incuriose videtur, neque pro participio positum est, sed verbum est *indefinitum*, quod Graeci appellant ἀπαρέμφατον; neque *numeris*, neque *generibus* praeserviens, sed liberum undique et impromiscuum est. Quali C. Gracchus verbo usus est in oratione, cuius titulus est *De Q. Popilio circum conciliabula*, in qua ita scriptum est: *Credo ego inimicos meos hoc dicturum. Inimicos*, inquit, *dicturum*, et non *dicturos*. Videturne ea ratione positum esse apud Gracchum *dicturum*, qua est apud Ciceronem *futurum?* sicut in Graeca oratione sine ulla vitii suspicione omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuuntur huiuscemodi verba ποιήσειν, ἔσεσθαι, λέξειν, et similia. In Q. quoque Quadrigarii tertio Annali libro verba haec esse dixit: *Dum ii conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum* In duodevicesimo Annali eiusdem Quadrigarii principium libri sic scriptum: *Si pro tua bonitate et nostra voluntate tibi valetudo suppetit, est quod speremus deos bonis bene facturum.* Item in Valerii Antiatis quarto et vicesimo simili modo scriptum: *Si hae res divinae factae riteque perlitatae essent, haruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse.* Plautus etiam in Casina (III, 5, 51.) quum de puella loqueretur *occisurum* dixit, non *occisuram*, his verbis: *Etiam habet Casina gladium? Habet, sed duos Quibus altero te occisurum ait, altero villicum.* Item Laberius in Gemellis: *Non putavi*, inquit, *hoc eam facturum.* Non ergo isti omnes soloecismus quid esset ignoraverunt, sed *dicturum*, *futurum*,

Iugurthini belli pudore magis quam malo exercitum coercebat; quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars quod a pueritia consuetam duritiam et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset; nisi

bene facturum, *occisurum*, *processurum*, *facturum* indefinito modo dixerunt, qui modus *neque in numeros*, *neque in personas*, *neque in genera*, *neque in tempora distrahitur*, *sed omnia isthaec una eademque declinatione complectitur.*" — His Gellii equidem non habeo quae adiiciam; nisi clarum est *futurum esse* prorsus ita ut *fore esse* usurpatum, ac Sallustium paullo antiquiorem dicendi morem secutum esse. Hunc morem Zumptius quoque ad Ciceronis l. l. p. 983. agnoscit, quamquam Ciceroni ipsi abiudicandum censet. — De verbis *uti militibus labos volentibus esset* v. ad c. LXXXIV, 3.

§. 5. *illoque aliisque*] Cortius, eoque auctore multi alii, scripserunt *illo et aliis*, ut legitur in Nazar. et Mark. *A*. Sed non est cur plurimorum codd. scripturam deseramus (v. ad c. X, 2. p. 51.), praesertim quum geminatam copulam in contextu fuisse eo quoque pateat, quod in Berg. Teg. Erl. Bas. 4. legitur *illo = que et aliis temp.* — *Iugurthini*, quod in nullo cod. deest, Cortius inconsulto omisit, quia calami lapsu in Academ. *Iugurtham* exaratum est. — *Pudori magis quam malo*, i. e. magis suo exemplo, *quod non sequi pudori esset* militibus, quam *poena*. cf. Caes. B. G. I, 40, 14. *Dixit se castra moturum, ut quamprimum intellegere posset, utrum apud eos pudor atque officium, an timor valeret.* Terent. Adelph. I, 1, 32. *Pudore et liberalitate liberos Retinere satius esse credo, quam metu.* — *Malum* pro *poena* dictum illustrat Gronovius ad Senec. de Ira I, 16. *Idem delictum in duobus non eodem malo afficiet.* Terent. Adelph. I, 1, 44. *Malo coactus qui suum officium facit, Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.* Liv. II, 54, 10. *Malo domandam tribuniciam potestatem.* IV, 49, 13. *Auditis, Quirites, sicut servis malum minantem militibus.* cf. Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 4, 20. et, quos locos Faber attulit, Cic. de Finn. II, 22, 71. in Verr. II, 59, 145. — *Pars* tantummodo exstat in cod. Bongars. Palat. 3. Tur. 1. nonnullis Cortii, Paris. b. c. x. z. et Berol. 2. In ceteris vocabulum deest, haud dubie propterea, quod librarii verbis sequentibus *ambitionem* illustrari putarent, non assecuti, *alteram* sententiam de Mario, labores omnes subeunte, afferri. Ceterum *ambitionem* h. l. spectare ad favorem

tamen respublica pariter ac saevissumo imperio bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores citi sese

militum conciliandum Cortius bene monuit, coll. c. LXXXVI, 3. XLV, 1. LXIV, 5. — De verbis *consuetam — habuisset* v. ad c. LXXXV, 7. — *Nisi tamen* particulas non referri ad verba proxime praecedentia, sed ad sententiam cogitatione supplendam, iam diximus ad c. XXIV, 5. coll. annotat. ad c. XCV, 3. Ita autem nexum sententiarum supplebis: *Incertum igitur, utri verius iudicaverint; nisi tamen hoc certum est, rempubl. — decore gestam esse.* — *Rempublicam bene gerere* quid esset quum nesciret Weisius, invitis omnibus codd. *publicam* delevit. Pessime. Illis enim verbis in universum significatur *rebus gestis bonum publicum* (v. ad c. XXV, 3.) *iuvare et augere.* cf. Brisson. de Formull. II. p. 192. ed. Bach. Cic. in Pison. c. 19, 25. *Senatus in consuetudinem venit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, novis honoribus afficiat.* ibid. c. 40, 97. *Scribere ad senatum a te bene rempublicam esse gestam non ausus es.* id. Philipp. XIV, 8, 24. *Supplicatio ob rempublicam pulcherrime gestam.* v. Drakenborch. ad Liv. XXXI, 48, 12. XLI, 28, 9. XLII, 9, 5. Plura contulit Gronovius ad VIII, 31, 2. — *Saevum imperium* h. l. non est *crudele*, sed *valde severum*, *durum*, *humanitate non lenitum*; cf. supra c. XLV, 1. et Ruhnken. ad Ter. Andr. V, 2, 27. Drakenborch. ad Liv. II, 44, 10.

CI. §. 1. *speculatores citi*] *Speculatores* sc. a Mario praemissi. — *Citi*, i. e. citato cursu, *cito*, ut Tur. 1. male habet a m. pr., adiectivo loco adverbii posito; v. ad c. XXXVIII, 1. Boetticher. Lex. Tacit. p. 37. §. 4. cf. Plaut. Amphitr. I, 1, 89. ib. V, 1, 59. Sueton. Tiber. c. XXXIII. Tit. c. V. Tacit. Hist. III, 47. Caes. B. G. I, 16, 5. — *Intellegitur*, quod Ramshornius Gramm. Lat. §. 168. B. 4. not. 2. p. 431. ed. I. recte observavit accusativum c. infin. regere, Faber contendit hic contra morem cum nominativo coniunctum esse; neque id sine exemplo est; cf. Cic. de Orat. II, 68, 243. *Hominum mores ita effinguntur, ut quales sint intelligantur.* Sed quid impedit, quominus *hostis* pro accus. plurali habeamus? Nimirum librariis eodem errore, quo Faber, deceptis, accusativi in *is* terminatio corruptrices eorum manus evasit. cf. ad Catil. I, 1. Iug. LXIV, 6. XC, 2.

2 ostendunt, qua re hostis adesse intelligitur. Sed quia divorsi redeuntes, alius ab alia parte atque omnes idem significabant, consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, ad-
3 vorsum omnia paratus ibidem operitur. Ita Iugurtham spes frustrata, qui copias in quattuor partis distribuerat, ratus ex omnibus aeque aliquos ab tergo

§. 2. et 3. *alius ab alia parte*] Haec verba, a Grutero inepte pro glossa habita, perspicuitati narrationis inservire non est dubium. Errant tamen, qui ad praecedentia *divorsi redeuntes* referunt, cui rei *atque* prorsus obstat. Quare ad *significabant* trahenda sunt, hoc sensu: quia d. r. *ex variis locis nunciabant* visa, *et quidem* omnes eadem. *Atque* enim ea vi positum, quam illustravimus ad c. XCII, 4. — Pro *ita* codd. pauci ac deteriores habent *igitur*, quod Weisius ex corruptis edd. recepit. — *Aeque* valde torsit interpretes. Ut antiquiores omittamus, Wassius interpretatur *facile, fere, prope;* Cortius coniungit *aeque a tergo*, explicans *gerade von hinten zu;* Bipontini esse volunt *certe;* Muellerus idem valere censet atque graecum *ἴσως;* qua sententia non plane reiecta Gerlachius in Commentt. p. 328. vocem ait magis respondere graecae particulae *ὅμως*, *tamen;* Gronovius vero corruptum putans *utique* legendum suasit, interpretatus *minimum*, *dumtaxat;* prorsus autem delendum iudicat Voigtlaenderus in Forcellini Lex. h. v. T. I. p. 93., utpote ex sequente voce *aliquos* ortum. Sed vere Handius de Particc. Lat. Vol. II. p. 198. „Omnia haec, inquit, mirabili audacia conficta sunt. Iugurtham sua spes fefellerat, dum Marius *in quadrati agminis statione* persistit; ipse enim copias in quattuor partes ita distribuerat, ut, ubicunque Marius processisset [quem putabat non quadrato agmine, sed exercitu *in unum coniuncto* ire], ex *omnibus his copiis aequo modo* paratum esset aliquibus, ut hostibus ab tergo venirent. Cohaerent igitur verba *ex omnibus aeque;* quod, si rem ad hostium impetum retuleris, idem valet, ac si dixisset, in quocumque hostium incessu.“ Per se igitur patet *aliquos* esse *unam* ex *quattuor* illis partibus.

§. 4. *hostes attigerant*] *Hostes*, quod vocabulum non est in cod. Bongars. Fabr. 1. 2. Med. 8. et Vatic. 1., Cortius temere eiecit. — Idem perverso iudicio ductus verba *ipse aliique* a scribis

hostibus venturos. Interim Sulla, quem primum 4
hostes attigerant, cohortatus suos, turmatim et quam maxume confertis equis ipse aliique Mauros invadunt, ceteri in loco manentes ab iaculis eminus emissis corpora tegere, et si qui in manus venerant obtruncare. Dum eo modo equites proeliantur, Boc- 5
chus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxe-

illata censet, prorsus inepte *invadunt* ita intelligendum esse praecipiens, quasi praecessisset *Sulla cum suis.* Alio modo peccavit Langius, qui verba *ipse aliique* interpretatur *ipse cum parte equitatus sui,* ut *ceteri* sint *ceterae turmae equitum;* quasi vero in hoc equestri proelio summa vi commisso Sulla *parte* tantum suorum usus sit, ceteros otiosos reliquerit. Non minus male Muellerus *aliique* intelligi vult *eos, qui proximi erant equitatui Sullae, ex agmine ipso;* cuius rei ne minimum quidem indicium in Sallustii verbis apparet. Quid quaeris? *aliique* sunt *praefecti equitum*, cum *ipso* duce Mauros invadentes. *Ceteri* autem intelliguntur tres ceterae partes quadrati agminis, quibus Manlius in sinistra parte, in primo et extremo agmine tribuni praeerant; cf. c. C, 2. Solos autem equites, et quidem *omnes* Sulla duce pugnasse, non tantum clarissime ostendunt sequentia *dum eo modo equites proeliantur* etc., sed ex eo quoque perspicitur, quod *ceteri corpora texisse* dicuntur. Quod quum scutorum ope fiebat, quibus pedites utebantur, *ceteri* non potuerunt *equites* esse. cf. Liv. XLII, 65, 7. *In orbem milites coegit, ut densatis scutis ab iactu sagittarum et iaculorum sese tuerentur*, ubi Dukerus contulit XXVIII, 2, 6. XXXII, 17, 13. — *In loco* sc. quem tenebant, i. e. suo. v. ad Cat. c. IX, 4. p. 49. et ad Iug. LII, 4. — *Ab iaculis tegere* non idem esse atque *contra iac. teg.*, sed defensionis potestatem, quae *ab* particula adiuvatur, a primaria *remotionis* notione esse repetendam, recte monuit Handius de Particc. Lat. Vol. I. p. 40. §. 4. cf. Zumpt. Gramm. Lat. §. 74, 9. not. 1. p. 361. ed. IV. — *In manus venerant* supra explicavimus ad c. LXXXIX, 3.

§. 5. *neque in priore pugna, in itinere morati, affuerant*] Haec verba a Bipp., Muellero et Gerlachio male in parenthesin coacta sunt, ignoratione usus loquendi. Nam ubi *duae* enunciationes secundariae per relativum primariae enunciationi annectendae

rat, neque in priore pugna, in itinere morati, affuerant, 6 postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit; ibi

sunt, saepe fit, ut loco alterius relativi demonstrativum, vel eodem casu, vel alio ponatur, cum relativo commutandum nobis, si constructionis ἀκρίβειαν requirimus. v. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 159. 1. 2, f. not. p. 358. et Aug. Grotefendi Grammat. Lat. ampl. Vol. II. §. 285. p. 206. et §. 534. p. 439. cf. Cic. de Finn. II, 2, 5. *Finem definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur*, pro *quodque ipsum nusquam* etc. id. Orat. c. 2, 9. *Ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat*, i. e. *in quaque defixus*. Pluribus exemplis hunc usum illustravit Ellendtius ad Cic. Brut. c. 74, 258. *Omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur*, ubi *nec eos — infuscaverat* mutandum in *quosque — non infusc.* id. Epp. ad Attic. X, 16. *Cato, qui Siciliam tenere potuit, et si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent*, quod proprie dici debebat *ad quem omnes boni* etc. Plaut. Rud. II, 1, 2. *Qui pauperes sunt homines, miseri vivunt, Praesertim quibus nec quaestus est, nec didicere artem ullam*, i. e. *quique non didic.* Ter. Adelph. I, 2, 4. *Quid ille fecerit? Quem neque pudet Quicquam, nec metuit quemquam*, i. e. *quique non met.* Ita nostro loco *neque* (ii) *affuerant* dictum est pro eo, quod est *quique — non affuerant*. cf. etiam Kuehnerum ad Cic. Tusc. V, 3, 8. p. 312., qui laudat Hermannum ad Viger. p. 708. et Oehsner. Eclog. Cic. p. 317. — *Prior pugna* est, quam narravit c. XCVII — XCIX. — De plurali *invadunt* ex verbis *Bocchus cum peditibus* apto diximus ad Cat. c. XLIII, 1. p. 197. cf. Iug. XXXVIII, 6. Fragm. Hist. III, 11, 6. Gerl. et v. Handium de Particc. Lat. Vol. II. p. 137 sq. §. 3.

§. 6. *agebat*] Multi codd. pro *agebat* tenent *erat*, nonnulli contra post *plurimis* pro *erat* habent *agebat*, pauci *instabat*. Sed vulgata, haud paucis codd. firmata, optime habet, neque male

Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: nostros frustra pugnare; paullo ante Marium sua manu interfectum; simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis impigre occiso pedite nostro cruentaverat. Quod ubi milites ac- 7

Cortius *agebat* verbo censet industriam ardoremque Marii describi. — *Primos* Langius pessime dicit esse Sullae *equitatum*, quem apud dextumos curasse patet ex c. C, 2. Intelligendi sunt *pedites*, in primo agmine constituti. — *Numida* i. e. Iugurtha; v. ad c. LXXXI., 3. Inepta est enim nonnullorum sententia, intelligendum esse *unum ex Numidis*; quippe non viderunt hoc sensu dicendum fuisse *quidam Numida*, ut c. XCIII, 2. — Ad quos autem *pedites* converterit Iugurtha, valde ambigitur ab interpretibus. Cortius enim et Faber *Bocchi* pedites intelligunt, Bipontini et Langius *Romanos*, in extrema acie cum his pugnantes; sed neutrum fieri potest. Iugurtha enim, apud *primos* cum Mario confligens, non poterat ad postremos pervenire, nisi dextram partem, ubi Sulla erat, aut sinistram, ubi Manlius curabat, praetergrediens; quod, ut re ipsa impediebatur, ita, si factum esset, non potuisset a Sallustio verbo *convortit* significari. Quare pedites intelligendi sunt vel ipsius primae aciei, ubi Iugurtha erat, vel in ea sinistri lateris parte, quae primam aciem attingebat, versantes; utrum tamen Romani fuerint, an Numidae, vix certo potest ex verbis paullo obscurioribus erui. Ac Muellerus quidem *Numidas Iugurthae* cum A. Manlio pugnantes significari putat. Sed si reputaveris Iugurtham dolum de interfecto Mario finxisse, non tam ut *suos* erigeret, quam ut *Romanos* perturbaret, ac propter id ipsum *Latine* locutum (quid attinebat enim *Numidis Latine* dicere?), praeterea hanc narrationem continuo excipere verba *quod ubi milites* (*Romani*) *accepere*, fortasse mecum iudicabis ad *Romanos* se convertisse Iugurtham. *Clam* autem id fecisse videtur, ne Marius, quocum certaverat, si ipsum abeuntem conspiceret, sequeretur, dolumque praesentia sua eluderet. Sed iudicent acutiores, num recte impeditum locum intellexerimus. Gerlachius certe, ut solet in obscurioribus, haec omnia docto silentio transiit. — Pro *convortit* in Guelf. 4. est *se conv.*, Rem. 1. *convertitur;* v. ad Cat. VI, 7. — Pro *ostendere* Priscian. X, 7, 39. p. 501. ed. Kr., hunc locum memoriter laudans propter *oblitum*, habet *ostentans*.

cepere, magis atrocitate rei quam fide nunci terrentur, simulque barbari animos tollere, et in perculsos
8 Romanos acrius incedere. Iamque paullum ab fuga aberant, quum Sulla, profligatis iis, quos advorsum
9 ierat, rediens ab latere Mauris incurrit. Bocchus statim avortitur. At Iugurtha, dum sustentare suos et probe iam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit.

§. 7. et 8. *quam fide nunci*] i. e. non quod eum, qui Marium interfectum nunciabat, verum dixisse fideque dignum esse credebant, sed quod res ipsa, nulla auctoris ratione habita, vehementissime eos commovebat. — Quod deinceps narratur *simul barbaros animos sustulisse*, non eo factum, quod Iugurtham Latine loquentem intellexerint, ut Langio videtur, sed quod adversarios territos ac consternatos videbant. — *Romanos* Cortius invitis omnibus codd. suis delevit. Postea Gerlachius in Med. 1. 2. Vat. 4. 5. deesse reperit, eoque in Commentt. p. 329. delendum censet, in ed. novissima sententiae suae immemor. — *Quum* in apodosi positum illustravimus ad c. XII, 5. p. 64. — *Iis*, pro quo pauci codd. tenent *his*, Cortius praeeunte Wassio eiecit, non satis reputans non semper quod possit fieri etiam fieri debere, quae res illi multorum errorum caussa exstitit. — De anastrophe praepositionis in verbis *quos a d v o r s u m* v. Zumptii Gramm. Lat. §. 65. 6. p. 264. ed. IV., qui tamen hunc usum paullo angustioribus finibus circumscripsit, ad solum relativum et quattuor particulas *ante*, *contra*, *inter* et *propter* revocans. cf. Ruddimann. Institt. Gramm. Vol. II. p. 335. et Ramshornii Gramm. Lat. §. 161. 3. p. 379 sq. Nep. Con. c. II, 2. *Hunc a d v e r s u s Pharnabazus habitus est imperator.* Plura contulerunt Daehnius ad Nep. Paus. c. IV, 4. Ruhnken. ad Vell. II, 91, 2. Aug. Matthias ad Cic. p. Mur. c. 4, 9. Beier. ad Off. I, 15, 49. p. 120. Goerenz. ad Legg. I, 21, 55. p. 89. — *Rediens* post *ierat*, quae vox ad praecedentia spectans perspicuitati haud parum inservit, temere a Cortio repugnantibus codd. eiecta est. Idem vulgatum ordinem verborum *ab latere Mauris* sine idonea codd. auctoritate, vix enim unus alterque assentitur, sic immutavit, ut *Mauris* primo loco

Atque interim Marius fugatis equitibus accurrit auxi- 10
lio suis, quos pelli iam acceperat. Denique hostes 11
iam undique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentibus; sequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri afflicti, ac multi volneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati, niti modo, ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.

poneret, pueriliter cavens, ne verbis *quos advorsum ierat, rediens ab latere Mauris* hexameter orationi inferretur; quod quale sit intelliges ex iis, quae diximus ad Catil. XIX, 5. coll. Frotscheri annot. ad Iug. V, 1. p. 29. et Noltenii Lex. Antibarb. p. 1800 sqq. *Mauris* tuentur longe plurimi codd.; pauci ex Cortianis habent *Mauros*, quae constructio, quamquam recte habet (v. Tacit. Ann. I, 51, 3. II, 17, 1.), tamen non est cur hic vulgatae praeferatur. cf. Tacit. Ann. II, 16, 2. *Cherusci iuga insedere, uti proeliantibus Romanis desuper incurrerent.* Liv. XXII, 17, 6. *Primo attoniti constiterunt; deinde levi armaturae hostium incurrere.* id. XXVIII, 15, 3. *Peditum signa cornibus incurrerunt*, ubi plura comparavit Drakenborchius.

§. 9. et 10. *adeptam victoriam*] De passiva vi *adeptos* participii v. ad Cat. VII, 3. — Pro *dextra*, *sinistra* pauci codd. habent *d. sinistraque*, aut *d. et sinistra;* sed v. ad Cat. XI, 2. Iug. LX, 4. et LXXII, 2. — *Omnibus occisis*, sc. equitibus regiis, de quibus v. LIV, 4. — *Vitabundus* illustravimus ad c. XXXVIII, 1. — *Accurrit auxilio* vera est lectio, ante Cortium in edd. vulgata, et plurimis *optimisque* codd. firmata. Cortius scripsit *occurrit aux.*, ut est in Berg. Struv. Ecc. Guelf. 4. 6. 7. 10. 11. 12. Med. 5. 8. 9. Ven. 2. 4. Vat. 1. 3. 4. 5. Min. 2., quorum auctoritate permotus Gerlachius in Commentt. p. 329. probavit, sed, ut est mobili ingenio, in ed. min. rursus damnavit. Vix est autem quod moneam *accurrit* verbo multo aptius ardorem atque industriam Marii declarari, quam altero, quod Faber non satis circumspecte exemplis nonnullis defendere studet; nam loci Ciceronis p. Deiot. c. 14, 40. et Auctoris B. Afric. c. 18, 1. aliam explicandi rationem habent, apud Livium

CII. Post ea loci consul haud dubie iam victor pervenit in oppidum Cirtam, quo initio pro-
2 fectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos

autem XXXVI, 24, 4. scribendum est *concurrunt*, ut Drakenborchius recte vidit. — *Iam* post *hostes* Cortius exigua fide Guelf. 3. et Eccard. omisit. — Eadem levitate idem se gessit tum in delenda *in* praepositione ante *campis*, quae in Fabr. 1. 2. et Leid. M. deest, tum in eiicienda *atque* copula inter *equi* — *viri*, quam solus Guelf. 6. non habet. In summo enim ceterorum consensu asyndeton, de quo paullo ante ad §. 9. diximus, non admittendum est. — *Afflicti* explicavimus ad c. LX, 7. — *Niti*, non *ad incedendum*, ut Cortius vult, sed potius *ad surgendum*, ut Faber recte explicat. — Ceterum hanc caedis ac fugae hostium descriptionem non minore arte imitatus est Tacitus in Agric. c. XXXVII. *Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum. Sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare; quidam inermes ultro ruere, ac se morti offerre. Passim arma et corpora, et laceri artus, et cruenta humus.*

CII. §. 1. et 2. *Post ea loci*] De usu et ratione huius dictionis v. ad c. LXIII, 6. Recte autem Faber *post ea* divisim scripsit; quod cur probabile nobis videatur, ibidem diximus. — *Regis verbis* explic. ad c. XXI, 4. p. 135 sq. — Rationem *petivere* perfecti illustravimus ad Catil. c. XVII, 2. et XXXIX, 5. — *Duos* omnes tenent codices; Cortius scripsit *duo*, quod non vidit, sed suspicatur tantummodo in Fabr. 1. exstare; v. ad XXI, 4. et XXIII, 2. — Idem male edidit *de se* pro *de suo*, quod paene omnes codd. tuentur; nam solus Bas. 1. in textu habet *de se*, inter versus autem *de suo*, contra Paris. b. z. veram lectionem ostendunt a m. pr., *de se* a m. sec. traxerunt, quod etiam Gerlachius in ed. maiore (nam in min. ad verum rediens de se ipso descivit), et Faber receperunt. Quod hic autem *suo* incommodum sensum habere dicit, concedo, si de Boccho intelligendum putavit. Sed *suo* haud dubie ad *Marium* pertinet, cuius aeque magni, atque populi Romani intererat, Bocchum a societate Iugurthae avocari, eaque caussa plurimum valebat, ut statim Bocchi rogatis satisfaceret. — *De* ante *populi*

quam fidissumos ad eum mitteret; velle de suo et de populi Romani commodo cum is disserere. Ille 3 statim L. Sullam et A. Manlium ire iubet; qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere, uti ingenium aut avorsum flecterent,

non legitur in Tur. 1. Misn.; quam male, intelliges ex annotatione ad Catil. c. XLIX, 1. p. 226. et ad Iug. c. XIII, 3. — *Cum is* exhibet Eccard. Guelf. 6. Misn., *c. iis* Paris. z., ceteri *cum his,* quod Gerlachius in utraque ed. recepit. De *is* pro *iis* v. supra ad c. XVII, 2. p. 101.

§. 3 et 4. *Ille*] De usu huius pronominis v. annotata ad Catil. c. XLV, 2. p. 205. et ad Iug. c. LIX, 3. — Verba *quamquam acciti ibant* pessime accipit Weisius, annotans: *sc. ab rege, ita ut supervacaneum videretur, regi pacem suadere.* Nimirum legati, quamquam acciti, verba faciebant apud regem, quia ita postulabat maiestas populi Romani, vel potius, quia mos erat Romanis ubique dominos agere omnibusque regibus quid ipsi fieri vellent praescribere. — Ad *placuit* non supplendum est *iis,* sed *Mario,* cuius arbitrio haec gerebantur. Inde per se patet, quum accusativus subiecti desit, quo *legati* verba facturi significentur, proprie non dici debuisse *qui q. a. ibant, tamen placuit* etc., sed *quos, q. a. ib., t. plac.* Sed omisso in enunciatione secundaria demonstrativo pronomine, quippe quod in *ibant* verbo lateat, relativum, quod ad primariam enunciationem pertinere debebat, per attractionem eo casu, quem demonstrativum poscebat, positum est, quod structurae genus uberius illustravimus ad c. XCIII, 7. — Verba *uti ingenium aut aversum flecterent,* hoc ordine scripsimus, quo exstant in compluribus codd. Gruteri, fortasse etiam Wassii, omnibus Leidd. excepto K. et M., et, si Cortius omnes suos inspexit, in Rem. 1. 2. Guelf. 8. 9. 10. 11. 12. Sen. 2. Heuss. Acad. Vrat. 1. 3. In ceteris haec varie turbata sunt, quae caussa fuit, cur Cortius, quem omnes secuti sunt, ex paucis Rivii codd. ederet *ingenium aut avorsum uti flecterent,* opinatus omnes discrepantias ex insolito particulae loco prodiisse; quod multum a vero abhorret. Turbarum enim fons hic est, quod *uti* iam mature casu excidit; deest enim in Fabric. 1. 2. Bas. 1. Teg. Struv. Vin. 2. Sen. 1. Vratisl. 2. Eccard. Guelf. 1. 2. 4. 6. Tur. 1. Paris. b. c. x. z. nonnullis Palatt. et Italis. Tum scribae, quum viderent finali particula opus esse, *ut* versui superscri-

4 aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cuius facundiae, non aetati a Manlio concessum, pauca verba huiuscemodi locutus:

5 Rex Bocche, magna nobis laetitia est, quum

pserunt, quemadmodum conspicitur in Goerlit., quod postea in textum illatum in Berol. 1. 2. et ed. Venet. a. 1470. ante *avorsum*, in codd. Rivii post *avorsum* locum accepit. Alii defectum orationis non *ut*, sed *quo* vocula sarserunt, velut in Misn. Leid. K. Erl. et Flor. 19.; alii barbara aetatis suae latinitate scripserunt *quod ing.* etc. velut in Ven. 1. Taurin. Eichh. For. 24.; denique in Leid. M. est *qui ing.* etc. Ex quibus omnibus patet, opinor, Cortii et reliquorum editorum scripturam aeque falsam esse, atque ceteras discrepantias. — Pro *avorsum* pauci codd. tenent *advorsum*, facili quidem et frequenti lapsu (v. ad XCIII, 1.), sed sensu non aeque bono propter *flectitur;* nam licet utrumque de re *inimica* dicatur, tamen *adversa* impetu contra facto superantur, *aversa* vero arte et lenitate circumaguntur et quasi in rectam viam reducuntur, quamquam non ubique ad hanc notionem respicitur. Perperam autem Langius et Iaumannus *avorsum* explicant *a pace*, i. e. *paci contrarium.* Nam *avors. ing.* in universum est *inimicum, alienatum, infestum;* cf. Cic. Epp. ad Attic. XI, 5, extr. *Quintus aversissimo a me animo fuit.* Liv. XXIV, 26, 10. *Aversis auribus animisque quosdam cernebat.* Tacit. Ann. XIV, 26, 1. *Quos aversos animis cognoverat.* v. Drakenborch. ad Liv. II, 31, 6. et ad VII, 3, 2. Ceterum *aut* geminatum ad praedicati, non ad adiectivorum oppositionem spectat; *avorsum* enim et *cupidum* vocabula vim habent enunciationum condicionalium, hoc sensu: uti ing. aut, *si avorsum esset*, flecterent, aut, *si cupidum p. esset*, veh. accenderent; cf. c. XCVII, 3. — *Facundia* quid sit intelliges ex annotatis ad c. LXXXV, 26. Sullam auctor iam supra c. XCV, 3. dixit *facundum.* — De *concedere* verbo v. ad c. XI, 4. p. 58.

§. 5. *Rex Bocche*] Orationem apud aliquem habitam a vocativo, quo is appelletur, incipere, non plane est ex usu Latinorum, ut Faber recte observavit, coll. Iug. XIV, 1. Sed idem bene vidit, non sine maiore aliqua dignitatis et honoris significatione fieri, ut nomen eius, quem quis alloquitur, toti orationi praemittatur. Neque aliam ob caussam hic *rex* vocabulum ante ipsum nomen viri collocatum est; v. ad c. XIX, 7. p. 125. — *Est* post *laetitia* non

te talem virum di monuere, uti aliquando pacem quam bellum malles, neu te optumum cum pessumo omnium Iugurtha miscendo commaculares, simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te er-

habetur in Fabr. 1. et Flor. 1. Delevit Cortius, probante Gerlachio in Comment. p. 329., non item in ed. min. — *Quum* Faber pro *quod* positum censet, indicativum legitimum dicens, quia laetitia ad *caussam* in *facta re* positam referatur. Utrumque falsum. In tali enim sententia non *quum*, sed *quod* usurpatur, ut diximus ad c. LXXX, 6., neque unquam *quum*, ubi *caussam* significat, cum indicativo construitur, frustraque Faber, ut hoc probet, ad Ramshornii Gramm. Lat. §. 194, 2. not. p. 613. ed. I. remittit, ubi nihil est, quod ad rem faciat. Tenendum est potius *temporis* potestatem, quam *quum* particula *indicativo* iuncta semper habet, et hic, et omnibus aliis locis, ubi pro *quod* positam dicunt, integram manere, eamque ita tantum *caussae* significationem attingere, quatenus utroque modo ad aliquam actionem, quae vel *praecessit* alteram, vel *eodem tempore* continetur, respicitur, qui respiciendi modus ita comparatus est, ut coniunctivo posito *internus* nexus inter praecedentem caussam et effectum sequentem declaretur, indicativo *externa* tantum *temporis* diversi ratio indicetur. Ita nostro loco *laetitia* a monito deorum non tanquam *a caussa* repetitur, sed istud monîtum simpliciter dicitur laetitiam *praecessisse*, quo fit, ut *quum* hic idem fere valeat atque *postquam* sive *ex quo*, aliis autem locis ad vim *quando* vocis, de quo infra §. 9. dicimus, accedat. cf. Cic. Epp. ad Famm. IX, 14, 6. *Gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam*, i. e. *postquam id effectum est, ut tantum valeas*, gratulor tibi. ibid. XIII, 24, 3. *Tibi gratias ago, quum tantum litterae meae potuerunt.* ibid. VII, 28, 2. *Vidisse mihi multum videris, quum te in Graeciam contulisti.* ibid. XVI, 12, 12. *Tu, quum eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego operam desideravi tuam, cave festines.* de Finn. III, 2, 9. *Praeclare facis, quum et eorum memoriam tenes, — et puerum diligis;* ubi memoria hominum puerique amor cogitatur ut *praecedens*, cui subiicitur laudatio tanquam *sequens*. Plaut. Rud. IV, 8, 6. *Quid? patri etiam gratulabor, quum illam invenit?* Poen. I, 2, 82. *O multa tibi dent bona, quum mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum.* Ter. Heaut. IV, 8, 1. *Multo omnium me nunc fortunatissimum*

6 rantem et illum sceleratissumum persequi. Ad hoc populo Romano iam a principio melius visum, amicos quam servos quaerere; tutiusque rati, volentibus
7 quam coactis imperitare. Tibi vero nulla opportu-

factum puto esse, gnate, quum te intelligo resipisse. Plura huius generis Gronovius collegit ad Liv. XXXIX, 12, 7., quibus locis omnibus *quum* caussae vim non habet. v. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. p. 344. §. 421. not. 1, 3. et imprimis p. 317. §. 393. not. 3. — *Talem,* v. ad c. X, 8. p. 56. — *Aliquando* cum vi pro *tandem aliquando* dictum illustravimus ad c. LXII, 1. — De *simul* particula egimus ad Cat. XIX, 2. — *Persequi,* quod Cortius cum aliis vult pro gerundio *persequendi* positum esse, pendet ex coniunctis verbis *demeres necessitatem* i. e. *non cogeres;* v. ad Cat. XXX, 5. p. 139. Iug. LXXXIX, 3.

§. 6. *iam a principio*] In plerisque codd. et edd. post *principio* adiicitur vox *inopi*, quam non dubitavimus tanquam turpem depravationem eiicere, quamvis Gerlachius in Commentt. p. 329. tueatur, qui mirifico acumine „*inopi* inquit, quo insolentius, eo verius" !? Sed veri non capax V. D. non cogitavit ineptum esse, *inopem* populum *servos quaerere*, cui propter res angustas vix amici sint; ineptum etiam, Sullam magniloquentiae Romanae adeo oblitum esse, ut Boccho, quem vel maxime opinione Romanae magnitudinis et potentiae implere studet, *inopem* fuisse populum Romanum narret. Praeterea quum *inopi* arctissimo nexu coeat cum verbis *iam a principio*, ne efficitur quidem ea, quam Gerlachius vult, sententia, *olim* tantum *inopem fuisse* populum Romanum; sed hoc dicitur, *et olim fuisse, et etiamtum esse inopem* (v. ad c. XXIX, 2. p. 164 sq.), quod longe est ineptissimum. Quare certum est veram lectionem exhibere eos codices, in quibus *inopi* deest; sunt autem hi, Guelf. 1. 3. 4. Fabr. 2., aliquot Manutii, Palat. 4. Arondel. Tur. 1. Goerl., quattuor a Sellingio collati (v. eius Lectt. Sall. p. 34.), et Paris. z. a m. pr. Nisi autem statuas *inopi* ab insulso homine in Sallustii verba esse illatum, probabilius videtur ex male repetitis syllabis praecedentis vocabuli *principio* ortum esse, ut Faber censet, quam ex *imperi* vocabulo, quod Sellingius l. l. coniicit a librariis additum compendioque *impi* scriptum facile in *inopi* abiisse; quae coniectura, quamquam valde acuta, tamen ne minimo quidem codd. auxilio sustentatur. Utcunque est igitur, te-

nior nostra amicitia; primum, quod procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par, ac si prope adessemus; dein, quod parentis abunde habemus, amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis

mere certe Gerlachius vulgatam retinuit, temere Cortius *a principio* et *melius* verba delevit, *inopi* servavit, temere Bipontini *inopi melius* in *reipublicae* mutarunt. — *Que* copulam *tutius* comparativo additam non habet Inc. 2. Guelf. 7. Goerl., horumque fide delevit Cortius, non assecutus enunciationes, quibus antecedentium ratio redditur, saepissime per copulam prioribus annecti; v. annotata ad Cat. XIX, 2. et ad Iug. II, 3. p. 11. Gerlachius, in ed. mai. Cortium secutus, in Commentt. p. 329. id male factum profitetur; nihilominus in ed. novissima, quasi sibi illudens, ad falsam scripturam redit. Cortii auctoritate deceptus etiam Aug. Grotefendus in Gramm. Lat. ampl. Vol. II. p. 354. §. 444. not. *rati*, quod verbum finitum est, pro participio habet, per negligentiam scriptoris sive per anacoluthiam quandam ad nomen dativo positum relato. — De *rati* plurali ad vocem *populo* spectante v. ad c. XV, 1. p. 93, coll. XCV. 1. — *Volentibus* eodem modo respondet *coactis*, ut supra ad c. XIII, 2. p. 66. *voluntate* et *vi* opponi ostendimus.

§. 7. *quod procul*] Pro *quod* nonnulli codd. Cortii, Bas. 1. Bern. 3. 4. Paris. b. Goerl. Misn. Berol. 1. et Taurin. habent *quia pr.*, pariterque statim post pro *dein quod* in Vat. A. Bas. 1. Bern. 4. Paris. b. z. Berol. 1. Goerl. et Misn. est *dein quia*; sed vulgatam non esse sollicitandam probant annotata ad c. LXXX, 6. — *Parentis* expl. supra ad c. III, 2. p. 16. — *Abunde* Cortius contendit positum esse ut nomen, quod verum esset, si genitivum regeret. Hic adverbium est, quod vernacula reddas *in überflüssigem Masse.* cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 72. Fragm. Historr. III, 22, 26. *Cuncta mutastis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur.* De pari usu *satis* vocabuli disputavit R. Klotzius in Iahnii Novis Annall. Phil. et Paed. a. 1833. Vol. VIII. Fasc. I. p. 16. Auct. ad Herenn. I, 1, 1. *Etsi vix satis otium studio suppeditare possumus.* Cic. Epp. ad Attic. XII, 15. *Si satis consilium quadam de re haberem.* — *Fuit* post *satis* in Struv. Vrat. 2. Eccard. et Guelf. 7. commutatum reperitur cum *est* verbo, plane deest autem in Guelf. 4. et Neap. 4., qua exigua auctoritate Cortius delevit, minus etiam, quam illi scribae, qui *est* substituerunt,

8 fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Sed

sensum assecutus. Recte enim isti viderunt amicorum laudem haud commode ad praeteritum tempus referri, sed rei gravitatem postulare, ut Sulla *praesentem* eorum usum extollat. Et sane ita est. Sed quoniam de Romanis ipsis loquens, quae oratio *est* postulat, in *generalem* sententiam transit, verbis *cuiquam omnium* declaratam, eo factum est, ut *fuit* poneret, quod non perfecti vi est capiendum, sed ita, ut valeat *esse solet*, de quo usu diximus ad c. XVII, 6. p. 105.

§. 8. *ex populo Rom.*] Pro *ex pop. accep.* poterat etiam dici *a pop. accepisses*, quamquam non pari plane sensu, ut Cortius vult. Nam *a* praepositio Romanos iubet *auctores* bonorum et *datores* cogitari; *ex* tantummodo *originis* et quasi *fontis* significationem habet, unde illa bona fluxisse cogitentur, qui usus a rebus (v. ad Catil. c. XII, 2.) ad personas est translatus. cf. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 620. §. 13. et p. 622. §. 15. Catil. c. LII, 16. *Si periculum ex illis metuit.* Iug. XX, 1. *Certum ratus, quod ex amicis acceperat.* — *Perpessus es*, quamquam ex solo Misn. enotatum est, cui prope accedit Palat. 4. *est* exhibens, praeeuntibus Bipp. et Fabro scripsimus pro vulgata omnium paene codd. lectione *perpessus esses*. Nam quis non videt, Sullam, hominem facundissimum, inepte ac prorsus insulse ad Bocchum sibi conciliandum hoc argumento uti, ut dicat: si ille Romanorum amicitiam secutus esset, futurum fuisse, ut *et bona, et mala* ex iis haberet, sed bona *plura!* Sed quum bona *cultae*, mala *neglectae* Romanorum amicitiae ostendat, quorum illa *potuisset* accipere Bocchus, *nisi* alieno animo *fuisset*, haec *revera* perpessus *erat*, quia hostis *fuit*, multitudinis bonorum ac malorum comparatio non potest *ex aequo* institui, sed recta ratio postulat, quoniam in altera parte de *facta re*, non de cogitata aut ex condicione suspensa agitur, ut scribatur *perpessus es*. Librarios autem diversam utriusque membri naturam non intellexisse, atque propter *accepisses* etiam scripsisse *perp. esses* non est mirum.

§. 9. *humanarum rerum — pleraque*] De ratione, qua *pleraque* ad *rerum* refertur, v. annotata ad c. XLI, 1. — *Cui scilicet placuisse* tenent Vat. A. Pal. 1. Paris. c. x. z. complures Itall. et Leidd.; prope accedunt Sen. 1. et Guelf. 1., qui habent *placuisset;* in ceteris est *placuit* aut *complacuit*, ex interpolatione librario-

quoniam humanarum rerum Fortuna pleraque regit, 9
cui scilicet placuisse te et vim et gratiam nostram experiri, nunc, quando per illam licet, festina atque

rum, qui nescirent ex *scilicet* accusativum c. infin. pendere posse, de qua structura v. ad c. IV, 6. p. 24. cf. infra c. CXIII, 3. *Quae scilicet — occulta pectoris patefecisse.* Fragm. Historr. I, 19, 5. *At scilicet eos — gratiam ab eo peperisse.* In hac structura autem *scilicet* valet *in aprico est, negari nequit, elucet;* v. Aug. Grotefendii Gramm. Lat. ampl. Vol. II. §. 131. p. 100. Parum circumspecte igitur et dicendi usum ignorantes Bipp., Langius, Muellerus, Weisius ediderunt *placuit;* neque facile dixerint, quomodo ex indicativo fieri potuerit infinitivus, quum inversa ratio per se ipsa patet. — *Te* ante *experiri,* quod nonnulli codd. non habent, Cortius cum magna sententiae depravatione omisit, siquidem *experiri* sine pronomine necessario ad *Fortunam* referendum est. Quod ille enim vult *te* intelligi, id cur nullo pacto fieri possit patebit ex annotat. ad Catil. XXXI, 7. p. 147. et ad Iug. XIV, 3. p. 73. — Pro *quando* aliqua pars codd. exhibet *quoniam,* haud rara istarum particularum confusione. Non satis accurate tamen Ruhnkenius ad Ter. Andr. IV, 5, 23. *quando* plane idem esse dicit, atque *quoniam;* rectius F. A. Wolfius, quum ad Suet. Caes. c. 28, med. vim particulae cum Graeco ἐπειδή comparasset, ad Taciti Annall. I, 57, 1. „*quando,* inquit, non multum differt a caussali *quod* seu *quia, latente quadam significatione temporis.*“ Ita autem continetur utraque vis, ut a temporis notione ad caussae transeatur, siquidem quod certo aliquo tempore fit, pro caussa habetur alius rei instituendae. Totum tamen hunc usum Ciceroni prorsus abiudicat Ed. Wunderus in Praef. ad Varr. Lectt. e cod. Erf. enotatas p. LXXV sqq., *quando* ubique ex *quoniam* corruptum contendens; v. Ottonen ad Cic. de Finn. I, 4, 10. Apud historicos vero haud raro ita legitur; cf. Sall. Iug. CX, 7. *Id omitto, quando vobis ita placet.* Fragm. Historr. I, 19, 16. *Quando talis es, maneas in sententia te hortor.* ib. III, 11, 6. *Quid proclia enumerem, quando res plus valent, quam verba?* Livii locos sat multos collegit Drakenborch. ad XXXIII, 2, 9. ad XXXIX, 51, 9. et ad XL, 9, 4. Etiam Tacito valde est usitatum; cf. Ann. I, 44, 3. II, 26, 3. III, 18, 1. IV, 6. 1. IV, 64, 2. XIII, 12, 2. XV, 19, 3. Eandem particulam coniectura restituendam censemus Annall. I, 74, 4. *Permotus his* (Tiberius), *quandoque incautius efferverat, poenitentia*

10 uti coepisti perge. Multa atque opportuna habes,
11 quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc
in pectus tuum demitte, numquam populum Roma-

patiens tulit absolvi reum. In edd. est *quantoque*, quod falsum esse tum patet ex copula, qua altera caussa additur, tum ex eo, quod comparativus non sequitur. — De vi *per* praepositionis v. ad c. LXIV, 3.

§. 10. *multa atque opportuna*] *Atque* copula in multis codd. deest, neque eam expressit Weisius, repugnante usu dicendi. Namque ubi *multus* vocem aliud adiectivum excipit, non ἀσυνδέτως ea ponuntur, sed, ut poscit communis usus (qui quas exceptiones habeat diximus ad c. XXVIII, 4. et XXX, 3.), per copulam iunguntur. cf. Zumptii Gramm. Lat. §. 85, 18. p. 509. ed. IV. et Bremium ad Nep. Eumen. c. II, 3., qui recte monet hanc dicendi rationem Latinis cum Graecis esse communem quidem, sed non imitatione ex Graecorum lingua desumptam, in qua sententia est Heindorfius ad Hor. Sat. II, 3, 9. Beier. ad Cic. Lael. c. 9, 30. p. 51. Aug. Matthias Gramm. Gr. ampl. §. 444, 4. p. coll. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 475. §. 2. v. Catil. c. XX, 3. *Multis et magnis tempestatibus.* LI, 35. *Multa et varia ingenia.* Iug. V, 4. XXVIII, 5. XXXII, 2. LXII, 9. LXXVIII, 5. Tacit. Ann. III, 27, 3. — *Quo* Cortius perperam dicit pro *quibus* positum esse. Non refertur enim ad *nomina*, quae praecedunt, *multa atq. opportuna*, sed ad integram enunciationem, quam generalem relationem vernaculà lingua reddas *durch welchen Umstand.* cf. Fragm. Historr. III, 22, 15. *Ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebi — maiores vostri paravere.* Quam late autem pateat hoc indefinitae relationis ad praecedentem sententiam genus, facile assequeris, si ea, quae ad c. LXII, 2. ad XLI, 1. et ad Cat. LVI, 5. p. 297. annotavimus, quaeque, licet inter se diversa, communi tamen caussa nituntur, et inter se et cum nostro loco contuleris.

§. 11. *demitte*] Plurimi codd. habent *dimitte;* sed *demitte* exstat in Vatic. A., duodeviginti Cortianis, Med. 5. Ven. 2. et Leid. K; ac vel sine ulla codd. auctoritate ex coniectura ita scribendum esse quivis concedet, qui quid intersit inter *de* et *di* cognoverit; cf. supra ad c. I, 4. p. 6. XX, 1. p. 126. et quae de *dimittere* verbo diximus ad c. XXXI, 17. Ne tamen scrupulus resideret, Cortius comparavit Iustin. VIII, 5, 11. *Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.* Sall. Iug. c.

num beneficiis victum esse; nam bello quid valeat, tute scis.

Ad ea Bocchus placide et benigne; simul 12

XI, 7. *Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus erat, descendit*, ubi v. Adde Drakenborchium ad Liv. XXXIV, 50, 2. *Fremitus fuit monentium, ut eas voces in pectora animosque demitterent.* Nihilominus Gerlachius in ed. mai. *dimitte* scripsit. Quod autem in Commentt. p. 329. *demitte* se probare ait, cave putes *ratione* permotum fecisse. Eius enim non capax V. D.; *codices sequitur;* quibus ducibus in ed. minore ineptum *dimitte* restituit. — *Esse* post *victum* non habetur in Guelf. 3. Fabr. 1. Ven. 4. et Taurin. Omisit Cortius; Gerlachius retinuit in ed. mai., delendum pronunciat in Commentt. p. 329., ac rursus, quo inconstantiam suam ostentaret, in ed. min. repetiit. — Quae per *nam* particulam annectitur enunciatio, non spectat ad ipsa, quae praecesserunt verba, sed ad huiuscemodi sententiam cogitatione supplendam: ut igitur obsequio et officiis praestandis tibi optime consules, *ita armis et contra nitendo nihil efficies; nam bello* etc. V. ad c. XIX, 2. p. 119.

§. 12. *placide et benigne*] Interpretes, pars commate post *benigne* distinguentes, alii semicolon ponentes, de structura et ratione horum verborum se ostendunt ambigere; illi enim omnia referunt ad *verba facit*, hi post *benigne* supplent *respondit*, quod in Struv. Academ. Vratisl. 3. et Guelf. 11. a scribis additum est, eaque explicatio haud dubie vera. Nam *verba facere ad aliquid* vix Latinum fuerit; praeterea, quoniam Boccho non solum de Sullae invitationibus ad Romanorum amicitiam amplectendam, verum etiam suis in Romanos delictis dicendum fuit, haec res paene poposcit, ut diversa ista a Sallustio accurate distinguerentur, idque re vera factum esse probat *simul* particula. *Respondit* autem omitti posse, ubi non agatur de *proposita quaestione*, iam diximus ad Cat. XXXIV, 1. cf. Iug. CXI, 1. *Ad ea Sulla pro se breviter et modice; de pace et de omnibus rebus multis disseruit.* Liv. XXXVII, 52, 7. *Ad ea rex: si ab aliis sibi praemiorum optio deferretur, libenter consilio amplissimi ordinis usurum fuisse.* v. Duker. ad XXX, 31, 1. — *Pro delicto* i. e. *ut defenderet*, aut certe *ut excusaret delictum.* — *Suo*, quod in Guelf. 3. et Paris. x. deest, Cortius temere omisit. — *Ob regnum tutandum* iam illustravimus ad c. LXXXIX, 2. Cortius verba corrupit scribens *regnum tutatum*, cui audaciae male

pauca pro delicto suo verba facit: Se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse.
13 Nam Numidiae partem, unde vi Iugurtham expulerit, iure belli suam factam; eam vastari a Mario pati nequivisse; praeterea, missis antea Romam le-
14 gatis, repulsum ab amicitia. Ceterum vetera omit-

eo praesidium quaerit, quod in Nazar. Mark. *A.* Reg. Fabr. 1. Sen. 1. Vin. 1. Guelf. 1. 3. 6. et Tur. 1. *ob* praepositio desideratur, quae vel casu excidit, vel omissa est, quia insolens videbatur. *Supinum* autem ut codicum auctoritate destituitur, ita a dicendi usu prorsus abhorret. Nam quum peculiaris huius formae potestas in *loci* notione cernatur (v. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. ampl. Vol. II. p. 350. §. 441. Gramm. schol. p. 246. §. 313.), non pendere potest, nisi ex verbis *motus* significationem habentibus; *consilium* per se nunquam exprimit.

§. 13. *unde vi Iug. expulerit*] In hoc loco incredibiliter coecutit acutissimus Gerlachius. Qui quum in maiore ed. recte ita scripsisset, ut edidimus, in Commentt. p. 329. non solum *expulerit* mutari vult in *expulerat*, quemadmodum sane exstat in compluribus, neque tamen praestantioribus codicibus, sed etiam *Marius* vel ante vel post *Iugurtham* ex coniectura inserendum censet. Sed ut pingui ingenio excogitatum est, *Marii* nomen in *vi* voce latere, aut *m* littera post *Iugurtham* absorptum esse (quis enim crediderit, *Marium* sola *m* littera in codd. scribi?), ita sententia pessime pervertitur, si Marium *expulerit* verbi subiectum esse statueris. An ineptius ac simul arrogantius loqui potuit Bocchus, si hoc dixit: eam Numidiae partem, unde *Marius* (cuius gratiam missis legatis expetebat) Iugurtham expulerit (quaeque ob id *Romanorum* erat, quippe qui victores essent) iure belli *suam* factam?! Hoc igitur tulisse Romanos ac concessisse, ut alienus in suam praedam invaderet? *Quo* autem *belli iure* fiebat, ut Bocchus Numidiae partem a *Mario captam* faceret *suam?* Denique ubinam legitur Iugurtham tunc quidem Numidiae parte a Romanis *expulsum fuisse*, qui exercitum modo huc, modo illuc duceret, neque in unam regionem esset compulsus? Haec omnia solus Gerlachius scit, sed, pro dolor, expedire oblitus est. Sed missis his, *expulerit* intelligendum est de *ipso Boccho*, quem Faber recte vidit haec non ex vero dicere, sed *fingere*, ut bellum

tere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad Senatum missurum. Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Sullae et Manli, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

CIII. Marius interea, exercitu in hibernis com-

contra Romanos gestum excusaret, obscure scilicet significantem *olim* se Iugurtham, antequam bello cum Romanis implicaretur, aliqua regni parte exuisse. Id autem mentitum esse Bocchum tum ex foedere cum Iugurtha inito patet, tum ex iis locis intelligitur, quibus Sallustius fines regni Iugurthini occidentem versus descripsit; v. supra c. XIX, 4. XCII, 5. coll. c. CX, 8. Quare sequitur *expulerat* nullo pacto ferri posse; quamquam enim indicativus in oratione obliqua suo loco iustam excusationem habet (v. ad Catil. c. XIV, 7. ad Iug. c. LXIII, 1), hic tamen auctor, Bocchum *ficta* loquentem inducens, non potuit in eum modum, quo res vere facta declaratur, transire. Quo praeterea argumento Gerlachius pro sua sententia utitur, verba *unde vi Iug. expulerit* non posse propterea de *Boccho* intelligi, quia quae sequuntur *iure belli suam factam* idem plane significent, neque cur adiecta sint appareat, aeque futile est, ac cetera. Nam quis non videt Bocchum simulatam Numidiae possessionem non solum *facto*, sed etiam *iure* defendere studere? — De *missis antea a Boccho legatis* et de *negata amicitia* v. supra c. LXXX, 4.

§. 14 et 15. *Omittere*] De huius verbi potestate v. ad c. XXXI, 17. — Usum *tum* particulae cognosce ex annotatis ad c. XLVI, 1. coll. dictis ad XLIX, 3. et ad CIX, 3. — *Copia facta* sc. legatos mittendi; v. ad Cat. c. XLVIII, 6. Ceterum accurata narratio poscebat, verbis *animus barbari ab amicis flexus* praemitti *post Sullae discessum;* quod quum non additum sit, certe cogitatione supplendum est.

CIII. §. 1. *in hibernis*] Ita scriptum exstat in nonnullis codd. Rivii, Laud. 2. 3. Arondel. Balliol. Rem. 2. Berg. et Misn. Ceteri omnes habent *in hibernaculis*, quod, quum Sallustius supra c. C, 1. dicat: *Marius in h i b e r n a proficiscitur, quae i n o p p i d i s m a r i t u m i s agere decreverat*, hic tolerari nequit, quia *hiberna* multum ab *hibernaculis* differunt. Illis enim latiore sensu in universum si-

posito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam,

gnificantur loca, ubi hiemem milites transigant; *hibernacula* vero sunt ipsa tentoria sive tabernacula, pellibus tecta, sub quibus milites degebant; v. Liv. V, 2, 1. *Hibernacula etiam* (in Veiorum obsidione), *res nova militi Romano, aedificari coepta.* Quae militum habitationes ad tempus factae quoniam etiam *pellium* nomine vocabantur, ut patet, si Livii verba contuleris cum Flor. I, 12, 8. *Tunc* (in Veiorum obsidione) *primum hiematum sub pellibus*, quid intersit inter *hibernacula* et *hiberna* facile intelligitur ex his locis: Liv. XXXVII, 39, 2. *Aut sub pellibus habendos milites fore, aut, si concedere in hiberna vellent, differendum esse in aestatem bellum.* Caes. B. G. III, 29. extr. *Eiusmodi tempestates sunt consecutae, uti diutius sub pellibus milites contineri non possent. Itaque Caesar exercitum — in hibernis collocavit*, ubi v. Herzog. p. 197. Mansiones igitur hibernae quum h. l. significentur, quas in urbibus fuisse supra narratum est, non potest dubitari, quin *hibernis* unice verum sit, quo vocabulo Sallustius in eadem re ubique utitur; cf. infra §. 4. et XXXVII, 3. LXII, 4. XCVII, 3. Aliter Gerlachio visum, qui in utraque ed. *hibernaculis* retinuit, altum in Commentariis silentium observans, quasi omnibus integris. — *Composito* idem est quod *collocato*, ut Caesar dicit B. G. III, 29. Videtur tamen simul adiuncta esse notio *intentae curae*, qua omnibus exercitus commodis prospiceretur a duce. — *Loca sola* sunt *solitaria* sive *deserta;* v. Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 4, 3. Bremi ad Nep. Eum. c. VIII, 6. Drakenborch. ad Sil. III, 429. Cortius praeterea comparavit Plaut. Mostell. IV, 3, 3. Rud. I, 3, 22. I, 4, 8. Ovid. Metamm. III, 393. XIV, 681. Fastt. I, 398. I, 502. — *Turrim* videtur latiore sensu de *arce edita* intelligendum. — De *quo* adverbio v. annotata ad c. LXVI, 2. — *Perfugas omnis* iam Cortius recte vidit germanice reddendum esse *lauter Ueberläufer.* Ista enim vis est *omnis* vocabulo, ubi non epitheton est *obiecti*, sed *praedicato* inservit accuratius definiendo, quo efficitur, ut non *in universum* comprehendantur, quaecunque eiusdem sunt generis, sed tantummodo ut *certae cuidam rei*, quae praedicato significatur, *nihil alienum admixtum esse dicatur.* Igitur si nostro loco *omnis* vocabulum ad obiectum referretur, sensus foret transfugas, quotquot ad Iugurtham venerant, nullo excepto, in turrim fuisse impositos, quod vix credibile est; ad praedicatum vero si traxeris, *praesidium* dicitur *non ex aliis*, quam ex transfugis con-

quo Iugurtha perfugas omnis praesidium imposuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando, quae sibi duo- 2

stitisse, i. e. tantummodo transfugas in praesidio fuisse. Commode Faber comparavit Liv. IX, 13, 6. *Exercitus alter cum Papirio consule pervenerat Arpos per omnia pacata*, quod non ita est intelligendum, quasi exercitus per *omnia*, *quae pacata erant*, iverit, sed *omnia*, *per quae iverit*, fuisse pacata. ib. V, 14, 5. *Religione attoniti homines patricios omnes tribunos militum consulari potestate creavere*, ubi *omnes* non absolute spectat ad patricios, sed notioni praedicati *tribunos mil. creavere* astringitur. Tacit. Ann. I, 42, 4. *Hunc ego nuncium patri laeta omnia aliis e provinciis audienti feram?* i. e. cui *omnia*, *quae audit*, laeta sunt, non, qui *omnia*, *quae laeta sunt*, audit. Utro autem modo *omnis* vox intelligenda sit, non ex loco, quo posita est, patet, sed ex nexu et ratione sententiae iudicari debet. — Vim accusativi *praesidium* non capientes librarii in Struv. et Guelf. 4. addiderunt *ad*, in Vrat. 1. Guelf. 10. Leid. D. F. N. scripserunt *praesidio*, barbare quidem, sed non alieno sensu. *Praesidium* enim non nuda est appositio, sed integrae enunciationis vim sustinet, qua *finis* vel *consilium* designetur, propter quod actio, unde pendet accusativus, instituta fuit. Sensus est igitur: quo perfugas tantum imposuerat, *ut* hi soli *praesidium agitarent*. Hunc accusativi usum, quodammodo cognatum cum notissima verborum *faciendi, creandi, deligendi*, similium, structura, iam tetigit F. A. Wolfius ad Taciti Ann. I, 3, 1. *Augustus subsidia dominationi Claud. Marcellum pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam geminatis consulatibus extulit*, ubi sensus est: extulit eos, *ut subsidia essent dominationi*. Ibid. I, 30, 1. *Quosdam ipsi manipuli documentum fidei tradidere*, i. e. *ut* document. fid. *essent*. Ibid. XII, 32, 4. *Colonia Camulodunum deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles*, i. e. *ut subsidium esset*. Liv. I, 8, 5. *Romulus locum, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperuit*, i. e. ut asylum esset. Sall. Iug. LXV, 2. *Contumeliosum foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur*. Hunc accusativi usum luculenter persecutus est Aug. Grotefendus in Gramm. Lat. ampl. Vol. II. §. 384. not. 2. p. 293.

§. 2. *rursus*] Haec vox cum *delegit* verbo coniuncta spectat ad c. CII, 2. ubi narratum fuit Bocchum iam legatos de pace misisse. — Ante verba *seu reputando* in permultis codd. inepta glossa legitur *feliciter*, quam Cortius verissime vidit eo ortam, quod ali-

bus proeliis venerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos incorruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides co-

quis librarius, Romanorum studio incensus, utilissimo Bocchi facto *feliciter!* in margine acclamaverat, quod tum in textum irrepsit. Eo non contenti alii in Sallustii verba intulerunt *feliciter erga Romanos*, alii *feliciter egit erga Rom.*, alii *erga Rom. egit feliciter*, alii *feliciter acta Romanorum facit*, alii *feliciter habuit se;* paullo minus inepte in paucis codd. est *feliciter flexus*, in nonnullis aliis tantummodo *flectitur*, in uno *scilicet*, quod Bipontini et Weisius, corruptis edd. fidens, temere receperunt. Sed ab omni inquinatione liberi sunt Vin. 1. Sen. 1. Inc. 1. Eccard. Guelf. 3. 6. et Goerl., quorum auctoritatem praeeunte Cortio secuti sumus. — *Reputando* Faber perperam dicit locum obtinere participii *perfecti* deponentis, quia actio designetur, quam absolutam, tanquam caussam, alia consecuta sit. Non vidit enim gerundium solvendum esse *quia reputabat*, quo sane caussa significatur, neque tamen absoluta, sed continuata atque durans; cf. c. CII, 5. *Neu te cum Iugurtha miscendo commaculares.* I, 2., ubi similem Gerlachii errorem notavimus. — *Venerant* est in Naz. Pall. 5. 6. Mark. *A.* Pembr. a m. pr. Fabr. 1. Guelf. 1. 2. Vrat. 2. Leid. B. L. M. N. Paris. c. x. z. Berol. 1. et Goerl. Ceteri tenent *evenerant*, quod, Weisio excepto, editores omnes merito reiecerunt, quippe a librariis effictum, qui usum *venire* verbi minus vulgarem non cognitum haberent; v. ad c. VIII, 2. p. 46. Locis ibi laudatis adde Tacit. Ann. XII, 32, 4. *Id quo promptius veniret, colonia deducitur in agros captivos.* Celsus VII, 27. *Solet vero sub eiusmodi victu venire, ut alvus non reddatur.* Liv. I, 7. 1. *Priori Remo augurium venisse fertur.* — Ceterum reflexivum pronomen *sibi* cum indicativo iunctum, ubi alterius cogitatio refertur, vulgari suspensae orationis legi repugnat; nequit enim indicativus cum reflexivo pronomine sociatus a scriptoris iudicio, in alienam sententiam illato, repeti, de qua structura diximus ad Cat. XIV, 7. et ad XXVII, 4. Quod Aug. Grotefendus autem in Gramm. Lat. schol. §. 288. p. 228. dixit indicativo rei factae veritatem per se, remota alienae cogitationis notione, significari, ac nihilominus reflexivo pronomine rem simul ad cogitationem referri, id tale est, ut insolentiam structurae demonstret tantum, sed non expediat. Quare alia nobis via tentanda est. Videmur enim nobis observasse *duplici* modo alterius cogitationem

gnita, et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium, 8
ac deinde, si placeat, Romam legatos ire iubet; agendarum rerum et quocumque modo belli compo-

orationi rectae, quam scriptoris iudicium moderatur, inferri solere; aut ita, ut per scriptorem ipsum id fieri appareat (mittelbar), cuius rei indicium est *coniunctivus et reflexivum pronomen*, aut ita, ut, obscuratis scriptoris partibus et plane neglectis, is, de quo sermo est, *ipse per se* (unmittelbar) cogitans eo modo inducatur, qui soli rectae orationi convenit, nisi quod personali pronomini reflexivum substituitur. Quodsi statuimus Bocchum ipsum sic dicturum fuisse: „quia reputabam, quae *mihi* duobus proeliis *venerant*, quinque delegi," hanc ipsam cogitationem traducens in narrationem Sallustius dixit *quae sibi — venerant*, non *q. s. venissent*, neque *q. ei — venerant*. cf. supra c. LXI, 1. *In his urbibus, quae ad se defecerant, praesidia imponit*; nam si Metellus *ipse*, non ex scriptore pendens, loqueretur, dixisset: urbibus, quae ad *me defecerant*, praes. imposui. c. LXVI, 1. *Iugurtha civitatis, quae ab se defecerant, formidine — affectare.* Cic. de Inv. I, 33, 55. *Epaminondas ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit;* ipse Epaminondas haec referens diceret: ei, qui *mihi — successerat*, ex. non tradidi. Id. Epp. ad Attic. II, 7. *Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo sororis tuae filio respondisti.* Id. p. Rosc. Am. c. 2, 6. *Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis postulat*, ubi Aug. Matthias comparavit or. in Verr. V, 49, 129. et de Div. I, 54, 122. Ita intelligendus est etiam locus Nepotis Cim. c. III, 1. *Cimon incidit in eandem invidiam, quam pater suus*, sc. incidit. cf. Ramshornii Gramm. Lat. §. 158. 5, c. not. 2. p. 348. ed. I. — *Aliis*, quod in Guelf. 6. commutatum est cum *illis*, in Berger. vero et Misn. deest, a Cortio eiectum. Sed *aliis* addidit auctor, ut *duo* amicorum genera accuratius discerneret, respiciens ad c. CII, 15. — *Necessarii*, quamquam etiam dicuntur affines et cognati, tamen h. l. potius sunt officiorum ac negotiorum vinculis astricti; cf. Festum, Gramm. Lat. Vol. II. p. 176. ed. Lindem., qui Gallo Aelio auctore „*necessarii*, inquit, sunt, in quos necessaria officia conferuntur praeter ceteros." v. Daehnium ad Nep. Paus. c. II, 3. et Weberi Exercit. Styli Lat. T. I. p. 124. — De *deligit* verbo v. ad Catil. c. VI, 6. et ad Iug. XXIII, 2. p. 141. XCIII, 8. — *Ingenia validissuma* sunt intre-

4 nendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur; deinde in itinere a Gaetulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam perfugiunt, quem consul in expeditionem proficiscens pro praetore reliquerat.

pida in periculis et sollertia in rebus gravioribus difficilibusque expediendis; cf. c. VI, 1.

§. 3. et 4. *deinde*] Perperam Cortius et Gerlachius scripserunt *dein*, quod a Rivio ex coniectura positum est, sed in nullo cod. exstat. — *Ipsis*, pro quo in paucis libris est *illis*, in tribus plane deest. Cortius omisit, quod factum Gerlachius in Commentt. p. 330. haud multum abest quin probet, quamquam in utraque ed. pronomen retinuit. — *Deinde in itinere* longe plurimi tenent codd. *In* praepositio in Cortii textu casu excidisse videtur, quum in annotatione nihil de eius defectu dixerit. Eam revocavit Gerlachius, sed *deinde* non idonea codd. fide in *dein* mutavit. Praeterea in nonnullis codd. et edd. antiqq. inverso ordine legitur *deinde a Gaetulis latr. in itinere*, quem ordinem Weisius repetiit. — *Circumventi* expl. ad c. L, 6. — *Perfugiunt*, quod tenent aliquot Palatt., unus Guelf. Leid. N. Berol. 1. et Goerl., Cortium recte scripsisse censemus, repudiata plurimorum librorum scriptura *profugiunt*, quae cur huic loco non conveniat, facile intelligitur ex annotat. ad Cat. LIV, 3.; patet enim Mauros ad Sullam ivisse, *ut eius tutelae se committerent*. In aliis sed paucis codd. est *pergunt, perveniunt, conveniunt, proveniunt*, quae omnia ex interpolatione nata ab sententia huius loci aliena sunt. Gerlachius in utraque ed. scripsit *profugiunt*. — *Quem pro praetore reliquerat* non est: quem reliquerat *veri propraetoris munere praeditum eoque fungentem* (nam *quaestorem* fuisse Sullam statim post dicitur §. 7. et supra dictum est c. XCV, 1.), sed: quem, dum ipse abesset, *propraetoris loco agere iusserat, cuique imperium praetorium permiserat*. Eodem modo intelligenda sunt verba c. XXXVI, 4. *Albinus, Aulo fratre in castris propraetore relicto, Romam decessit*. Aulus enim *legatus* fuit, ut narratur c. XXXVIII, 1. v. Creuzeri Antiqq. Romm. §. 183. p. 279. ed. II. coll. annot. ad Catil. c. XIX, 1. p. 91. — Deinceps Weisius ex edd. antiqq. suis, quovis interpolationum genere inquinatis, scripsit *propraetore in castris reliq.*, qua glossa longe plurimi libri carent. Habet tamen acutissimus criticus, quo scripturam defendat;

Eos ille non pro vanis hostibus, ut meriti erant, sed 5
accurate ac liberaliter habuit; qua re barbari et
famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam ob
munificentiam in sese amicum rati. Nam etiamtum 6
largitio multis ignota erat, munificus nemo putaba-

nam, inquit, *aliquid interpositum fuisse inter* *p r a e t o r e et r e l i q u e r a t*, *ex sono coniicio, quia vix duplex r e Sallustius ita hic coniunxerit.* Ad quae non opus est respondere.

§. 5. *non pro vanis hostibus — habuit*] Non satis recte interpretes verba *p r o vanis hostibus*, ex *habuit* pendentia, interpretantur *tanquam vanos hostes*, cui explicationi repugnat, si quid video, loquendi usus. *Habere* enim, quod tantummodo cum adverbio ad personam relatum valet *tractare* (v. ad Cat. c. XI, 5.), non potest eadem potestate cum *pro* praepositione construi. Quare praeter duplicem structuram (de qua v. ad c. I, 2. p. 3.) etiam zeugma h. l. obtinet, quo efficitur ut ex *habere* verbo, si ad prius orationis membrum refertur, *putandi* notio cogitatione sit assumenda. Plenus igitur sensus hic est: Eos ille non vanos hostes esse putavit, — sed accurate ac liberaliter tractavit. De simili zeugmate *habere* verbi diximus ad c. LXXXIX, 4. *Vani* notionem explicavimus ad c. LXIV, 5. — *Ut meriti erant* non spectare puto ad *vanos hostes*, propter fluxam et mutabilem Bocchi regis fidem, ut Muellerus et Weisius censent, sed potius refero ad *miserabilem et indecorum legatorum habitum*, qui talis esset, ut vix digni viderentur, quorum verbis fides haberetur; nam specie externa videri poterant ficta loqui vanaque oratione Sullam decipere velle. Quare *mereri* h. l. non valet *f a c t i s c o m m i t t e r e*, *ut vel bonam vel malam rem consequamur*, quae vulgaris verbi est potestas, sed latiore sensu significat *t a l i c o n d i c i o n e e s s e*, *cui merito aliquid tanquam consectarium adiunctum sit;* quo fit, ut verbis *uti meriti erant* fere hic sensus sit: *ut consentaneum erat.* — De genitivis *famam R o m a n o r u m a v a r i t i a e* v. ad c. XXX, 3. et ad LXV, 3.

§. 6. *etiamtum*] De his particulis, quae in omnibus edd. perperam divisim scribuntur, v. ad Catil. II, 1. Iug. XXI, 1. — *Largitionem* aeque ac *largiri*, de potentia quaerenda usurpatae voces, magnam invidiam habere, iam monuimus ad c. VIII, 2. p. 45. cf. Cat. III, 3. Cic. de Orat. II, 25, 105. *De ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac b e n i g n i t a t e m ab ambitu atque l a r -*

tur, nisi pariter volens, dona omnia in benignitate
7 habebantur. Igitur quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi assit; copias, fidem, magnitudinem regis sui et alia, quae aut utilia, aut benevolentiae esse credebant, oratione extollunt; dein, Sulla omnia pollicito,

gitione seiungere. Pluribus idem eandem rem persecutus est in Off. II, 15, 54 sqq. Seneca de Beneff. I, 2. — Pro *ignota erat* Cortius ex coniectura dedit *ignara*, ad verbum *erat* expellendum sufficere ratus, quod in solo Vin. 1. legitur *fuit*, parique temeritate *ignota* mutans in *ignara*, quia in sex codd. *ignorata* invenit. Ceteri omnes vulgatam tuentur. — *Multis* non intelligendum est de *Mauris*, ut Weisius vult, sed latiore sensu ita capiendum, ut suppleatur *hominibus.* Possis etiam cogitare de *gentibus*, quoniam *Romani* opponuntur *barbaris.* — *Volens* praegnanti sensu est *benevolus*, *favens*; cf. ad c. LXXXIV, 1. XIV, 19. Liv. VII, 26, 4. et Brisson. de Formull. p. 62 sq. ed. Bach., qui in precandi formulis verba *volens*, *propitius* fuisse multis exemplis docuit. — Verborum *nisi pariter volens* structuram et sententiam multi interpretes non assecuti sunt, *esset* supplentes; praeterea Langius ridicule *pariter volens* explicat *alteri aeque ac sibi verus amicus.* In promptu est autem hoc dicere Sallustium, *munificentiae et benevolentiae* vocabula *synonyma* fuisse; quare ad *volens* quoque pertinet *putabatur* verbum, *pariter* autem aequalem praedicati rationem in utroque membro designat. Igitur sublata duplici negatione sententia haec prodit: non distinguebatur inter *munificum* et *volentem*, sed qui munificus putabatur, idem pariter etiam putabatur volens. — *In benignitate habebantur* Langius interpretatur *ex benignitate profecta putabantur*, non male ad sententiam, sed contra vim praepositionis; nam si accurate spectes verba, hoc dicitur: dona *inter ea esse credebantur*, quae ad benignitatem pertinent. Structura igitur talis est, qualis habetur in formula *referre in numero*, de qua v. ad Cat. LI, 21. p. 250.

§. 7. *sibi assit*] i. e. se adiuvet atque sustentet; v. ad c. XIV, 13. p. 83. XCIII, 4. et cf. Ruhnk. ad Ter. Phorm. II, 1, 36. Brem. ad Nep. Timoth. c. IV, 3., qui recte observarunt hunc verborum *adesse* et *deesse* usum e foro esse petitum; non poterant enim pa-

docti, quo modo apud Marium, item apud senatum, verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem opperiuntur.

CIV. Marius postquam, confecto quo intenderat negotio, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam ab Utica venire

troni auxilio esse caussam dicentibus, nisi ipsi adessent. — *Quae aut utilia, aut benevolentiae esse credebant*, i. e. quae Romanis aut utilitatem afferre posse viderentur, aut eorum benevolentiam regi compararent. Ab hac sane expedita sententia non aberrans Cortius tamen in structura explicanda parum vidit, eiusmodi exemplis collatis, quibus patet eum *benevolentiae* pro genitivo habuisse, velut c. LXXXVIII, 4. Sed *consilio ac fini* significando dativum solum inservire, vix est quod moneatur. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 120, 1. p. 205. ed. I. Iug. XLVI, 6. XCVII, 3. Caes. B. C. III, 72. Inde simul intelligitur, quam inepte in multis codd. pro *benevolentiae* scriptum sit *benevolentia*, quod somniantes librarii, structurae aequalitatem desiderantes, intulerunt; v. ad c. LXXVIII, 1. Male etiam Cortius *esse* delevit, quod in uno Acad. deest. — *Oratione extollunt*, v. ad c. IV, 2. p. 20. — Verba *dies quadraginta ibidem opperiuntur* Langius parum accurate interpretatur: post quadrag. dies *iterum venire iubentur*. Quum enim ex sequentibus pateat Bocchi legatos *Uticae* apud Sullam fuisse, priusquam Cirtam ad Marium vocarentur, verba *ibidem opperiuntur* de ista Uticensi commoratione intelligenda sunt.

CIV. §. 1. *confecto quo intenderat negotio*] *Confecto* tenent aliquot Cortii libri, Leid. C. I. M. Paris. A. C. D. Ven. 1. Vat. 1. Taurin. Ceteri omnes habent *infecto*, quod Cortius, Gerlachius multique alii in contextum receperunt. Sed hi non viderunt quantopere cum Sallustii ἀκριβείᾳ pugnet, si obiter et uno verbo significetur Marii inceptum turris expugnandae fuisse irritum. Cui quum omnia prospere antea successissent, consentaneum est non nisi summis difficultatibus eum a consilio perficiendo impediri potuisse. Sed eiusmodi res asperas non credibile est ab auctore silentio praeteritas fuisse, qui similes expeditiones Metelli adversus Thalam c. LXXV. LXXVI., Marii contra Capsam c. LXXXIX. XC. XCI., et contra castellum munitissimum c. XCII. XCIII. XCIV. pro rei gra-

36 *

iubet, item L. Bellienum praetorem, praeterea omnis undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Boc-

vitate satis accurate narraverit. Alia res est, si turris regiae expugnatio, nulla difficultate insigniore impedita, ex Marii voluntate processit. Ita enim satis fuit dicere *postquam confecto negotio redit*, agnoscesque ingenium ac morem Sallustii, qui rebus haud memorabilibus non immoratur, uno verbo saepe defunctus. Quare *infecto* librariorum malo acumini deberi censeo. — *Quo* longe plurimi libri tuentur; pauci *quod* habent, scribis attractionis usum ignorantibus, cuius ea ratio est, ut relativum non *accusativo* ponatur, quem poscit verbum, sed pariter cum nomine, ad quod refertur, *ablativo* casu enuncietur. cf. Terent. Heaut. I, 1, 35. *Hac quidem causa, qua dixi tibi.* Bentlei. et Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 15. *Notante iudice, quo nosti, populo.* Plura de ea re dixerunt Kruegerus in libro de Attractione ling. lat. §. 105 sqq. p. 257 sqq. Aug. Grotefendus in Gramm. Lat. ampl. §. 518. p. 423. Walch. Emendd. Livv. p. 80 sq. Ceterum *quo intenderat* multi interpretes male referunt ad verba *Cirtam redit;* nam quid opus erat disertis verbis narrare Marium de *reditu cogitasse*, qui nollet diutius a Cirta abesse? Praeterea quum plusquamperfectum ad rem reditu priorem spectet, clarissimum est verba *quo intenderat* pertinere ad voces *negotio confecto*, sc. turris expugnandae. *Intendere aliquid*, vel absolute *intendere* est *propositum habere*, *velle*, *decernere*, cf. c. XXV, 10. CII, 1. et quae diximus ad c. LXXIV, 1. Drakenborch. ad Liv. XXXV, 11, 13. Ruhnken. ad Terent. Andr. II, 2, 6. Verborum ordinem Gerlachius, aliquam librorum partem secutus, sic exhibuit: *infecto negotio, quo intenderat.* Quem nos dedimus ex Cortianis codd. omnibus nonnullisque Itall. Gerlachii, verior videtur; quippe talis est, quem librarii facilius in alterum mutarent, quam contra.

Sullam ab Utica venire] *Ab Utica*, quod in omnibus edd. deest, primi recepimus, re ipsa et codd. auctoritate flagitante. Nam ita exstat in codd. Castilion. duobus Popmae, omnibus Palatt. octavo excepto, Arondel. Reg. Vin. 1. 2. Berg. Struv. Franc. Acad. Fabric. 2. Guelf. 4. 6. 9. 10. 11. 12. Leid. K. Erl. Bas. 4. Tur. 1. Bern. 3. Misn. Goerl., multis Itall., eodemque ducit corrupta scriptura Rem. 1. 2. Sen. 1. Fabric. 1. *ab tucca venire.* At in Sen. 2. Heuss. Vrat. 1. 2. Berol. 1. 2. scriptum est *ad Uticam*, quo sententia non minus inepta efficitur, quam ceterorum librorum lectione, qui verbis *ab Utica* carent. Capitalis est enim error Gruteri atque

chi cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit 2
ab consule; interea induciae postulabantur. Ea Sul-

aliorum, Sullam *Cirtae* fuisse. Quam urbem quum Marius ipse sibi sedem elegisset, ut elucet nostro loco cum c. CII, 1. collato, Sulla *huc venire iussus* non potuit iam ibi esse, non magis quam legati, quos c. CIII, 7. ostendimus apud Sullam mansisse. Qui quum hibernis praefectus esset, v. CIII, 4., quae in *urbibus maritimis* agebantur, v. C, 1. CIII, 1., num dubitabis adhuc, quin vera scriptura sit *illosque et Sullam ab Utica venire iussit?* Quae quomodo obscurari potuerit, non difficile est ad videndum. Nam quum in nonnullis codd. post *praetorem* perspicuitatis caussa in textum illatum esset *Utica*, in Vrat. 1. Pal. 7. *Uticae*, in Pal. 8. Inc. 1. 2. Franc. *ab Utica*, in Tur. 1. *de Utica*, eo factum est, ut in versu antecedente *ab Utica* excideret, quamquam in nonnullis codd. vera scriptura et interpolatio simul comparet. Glossa tamen carent Palat. 3. 5. 6., nonnulli Cortii libri, Berol. 1. 2. Misn. Goerl. quae omnia abunde probant vulgatam nullo pacto stare posse. Si quis vero dicat vocem *Utica* post praetorem etiam ad superiora *illosque et Sullam* referri posse, is reputet huic rationi verborum collocationem ac totam enunciationis conformationem prorsus obstare. — De *ab* praepositione vide annotata ad c. LXI, 1. — *Item* auctoritate longe plurimorum codd. scripsimus pro *itemque*, quod aliquot Cortii libri praebent. Non falsam tamen esse copulam monuimus ad Cat. XLVI, 3. XLVII, 3. LIII, 1. Iug. IX, 3. — De ratione consilii militaris habendi v. ad c. XXIX, 5. et imprimis ad c. LXII, 2.

§. 2. *Legatis potestas eundi Romam fit ab consule*] Ita hunc locum Glareanus coniectura recte emendavit, quam postea Fabric. 1. egregie confirmari vidit Cortius. Ceteri codd. corruptelam traxerunt omnes; plerique enim habent *in quibus legatis* etc., Sen. 1. Fabr. 2. Guelf. 3. 6. Paris. c. et nonnulli Itall. *in quis leg.*, Erl. *a quis leg.*, Guelf. 9. *in quis leg.*, Acad. *quibus potestas*, Paris. b. *quibus mandatis legatis*, quemadmodum Weisius edidit; sed nihil ex his proficias, nisi hoc, scribas interdum supra modum ineptiisse. Quare ingenio abusus est Sellingius in Lectt. Sall. p. 34 sq. vulgatam defendens, hac interpretatione proposita: *in quibus (mandatis a Boccho postulabatur) legatis potestas eundi Romam sit* (ita scribi vult Sellingius pro *fit*, coniunctivum ab *ut* omisso repetens) *et ab consule interea induciae postulabantur.* In qua explicatione quum plurima falsa sint ac perversa, lectores singulis refellendis non morabimur. Hoc tamen addemus, malam vulgatam

lae et plerisque placuere; pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mo-
3 biles semper in advorsa mutantur. Ceterum Mauri, impetratis omnibus, tres Romam profecti sunt, cum Cn. Octavio Rufo, qui quaestor stipendium in Africam portaverat; duo ad regem redeunt. Ex his

peiorem etiam fecisse Sellingium, *et* copulâ, quae in paucis codd. ex interpolatione ob male intellectam structuram post *fit* legitur, in auctoris verba illatâ. Alio modo Muellerus peccavit, qui verbo *fit* deleto, in quo Bipontinos secutus est, colon post *Romam* posuit, ut voces *ab consule* ex *postulabantur*, quod rursus in *postulantur* mutavit, pendeant. Sed hoc non est criticam artem perpendendis veterum librorum testimoniis exercere, sed ex libidine omnia miscere. Quod omnes autem de *duplici mandato* aut *postulato* legatorum hic agi putant, multum falluntur, Sallustii ingenium ignorantes, qui pro insigni brevitatis arte verbis inanibus omissis statim exponit, quid in illo militari consilio, a consule habito, *actum ac constitutum sit.* Quare *fit* verbo deleto non solum omnis verborum gratia perit, sed sententiae vis narrandique ars funditus tollitur. — *Interea* est: donec legati Romam irent ac redirent. — *Ea* non est, ut Cortius vult, *utraque* *postulata*, sed *utrumque*, sc. et potestatem eundi Romam *factam esse*, et inducias postulatas *concedi.* Hoc non assecutus Langius *ea* mutari vult in *eae*, ut pronomine tantummodo ad *inducias* respiciatur, quia *placuere* de data Romam eundi potestate nequeat intelligi. Sed quominus id intelligeret Langius, non alia re, nisi perverso quodam sensu impeditus videtur. — *Decernunt* absolute positum significat *sententiam dicunt, censent;* cf. Catil. c. L, 4. *Silanus de his, qui in custodiis tenebantur, supplicium sumendum decreverat.* Accusativo obiecti addito valet *constituendum proponere, suadere;* Cic. Epp. ad Famm. I, 3, 3. *Commendo tibi eius omnia negotia, inprimisque, ut, quae T. Annius de eius re decrevit, ea comprobes.* Sall. Cat. LI, 18. *Iniuria te subegit, genus poenae novum decernere.* Fragm. Historr. I, 19, 5. *Qui legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt.* — *Scilicet* non simpliciter explicat ante dicta, sed simul inservit ironiae et indignationi tam rudes et humanitatis expertes viros in consilio fuisse; cf. annotata ad c. XXXI, 19. p. 189. —

Bocchus quum cetera, tum maxume benignitatem et
studium Sullae, lubens accepit. Romae legatis eius, 4
postquam errasse regem et Iugurthae scelere lapsum
deprecati sunt, amicitiam et foedus petentibus hoc
modo respondetur: Senatus et populus Romanus 5
benefici et iniuriae memor esse solet. Ceterum

Pro *mutantur* Putschius ex coniectura scripsit *mutant*, quod Cortius cupide amplexus est, quum Vratisl. 3. confirmetur. Sed quamquam hunc verbi usum agnoscimus, v. ad c. XXXIX, 10., tamen contra tantum codd. consensum non videtur Sallustio obtrudendum.

§. 3. *Mauri — tres — duo*] Cur *Mauri* dictum sit, non *Maurorum*, licet sequatur *tres — duo*, declaravimus ad c. XIX, 1. p. 118. Hoc enim spectavit auctor, ut *Romanis* in universum opponerentur *Mauri*, ad quos transiit oratio; quo efficitur ut partium significatio non ex genitivo *pendeat*, sed per appositionem praecedenti nomini *addatur*. — Post *omnibus* in viginti codd. additum est *rebus*, quod quamquam non falsum est, tamen librariorum manum prodit, immeritoque a Cortio receptum est. — *Cn. Octavio Rufo* vix in uno alteroque cod. Gruteri legitur; plerique omnes habent *Rufone*, quod falsum esse docuit Pighius Annall. Tom. III. p. 139. In Octaviana gente enim *Rufi* fuere, non *Rufones*. — *Sunt* post profecti fere omnes codd. tenent, exceptis Fabric. 1. 2. Inc. 1. 2. Acad. Guelf. 6. Bodl. nonnullis Gruterianis et Leidd., qui cur potiorem ceterorum consensu fidem mereantur non video. Cortius tamen et Gerlachius verbum omiserunt. — Eadem levitate Gerlachius in ed. mai. non solum *quaestor* sine codd. auctoritate eiecit, sed etiam *in Africam*, quae verba in Palat. 2. et aliquot Leidd. desunt, uncis inclusit, in ed. min. vero scripsit *adportaverat*, quod pariter librorum fide destituitur, qui fere omnes *portaverat* habent, dicendi usu commendatum; cf. annotata ad c. XXXVI, 1. — *Deprecati sunt* interpretes non satis accurate explicant *excusarunt*, quod tantummodo ex parte in verbo inest. Nam quum *deprecari* valeat *precibus rem malam avertere studere*, Sallustius hoc verbo ita usus est, ut omissa re, quam legati avertere studerent, nempe *iram Romanorum Bocchique poenam*, ad *deprecati sunt* referret ea, quae petitionis obtinendae caussa dixerunt, sc. *confitentes* errasse regem, *excusantesque* quod non suo, sed Iugurthae scelere lapsus esset. Quare *postquam*

Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam facit; foedus et amicitia dabuntur, quum meruerit.

CV. Quis rebus cognitis Bocchus per litteras a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret, cuius
2 arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is

— *deprecati sunt* praegnanti sensu significat *postquam deprecantes dixerunt.* — De verbis *amicitiam et foedus* v. annotata ad c. LXXX, 4. — Ad *poenitet* non supplendum est *eum*, sed continetur eo verbo nominativus casus *Bocchus*; quod quamquam vulgato usui repugnat, tamen non soloecum existimari debet, quum certum sit veteres etiam *poeniteo*, i. e. *poenitentia agitor*, dixisse. Tale quid de Sallustio tradit Charis. p. 224. Putsch. „Verba impersonalia declinantur sic: oportet me, poenitet me, pudet me, piget me, miseret me; *quamvis Sallustius dixerit* in prima historia *Lepidum poenitentem consili;*" patet enim *poenitens* non potuisse dici, nisi etiam *poeniteo* diceretur. cf. Cic. Philipp. XII, 2, 7. *Optimus est portus poenitenti* (i. e. ei, qui poenitens est, sive qui poenitet) *mutatio consilii.* Pacuvius Arm. iud. apud Nonium VII, 63. *Nunc poenitebunt; libant liberi grato ex loco.* Iustin. XI, 3, 3. *Athenienses primi poenitere coeperunt.* Liv. XXXVI, 22, 3. *Aetolos quoque, si poenitere possint, posse et incolumes esse.* — *Gratiam facit* i. e. veniam dat, ignoscit; cf. Cat. c. LII, 8. *Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem.* Fragm. Histor. III, 34. *Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.*

CV. §. 1. *Quis rebus*] Vulgo *quibus r.*; sed *quis* exstat in Rem. 2. Vrat. 3. Guelf. 6. 9. 11. Berol. 1. 2. Par. b. c. — *De* praepositio in multis codd. deest, de qua re Gerlachius in Commentt. p. 331. „Lectio, inquit, haud contemnenda, cum enim Bocchus totius rei arbitrium Sullae permitteret, consultatione non opus fuit. quare vix mihi tempero, quin et ipse praepositionem deleam." Sed nihil isto iudicio perversius. Nam quum vix dubium sit, quin librarii praepositionem omiserint, quia *consulere* putarent idem esse atque *prospicere*, qua vi verbum dativum regit, hac ipsa re iam concidit Gerlachii acumen. Praeterea falsa *arbitratu* vocabuli interpretatione permotus est, ut statueret consultatione non fuisse opus, quasi vero Bocchus Sullam acciverit, ut *imperia* eius acciperet. Verborum *cuius arbitratu — consuleretur* sensus est: *der*

missus cum praesidio equitum atque peditum, item funditorum Balearium; praeterea iere sagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi caussa, neque his secus atque aliis armis advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti.

mit unbeschränkter Vollmacht unterhandeln könnte; nam *arbitratus* dicitur de libera rerum gerendarum potestate, nullis finibus circumscripta, aut alius voluntate impedita; cf. Liv. XXXIV, 44, 2. *Ver sacrum de integro faciendum arbitratu pontificum censuerunt.* XXXVIII, 11, 6. *Obsides quadraginta arbritratu consulis Romani dato.* Hoc igitur Bocchus postulavit a Mario, ut per Sullam *certa pax convenire posset*, neve condiciones huic acceptae postea a duce Romano improbarentur.

§. 2. *item funditorum*] *Item*, quod tenent Vin. 2. Paris. A. b. Tur. 1. Bern. Goerl. Berol. 1. 2., in textum recepimus, sensu ita flagitante. Nam sine ista particula voces *fund. Bal.* pro appositione *peditum* habendae sunt, quod non solum magna duritie laborat, sed etiam dicendi usui repugnat; *pedites* enim *equitibus* simpliciter oppositi intelliguntur semper gravi armatura utentes, neque verisimile est, praesidium Sullae datum plane caruisse illo robore exercitus Romani. Quam facile vero *item* postrema antecedentis vocis parte *itum* absorberi potuerit, cuivis in oculos incurrit. — *Balearium* recte tenet Fabric. 1. et aliquot Manutii codices; prope accedit scriptura Sen. 1. Guelf. 3. et 6. qui habent *Balearum;* ceteri perperam exhibent *Baleatorum*, unde Gruterus imperite fecit *Beleariorum.* Baleares fuisse funditores longe peritissimos satis notum est; cf. Caes. B. G. II, 7. ubi v. Herzog. Flor. III, 8. Liv. XXVIII, 37, 6. — *Iere* post *praeterea* editores recentiores omnes omiserunt, non satis gravi de caussa, cum in omnibus fere codd. legatur, et non nisi in uno Rivii, uno Aldi Manutii, Guelf. 10. et Paris. A. desit, ac locum in Paris. E. et Tur. 1. mutet, quae discrepantiae paucorum librorum, aliis corruptelae caussis et indiciis non accedentibus, non valent ad vocabulum damnandum; ceteroquin enim plurima eodem iure eiicienda essent. Ad *iere* autem, quod nude positum fortasse offendat, facile ex antecedentibus suppleas *cum eo* sc. *Sulla.* — *Cohortis Pelignae* mentio etiam est apud Liv. XXV, 14. et XLIV, 40. — Quae sequuntur verba eo consilio sunt addita, ut intelligatur Pelignos non consueta arma gessisse (vulgo

3 Sed in itinere, quinto denique die, Volux filius Bocchi repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus sese ostendit, qui temere et effuse euntes Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero et hostilem metum efficiebant. Igitur se
4 quisque expedire, arma atque tela tentare, intendere;

enim gravi armatura utebantur), sed *tum* pro itineris ratione levia habuisse. *Velitaria arma* qualia fuerint cognoscitur ex Livio XXXI, 35, 6. *Nec pedes par erat v e l i t i Romano, p a r m a m g l a d i u m q u e habenti, pariterque et ad se tuendum, et ad hostem petendum armato.* XXXVIII, 21, 13. *Alii a v e l i t i b u s trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet, et in dextra hastas, quibus eminus utitur; gladio Hispaniensi est cinctus.* Hastas autem septenas gerebant, ut colligitur ex Liv. XXVI, 4, 4. cf. Nieupoort. de Ritt. Rom. p. 362 sq. Nitschii Antiqq. Rom. Vol. II. p. 1413. ed. III. Creuzeri Antiqq. Rom. §. 229. p. 360. ed. II. — Ad vim *cum* praepositionis illustrandam pertinent, quae Handius de Particc. Lat. Vol. II. p. 143 sq. bene disputavit: Coniunctum esse cum aliquo homine vel cum aliqua re id dicunt Latini, quo homo vel res exstruitur, aut instruitur, aut completur. Hinc *cum* ponitur de vestitu hominum et de *armatura*, et de aliis rebus, quibus quis instructus incedit. In quibus si quis instrumentum intelligi dixerit, germanicae linguae rationem tenebit, non latinae. v. ad Catil. XXVII, 2. — *Neque his secus atque aliis armis — muniti*, i. e. et tamen his satis muniti, pariter ut iustis et consuetis armis.

§. 3 *in itinere*] *In* praepositionem, quae in Eccard. et Guelf. 6. deest, Cortius pessime omisit. — *Denique* significat Bocchi adventum seriorem fuisse opinione Romanorum, siquidem non prius, quam quinque diebus praeteritis apparuit. Quare *denique* in tali nexu idem valet atque *demum*, de quo usu v. Hand. de Particc. Lat. Voll. II. p. 275 sq. Cic. p. Mil. c. 13, 34. *Milonis consulatus, qui vivo Clodio labefactari non poterat, m o r t u o d e n i q u e tentari coeptus est.* — *Non amplius* verba post *mille* collocata sunt propter *cum* praepositionem, quae non potest interiectis verbis a suo casu seiungi. Ex eo simul perspicitur *equitibus* non pendere ex *non amplius*, ut Langius putat, coll. Catil. LVI, 2, sed ex *cum* praepositione, duasque illas voces quasi per epexegesin additas nullam vim

timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et advorsum eos, quos saepe vicerant. Interim equites, exploratum praemissi, rem, uti erat, quietam nunciant.

CVI. Volux adveniens quaestorem appellat dicitque se a patre Boccho obviam illis simul, et

in structuram exserere. — *Temere* est: nullo imperio coerciti nullique ordini astricti. — De verbis *hostilem metum* v. ad c. XLI, 2. — *Efficiebant* tantummodo proximis accurate convenit, ad priora per zeugma refertur, hoc sensu: *qui effuse euntes et effecerunt ut Sullae aliisque omnibus numerus amplior vero videretur, et hostilem metum excitarunt.*

§. 4. *se quisque*] Cortius ex paucissimis codd. scripsit *sese quisque*, quo non est opus. — *Se expedire* est se accingere ad pugnam, omissis et abiectis iis, quae impetum impedire possint. — *Intendere* Weisius inepte refert ad *animum.* Wassius, Cortius, Muellerus, alii, de *arcu* sagittariorum cogitant; quod quamquam non plane falsum est, tamen *intendere* latius patet, et de quovis armorum telorumque genere intelligendum, quae ita tenentur, ut pugnae speciem praebeant. Apposite Faber contulit Liv. XLIV, 41, 6. *Phalangis confertae et intentis horrendis hastis intolerabiles vires sunt.* id. VII, 5, 5. *Super lectum stans ferro intento.* Tacit. Ann. XIV, 61. Histor. I, 69. — *Aliquantus* i. e. satis magnus; v. ad c. LXXIV, 3. — *Et* ante *advorsum*, cum vi adiungens sequentia, valet *et quidem;* cf. annotata ad c. XIV, 25. p. 92. et ad c. LXXXV, 3. — *Advorsum* quum non pendeat ex verbo, cui motus notio sit, *adversum eos* significat: *qui ex advorso iis starent.* cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 180. Liv. XLIII, 16, 4. *Clientem libertinum parietem in sacra via adversus aedes publicas demoliri iusserant.* Plura contulit Drakenborch. ad VII, 14, 9. — Verba *uti erat* rei veritatem per se ipsam asserunt, quod in germanica lingua addito vocabulo *wirklich* significatur; sed ut Latini tali voce carere possint, efficitur vi propria *indicativi*, cuius multo certior apud illos, quam apud nos est usus. cf. Cic. de Rep. III, 3. *Sint nobis isti magni homines, ut sunt.* de Legg. I, 5, 17. *Sit ista res magna, sicut est.* de Off. III, 33, 117. *Quamvis multis locis dicat Epicurus, sicut dicit, satis fortiter de dolore.*

praesidio missum. Deinde eum et proxumum diem si-
2 nemetu coniuncti eunt. Post, ubi castra locata et diei vesper erat, repente Maurus incerto voltu, pavens ad Sullam accurrit dicitque sibi ex speculatoribus

Liv. VII, 35, 10. *Si nox opportuna est eruptioni, sicut est.* FABER.

CVI. §. 1. et 2. *adveniens*] Hoc participium, quod Gerlachius in Commentt. p. 331. „insolitum" dicit, ne perfecti potestatem habere credas, adi annotata ad c. X, 2. p. 50 sq. — *Appellat* i. e. ad eum se convertit, eum alloquitur; v. c. CXII, 1. CXIII. 2. Herz. ad Caes. B. G. V, 33. p. 274. — *Dicitque* omnes codd. summa constantia tenent; quare temere Cortius expulit, idem ausus c. CXII, 1., quamquam concedi debet commode et ex usu Sallustii abesse posse; v. ad c. VIII, 1. p. 44. — *Boccho* cur additum sit se non videre ait Cortius. Recte autem Faber monet sensum esse hunc: se filium esse Bocchi, et a patre missum. Additum igitur, ut Sulla scire posset, *quis esset Volux*, quem nondum noverat. — *Illis* qua ratione in oratione obliqua positum sit, diximus ad c. LVI, 4. Pluralis autem licet quodammodo excusari possit, si statuas Volucem non Sullam solum, sed *ipsum cum comitibus* intellexisse, tamen multo maxime placet *illi*, quod si in pluribus, quam in Franc. Vratisl. 2. et Taurin. exstaret, non dubitassem in textum recipere, praesertim quum s littera facile ex sequente vocabulo praecedenti adhaerescere potuerit. — De particulis *simul* — *et* v. ad c. XLVII, 2. — *Diei* Cortius ne uno quidem codice adiutus mutavit in *die*, quasi ista forma, aliquoties a Sallustio usurpata (v. ad. c. XXI, 2. LII, 3. XCVII, 3), ubique inferenda sit. — *Pavens* idem satis temere delevit; neque enim unus Sen. 1., qui isto vocabulo caret, ceterorum omnium codicum consensu plus valere potest, neque verum est, quod ille vult, *pavens* ineptam glossam esse praecedentium verborum, quia *incertus voltus* sit eorum, qui paveant. Sed non carere vi sua *pavens* participium facile senties, si commate post *voltu* distinxeris, quo gradatio efficitur (v. ad c. XXVIII, 4. p. 162.) ad describendam Mauri perturbationem perquam accommodata; nam per se patet, *incerto voltu* ad externam speciem pertinere, *pavens* internum animi statum designare. — *Dicitque* Cortius pariter ut §. 1. invitis omnibus libris expunxit.

§. 3. *feroci*] i. e. intrepido ac forti; v. ad Catil. XI, 5. p. 50. — Ex *negat* verbo ad sequentem enunciationem ita transitur,

cognitum, Iugurtham haud procul abesse; simul uti noctu clam secum profugeret rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat se totiens fusum Numidam 3 pertimescere; virtuti suorum satis credere; etiamsi

quasi *aiens* sententia praecessisset, cui altera velut eiusdem generis adiungatur; quod ut sibi permitterent Latini obscuro quodam sensu permoti sunt, utraque enunciatione sententiam contineri, quae ex eadem notionum ac cogitationum fonte repeteretur. Idem statuens Otto ad Cic. de Finn. I, 18, 61. hanc dicendi rationem haud male ad id genus refert, quod structura ἀπὸ κοινοῦ vocatur, reiecta Goerenzii ad l. l. p. 87. sententia, qui talia *anacoluthiae* speciem quandam habere censuit. Aeque improbabilis longe plurimorum est opinio, qui hoc constructionis genus *ellipsi* annumerantes, aiens verbum *suppleri* volunt. Ceterum permulti iam hunc usum observarunt, velut Gronovius Obss. IV, 2. p. 535 sq. ed. Lips. Drakenborch. ad Liv. XXII, 53, 7. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. p. 47. Beier. ad Cic. de Off. III, 2, 9. et ad Lael. c. 16, 59. p. 94. Walch. Emendd. Liv. p. 227., alii. Verbi *negare* in notionem *dicendi* transeuntis Cortius ad nostrum locum haec laudavit exempla: Cic. Epp. ad Attic. VII, 15. *Plerique negant Caesarem in conditione mansurum; postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus quod opus esset ad bellum a nobis pararetur.* Liv. I, 57, 7. *Collatinus negat verbis opus esse; paucis id quidem horis posse sciri.* id. XXXIII, 12, 5. *Quinctius negare Aetolos — sibi ipsis convenientem sententiam dixisse; et illos prioribus omnibus conciliis de condicionibus pacis semper — disseruisse.* Nep. Cim. c. I, 4. *Elpinice negavit se passuram Miltiadis progeniem — interire; seque Calliae nupturam.* Latissime autem patet hoc genus negativae sententiae cum aiente confusae, cuius varias formas VV. DD. locis laudatis passim illustrarunt. — De *ducebat* indicativo in oratione obliqua v. ad c. LXIII, 1. — Verborum ordinem *post paullo* multi tenent libri; v. ad Catil. XXXIII, 5. et ad Iug. LVI, 3. — Pro *mansurum potius — quam vitae parceret* poterat etiam dici *quam vitae parsurum;* nam ubi *eiusdem subiecti duo praedicata* sive *actiones* per *potius quam* particulas ita inter se comparantur, ut prius praeferatur posteriori, vel pari et prorsus aequali ratione utrumque membrum effertur, ita ut posterius verbum rem comparatam simpliciter et per se spectatam designet, vel mutatâ structurâ alterum *coniunctivo* enunciatur, qui modus non ex

certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis quos ducebat turpi fuga incertae ac forsitan post
4 paullo morbo interiturae vitae parceret. Ceterum ab eodem monitus uti noctu proficiscerentur, consilium approbat, ac statim milites coenatos esse, in castris ignis quam creberrumos fieri, dein prima vi-

primario totius enunciati verbo pendet, sed ex *supplendo* verbo repeti debet, et quidem tali, quod *ut* particulam asciscens comparatam actionem significet *consectariam esse* ex consilio et voluntate subiecti, quod eligit unam de duabus actionibus. Quae ratio quum rei naturae maxime conveniat, illa altera ex aequo instituta structura raro adhibita reperitur; longe frequentior fuit altera inaequalis et per ellipsin verbi in coniunctivum transiens *ut* particulae sociatum. cf. Cic. Acadd. II, 8, 23. *Vir bonus statuit omnem cruciatum perferre potius, quam* (committere) *ut officium prodat*, quod pari structura dici poterat *quam prodere*. Liv. IX, 14, 7. *Vociferari deceptos potius quodcunque casus ferat passuros, quam* (id commissuros) *ut sprevisse pacis auctores Tarentinos videantur*, sive *quam — videri*. Plerumque tamen simul cum verbo, unde pendet *ut*, haec ipsa particula omittitur, qua re coniunctivi ratio non magis mutatur, quam eiusdem voculae ellipsi post *praecipiendi* verba, quo de egimus ad Catil. XXIX, 2. p. 134. Cum nostro igitur loco plane congruunt haec: Cic. Tuscc. II, 22, 52. *Zeno Eleates perpessus est omnia potius, quam* (id egit, ut) *conscios delendae tyrannidis indicaret*. id. de Fato c. 10, 21. *Eam plagam potius accipiam quam* (faciam, ut) *fato omnia fieri comprobem*. Nep. Eumen. c. XI, 4. *Cur non in proelio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires?* id. Hamilc. c. I, 5. *Hamilcar tanta fuit ferocia, ut — periturum se potius dixerit, quam cum tanto flagitio domum rediret*. Liv. XL, 4, 7. *Theoxena ausa est dicere, se sua manu potius omnes interfecturam, quam in potestatem Philippi venirent*. id. XXIV, 3, 12. *Morituros se affirmabant citius, quam in alienos ritus, mores legesque verterentur*. cf. Ottonem ad Cic. de Finn. II, 20, 66. et IV, 14, 39. Parem utriusque membri structuram habet Sall. Iug. XX, 5. *Adherbal prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere*. Caes. B. C. III, 49, 2. *Crebrae voces militum audiebantur, prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompeium ex manibus*

gilia silentio egredi iubet. Iamque nocturno itinere 5
fessis omnibus Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, quum equites Mauri nunciant Iugurtham circiter duum millium intervallo ante consedisse. Quod postquam auditum est, tum vero ingens me- 6
tus nostros invadit; credere se proditos a Voluce et

dimissuros. Facile autem vides in utroque exemplo pro infinitivo, qui antecedenti membro respondet, etiam coniunctivum poni potuisse.

§. 4. *coenatos esse*] Perfecti ex *iubet* verbo apti ea vis est, ut maxima celeritate imperatum se perfici velle Sulla declaret. Eodem modo, sed paullo frequentius, *volo* cum participio aut infinitivo perfecti passivi construitur, de quo usu v. Zumpt. Gramm. Lat. §. 80, 9. not. 1. p. 440. ed. IV. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 171. II. A. 2. p. 460. et quae annotavimus ad c. CX, 6. coll. Walch. Emendd. Liv. c. VIII. p. 160. Neque alia ratione nititur futuri exacti usus pro futuro primo positi, quo celerrima rei futurae perfectio indicatur; v. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. §. 176, 4. p. 142. — *Ignis creberrumos* explic. ad c. XLV, 2. — De grammatica ratione verborum *silentio egredi* egimus ad c. LIII, 7. In Berol. 2. est *cum sil.* — *Pariter cum* explicavimus ad c. LXVIII, 2. — *Quam equites M. nunciant* illustravimus ad c. XII, 5. — De verbis *duum millium intervallo* v. ad c. LXXV, 2. — Pro *ante consedisse* paene omnes codd. habent *ante eos cons.*, scribis adverbii vim non capientibus. Scriptura tamen integra servata est in Palat. 2. et Vat. 1., qui pronomine carent. Quod quum orationem languidam et valde ambiguam reddat, perperam a Gerlachio retentum est. *Est* post *auditum* Cortius propter unum Guelf. 4. omisit. — *Tum vero* particulae magna vi apodosin inferunt, quod iam monitum est ad Catil. c. LXI, 1. p. 323. cf. LI, 40. — Pronomen *se* ante proditos non habent Rem. 1. 2. Guelf. 1. Sen. 2. et Heuss., quorum auctoritate Cortius eiecit, quod non miramur. Sed miramur Walchium ad Taciti Agric. c. XXVII. p. 320. id factum probare, et plane certum dicere optimorumque codd. auctoritate firmatum; quod plane contra est. Nam ellipsis pronominis, per se tolerabilis (v. ad c. XIV, 3. p. 73.), h. l. maxime dubia ac prorsus damnanda est, quia non nisi pauci atque *deteriores* codd. a consueta dicendi ratione discedunt. — *Manu vindicandum* i. e. vim in-

insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CVII. At Sulla, quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet. Suos hortatur, uti fortem animum gererent; saepe ante pau-

ferendam suppliciumque de eo sumendum; cf. c. XX, 4. et XXXI, 18. — *Apud illum* ita dictum est, ut sceleris *sedes* accuratius designetur. Nam loci potestate, quae propria est *apud* particulae, ad personam translata, res, quae ad personam pertinet et in ea locum quasi obtinet, *apud aliquem esse* dicitur, quod interdum plane idem est, atque *in aliquo esse;* cf. Hand. de Particc. Lat. Vol. I. p. 410. sqq. §. 8. Cic. Brut. c. 41, 152. *Sic enim existimo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam, et apud multos fuisse.* Noster Iug. XXIV, 10. *Si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.* — In verbis *neque scelus inultum relinquendum*, *relinquendi* notio ita est concipienda: non ita *discedendum* quasi ab scelere, ut animum non ad id advertamus, inultumque esse sinamus; cf. Doederlini Synonym. Lat. Vol. III. p. 290. §. 7.

CVII. §. 1. *existumabat*] Pauci codd. habent *aestumabat*, quod Cortius et Gerlachius immerito praetulerunt; v. ad Catil. VIII, 2. et ad Iug. LXXXV, 14. — *Ab iniuria Maurum prohibet* i. e. impedit quominus Maurus *iniuria afficiatur*, sive tutum praestat contra iniuriam. cf. Cic. p. l. Man. c. 7. 18. *Erit humanitatis vestrae magnum eorum civium numerum calamitate prohibere.* ibid. §. 19. *A quo periculo prohibete rempublicam.* Caes. B. G. V, 21, 1. *Trinobantibus ab omni militum iniuria prohibitis.* Plura vide apud Oudendorp. ad VI, 23, 9. et Heusing. ad Cic. de Off. II, 12, 2. Constat autem hic *tutandi* sensus eo, quod nomen, ablativo positum, *passiva* ratione tenetur; qua cum *activa* sententia commutata efficitur, ut prohibere *impediendi* potestate intelligatur, licet externa constructionis indoles non mutetur. cf. Iug. XXII, 4. XLV, 3. Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 10, 4. — *Animum gerere* exemplis illustravimus ad c. LIV, 1. — De imperfecto *gererent* ex praesenti apto v. ad Cat. XXXIV, 1. Iug. XCVII, 1. — *Paucis strenuis non esse* i. q. *a pauc. str.*, ut Cortius explicat, sed propriam dativi potestatem constare iam monuimus ad c. XLVI, 3. *Qui manus armaverit* i. q. qui arma *manibus teneat;* cf. Fragm. Historr. I, 19.

cis strenuis advorsum multitudinem bene pugnatum; quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanto tutiores fore; nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, Io- 2

20. *Proditorum consilia, qui rapinas instaurare cupiunt, et rursus advorsum deos penatis* *manus armare.* Perverso igitur iudicio Gerlachius in Comment. p. 332. „Nescio, inquit, an lectio Vat. 5. Flor. 2. 21. *quem manus armaverit* praeferenda. Dictum pro: cuius manus armata sit. Id enim solemne Salustio, ut saepius rebus vim agendi tribuat." — *Inermis* non solum longe plurimi codd. tuentur, sed etiam Nonius VIII, 75. v. annotata ad Catil. c. LIX, 5. — *Nudum corpus* saepissime dicitur corpus inerme nullisque armis tectum; cf. Drakenborch. ad Liv. V, 43, 3. *Nuda corpora et soluta somno trucidantur.* — *Coecum corpus* Cortius recte vidit capiendum esse de coeca corporis *parte*, qua periculum imminens non animadvertitur, neque vitari potest, i. e. de *tergo*. Ceterum iam Victorius VV. LL. II, 2. observavit simillimam sententiam exstare apud Xenophontem in Cyropaed. III, 3, 45., quam vix dubium est quin Sallustius imitatione expresserit. Verba haec sunt: *Μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν βουλομένους τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας.* *Ad hostis vortere* autem non valere potest *hostibus opponere*, sed tantummodo *hostibus praebere* sive *hostium impetui exponere*, quam sententiam *fugae* notio, ad quam alluditur, requirit.

§. 2. et 3. *Iovem maxumum*] Cortius ex quinque codd. inverso ordine scripsit *max. Iov.*, libidinem potius, quam verum iudicium secutus. — *Ex* ante castris, quod in nonnullis codd. deest, recte a plerisque editoribus in textum receptum Weisius uncinis inclusit, non sentiens quantopere *discessus* notio particula addita augeatur. cf. c. XXXV, 1. *Massiva profugus ex Africa abierat.* LXVIII, 1. *Metellus paullisper moestus e conspectu abit.* — *Scelus atque perfidia* saepe coniungitur; cf. Fragm. Historr. I, 15, 1. *Quum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit.* Cic. p. Rosc. Am. c. 38, 109. *Nullum esse officium, nullum ius, quod non eius scelus atque perfidia violarit.* Philipp. XI, 2, 5. *Dextrae perfidia sunt et scelere violatae.* Liv. XL, 39, 9. *Scelus et*

vem maxumum obtestatus, ut sceleris atque perfidiae Bocchi testis adesset, ex castris abire iubet.
3 Ille lacrumans orare, ne ea crederet; nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthae, cui, videlicet
4 speculanti, iter suum cognitum esset. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes

perfidiam illis, non virtutem accessisse. Faber. — *Ac* ante *magis* Cortius temere delevit, ne uno quidem cod. assentiente. Nihil autem frequentius, quam praegressae sententiae negativae *adiungi contrariam,* quae proprie per adversativam particulam opponi debebat, de quo copulae usu vide, quae in universum diximus ad Catil. c. IV, 2. p. 24. cf. Aug. Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. c. 4, 10. *Animo non deficiam, et id quod suscepi, quod potero, perferam.* Bremius ad Nep. Paus. c. III, 7. Wopkens. Lectt. Tull. I, 13. p. 75 sq. Beier. ad Cic. de Off. III, 6, 32. p. 234. Goerenz. ad Legg. II, 21, 53. p. 184. — *Videlicet*, quod in Fabric. L. deest, Cortius, ab ineptis librariis assutum dicens, eiecit, quia veram structurae rationem non perspexit. Particula enim non ad coniunctivum refertur ex relativo pendentem, quae ratio explicativam sententiam annectendi sane insolens et vitiosa foret, sed ad *speculanti* pertinet, eo quidem consilio, ut excusatio *adiuvetur,* qua Volux Sullae persuadere conatur, non fraude sua, sed dolo Iugurthae factum esse, ut iter suum non celaretur. Interpunctione igitur addita perspicuitati sententiae consulendum putavimus. Ceterum verba *cui iter cognitum esset* non significant *cui iter notum esset,* sed *cui de itinere auditum esset,* vel *qui de itinere cognovisset.*

§. 4. et 5. *neque — et*] De his particulis v. ad I, 5. p. 8. — Voces *spes opesque* iam supra legimus coniunctas c. X, 1.; cf. CXIV, 4. Fragm. Historr. III, 11, 2. Earum vim et veram sententiam non assecutus est Cortius, qui ad Catil. c. XXI, 1. praecepit, figurâ ἓν διὰ δυοῖν significari *speratas opes.* Sed utriusque vocabuli potestatem per se valere satis est in aprico; *spes* igitur sunt *auxilia futura et sperata;* contra *opes* de *paratis et praesentibus auxiliis* intelligendae sunt. — *Credere* Cortius pro more temerario omisit, quippe cui unus cod. Berger., in quo verbum deest, pluris sit ceterorum librorum fide. Sed praeterquam quod ab externa auctoritate minime suspectum est vocabulum, ipso sensu maximo-

opesque eius ex patre suo penderent, credere, illum
nihil palam ausurum, quum ipse filius testis adesset.
Quare optumum factum videri, per media eius ca- 5
stra palam transire; sese, vel praemissis, vel ibidem
relictis Mauris, solum cum Sulla iturum. Ea res, 6
ut in tali negotio, probata; ac statim profecti, quia

pere commendatur. Nam ut erat Volux anxio et valde perturbato animo, non poterat equidem pro certo et explorato dicere *Iugurtham nihil palam ausurum*, sed, quo Sullam mitigaret, valde conveniebat, ut diceret se *coniicere* ac *probabile putare*, illum quietum fore. *Se* in tali structura omissum nihil insolentiae habet, quum *suo* praecedat; cf. c. XIV, 3. p. 73. — *Optumum factum*, quod permulti codd. tenent, cur praeferendum putemus vulgatae scripturae *opt. factu*, a Gerlachio in ed. mai. et in Commentt. p. 332. improbatae, in ed. min. vero restitutae, diximus ad Catil. XXXII, 1. p. 151.

§. 6. et 7. *ut in tali negotio*] i. e. quandoquidem in tali negotio melioris consilii copia non erat, sive *pro consilii inopia*, qua in tali negotio laboratur. *Ut* particula enim eam vim habet, ut id, quod de aliqua re enunciatur, non per se, quale est, intelligatur, sed *ex natura et condicione eius rei, ad quam comparatio refertur.* Quae condicio comparatae rei, cogitatione tantum concipienda, verbis non declarata, quum vel aiens sit, vel negans, *ut* particula aut ex aequo ponit utrumque enunciatum, aut finibus angustioribus coercet primariam sententiam, neque magnam ei vim tribuendam esse ostendit. Prior ratio ubi valet, *ut* germanice est *als*, posterior significatur particulà *für*, quem usum uberius illustravimus in Diurnis scholl. a. 1830. Sect. II. N. 112. p. 905 sq. Nostro igitur loco haec cogitatio subest: alias enim tam periculosa res *non facile probata fuisset*; germanice autem sic se habet sententia: dies wurde, *für die gegenwärtige*, verzweifelte, *Lage* annehmbar befunden (denn an und für sich war es *nicht zu billigen*). Eiusdem generis exempla, in quibus *ut* restringendi potestatem ex negativa sententia, quae suppleri debet, accipit, haec sunt: Cic. Epp. ad Famm. XII, 2. *Nonnihil, ut in tantis malis, est profectum*, ubi haec subest sententia: multum enim in malis omnino *non potest profici*. Id. de Senect. c. 4, 12. *Multae erant in Q. Fabio, ut in homine*

de improviso acciderant, dubio atque haesitante Iu-
7 gurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat, praemissus ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat,

Romano, litterae; supple: apud omnes enim Rom. *exiguae* erant. Tuscc. II, 27, 65. *Graeci, prudentes, ut est captus hominum,* (non est autem magnus) *satis*, ubi v. Kuehner, et ad I, 8, 15. p. 59. Brut. c. 7, 27. *Opinio est Clisthenem multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo.* Liv. IV, 13, 1. *Maelius ex equestri ordine, ut illis temporibus, praedives.* XXIV, 28, 1. *Apollonides orationem salutarem, ut in tali tempore, habuit.* cf. etiam Bremium ad Nep. Epam. c. V, 2. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 3. p. 204. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 79. Grysar. art. Latine scribendi p. 569, 4., qui omnes tamen non satis accurate inter utrumque dicendi modum distinxerunt. Quare alterius quoque generis, cuius ratio ex affirmativa sententia pendet, apponemus quaedam exempla, ubi *ut* duas res respectu praedicati pares esse significat. Cic. Tuscc. I, 8, 15. *Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi;* i. e. *pariter* acuti, *ut omnes Siculi sunt.* de Off. III, 14, 58. *Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnis ordines gratiosus;* omnes scilicet argentarii gratiosi sunt. Id. de Orat. II, 1, 2. *Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus solebamus;* omnes enim pueri domesticis testibus utuntur. Liv. XXIX, 1, 22. *Trepida omnia, ut inconditam turbam tironum, esse;* ubi Drakenborchius plura contulit. — Verba *ac statim profecti* Cortius ad priora refert, semicolo, quod post *probata* est, huc transposito, quo totius sententiae ratio et concinnitas pervertitur, siquidem oratio non solum hiulca fit, sed *profecti* etiam vim primarii verbi accipit, ab loci sensu alienam. Narrationi enim de re *probata* adiungitur *eventus*, interiecta *profectionis* notione, quae minoris in hoc negotio momenti est. — *Acciderant* est in Fabr. 1. Sen. 1. Berger. Struv. Vrat. 2. Guelf. 1. 3. 6. 9. 10. 11. 12. Mark. *Γ.* Leid. A. F. H. I. K. Berol. 1. 2. Misn. Goerl. Non multum ab eo abit *acciderat*, quod haud pauci tenent, quamquam ita ex interpolatione scriptum est ab iis, qui *ac-*

orator, et subdole speculatum Bocchi consilia; praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere impar (nam pater eius ex concubina ortus erat) Mauro ob ingeni multa bona carus acceptusque. Quem Bocchus, fidum esse 2
Romanis multis ante tempestatibus expertus, illico

ciderent non perspexissent. Sed longe deterior aliorum librorum scriptura est *accesserant*, quam olim vulgatam recentiores editores praeeunte Cortio recte deseruerunt. *Accidere* enim, quod iam supra c. LXXXVIII, 5. cum *accedere* verbo confusum vidimus, de rebus dicitur, quae, quum adveniunt, *perturbant et vi sua quasi affligunt*, quae sententia quantopere verbis *de improviso* adiuvetur, quivis facile videbit. — *Intendere* vel cum *ire* verbo, vel cum *iter* nomine coniunctum vel absolute positum de *consilio et directione itineris* proprie dicitur; cf. Liv. XXIX, 30, 6. *Ad Syphacem, quo primum intenderant iter*, pervenerunt. XXXI, 33, 6. *Alam equitum ad explorandum quonam hostes iter intendissent, misit*. Cic. in Catil. I, 12, 30. *Si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit*. Cort. Adde Drakenborch. ad Liv. X, 43, 13. ad XXI, 29, 6. et Ruhnken. ad Ter. Andr. II, 2, 6.

CVIII. §. 1. *multum et familiariter*] De priore voce v. annotata ad c. I, 5. p. 7; de copula cf. quae diximus ad c. CII, 10. *Postquam* cum plusquamperfecto coniunctum explicavimus ad c. XI, 2. p. 57. — *Orator* i. e. legatus, de qua potestate egimus ad c. XXIV, 2. p. 142. Ceterum pariter cum hac voce ex verbo *praemissus* pendet *speculatum* variatâ structurâ, de qua re iam saepius diximus, velut ad c. I, 2, p. 3. — *Nam*, quod Sen. 2. et Heuss., codd. exiguae fidei, non habent, Cortius temere omisit, non recordatus tritum esse huius particulae usum in parenthesi, qua antecedens dictum explicatur, inferenda; cf. c. LXIII, 6. et Grysar. Art. Latine scribendi p. 544. — De verbis *carus acceptusque* v. ad c. LXX, 2.

§. 2. *fidum esse Romanis*] *Romanis*, quod in uno cod. Glareani ac Vat. 5. deest, Bipp. omiserunt, valde probantibus Langio ac Muellero, quia ineptum sit, Dabarem propterea a Boccho nuncium electum esse, quod *Romanis* fidus fuerit, quibus Bocchus ipse esset infidus. Quare deleto hoc vocabulo ad *fidum esse* intelligi

ad Sullam nunciatum mittit, paratum sese facere, quae populus Romanus vellet; colloquio diem, lo-

volunt *sibi*. Sed quivis facile videt ita re vera nihil aliud dici, quam quod iam continetur verbis *Mauro carus acceptusque*. Patet autem, praeterea aliam sequenti enunciatione caussam a Sallustio afferri, cur Bocchus Dabarem maxime ad Sullam mittendum putaverit. Ista vero caussa erat Dabaris in Romanos fidus animus ac Romanis ipsis probatus, v. CIX, 4., unde spes erat Boccho, fore, ut per talem nuncium facilius quae vellet consequeretur. Non est igitur, cur a vulgata discedatur. — Alio modo peccavit Cortius, qui *esse* verbum, quod in solo Franc. deest, delevit. — *Ante* omnes tenent Gruteri, Gerlachii et nostri libri; Cortius ex suis scripsit *antea*, cf. ad c. XI, 3. — *Tempus* h. l. non ita differt ab *die*, ut Catil. c. LI, 25., quem locum Cortius non satis apte contulit. Ibi enim *tempus* latiore sensu quam *dies* erat intelligendum; nostro autem loco, ubi *dies* praecessit, angustioris notionis esse videtur, siquidem *commoda diei hora* significatur, quae diei tantummodo pars est. — Pro *delegeret*, quod est in Vin. 1. Fabr. 1. Guelf. 3. 9. Berol. 2. Flor. 1. et Paris. c., Cortius inepte scripsit *dilegeret;* relicui habent *deligeret*. — Verborum *consulta sese omnia cum illo integra habere*, sensum editores sic constituunt: Omnia, de quibus ipsi *consulendum ac deliberandum esset* cum Sulla, integra esse et intacta, i. e. a Iugurtha aut eius legato non corrupta. Quae explicatio quamquam in universum ferri potest, tamen *consulta* non potest significare *consulenda;* neque quidquam obstat, quominus servata vocabuli natura intelligantur priora consilia inter Bocchum et Sullam agitata. Quae quum *integra esse* affirmat Bocchus, hoc dicit: nihil eorum, quae ante Sullae promiserit, a se mutatum, neque ipsum a sententia sua per Iugurtham esse demotum.

Ne Iugurthae legatum pertimesceret] Plerique codd. pro *ne* tenent *neu*, quod minime tolerari potest; nam quum nulla prorsus *consilii* significatio in proxime antecedentibus contineatur, ineptum est, particulam ponere, qua *continuatio consilii* declaratur; cf. annotata ad Cat. XXXIV, 2. et ad Iug. VIII, 2. p. 45. Non dubitavi igitur *ne* recipere, quod exstat in Berol. 1. 2. Goerl. Paris. c. et fortasse etiam in pluribus scriptum, sed ab editoribus non enotatum est. — Ceterum sequentia verba sana esse vix adducor ut credam, tanta est sententiae, quae requiritur, cum verbis discrepantia. Nam quum necessarium sit, caussas a Boccho explicari, cur legatus Iugurthae, colloquio interfuturus, Sullae non esset pertimescen-

cum, tempus ipse delegeret; consulta sese omnia cum illo integra habere. Ne Iugurthae legatum

dus, non potuit aliud, quam hoc subiicere: „quum eo praesente impediantur libere de rebus communibus agere, *velle sese postea clam Aspare consilia de suis rebus inire;* quando enim necessitati hoc dandum esset, ut Aspar in colloquium admitteretur, aliter eius *insidias* i. e. consiliorum speculandi studium *caveri* i. e. irritum reddi „et eludi non potuisse.“ Talem autem sententiam revera ab auctore proditam fuisse quum sequentia luce clarius ostendant, frustra eam quaeras in verbis *quo res communis licentius gereretur;* quae quum et per se, et respectu antecedentium obscurissima sint, tum rursus nullo modo cohaerent cum iis, quae subiiciuntur *nam ab insidiis eius aliter caveri nequivisse.* Hae tenebrae, quas longe plurimorum ac probatissimorum librorum consentiens scriptura nobis obiicit, non dispelluntur, sed augentur etiam nonnullorum discrepanti lectione; nam in Leid. D. F. G. M. N. et Wassii Ball. Bibl. P. Bodl. Laud. 1. 2. legitur *accitum esse quo res* etc., in Palat. 7. *illum accitum quo res,* in Martin. *quem esse accitum quo res*, in Fabric. 2. *adhibitum esse, quo,* in Palat. 8. *quod eo advocatus esset; quo res* etc., quae omnia primus aspectus docet ab interpolatoribus assuta esse, qui neque haberent, quid voce *quo* facerent, neque viderent ineptissimam ita fieri sententiam, qua Iugurthae legatus dicitur *propterea* accitus esse, ut *licentius* de communibus rebus agi posset, i. e. ne Sulla dubitaret, palam Bocchum de tradendo Iugurtha appellare! Non melius, quam illi interpolatores, recentiores editores in desperato loco versati sunt, quorum explicationes vulgatae scripturae, ut lectores ipsi iudicare possint, huc transcribemus. Cortius igitur: „Sallustius, inquit, vocem *legatum*, ut alibi alia nomina, tamquam pro tota oratione posuit; id quod etiam proxima *nam aliter* etc. perspicue indicant. Cape ergo praecedentia, quasi scriptum esset: *neu legatum Iugurthae*, qui adesset, aut advocatus, etiam in familiarem usum assumptus esset, *pertimesceret;* cum ita cautum sit, *quo res communis licentius gereretur;* nam aliter ab ins. *ei. caveri nequivisse.*“ His, quae equidem non assequor, probatis Gerlachius in Comment. p. 332. alia quaedam multo mirabiliora addidit, quarum summa haec est: „Hoc, inquit, apud Graecos scriptores nihil frequentius, ut primum accusativus verbis *timendi* adiiciatur, tum per epexegesin accuratius explicetur, quae in tali re vel persona metuenda sint. Iam hoc etiam satis certum, verba timendi non so-

pertimesceret; quo ... res communis licentius gereretur; nam ab insidiis eius aliter caveri nequivisse.
3 Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quae praedicabat, simul Romanos et

lum *ut* et *ne*, sed etiam relativa cum coniunctivo vel infinitivum saepissime sequi. accedit, quod *ut* et *ne* non eadem ubique significatione his verbis iunguntur, sed aliquoties inter sese commutantur. hoc igitur loco ita scribere licuit: *neu propter legatum rem communem licentius gerere pertimesceret.* sed pro infinitivo pronomen relativum posuit. Nihil certe in his verbis difficultatis inesset, si pro *quo*, *ne* scriptum esset. *ne* et *ut* igitur inter se commutata puta; *quo* enim pro: *ut eo* positum." Sed ipse postea sentiens hac scabie grammatica locum non expediri, in ed. minore coniecturam Gronovii recepit, qui *quo* in *quin* mutato sensum hunc esse dicit: „Ne putaret obstare sibi Asparem, *quominus* libere diceret ageretque, quae in rem utriusque essent; nam illum necessario admittendum fuisse, ut aliae Iugurthae insidiae excluderentur." Quae coniectura iis concidit, quae supra de vera sententiae ratione diximus, siquidem Bocchus tantum abfuit, ut Sullam ad *libere* agendum coram Aspare excitaret, ut illo praesente pauca tantum et *ex composito* transigeret. Muellerus denique *nam* particulâ deletâ verba *quo res — gereretur* ex sequentibus apta esse vult, totumque locum sic interpretatur: „Ne Iugurtha ex more suo amicos regis corrumperet et deditionis pacisque consilia clam impediret, optimum factu esse visum, legatum eius praesentem habere, eumque in publico colloquio cum Sulla adesse." Quas aniles ineptias ut refellamus nemo postulabit, qui Sallustii verbis accuratius inspectis intellexerit neque *nam* omitti posse, quod omnes codd. tenent, neque, quod caput rei est, sensum *quo* vocis ita explicari. Frustra autem fuisse omnes interpretum curas nobis quidem non mirum videtur, qui persuasum habeamus locum corruptum esse, ac vetustissimo vitio laborare. Nam quum et tota sententia manca sit, et *quo* nullo pacto intelligi queat, suspicamur post *quo* excidisse *remoto*, sive id similitudine sequentium litterarum, sive alia caussa factum est. Iam non solum constructio planissima est, sed sententia quoque aptissima et cum sequentibus conspirans prodit. Hoc enim dicit Bocchus: ne Iugurthae legatum pertimesceret; eo enim praesente non opus esse, dicere de rebus, quas illum scire nollet, *sed post clam eo* libere quid fieri vellet doceret; *aliter* enim, i. e. non nisi consilio bis habito, quorum priori

Numidam spe pacis attinuisse, multumque cum animo suo volvere solitum, Iugurtham Romanis, an illi Sullam traderet; lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

interesset Aspar, posteriori non interesset, ab *insidiis* eius, quippe qui consilia sua *speculatum* missus esset, caveri nequivisse. Sed videant acutiores, verene locum sanaverimus, an alio modo auctoris manus restitui debeat. — Pro *caveri* in Acad. Vrat. 3. Guelf. 4. 11. 12. ac nonnullis Gruteri et Wassii codd. est *cavere*, quod Gerlachius in ed. mai. recepit, in Commentt. p. 333. defendit, et in novissima rursus cum vulgata commutavit; solita quidem inconstantia, sed tamen recte. Bocchus enim non de se solo loquitur, sed Sullae rationes simul complexus generali oratione utitur, cui passivum inservit. *Nequivisse* autem dixit, quia non ipsam cautionem, adhuc faciendam, sed initum vel captum *consilium* cavendi respicit. Res per se spectata praesentis infinitivum poscebat.

§. 3. *quam ob ea, quae praedicabat*] Pomponius Laetus primus omisit demonstrativum; quod quum Perizon. ad Sanct. Min. II, 9. probasset, Cortius cupide amplexus est, et auctoritate sua adeo Kruegerum decepit, qui in libro de Attractione Lat. ling. §. 112. p. 279. bona fide ita disputavit, quasi Sallustius revera scripsisset *quam ob quae praedicabat.* Sed quum ne *unus* quidem cod. *ea* pronomine careat, corrupto per Pomp. Laetum exemplo non potest probari, relativum omisso demonstrativo, cum praepositione sociari, ex qua demonstrativum pendere debebat, quae attractio, Graecae quidem linguae concedenda, a Latinae linguae ingenio aliena est. Alia res est, ubi et demonstrativum et relativum ex eadem praepositione eodemque verbo pendent, velut Cic. Agr. II, 27, 74. *Ili deducent colonias in eos agros, quos emerint, et in quae loca praeterea videbitur;* i. e. et *in ea* loca *deducent*, *in quae deducere* videbitur, quae structura non ad attractionem, sed ad ellipsin pertinet. Ceterum sensus verborum hic est: Bocchum, quamquam colloquium secretum promittendo amicum se Romanis simulaverit, tamen non bono animo egisse, sed Iugurthae favisse. Quum Sullae igitur nunciaret, se priore colloquio Numidae simulate tantum spem pacis facturum, altero vero de condicionibus, quibus Romani pacem fieri vellent, acturum, Punica fide plane contrarium sensit, Romanos fallere cupiens, dum Iugurtham se fallere simulabat. — *Praedicabat* i. e. aperte dicebat; v. ad Catil. c. XLVIII, 9. p. 225. —

CIX. Igitur Sulla respondit, pauca se corum Aspare locuturum; cetera occulte, aut nullo aut quam paucissumis praesentibus; simul edocet, quae
2 sibi responderentur. Postquam sicuti voluerat congressi, dicit se missum a consule venisse quaesitum
3 ab eo, pacem an bellum agitaturus foret. Tum rex, uti praeceptum fuerat, post diem decimum redire

Attinere est quasi ad se attractum tenere, vel retinere; cf. Fragm. Historr. I, 19, 16. *Ne, inquies ipse, nos in sollicitudine attineas.* Saepissime verbum a Tacito usurpatur; v. Boetticheri Lex. Tac. p. 46 sq. — De verbis *cum animo volvere* v. annotata ad c. VI, 2. p. 38. et ad c. XI, 8. p. 60. — De *an* particula v. doctam Handii disputationem in Particc. Latt. Vol. I. p. 307 sqq.

§. 1. *respondit*] Hoc verbum deest in Guelf. 1. Acad. Franc. Paris. A., uno Rivii, Sen. 2. Heuss. Goerl. Berol. 1. 2. Paris. b. et inter versus comparet in Mark *Γ*. Eo permoti Cortius et Gerlachius eiecerunt. Sed quamquam non sine aliqua veri specie id fecisse videntur, tamen loquendi usus postulat, ut verbum retineatur; v. ad Catil. c. XXXIV, 1. ad Iug. CII, 10. — Rectius egerunt in pronomine *se* expellendo, quod vulgo ante *locuturum* legitur. Nam quin a scribis sit illatum, vix dubitari potest, quum a Guelf. 10. Franc. Laud. 2. 3., uno Rivii, Goerl. Paris. b. et ed. Venet. a. 1470. absit, in Paris. c. post *respondit*, in Berol. 1. 2. et Misn. post *pauca* legatur. De ellipsis usu et ratione, scribis ignota, v. ad c. XIV, 3. et LXXVI, 1. — *Sibi*, quod Gruterus omisit, non constat utrum codd. auctoritate, necne, in ceteris omnibus comparet, quare non est, cur deleamus, quod Cortius et Gerlachius in ed. mai. fecerunt. — De coniunctivo imperfecti ex *edocet* pendente v. ad Cat. c. XXXIV, 1. p. 157. Male in nonnullis Cortii libris ab interpolatoribus scriptum *respondeantur*.

§. 2. *sicuti voluerat*] *Voluerat* ex haud paucis codd. Cortius recte scripsit pro *voluerant*, quod ceteri tenent; Sulla enim ipse, a Boccho rogatus (v. c. CVIII, 2.), colloquii modum constituerat. Nihil egit igitur Langius, qui *voluerant* defendit, interpretatus *convenerant*, quod neque Latinum est, et cum rei gestae veritate pugnat. — *Agitaturus* rectius vocabulo *pacem*, quam *bellum* convenire iam diximus ad c. LV, 8. Tamen structura vix ad zeugmatis inso-

iubet; ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum. Deinde ambo in sua castra digressi. Sed ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho 4 occulte accersitur; ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur, praeterea Dabar internuncius, sanctus vir et ex sententia ambobus. Ac statim sic rex incipit:

lentiam accedit, quum interdum etiam altero vocabulo non addito dicatur *bellum agere*; cf. Fragm. Hist. Inc. 17, 11. *Belli ab aliis acti ratio reddenda.* Nep. Hannib. c. VIII, 3. *Si Antiochus in agendo bello parere voluisset consiliis eius.* cf. Gronov. Obss. II, 3. p. 178. ed. Platn. Drakenborch. ad Liv. Epit. XLIX.

§. 3. *fuerat*] Hoc verbum Cortius fide unius Guelf. 4. delevit, eleganter omitti praedicans. — *Ac* iam Cortius vidit ita orationem nectere, ut ex praecedente verbo *iubet* simplex *dicendi* vocabulum eruendum sit, quo cetera oratio, quae non ad iussum pertinebat, continuaretur. Usitatius tamen est, nullam copulam poni, ubi accusativus cum infinitivo ex supplendo *declarandi* verbo pendet, de quo constructionis genere vide quae annotavimus ad c. VIII, 1. — *Etiam nunc* mihi valde suspectum est, quum loquendi usus postulet *etiam tunc*, v. ad c. XI, 6. XLVI, 1. XLIX, 3. Quod ipsum quum in Misn. exstet, Tur. vero habeat *ac tum etiam nihil*, vix dubium videtur, quin locus vitium traxerit. Nam ut non est verisimile scribas *nunc* in *tunc* mutasse, ita valde iis proclive fuit contrario modo peccare. — In explicandis verbis *ambo in sua castra digressi*, qui sunt planissimi sensus, incredibiliter nugatur Cortius. „Tu *castra* accipe, inquit, *Sullae* atque *Asparis*, nec ea, quae apud Bocchum habebant, sed illius apud Marium, huius apud Iugurtham; atque idem est, ac si dixisset: deinde ambo ad suos digressi sunt, sive digressi sunt, ut ad suos pergerent.“ Quae quanta perversitate excogitata sint, facile potest intelligere, qui reputaverit et Sullam, qui cum praesidio militum venisset (cf. c. CV, 2.), castra munita habuisse, et Bocchum, non domi, sed apud exercitum versantem, pariter in castris fuisse. Ad colloquendum igitur quum processissent in locum *medium inter castra*, ut res ipsa poscebat, quid magis consentaneum, quam colloquio finito utrumque in sua castra esse reversum? Prorsus igitur ineptum est, quod Cortius de *Asparis*

CX. „Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra et omnium, quos novi, pri-
2 vato homini gratiam deberem. Et mehercule, Sulla,

castris apud Iugurtham somniat. — *Accersitur* paene omnes libri habent, paucissimi *arcessitur*, quod Cortius edidit. — Verba *sanctus vir et ex sententia ambobus*, foedo olim vitio turpata, Cortius bene ad integritatem revocavit. Nam quum voces *vir et* scribentium errore temere in *iurat* abiissent, istud verbum textui illatum varias corruptelas genuit. Deleta enim *et* particula in multis codd. scriptum est *sanctus vir, ex sententia iurat ambobus*, in aliis *s. v. iurat ex sent. ambobus*, in aliis pro *iurat* legitur *iurant*, *iuravit*, *intrat*, *inerat*. Propius ad verum accedit scriptura codd. Guelf. 6. 11. Fabric. 1. 2., in quibus sine *et* et *iurat* vocabulis exstat *sanctus vir*, *ex sent. amb.* Integra autem Sallustii verba servata sunt in Guelf. 9. Sen. 1. Paris. c. et Palat. 4. nisi quod hic pro *sanctus* habet *factus*, oculorum lapsu. De vi *sanctus* vocis v. annotata ad c. LXXXV, 40. — *Ex sententia* plane respondet germanico *nach Sinn*, *nach Wunsch*; v. Hand. de Particc. Latt. Vol. II. p. 657. §. 6. cf. Plaut. Capt. II, 2, 96. *Nec quemquam fideliorem — potes mittere ad eum, nec qui magis sit servos ex sententia.* Gell. IV, 20. *Quum censor dixisset: et tu ex animi tui sententia uxorem habes?* cf. etiam annotata ad c. LXXXV, 27.

CX. §. 1. *ratus sum*] Recte observavit Faber haec verba germanice vertenda esse *ich hätte gedacht.* Patet enim Germanos opinionem ex suppressa enunciatione condicionali suspensam efferre, quam h. l. sic licet concipere: *si quis talis rei me admonuisset.* Sed contra est apud Latinos, qui opinandi rationem per se spectantes indicativo utuntur. cf. supra c. XI, 7. *Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus erat, descendit.* Cic. de Off. I, 23. 81, *Ingeni magni est non committere, ut aliquando dicendum sit: non putaram;* ubi Beierus contulit Senec. de Ira II, 31. et Valer. Max. VII, 2, 2. Eâdem caussâ nititur indicativus verborum *posse*, *debere*, et similium, de quibus diximus ad c. XCV, 3. cf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 166. 2, c. not. p. 410. ed. I. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. §. 184. p. 150. — In multis edd. olim post *novi* addebatur *opulentissimus*, quod quamquam in nullo cod. legitur et recentioris est interpolatoris, tamen receptum ab Bipp. Muellero, Langio et Weisio. Scilicet non curarunt illi, quod Cortius recte sensit, qui: „vecordia foret, inquit, ei vocabulo am-

ante te cognitum multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ce- 3
teri dolere solent, ego laetor; fuerit mihi eguisse

plius permittere locum. Patet autem additum esse ab iis, quibus coniunctio *et* nomen aliquod desiderare videbatur."

§. 2. *mehercule*] Cortius contra codd. scripsit *hercle*, quae forma comicis usurpata (v. Conr. Leop. Schneider. Gramm. Lat. Vol. I. P. II. p. 731.) Sallustio obtrudi non debet; cf. ad Catil. XXXV, 2. LII, 35. Iug. LXXXV, 43. — *Ultro*, quod iam tetigimus ad c. XV, 1. p. 93., quum respondeat vocabulo *orantibus*, h. l. idem est atque *non rogatus*, ut c. XLIII, 4. — Pro *indigui*, quod longe plurimi codd. tuentur, Gerlachius scripsit *indigus*, ut est in Bas. 1. Bern. 4. Paris. c. x. et Berol. 2. Sed in pari fere sensus et structurae bonitate prorsus ineptum est eam scripturam recipere, quae minimam a codd. auctoritate commendationem habet. Quare quum etiam Priscianus XVIII, 25, 232. p. 218. ed. Kr. *indigui* habeat, luce clarius est *indigus* scribarum vel ingenio vel errori deberi. — *Imminutum* plerique editores recte receperunt; Gruterus tamen ac nuper Weisius *immutatum* ediderunt, quod vix in tribus codd. exstat, et sensu etiam deterius est, quam vulgata lectio. Nam quum *mutari* res in utrumque partem possint, *imminui* eae tantummodo dici possunt, quae non amplius integrae manent, sed de quibus aliquid perit, ut non eaedem sint, quae ante fuerant; cf. annotata ad c. LXXXI, 4. Tacit. II, 86, 2. *Agrippa discidio d o m u m i m m i n u e r a t.* Liv. III, 38, 1. *Neque a n i m i s ad imperium inhibendum i m m i n u t i s.* Non est igitur difficile ad videndum, *imminutum* multo significantius esse, quam alterum vocabulum, cuius sensus quo latius patet, eo infirmior est.

fuerit mihi eguisse aliquando amicitiae tuae] Vulgo edebatur *fuerit mihi p r e t i u m* etc., quemadmodum etiam Bipp. Langius et Weisius scripserunt; sed *pretium*, quod abest ab uno Rivii, Palat. 8. Reg. Laud. 2. et 3., glossam esse, eo perspicue intelligitur, quod in aliis codd. legitur post *aliquando*, in aliis pro *pretium* est *pretii*, in duobus *pretio*, in alio *operae pretium*, in alio *in pretium*, ex qua diversitate patet scribas ipsos nesciisse, quid vocabulo versibus interposito facerent. Interpositum est autem ab iis quos offendebat *esse* verbum ita usurpatum, ut ex eo infinitivus pendeat, quamquam eius structurae ratio non recondita est. Nam quum *est* absolute positum non copulae vice fungatur, sed subiecti indefiniti vim sustinens, hoc

aliquando amicitiae tuae, qua apud animum meum
4 nihil carius habeo. Id adeo experiri licet; arma, viros, pecuniam, postremo quicquid animo lubet,

ipsum, quicquid est, *exstare* asseveret (germanice *es ist der Fall, es findet Statt*), huic generali notioni certae actionis verbum subiicitur, quod vel per *ut* particulam *est* verbo coniungitur, vel infinitivo positum ex illo pendet. Prioris structurae, quae frequentior est, haec sunt exempla: Cic. de Orat. II, 36, 152. *Est, ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi, et habeant paratum tamen quid de quaque re dicant.* Orat. c. 59, 199. *Est autem, ut id maxime deceat.* p. Coel. c. 20, 48. *Quando fuit, ut quod licet non liceat.* de Divin. I, 56, 128. *Non est igitur, ut mirandum sit.* Ter. Phorm. II, 1, 40. *Si est, culpam ut Antipho in se admiserit.* Quae dicendi ratio ut aperte inservit circumscriptioni simplicis verbi (nam *est, ut deceat* re non differt ab *decet*, etc.), eo quidem consilio factae, ut intentius animum ad id, quod fit aut agitur, advertamus (v. Ramshornii Gramm. Lat. §. 204, 5. p. 680.), ita idem efficitur, ubi *est* verbo infinitivus subiicitur. Ad hoc autem genus haec exempla pertinent: Cato de R. R. praef. 1. *Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet, et item fenerari, si tam honestum siet.* Sil. Ital. XII, 695. *Fuerit delere Saguntum, Exaequare Alpes, imponere vincula sacro Eridano, foedare locus; etiamne parabit* etc. Virg. Ecl. X, 46. *Nec sit mihi credere.* Propert. I, 20, 13. *Nec mihi sit duros montes et frigida saxa Adire.* Tibull. I, 7, 24. *Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.* Quum igitur *est praestare* idem valeat atque *praestat*, *fuerit delere* idem atque *deleverit*, facile patet, istam sententiam addito pronominis dativo non mutari, sed generalem vim esse verbi ad certam personam restringi. Quare sensus nostri loci germanice sic est reddendus: *mag es immerhin für mich der Fall sein, deiner Hülfe einmal bedurft zu haben*, quod sensu non differt a simpliciore enunciatione: *mag ich immerhin — bedurft haben.* Hac interpretatione simul declaravimus vim coniunctivi, quo significatur, *nihil obstare, quominus aliquid concedatur;* cf. supra c. XXXI, 8. *Sed sane fuerit plebi sua restituere, quod sine sanguine civium ulcisci nequitur.* Catil. c. LII, 12. *Sint sane liberales ex sociorum fortunis.* Cic. in Verr. I, 14, 37. *Malus civis Cn. Carbo fuit. Fuerit aliis; tibi quando esse coepit?* Adde Silii l. l. et cf. Aug. Grotefendi Gramm.

sume, utere; et quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris, semper apud me integra erit; denique nihil, me sciente, frustra voles. Nam, ut

Lat. ampl. Vol. II. §. 198. p. 144. Iaumannus tamen *fuerit* pro *futuro exacto* habet; quod quomodo probare possit non assequor. — Pro *qua* Muellerus ex Guelf. 4. scripsit *quia*, nulla plane caussa addita, cur istam interpolationem vulgatae probae admodum et codd. praesidio firmatae praetulerit.

§. 4. *Id adeo*] De vi *adeo* vocis, qua ad antecedentem sententiam gravius quid adiicitur, v. ad Catil. c. XXXIX, 2. p. 170. — *Animo* multo significantius dictum est, quam *tibi*; v. ad XXXIX, 5. — *Utere* verbum quum alium casum regat, atque *sume*, per ellipsin pronominis ablativo positi intelligendum est; cf. ad Catil. c. XIII, 2. p. 66. et ad Iug. c. LIV, 1. Cic. Epp. ad Famm. II, 3, extr. *Quae primum navigandi nobis facultas data erit, utemur.* id. Philipp. I, 15, 38. *Quae potestas si mihi saepius sine meo vestroque periculo fiet, utar.* — *Tibi*, quod in paucis codd. deest, immerito a Cortio et Gerlachio eiectum est, quum longe plurimorum librorum consensus etiam Donati testimonio ad Ter. Eun. IV, 6, 12. confirmetur. Praeterea in tam officiosa oratione, quali Bocchus utitur, vix potest personae significatio abesse. — *Putaveris* verbi Faber perperam putat eandem rationem esse, quae est praegressi coniunctivi *fuerit*. Nam quum illud *concedendi* vim habeat, ut supra ostendimus, hoc vero ad imperativum ita adiungatur, ut ad certam de non reddita gratia persuasionem capiendam adhortetur, diversa omnino utriusque verbi potestas est. Neque tamen assentimur Ramshornio, in Gramm. Lat. §. 164, 7. p. 402 sq. statuenti *putaveris* esse futurum exactum, quod huic sententiarum nexui minime convenit, sed pro coniunctivo perfecti habemus, imperativi lenioris potestatem obtinente; cf. Aug. Grotefendi Gramm. Lat. schol. §. 182. p. 148. Aug. Matthiae Excurs. ad Cic. or. in Catil. IV, 6, 11. p. 244. Cic. p. Mur. c. 31, 65. *Nihil ignoveris, nihil gratiae causa feceris, misericordia commotus ne sis.* Liv. VII, 34, 5. *Ne tu mihi plus, quam unius legionis principes hastatosque dederis.* id. XXI, 44, 6. *Ne transieris Iberum, ne quid rei tibi sit cum Saguntinis, nusquam te vestigio moveris.* — *Gratia integra* vocatur, praestitis officiis quae nondum reddita est. Hoc igitur dicit Bocchus: Quotcunque officia tibi praestitero, tamen sic accipe, ac si nulla praestitissem, ut nova semper postulare possis. —

ego existumo, regem armis quam munificentia vinci
6 minus flagitiosum. Ceterum de republica vostra, cuius curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum umquam volui; finis meos advorsum armatos armis tu-
7 tatus sum. Id omitto, quando vobis ita placet; ge-

Frustra i. e. ita, ut tua te opinio de me concepta fallat; v. ad c. XXXI, 5.

§. 5 — 8. *existumo*] Consueta in hac voce varietate haud pauci libri habent *aestumo*, vel, quod idem sibi vult, *extimo*; v. ad c. LXXXV, 2. — *Factum volui* Cortius et Iaumannus interpretantur *facere volui*, quod non falsum est, si hoc voluerunt intelligi, pro *factum* etiam *facere* dici potuisse; sed si putarunt parem esse utriusque structurae vim, a vero aberrarunt. Facile enim intelligitur, multo certiorem ac vividiorem actionis notionem animo concipi, si id, quod ex *consilii* vocabulo pendet, eâ verbi formâ enunciatur, qua actio perfecta iam et absoluta designatur; v. c. CXII, 3. et annotata ad c. CVI, 4. — Verba *finis meos* etc. etiam sine particula adversativa prioribus opponi non sensit librarius Basileensis 1., qui *at* intulit. De asyndeto v. supra ad c. XXI, 2. p. 132. — *Tutatus*, quod omnes codd. tenent, Cortius ex arbitrio mutavit in *tutus*; de utriusque formae usu v. ad c. LXXIV, 3. et LXXXV, 45. — *Id omitto*, i. e. fines tutari non amplius laborabo; de vi *omittere* verbi cf. annotata ad c. XXXI, 17. p. 186. — *Quando* explicavimus c. CII, 9. — De *Mulucha* flumine v. ad c. XIX, 7. — *Inter me et Micipsam* quivis videt significare *inter meum et Micipsae regnum*. — *Egrediar* autem et *intrare* verba non ad propriam *fluminis* notionem referuntur; sed quum hoc vocabulo termini sive fines significentur, *egredi* et *intrare* de transgrediendis finibus in utramque partem dicitur; cf. Fragm. Historr. I, 29. et III, 23. — De verbis *repulsus abibis* cf. annotata ad Cat. XLIX, 2. p. 229.

CXI. §. 1. *pro se*] i. e. de iis, quae in Bocchi oratione ad se, sive ad suam laudem pertinebant. — *Modice* i. e. modeste; cf. Cic. de Legg. III, 18, 40. *Quae cum populo agentur, modica sunto, id est modesta atque sedata.* supra c. LXIII, 2. *Animus belli ingens, domi modicus.* LXXXV, 1. *Primo industrios, suppli-*

rite, uti voltis, cum Iugurtha bellum. Ego flumen 8
Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar, neque Iugurtham id intrare sinam. Praeterea si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis."

CXI. Ad ea Sulla pro se breviter et modice;

cis, modicos esse. Liv. XXIII, 24, 3. *Dictator de se pauca ac modice locutus.* Sallustium haud dubie ante oculos habuit Tacitus Historr. IV, 40, 1. *Domitianus de absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modica disseruit.* id. Annall. II, 58, 2. *Ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit.* Ceterum *breviter et modice* adverbia non pertinent ad *disseruit*, sed ad omissum verbum *respondit*, de quo dicendi usu v. annotata ad c. CII, 12. Ea ipsa res in caussa est, cur non commate post *modice* interpungi possit, quemadmodum Gerlachius cum nonnullis aliis editoribus perperam fecit. — *Patefecit* Cortius propter *polliceatur* mutavit in *patefacit*, quemadmodum in solo exstat Fabric. 1.; sed nihil obstare, quominus perfecto aoristo subiungatur praesentis coniunctivus iam diximus ad Catil. c. XLI, 5. et ad Iug. XXVIII, 1. — De usu vocis *amplius* v. ad c. LXIX, 2. — De plurali *valuissent* egimus ad c. XXVIII, 2. — *In gratiam* fere dimidia pars codd. tenet, ceteri *in gratia;* quod sane legitimum est, (cf. Sueton. Domit. c. XI.), et analogia sustentatur; v. CIII, 6. *Omnia in benignitate habebantur.* Sed accusativum quoque recte poni posse, nemo dubitabit, qui quod de simili structurae varietate ad Catil. c. LI, 21. p. 250., ad Iug. c. XVII, 3. p. 102. et ad c. XLII, 6. p. 240. notavimus, consideraverit. Ut igitur verbis *in gratia habere aliquid* significatur *rem aliquam in eorum numero iam esse, quae placent ac grata sunt*, ita *in gratiam habere* valet, *ea mente esse, ut aliquid ad gratiam comparandam valere putemus.* Quare quum sensus loci, accusativo posito, satis commodus hic prodeat: *quod polliceatur, id Romanos ita accepturos, ut ad gratiam comparandam non valere putent*, nulla caussa est, cur alteram scripturam praeferamus, quam probabile est a scribis eo consilio effictam esse, ut structurae insolentiam amoverent, qua accusativus laborare ipsis vide-

de pace et de communibus rebus multis disseruit. Denique regi patefecit, quod polliceatur, senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros; faciundum aliquid, quod illorum magis quam sua retulisse videretur. Id adeo in promptu esse, quoniam Iugurthae copiam

batur. Certe incredibile est, si Sallustius *in gratia* scripsisset, librarios pro eo *in gratiam* exarasse, quod non satis reputantes Langius et Muellerus *in gratia* ediderunt. Ceterum Gerlachius ut accusativum explicet, in Commentt. p. 334. comparat Catil. XIX, 3. et Iug. CXII, 3., quae exempla quid probent nemo praeter ipsum intellexerit; nam corruptum est alterum, alterum alieni generis. — *Quod — retulisse videretur* Iaumannus ita dictum censet, ut *facere* ad relativum supplendum sit. Nobis nihil videtur supplendum, quum verba *refert* atque *interest* non semper infinitivum aut accusativum c. infinit. postulent, ut praecipit Zumptius Gramm. Lat. §. 73, 13. p. 352. ed. IV., sed interdum etiam cum nominativo pronominis aut substantivi coniungantur; cf. Cic. Epp. ad Famm. V, 20, 15. *Non ascripsi id, quod tua nihil referebat.* Ter. Adelph. V, 4, 27. *Id mea minime refert, qui sum natu maximus.* Cic. Epp. ad Attic. III, 19, in. *In Epirum ad te statui me conferre, non quo mea interesset loci natura, sed* etc. Plin. H. N. XVIII, 21. *Plurimum refert soli cuiusque ratio.* Sensus est igitur: faciendum esse aliquid, quod magis ob utilitatem Romanorum, quam ob suum commodum susceptum videretur; quam sententiam haud obscuram non explanandam duxissem, nisi viderem Langium prorsus a vero aberrare, haec annotantem: *referret*, quod Romanis potius, quam sibi utile esset." — *In promptu esse* i. e. *facile esse*; eodem sensu Tacitus dixit *promptum est*, cf. XIV, 57, 1. *Promptum fuit Rufum Fenium imminuere.* XV, 41, 1. *Domuum et insularum et templorum numerum inire haud promptum fuerit.* — De usu *ille* pronominis in oratione obliqua satis egimus ad c. LVI, 4. — *Tunc* ante *ultro* Cortius, quum in Guelf. 12. deesse vidisset, inconsulto expulit, non assecutus temporis diversi oppositionem istam particulam flagitare; quae oppositio nisi quaesita et de industria instituta esset, non scribi potuisset *nunc*, quum dicendi usus in tali nexu postulet *tunc*, ut iam saepius monuimus;

haberet; quem si Romanis tradidisset, fore, uti illi plurimum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram. Rex primo negitare; affinitatem, cognationem, prae- 2
terea foedus intervenisse; ad hoc metuere, ne, fluxa fide usus, popularium animos averteret, quis et Iu-

v. ad c. CIX, 3. — Pro *adventuram* sane usitatius erat dicere *venturam*, (v. ad c. VIII, 2. et CIII, 2.), sed vulgata non est sollicitanda. Apte Faber comparavit Liv. XLV, 19, 12. *Quid attineret vim afferre rei, sua sponte mox ad eum adventurae*, ubi Dukerus praeter necessitatem coniicit scribendum esse *venturae*. Quamquam enim leve est utriusque verbi discrimen, tamen certior quaedam *adipiscendi* notio in *adveniendi* quam in *veniendi* vocabulo videtur inesse.

§. 2. *Rex primo negitare*] Haec verba non uno modo turbata sunt. Levius est, quod nonnulli codd. pro *primo* habent *primum*, quod cur falsum sit patebit ex annotatione ad c. XXIX, 3. p. 165. cf. Grysar. art. Latine scribendi p. 143. annot. 1. Tum pro *negitare* in Fabr. 1. Rem. 1. Inc. 1. Guelf. 7. 11. Leid. D. F. K. Erl. Par. b. Berol. 1. 2. Goerl. est *negare;* in Acad. Franc. Eccard. Inc. 2. Vrat. 3. Guelf. 4. 6. 9. Leid. B. E. H. *agitare;* in Vin. 2. Struv. Berg. Vrat. 2. Bern. 1. Guelf. 10. 12. Leid. G. Misn. *negare, agitare*, quod Weisius tanquam verissimam scripturam recepit. Sed Cortius recte vidit eam talem esse, quae ne interpolationi quidem debeatur, sed ex errore librariorum orta sit. Nam quum aliquis pro *negitare* exarasset *negare*, et errorem correcturus superscripsisset *gitare*, id alii putarunt esse *agitare*, ac vel sine *negare*, vel simul cum isto verbo in textum intulerunt. Ad hoc ipse sensus *agitare* verbi locum corruptum esse arguit; quam egregie vero *negitare*, quod ceteri codd. tenent, sententiae conveniat, quivis, opinor, facile intelligit, quum istud verbum significet *praefracte et identidem negare;* cf. Plaut. Mercat. Prol. v. 50. Lucret. IV, 914. — Quae sequuntur, ita comparata sunt ut ex *negandi* verbo aiens, velut *dicebat*, eliciendum sit, unde illa pendeant; de quo dicendi usu abunde diximus ad c. CVI, 3. — *Intervenisse*, quod Iaumannus duplici errore explicat *obstare*, significat *factum esse inter ipsos*. Non potest autem istud verbum ad *affinitatem* et *cognationem* referri; nam istae ra-

3 gurtha carus, et Romani invisi erant. Denique, saepius fatigatus, lenitur, et ex voluntate Sullae
4 omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cuius Numida defessus bello avidissumus, quae utilia visa, constituunt. Ita composito dolo digrediuntur.

tiones ubi obtinent, per totam vitam duos aut plures homines iungunt, sed iis non *interveniunt.* Quare vi zeugmatis, quod hic habetur, ex *intervenisse* ad duo priora nomina cogitatione suppleri debet *esse* sc. *sibi cum Iugurtha. Foedus* autem non solum naturà diversum esse ab affinitate et cognatione, sed etiam seriore tempore accessisse perspiscue tum *praeterea* voce, tum *perfecti* infinitivo declaratur. Ceterum quum *affinitas* matrimonio iungendo exsistat, *cognatio* sanguinis vinculo contineatur (cf. Weberi Exercit. styli Lat. Vol. I. p. 124.), illa qualis fuerit patet ex c. LXXX, 6., de hac non constat. — *Fluxa fide,* ita Tacit. Historr. II, 75. Sil. VIII, 322. ubi videndus Drakenborch. Cort. Adde Drakenb. ad Liv. XXVII, 17, 4. XL, 50, 5. — Pro *erant* multi codd. exhibent *essent,* ex interpolatione scribarum, qui explicativam sententiam ab ipso scriptore alius orationi annecti posse nescirent; cf. ad Catil. c. XIV, 7.

§. 3. et 4. *fatigatus*] De huius verbi potestate v. ad c. XI, 4. p. 58. — *Lenitur* verissima est multorum codd. lectio, sed longe ineptissima, quam Cortius, Muellerus et Gerlachius in ed. mai. receperunt, *leniter.* Nam quum verba *leniter et ex voluntate Sullae* non possint non coniungi, sive ad *facturum*, sive ad *promittit* retuleris, alterutrum absurdum est. Paullo minus inepta, sed inepta tamen eorum codd. est scriptura, in quibus copula deest; nam quid attinebat, utrum Bocchus *leniter* promitteret, necne, si modo promitteret tandem? Id ipsum autem declaratur scripturà a nobis receptà; nam luce clarius est verbis praecedentibus *primo negitare* opponi *denique lenitur*, i. e. *permovetur, ut non amplius obstet negando.* Quod quamquam sensit Gerlachius, tamen, ut fluctuat iudicio, in Commentt. p. 334. nihilominus se dubitare adhuc dicit, utram lectionem praeferat. — *Ad simulandam pacem,* i. e. ad fidem Iugurthae faciendam, pacem conventuram.

CXII. §. 1. *appellat*] i. e. ad eum se convertit; v. ad c. CVI,

CXII. At rex postero die Asparem, Iugur-
thae legatum, appellat, dicitque sibi per Dabarem
ex Sulla cognitum, posse condicionibus bellum po-
ni; quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille 2
laetus in castra Iugurthae venit. Deinde, ab illo
cuncta edoctus, properato itinere post diem octa-

1. — *Dicitque* Cortius h. l. pariter ut c. CVI, 1. invitis omnibus codd. delevit. — *Condicionibus* Langius valde ieiune explicat, annotans: „sc. nonnullis, non sic simpliciter." Verum iam Cortius vidit; *condiciones* enim opponuntur victoris *arbitrio*. Ubi bellum igitur *condicionibus* i. e. pactione sive transactione ponitur, non imperat alter, alter se submittit imperatis, sed ab utraque parte postulando aeque, ac concedendo res conficitur; cf. Cort. ad Cic. Epp. ad Famm. VI, 2, 5. *Si armis aut condicione positis, aut defatigatione abiectis civitas respiraverit.* Liv. XXIII, 7, 1. *Legati ad Hannibalem venerunt, pacemque cum eo condicionibus fecerunt*, ubi Gronovius plura contulit, ex quibus nonnulla huc transcribemus, velut Liv. XXXV, 42, 2. *Tres civitates neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque condicionibus in amicitiam pellicere.* Vell. II, 3, 3. *Discordiae civium antea condicionibus sanari solitae, ferro diiudicatae.* II, 109, 1. *Maroboduus finitimos omnes aut bello domuit, aut condicionibus sui iuris fecit.* — Pro *poni*, quod plurimi codd. tuentur, in Ecc. et Guelf. 6. est *deponi*, in aliis, etiam Berol. 1. 2. et Goerl., *componi*, quod Weisius recepit, ignarus dicendi usus neutiquam obscuri. Nam quum *quae ponuntur* non amplius sint in manibus neque amplius tractentur, facile patet eadem ratione *ponere* finiendi vel desinendi potestatem accipere, qua *sumere* de *incipiendo* dicitur, ut ostendimus ad c. XX, 5. p. 129. cf. Fragm. Historr. I, 8. *Dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est.* Tacit. Historr. II, 52, in. *Posito ubique bello magna pars senatus extremum discrimen adiit.* Liv. III, 30, 3. *Posito legis certamine.* Ovid. Rem. Am. v. 497. *Ponere metum.* cf. Drakenborch. ad Liv. VII, 42, 7.

§. 2. *Deinde*] Ita plurimi tenent codd. Gerlachius sine idonea caussa *dein* edidit. — De *properare* verbo cum accusativo coniuncto v. ad c. XXXVII, 4. — Pro *nunciat* pauci libri habent *denunciat*,

vum redit ad Bocchum, et ei nunciat Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere, sed Mario parum fidere; saepe antea cum imperatoribus

quod Gerlachius in utraque ed. recepit, in Commentt. p. 335. eo defendens, quod gravius dictum sit. Sed ob id ipsum ferri non posse recte iudicat Faber. Nam quum *denunciare* significet aut *praedicere aliquid futurum esse,* aut *minari aliq. rem*, neutrum huic loco convenit, ubi simpliciter de ferendo *nuncio* agitur. — *Quae imperarentur facere* deditionis formulam esse iam monuimus ad c. LXII, 3. — *Parum fidere* bene multi codd. exhibent; in paucioribus est *p. confidere*, quod a Cortio et Gerlachio receptum improbamus, quum tantummodo de *rebus*, non de personis dicatur. — *Pacem conventam* i. e. *pacem quae convenisset*, quemadmodum auctor supra locutus erat c. XXXVIII, 10. *Conventus* participium, insolenter ita usurpatum, ut passivae formae intransitivus sensus sit, vix alias reperiatur, nisi in formula *pactum conventum* (Cic. de Orat. II, 24, 100. Partit. orat. c. 37, 130.) aut ita, ut *conventum* vi substantivi significet *id, quod convenit*, i. e. *conventionem*, cf. Cic. de Off. III, 25, 95. *Stare conventis.*

§. 3. *si ambobus consultum — vellet*] De hac structura v. ad c. CX, 6. — *In potestatem habuisset* praebent optimi codd. Bas. 1. Paris. b. c. x. z. Guelf. 4. 11. Acad. Franc.; in ceteris librarii dederunt *in potestate h.*, nescientes veteres haud raro dixisse *in potestatem esse* vel *habere*. cf. Cic. p. l. Man. c. 12, 33. *Quum vestros portus in praedonum fuisse potestatem sciatis.* Liv. II, 14, 4. *Quae (auctio fortunae) ne in potestatem quidem populi Romani esset*, ubi intprr. plura contulerunt. id. XXIV, 1, 13. *Urbs pateret Poenis, portus in potestatem Locrensium esset.* Valer. Max. I, 6. *Veios in potestatem populi Romani futuros.* Caes. B. C. I, 25, 3. *Quo facilius omne Hadriaticum mare in potestatem haberet.* Auct. B. Hisp. c. XXXVI, 1. *Legati renunciarunt, quod Pompeium in potestatem haberent.* cf. Gell. I, 7. Quam structuram qui praeuntibus Vossio de Constr. c. LXV. p. 252. Cortio ad Catil. c. XIX, 3., aliis, ita explicant, ut accusativum pro ablativo ἀρχαϊστικῶς positum dicant, quemadmodum Langio et Gerlachio videtur, ii nihil plane egerunt, v. ad c. XVII, 3. p. 102. Non melius rem perspexit Gellius I, 7., qui non aliam accusativi ponendi caussam esse dicit, quam gratiorem auribus sonum, siquidem accusativus iucundius quid habeat atque com-

Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum 3
si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus quasi de pace in

pletius, ablativus vero insuavius et imperfectius cadat. Aliquanto prudentius iudicarunt Goerenzius ad Cic. de Legg. III, 17, 37. et Ramshorn. Gramm. Lat. §. 150, 2. not. 2. p. 291. ed. I., qui accusativi vim agnoscentes verba *in potestatem esse* vel *habere* vertunt *zu Disposition sein*, *haben*. Sed quum ista interpretatio plerisque locis parum conveniat, neque valeat ad alias dictiones eiusdem generis illustrandas, talis ratio ineunda est, quae omnes huius insolentiae species comprehendat. Nimirum latius patere hunc accusativi usum facile patebit, collatis hisce exemplis: Cic. Divinat. in Q. Caecil. c. 20, 66. *Clarissimi viri hoc sibi amplissimum ducebant, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani dicionemque essent, iniurias propulsare.* Tacit. Historr. I, 87, in. *Relicuos saevitia Galbae in custodiam habitos.* Liv. XXII, 23, 6. *M. Minucium prope in custodiam habitum.* XXXIV, 27, 7. *Itaque quosdam se in custodiam habiturum*, quemadmodum exstat in sex codd., quos editores non secuti sunt. XXXIII, 10, 4. *Parcere victis in animum habuit.* I, 14, 11. *Haerens in terga Romanus velut agmine uno irrumpit.* Tacit. Historr. II, 34. *Turris in extremam navim educta.* Plaut. Cas. II, 3, 26. *Ubi in lustra iacuisti?* Epidic. II, 2, 7. *Ego illum audivi in amorem haerere.* Amphitr. I, 1, 25. *Nunc vero mihi in mentem fuit dis advenientem gratias pro meritis agere.* Bacch. I, 2, 53. *Ecquid in mentem est tibi?* Haec exempla omnia ita comparata sunt, ut, quamquam ablativus usitata ratione poni poterat, tamen propria accusativi potestas constet, sed ita, ut quartus casus non ex eo verbo pendeat, quod adest atque *in* praepositionem cum ablativo iunctam regit, sed *ex suppressa cogitatione*, cui concipiendae accusativus inservit, *repetendus sit*. Nimirum Latini perspicuitatis sensu ducti interdum non contenti erant rei certum statum et condicionem, qualis per se est, declarare, sed simul etiam quasi quandam γένεσιν eius condicionis significare, i. e. quo modo ista condicio effecta esset ostendere nitebantur. Quod studium ut a familiari sermone paullo prolixiore profectum videtur, ita eiusdem sermonis neglegentia effecit, ut animi sensum non iusta orationis forma proderent, sed utramque rem, duabus enunciationibus designandam, in unam contraherent, quod brevitatis genus non ad ellipsin grammaticam

colloquium veniretur, ibique sibi Sullam traderet; quum talem virum in potestatem habuisset, tum fore, uti iussu senatus atque populi Romani foedus

pertinet, sed potius ad decurtatam sententiarum rationem, de qua re iam nonnulla diximus ad c. XXXVI, 4. Ubi igitur dixerunt *in potestatem esse*, animo obversabatur *in potestatem venire et in ea esse.* Similiter *in potestatem habere* explicatius valet *in potestatem accipere et in ea habere;* Plautinum illud *ubi in lustra iacuisti* ita expediendum: *ubi in lustra incidisti in iisque iacuisti; in custodiam habere* est *in custodiam dare* vel *coniicere ibique habere; in mentem esse* ita dictum est, quasi sit *in mentem venire in eaque esse; in terga haerere* sic accipe: *in terga invadere et in iis haerere*, neque aliter cetera exempla explicanda sunt, quae his sunt similia; cf. quae de hac structura disputavimus in Iahnii Annall. Philol. et Paed. a. 1829. Vol. II. Fasc. I. p. 51. quibuscum plane conveniunt, quae Boetticherus in Lex. Tacit. p. 25. praecepit. Si quae autem ita comparata sunt, ut accusativus isto modo explicari nequeat, non dubium est, quin mendose scripta sint. Omnino autem probe tenendum est, quod Drakenborchius ad Liv. II, 14, 4. monuit, qui: „diligenter, inquit, cavendum puto, ne in vindicanda ubique hac lectione nimii simus. Quare in his non unius vel alterius, eiusque frequenter depravati ac mendosi, sed vel omnium consentientium, vel paucorum praestantissimorum atque optimae notae codicum fide standum iudico, ne scribarum aberrationes nolentibus scriptoribus obtrudamus." Ceterum idem dicendi usus apud Graecos quoque reperitur, non aliter atque Latinorum explicandus; cf. Herod. I, 199, 3. *Δεῖ πᾶσαν γυναῖκα ἐπιχωρίην ἱζομένην ἐς ἱρὸν Ἀφροδίτης μιχθῆναι ἀνδρὶ ξείνῳ.* — Pro *habuisset* aliquot libri praebent *haberet*, quod Cortius immerito recepit; nam plusquamperfectum, quod vim sustinet futuri exacti, v. ad c. LXIV, 2., multo aptius esse et Iugurthae menti convenientius, quippe qui quam certissima via niti studeret, quivis facile videt. — *Tum* ante *fore* in Cortii ed. casu excidisse videtur. Codices certe omnes tenent, neque caret insigni vi particula; qua posita non simpliciter dicitur *futurum esse* foedus cum Romanis, sed hoc urgetur, *tum demum*, i. e. *non prius*, foedus conventurum, quam quum Sulla potitus esset. De hoc usu *tum* particulae ad praecedentem temporis designationem relatae v. Ottonem ad Cic. de Finn. IV, 13, 32, quibus addi possunt, quae ad Catil. c. LI, 40.

fieret; neque hominem nobilem, non sua ignavia sed ob rempublicam, in hostium potestate relictum iri.

CXIII. Haec Maurus secum ipse diu volvens

p. 259. annotavimus. — *Atque* ex Cortii coniectura scripsimus; paucis enim codd. exceptis, qui *et* habent, in ceteris omnibus legitur *aut*, quod Gerlachius, repudiata, quam in ed. maiore expresserat, Cortii emendatione, in ed. novissima recepit. Sed *disiunctivam* particulam in *formula*, qua senatus populique *coniuncta* potestas significatur, a sano homine usurpatam fuisse quis sibi persuaserit? Cuius rei quum Gerlachius ne unum quidem exemplum in Commentariis attulerit, inani superstitione permotum puto, ut turpi mendo locum in textu concederet. Nihil autem frequentius, quam ut *atque* particula in *aut* depravetur; cf. supra c. LXXXII, 2. XCVIII, 6. Drakenborch. ad Liv. VII, 39, 14. — *Neque* quum non adiungat negantem sententiam, sed priora explicantem, solvendum est in *nam — non*. — Quae sequuntur verba ita comparata sunt, ut Sallustium appareat mancam extulisse sententiam, interposita enunciatione ita cum primaria confusa, ut pars necessaria plane omissa sit. Nam quum Iugurtha primaria enunciatione hoc dicat: *hominem nobilem in hostium potestate non relictum iri*, caussam, cur ita putaret, interiectis verbis hanc voluit declarare: *quippe qui non sua ignavia, sed ob rempublicam in hostium potestatem incidisset.* Sed auctor magis sensum animi, quam accuratam cogitandi legem secutus, et similitudine verborum deceptus, nondum absoluta interiecta enunciatione in ea verba, quae ad primariam sententiam pertinent, transiit. Quamquam igitur Gerlachius, Faber et Iaumannus recte viderunt aliquid ad sententiae integritatem deesse, tamen errant, quod verba *in hostium potestate* ad antecedentia suppleri volunt; nam in promptu est hunc locum non tam ad ellipsium, quam ad anacoluthorum naturam accedere. Alio modo librarii in Palat. 6. 8. Leid. A. E. F. Guelf. 7. 10. 11. et Ven. 4. sensui succurrere studuerunt, vel ante, vel post *ignavia* inserentes *captum*, quod Bipp. et Langius receperunt. Sed artis criticae vel imperitissimus facile videat hanc glossam esse.

CXIII. §. 1. *secum ipse*] De his verbis v. ad Catil. c. XXXII, 1. p. 150. — *Volvens* explic. supra c. VI, 2. p. 38. — *Promisit* cur dictum sit, ac non *pollicitus est*, facile patet ex iis, quae de horum verborum discrimine disputavimus ad c. XLVII, 4. — *Cunctatus*, quod omnes codd. summo consensu tenent, Cortius omisit, ratus

tandem promisit. Ceterum dolo an vere cunctatus, parum comperimus; sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi
2 advorsae. Postea tempore et loco constituto, in col-

verba *dolo an vere* ad praegressum *promisit* spectare, in qua opinione Bipontini quoque et Muellerus versantur. Quod falsum esse sequentia aperte declarant. Nam quum *regiae voluntates* dicantur *saepe ipsae sibi advorsae*, id non spectat ad promissorum fidem aut fallaciam, sed ad consiliorum capiendorum dubitationem *cunctationemque*. Nisi igitur talis sententia praecederet, inepta forent haec ipsa, quae sequuntur. Sed salva sunt omnia. *Cunctatus* enim refertur ad verba *secum ipse diu volvens, tandem (promisit)*; quae quum rem factam contineant, sequentibus primum dicitur, incertum esse, utrum ea res ob fictam, an ob veram caussam acciderit, tum vero subiicitur aliquid, ex quo coniicias Bocchum *vere tam diu cunctatum consiliique incertum fuisse.* Ista enim sententia, quamquam verbis non expressa, elicienda est ex postremis, *regiae voluntates ipsae sibi advorsae.* Eandem fere explicandi loci viam iniit Faber, nisi quod sententiam sic explendam censet: „sed *vere eum cunctatum, pronius est ad fidem; nam* plerumque regiae voluntates" etc. De omisso coniunctivo *sit*, quem *cunctatus* verbum poscit, v. ad c. LXXXVIII, 6. — *Voluntates* Cortius, parum curans, quid huic loco conveniat, interpretatur *favores*, non aliam ob caussam, quam quod *velle* saepe sit *favere.* Sed sententiarum nexus haud obscure docet significari hoc vocabulo *cupiditates et studia*; quae ubi valde inter se diversa sunt, fit, ut impedimento sint, quominus certum consilium ineatur.

§. 2. *in colloquium uti de pace veniretur*] Haec verba, omnium omnino codicum praesidio firmata, Cortius uncinis inclusit, ac pro putidissima glossa ex c. CXII, 3. huc illata haberi vult. Sed iam Langius vidit, ad perspicuitatem orationis valde necessaria esse, quia sine iis prorsus ignoratur, *cui rei* tempus et locus constitutus fuerit; nam superiora illa capitis praecedentis, tot diversis rebus interiectis, nullo modo huc valere possunt. *Uti* particulae anastrophe autem propterea admissa est, ut *colloquii* vocabulum, cuius in hac sententia primaria vis est, ipso loco praemineat; cf. Herzog. ad Catil. I, 1. p. 3. — *Sullam modo, modo legatum* i. e. alterum ab altero seorsum. — *Habere* i. e. tractare, v. ad Cat. XI, 5. — *Idem ambobus;* Sullae enim pollicitus est, se traditurum Iugur-

loquium uti de pace veniretur, Bocchus Sullam modo, modo Iugurthae legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti, ac
spei bonae pleni esse. Sed nocte ea, quae proxu- 3

tham, Aspari Sullam. — *Esse* post *pleni*, quod in solo Fabric. 2. desideratur, Cortius expulit. — Post *remotis* in plerisque codd. additum est *ceteris*, quo sensum valde impediri iam senserunt Ciacconius et Ursinus. Eiicere ausus est Cortius, quum a Fabric. 1. abesse vidisset, eiusque sententiae nos quoque accedimus, licet Gerlachius et Faber molestam vocem retinuerint. Nam quum *mutata voluntas variusque animus* non alia re cerneretur, quam quod *iidem*, quos modo *advocaverat*, statim, ut venerant, *remitterentur*, necesse est haec duo praedicata *eiusdem vocabuli* sibi opponi. Sed ista oppositio tollitur si *remotis* non ad *amicorum* nomen, sed ad novum subiectum refertur. A vero igitur aberravit Faber, qui *ceteris* putavit ita positum esse, ut sequenti pronomini *sibi* opponatur; nam ista oppositione admissa, tantum abest, ut vulgata defendatur, ut labefactetur prorsus ac corruat, quia tam sententia ipsa, quam enunciationis conformatio *remotis* necessario ad *amicis* nomen referre cogit. Probanda foret Fabri sententia, si Sallustius ita scripsisset: *Maurus adhibet amicos; ac statim, immutata voluntate, remotis ceteris, dicitur secum ipse multa agitasse.* Nisi igitur statuas, auctorem utramque dicendi rationem confudisse, et participii *adhibitis* oblitum ita continuasse orationem, quasi verbum finitum praecessisset, id quod in tanta sententiae brevitate ac perspicuitate neutiquam est credibile, vulgata nullo pacto stare potest. Neque tanta est externa eius auctoritas, nullus ut suspicioni locus relinquatur. Nam praeterquam quod Fabric. 1. veram scripturam ipsam habet, isto loco aliquid turbatum esse ex eo patet, quod in Nazar. pro *amicis* est *amisso*, in Berol. 2. post *amicis* additur *omisso priori consilio*, in Palat. 4. autem legitur *Maurus adhibitis amicis, omisso priori consilio, ac statim immutata voluntate, remotus dicitur ipse* etc. — *Multa* Gerlachius mutavit in *multum*; sed auctoritate codd. fere pari non dubium est, quin pluralis cogitationum, quibus agitabatur, varietatem longe aptius ostendat; cf. annotata ad Catil. c. XXVII, 4. p. 120. Faber praeterea contulit Catil. XXXII, 1. LIII, 4. Iug. VI, 2. — *Voltu corporis* tenent Vin. 1. 2. Sen. 1. 2. Bas. 1. Acad. Fabric. 2. Struv. Inc. 2. Heuss. Vrat. 1. Guelf. 1. 4. Nazar. Pal. 3. 6. Paris. b. c. x. z. et Goerl. Ceteri

ma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus ad-
hibitis amicis, ac statim, immutata voluntate, remo-
tis, dicitur secum ipse multa agitavisse, voltu cor-
poris pariter atque animo varius; quae scilicet ta-
4 cente ipso occulta pectoris patefecisse. Tamen
postremo Sullam accersiri iubet, et ex eius senten-
5 tia Numidae insidias tendit. Deinde, ubi dies adve-
nit, et ei nunciatum est Iugurtham haud procul ab-

habent *voltu, colore ac motu corporis*, quae inepta interpolatio eo orta est, quod librarios fugiebat quid esset *voltus corporis.* In promptu est autem, genitivum *corporis* tantummodo appositionis gratia adiectum fuisse. Nimirum ad sensum sufficiebat *voltu;* sed quo clarius *externa* opponerentur *internis*, quia sequitur *animo*, cui legitime respondet *corpus*, haec ipsa vox cum *voltu* coniuncta est. Ceterum *voltu* haud dubie significat *oculis*, unde simul intelligitur cur auctor non potuerit simpliciter dicere *corpore p. a. animo varius;* nam in tali sententia *corporis* notio per se nimis vaga foret. — *Quae* i. e. *quas res*, nempe remotionem amicorum repentinam, quod secum ipse solus multa agitaverit, quod voltum mutaverit, *ea omnia* etc. Cort. Hanc planam sententiam non assecuti Bipp. pessima coniectura locum corruperunt, *quae* pronomen mutantes in *qua re*, ac *scilicet* cum verbis *tacente ipso* coniungentes. Quivis enim facile videt, verbis ita constitutis *patefecisse* verbum subiectum habere *Bocchum*, quocum nullo modo conciliari possunt ablativi absoluti, quibus *idem atque primariae enunciationi* subiectum est. — *Scilicet*, unde pendet accusativus cum infinitivo, illustravimus ad c. CII, 9. Eius rei ignoratione factum est, ut in nonnullis codd. adderetur *dicitur*, in aliis fieret *patefecissent*, in aliis *patefecit.* — *Occulta pectoris* veram esse scripturam non solum sensus ipse probat, sed confirmatur etiam testimonio codd. Palat. 4. Franc. Leid. B. D. E. Mark. *A.* Struv. Berg. Inc. 2. Fabric. 1. Eccard. Guelf. 6. 7. 12. Misn. Berol. 2. In ceteris incredibiliter corruptus est hic locus; alii enim habent *occulta oris*, alii *occultare et oris*, alii *occulta cordis et oris*, alii *occultare specie oris*, alii *occulta pectoris oris immutatione*, alii *occultare et oris immutatione*, alii aliter, sed ita, ut ineptiis omnia inter se certent.

esse, cum paucis amicis et quaestore nostro, quasi obvius honoris caussa procedit in tumulum facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum ple- 6
risque necessariis suis inermis, uti dictum erat, accedit, ac statim signo dato undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati; Iugurtha Sullae 7
vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est.

CXIV. Per idem tempus advorsum Gallos ab

§. 5. *accersiri*] Ita perquam multi codd. habent, alii *arcessiri*, quod pariter ad formam infinitivi quartae coniugationis ducit, quam non sollicitandam esse ostendimus ad c. LXII, 4. Gerlachius in utraque ed. scripsit *accersi*, quod exigua codd. auctoritate nititur et haud dubie a scribis effictum est. — *Inermis* Gerlachium in ed. novissima recte scripsisse puto; nam quod ad Catil. LIX, 5. p. 318. dixi hoc loco omnes codd. *inermus* praebere, falsum est, quum Paris. b. c. z. Goerl. et Berol. *inermis* exhibeant, in Berger. Guelf. 10. et Misn. sit *inermes*, de multis aliis autem non certo constet. Quare usitatiorem formam praetulimus. — *Uti dictum erat*, i. e. ut inter utrosque convenerat, vel ut postulatum ac constitutum erat. — Verbum substantivum Cortius fide Senat. 1. delevit, quam temeritatem Gerlachius in Commentt. p. 335. probavit, iudicii sui in ed. min. rursus immemor. Eodem modo ab utroque in postrema capitis voce peccatum. — Pro *deductus* in Guelf. 12. Vin. 1. Sen. 2. et Heuss. male exstat *ductus*; nam *deducere* proprie usurpatur de iis, qui vel honoris, vel praesidii, vel *custodiae* caussa aliquem comitantur; cf. annotata ad Catil. c. LV, 2. p. 290. — Ceterum Sulla hanc operam a se reipublicae praestitam tanti facit, ut imaginem huius traditionis annulo signatorio insculptam haberet, eaque omnia signaret. v. Plin. H. N. XXXVIII, 1. Valer. Max. VIII, 15. Cort.

CXIV. §. 1. *Per idem tempus*] Iugurtha captus est anno u. c. 648. p. Ch. n. 106. Caepio autem et Cn. Manlius consules anno sequente in Gallia devicti. — *Gallos* Sallustius dicit, quos *Germanos* dicere debebat, communem illorum temporum errorem secutus, eo ortum, quod Romani, priorum invasionum a Gallis in Italiam factarum memoriam retinentes, ceterarumque gentium, quae septentrionem versus incolunt, ignari, omnes ab hac parte ipsis im-

ducibus nostris Q. Caepione et Gn. Manlio male
2 pugnatum; quo metu Italia omnis contremuerat. Ibique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae prona esse; cum

minentes vulgato *Gallorum* nomine appellabant; cf. Cic. de Provv. conss. c. 13, 32. *C. Marius influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit.* Paullo accuratiores in nominibus harum gentium tradendis fuerunt Caesar B. G. I, 33, 4. I, 40, 5. VII, 77, 12. et Vellei. II, 8, 3. II, 12, 2. *Effusa immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Caepionem Manliumque consules, et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis, et exuissent exercitu, Scaurumque Aurelium et alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium est ratus.* Praeter Cimbros Teutonosque Florus III, 3, 1. nominat etiam *Tigurinos*, Livius Ep. libri LXVIII. *Ambrones.* De cursu, quem Cimbri sedibus suis relictis tenuerunt, v. Strabon. VII. p. 450. C. Almelov. — *Manlii* praenomen in plerisque codd. scribitur *M.;* in Guelf. 12. *C.*, in Guelf. 9. autem *Gn.*, quocum consentit cod. Paris. a Gerlachio collatus Vol. III. p. 367., eodem ducente Paris z., in quo m. sec. exaratum est *Gaio.* Manlio autem *Gnei* praenomen fuisse testantur Fasti consulares, et meliores Ciceronis ac Valerii Max. codd. v. etiam Pighii Annall. Tom. III. p. 145.

§. 2. *quo metu*] De *quo* relativo v. ad c. LIV, 6. — *Ibique* non dubitavimus ex coniectura scribere, quum *illique*, quod in codd. et edd. est, nullo modo explicari posse habeamus persuasum. Nam quod Cortius *illi* sic positum censet, ut vel *Itali*, vel *Romani* significentur, neutrum fieri potest. Ut concedamus enim grammatice per synesin licere *illi* ad *Italiae* nomen referre, quamquam id h. l. satis durum est, sententia prorsus aliena prodit. Nam quid, quaeso, attinebat, *Italos*, Romanis subiectos, in partem gloriae eorum vocare, *quorum virtuti omnia prona essent?* *Romanos* autem *illo tempore viventes* si quis cum Iaumanno intelligere velit, is reputet neque in antecedentibus de Romanis dictum fuisse, et quominus *illi* Romanis infra nominatis opponantur, obstare non solum universam enunciationis conformationem, sed etiam ipsam dictionem *inde usque ad nostram memoriam Romani.* Quae verba quum non pro

Gallis pro salute, non pro gloria certare. Sed 3
postquam bellum in Numidia confectum, et Iugurtham vinctum adduci Romam nunciatum est, Marius consul absens factus, et ei decreta provincia

epitheto vocis *Romani* haberi possint, sed *tempus* designent, non difficile est ad videndum, aliam praecessisse *temporis significationem*, ita ut utraque pertineat ad verba *Romani sic habuere.* Quid quaeris? Sallustius scripsit: *ibique et inde usque ad nostram memoriam* etc., i. e. *et tum*, ubi periculum urgebat, *et per totum reliquum tempus*, quae mutatio commendationem externam quoque hanc habet, quod in Berol. 2. pro *illique* exstat *illoque tempore*, quibus verbis patet non *illique*, sed *ibique* explicari. Satis frequenter autem *ibi* temporis potestate valet *tum;* cf. Drakenborch ad Liv. VII, 23, 4. ad II, 5, 1. qui locus eo quoque notabilis est, quod pariter *illi* et *ibi* voces confusae sunt; Duker. ad Liv. II, 35, 2. Ruhnken. ad Ter. Andr. I, 1, 79. — *Sic habuere*, i. e. in ea fuere sententia, sic senserunt; cf. Cato de R. R. praef. *Maiores nostri sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli.* Cic. Epp. ad Famm. XVI, 4, 8. *Sic habeto, mi Tiro, neminem esse qui me amet, quin idem te amet.* ib. II, 10, 2. — *Prona* i. e. *facilia;* v. ad c. LXXX, 4. — Pro *certare*, quod longe plurimi optimique codd. tenent, in ceteris est *certari*, ut etiam Diomedes lib. I. p. 394. Putsch. hunc locum laudans refert. Quod quamquam quodammodo ferri potest, tamen generalis sententia minus apta est, ubi patet Romanos *de se solis* loqui. Quare Diomedem puto vel vitioso exemplari deceptum fuisse, vel memoriter haec verba laudantem invitum ea mutasse, quod eo probabilius est, quum etiam *de* salute, *de* gloria scripserit, non *pro* salute, *pro* gloria, ut omnes codd. sine ulla varietate exhibeant. Cur scribae autem *certare* in *certari* mutarent, eius rei haec caussa fuit, quod subiectum deesse putabant, nescientes ex praecedente pronomine *suae* facile *se* suppleri; v. ad c. LXXVI, 1. ubi eodem plane modo peccatum est. Ad sententiam ipsam cf. Cic. de Off. I, 12, 38. *Cum Cimbris bellum, ut cum inimicis, gerebatur, uter esset, non uter imperaret.* Neque ad aliam rem spectant, quae Sallustius Cat. LIII, 3. de Gallorum virtute iudicavit.

§. 3. et 4. *consul absens factus*] Id insolitum fuit, et insignis favoris ac fiduciae in Mario positae documentum; absentis enim in comitiis ratio non habebatur, cf. Caes. B. C. I, 9, 2. et de eadem

Gallia; isque Kalendis Ianuariis magna gloria con-
4 sul triumphavit. Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

re agentes Sueton. Caes. c. XVIII. et XXVI. ac Florum IV, 2, 16. ubi v. Freinshem. — Post *factus* in plerisque codd. legitur *est;* sed quum in Med. 2. Vat. 4. 5. Misn. Berol. 1. et uno Paris. (Bibl. d' Arsenal n. 74. apud Gerl. Vol. III. p. 367.) desit, in Paris. z. autem inter versus compareat, non credibile a Sallustio esse voculam, quae orationem valde languidam reddit. Quare in ea expellenda Cortium secuti sumus, non dissentiente Gerlachio in Commentt. p. 336. — Pro *Ianuariis* in multis codd. est *Ianuarii*, contra dicendi usum; v. ad Catil. c. XVIII, 4. p. 87 sq. — De Marii honoribus et in rempublicam meritis exstat satis amplus titulus lapidis Arretii reperti, quem ex Orellii Inscriptt. Latt. Vol. I. p. 147. N. 543. huc transcribemus: C. MARIVS C. F. COS. VII. PR. || TR. PL. Q. AVG. TR. MILITVM. EX || TRA SORTEM BELLVM CVM IVGVR || THA REGE NVMIDIAE. COS. GESSIT || EVM CEPIT. ET TRIVMPHANS IN || SECVNDO CONSVLATV ANTE CVR || RVM SVVM DVCI IVSSIT. TERTIVM || COS. APSENS CREATVS. ET IIII COS. || TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT || V COS. CIMBROS FVDIT. EX IIS ET || TEVTONIS ITERVM TRIVMPHAVIT || REMPVBLIC. TVREATAM SEDITI || ONIBVS TR. TR. PL. ET PRAETOR. QVI || ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERANT || VI COS. VINDICAVIT. POST LXX ANNVM || PATRIA PER ARMA CIVILIA EXPVLSVS || ARMIS RESTITVTVS VII COS. FACTVS || EST. DE MANVBIIS CIMBRICIS ET TEVTONICIS || AEDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT. VESTE TRIVMPHALI CALCEIS || PATRICIIS ..... Pro *ea tempestate* in multis codd. legitur *ex ea temp.*, quo sensus prorsus pervertitur; Sallustius enim non in omne relicuum tempus tantam laudem Mario tribuere potest, qui supra c. LXIII, 6. dixerit eum postea ambitione praecipitem datum esse. Quare his verbis tacite significat, quamquam Marius *tum* reipublicae saluti fuerit, tamen eundem alio tempore, quum insana ambitione correptus esset, gravissimarum illi cladium auctorem fuisse; qua sententia tantum abest, ut finis Iugurthae abruptior evadat, ut scriptor, clarae ac potentis, sed infelicis patriae fortunam animo commotiore intuens, haud vulgari modo egregium opus ita finivisse videatur.

C. SALLUSTI CRISPI

OPERA

QUAE SUPERSUNT.

AD FIDEM CODICUM MANU SCRIPTORUM RECENSUIT, CUM SELECTIS CORTII NOTIS SUISQUE COMMENTARIIS EDIDIT ET INDICEM ACCURATUM ADIECIT

FRIDERICUS KRITZIUS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, IN REGIO GYMNASIO ERFURTENSI SUPERIORUM ORDINUM PRAECEPTOR, BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTUS, SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS.

APPENDIX VOL. I. ET II.

INDICEM CONTINENS.

EDITIO SECUNDA EMENDATA.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS IM. TR. WOELLERI.

MDCCCXLVII.

INDEX
IN COMMENTARIA
DE
CATILINA ET IUGURTHA

CONFECTUS

A

FRIDERICO KRITZIO.

EDITIO SECUNDA EMENDATA.

LIPSIAE,
SUMPTIBUS IM. TR. WOELLERI.

MDCCCXLVII.

LECTORIBUS

S.

FRIDERICUS KRITZIUS.

Quod in praefatione voluminis operum Sallustianorum secundi ante paucos menses editi quodammodo auguratus eram, multos fore qui aegre ferrent istud volumen sine Indice in publicum emissum esse, id vere me coniecisse eventus comprobavit. Vix enim aliqua exemplorum parte vendita alii bibliopolae significarunt male actum esse, quod haec Sallustii editio ea parte careret, sine qua res in commentariis tractatae difficillime in usum adhiberi possunt, alii me ipsum impulerunt, ut indicem promissum quam primum fieri posset seorsum ederem et duobus prioribus voluminibus quasi appendicis loco adiungerem. His adhortationibus virorum auctoritate insignium eo minus parere nolui, quod index, quem desiderabant, non nunc demum nobis fuit conficiendus, sed simul cum absolutis de Iugurtha commentariis confectus fuit.

Quum autem editionis nostrae ratio ita instituta esset, ut universo tantum operi plenus index subiiceretur, qui praeter annotationem ad Catilinam et Iugurtham ea etiam complecteretur, quae in Fragmentorum illustratione disputata essent, in eo consilio etiamnum perstandum censemus. Ne cui igitur haec inter se pugnare videantur, eos, quorum rationibus nunc consulere constitui, monitos velin, ut indicem hunc tantummodo ad tempus sibi datum existiment, quem seponant ac non exstare putent, ubi volumen tertium, pleniore illo instructum, prodierit. Quod quo commodius fiat, suadeo, ne quis hanc appendicem secundo volumini per bibliopegum agglutinandam curet, sed seorsum habeat ac suo tempore a nostra Sallustii editione prorsus removeat. Interim ut haec opera nostra quam plurimis commode adveniat vehementer exoptamus.

Scribebam Erfurti d. VI. Id. Octobr. MDCCCXXXIV.

INDEX

RERUM AC VERBORUM.

A.

A, *ab*. quomodo ab *ex* praepositione differat. I. 102. 7.
Ab. caussam acrius designat, quam solus ablativus. I. 31. 3.
Ab i. q. *post*, de temporis ordine. I. 63, 5.
Ab aliqua re tegere aliquid, I. 101, 4.
Ab deesse nequit ablativo, quo persona significatur. I. 21, 3.
Ab urbium nominibus additum. C. 40, 5. I. 61, 1. 104. 1.
Ab i. q. a parte alicuius, I. 31, 1.
Ab i. q. respectu alicuius rei. I. 14, 2. 48. 3.
A principio et *principio* non eodem sensu dicitur, I. 29, 2. 102. 5.
Abdicare magistratum recte habet C. 47, 3.
Abducere et *adducere* confusa, C. 57. 1. I. 8, 2.
Abire ex loco, I. 107, 2.
Abire victum de eventu contentionum dicitur. I. 79. 7.
Ablativus quam vim proprie habeat. I. 16. 3.
Ablativus originem caussamque significat, C. 43. 1.
Ablativus caussae quomodo differat ab *ex* praepositione. C. 12, 2. I. 83. 3.
Ablativus qualitatis non potest ex *esse* verbo et *dativo personae* aptus esse, I. 97, 3.
Ablativus substantivi cum adiectivo coniuncti *condicionem* et *qualitatem* indicans, C. 49. 2. I. 84, 2.
Ablativus non significat id, quo consilium aliquod spectat. I. 29, 4.
Ablativus vi caussali valet *propter*, C. 31, 3.
Ablativus post comparativum qua vi ponatur. I. 16. 3.
Ablativus nunquam pro accusativo ponitur. I. 17. 3.
Ablativus personae ubi in dativum mutandus sit. I. 21, 3.
Ablativus quando cum dativo commutari possit. C. 2. 9. I. 16. 3. 60. 5.

Ablativus loci et temporis unde repetendus, I. 30, 3. 64, 4.
Ablativus loci non cum ablatt. absoll. confundendus, I. 52, 3.
Ablativus loci *in* praepositionem respuit, ubi adiectiva *totus*, *cunctus*, *plerusque* habentur, I. 79, 2.
Ablativus temporis quomodo differat a *post* praepositione addita, I. 11, 2.
Ablativus ad temporis continuitatem significandam adhibitus, C. 59, 6. I. 54, 1.
Ablativus temporis pro *intra* c. accus. I. 11, 2.
Ablativus modi non cum ablat. temporis confundendus, C. 51, 4.
Ablativus modi qua re differat a *cum* praepositione addita, I. 53, 7. 64, 5. 65, 3. 106, 4.
Ablativus, quo in comparatione significatur, *quantum* una res alteram superet, interdum cum *accusativo* commutatur, C. 8, 2. I. 85, 22.
Ablativus substantivorum verbalium sine praepositionibus ponitur, C. 42, 3. I. 2, 4.
Ablativus solus sine *ab* praepos., nonnisi certa condicione de *personis* usurpari potest, I. 21, 3. 94, 3.
Ablativus omissa *cum* praepos. ubi de *exercitu* agitur, C. 57, 4. I. 46, 5.
Ablativus unius substantivi *cum* praepositionem exigit, si eo verbum adverbii loco definitur, I. 14, 15. 54, 1.
Ablativus cum *in* praepos. coniunctus vim secundariae enunciationis habet, C. 2, 10. I. 14, 5. 14, 11.
Ablativus cum *in* praepos. significat *quod attinet*. C. 51, 35.
Ablativus cum *in* praepos. qua sententiae diversitate cum accusativo permutari possit, C. 51, 21. I. 17, 3. 41, 6.
Ablativus cum *in* praepos. ex verbis transitivis, sed absolute positis, pendens, C. 9, 2. 51, 25. I. 6, 3.
Ablativus cum *in* praepos. ubi non possit loco accusativi poni. I. 5, 4.
Ablativus substantivi cum adiectivo coniuncti vim sustinet simplicis adiectivi, I. 70, 2. 79, 3.
Ablativus aptus ex *anteferre*, I. 16, 3.
Ablativus qua ratione cum *fecundus* voce coniungatur. I. 17, 5.
Ablativorum duorum in eadem enunciatione diversa relatio, I. 13, 2.
Ablativo distantia duorum locorum designatur, I. 75, 2.
Ablativus participiorum in —*ns* quando in *i* exeat, I. 73, 3.
Ablativi absoluti quae sit primaria potestas, C. 41, 3.
Ablativus absolutus solius participii, C. 41, 5.
Ablativus absolutus adiectivi cum substant. coniuncti, C. 11, 4. 39, 3. 46, 5. 47, 1. I. 4, 7. 43, 6.
Ablativus absolutus substantivi et *hic* pronominis. I. 4, 7

Ablativus absolutus in enunciationem concessivam solvendus, I. 37, 3.
Ablativus absolutus germanice particula *während* solvendus, I. 95, 3.
Abnuere de aliqua re, I. 84, 3.
Abnuere absolute positum, I. 68, 3.
Absentibus honores non conferebantur, I. 114, 3.
Absolute posita vocabula e contextu lucem accipiunt. C. 16, 5. I. 65. 2. 75, 3.
Absolute ponuntur verba, quae vulgo dativum regunt. C. 51, 28. I. 1. 3. 10. 3. 12, 4. 14, 19. 43, 3. 47, 2. 59, 4.
Absolvere de aliqua re, i. q. *agere,* C. 4, 4.
Abstractum pro concreto, C. 14, 1. Ex *abstracto* transitur in concretum, C. 18, 1.
Absurdus explicatum, C. 3, 1.
Abunde cum verbo adiunctum genitivum nominis non requirit. I. 102, 7.
Ac non ponitur ante vocalem, I. 85, 12. 100, 1.
Ac i. q. et quidem, I. 92, 4.
Ac pro *sed* post negativam sententiam, I. 107, 3.
Ac non diversum a simplici *non* in oppositione, C. 52, 15. I. 4, 8. 31, 10.
Accedere c. accusativo coniunctum, I. 18, 9.
Accendere aliquem, praegnanti sensu dictum, I. 73, 6.
Acceptus cum *carus* voce saepe coniunctum. I. 70, 2.
Accersere forma immerito a criticis damnata, C. 40, 6. 52, 24. 60, 4. I. 39, 2. 43, 3. 84, 2. 109, 4.
Accersere, ubi dici non possit pro *arcessere,* I, 32, 1.
Accersere infinitivum passivi facit *accersiri,* I. 62, 4.
Accidere et *cadere* confusa, C. 20, 2.
Accidere et *accedere* confusa, I. 14, 17.
Accidere aliquo, I. 14, 17.
Accidere i. q. cum vi ingruere. I. 88, 5. 107, 6.
Accipere de cognoscendis rebus dictum, C. 6, 1.
Accipere i. q. recipere vel suscipere, I. 10, 4.
Accipere de fide data propria vi dictum, I. 81, 1.
Accurrere et *occurrere* confusa, I. 101, 10.
Accusativus pluralis tert. declin. in *is* terminatus, C. 1, 1. 31, 1. I. 1, 3. 35, 9. 64, 6. 68, 3. 69, 2. 83, 1. 85, 1; 3. 86, 1. 90, 2. 101, 1.
Accusativus pluralis tert. declin. graecorum nominum in *as* terminatus, I. 19, 6.
Accusativus vocis *ambo* est *ambos* et *ambo*, I. 21, 4. 23, 2. 28, 1.
Accusativi propria potestas, I. 5, 4. 79, 5.
Accusativi ratio in vocabulo *cetera*, I. 19, 7.
Accusativus quomodo in adverbii signif. transeat, I. 1, 5. 5, 4. 31, 9.

Accusativus obiecti e nexu sententiarum supplendus, I. 16, 7. 49, 4. 61, 4. 71, 2.

Accusativus ex verbis timendi et laetandi aptus, C. 31, 3. 51, 29.

Accusativus cum verbis intransitivis coniunctus, C. 20, 11. I. 79, 5.

Accusativus cum *in* praepos. iunctus temere a criticis ablativo aequatus, C. 11, 5. I. 5, 4.

Accusativus pariter atque *ablativus* ex *in* praepositione pendens, diversam vim habet, I. 17, 3.

Accusativus ex participio pendens etiam genitivum regente, sensu differt, C. 5, 3.

Accusativus in comparatione modulum indicat, quo una res alteram superat, C. 8, 2. I. 85, 22.

Accusativus appositioni similis consilium designat, I. 103, 1.

Accusativus cum infinitivo pendens ex supplendo *declarandi* verbo, C. 21, 3. 40, 3. I. 8, 1. 14, 20. 17, 3. 38, 2. 82, 3. 106, 1. 109, 3.

Accusativus c. infin. ex relativo pendens, I. 54, 4.

Accusativus c. infin. ex *scilicet* pendens, I. 102, 9.

Accusativus c. infin. quando subiecto pronominis personalis carere possit, C. 31, 7. 40, 3. 56, 3. I. 14, 3. 15, 1. 76, 1. 102, 9.

Accusativo c. infin. praedicatum effertur, ubi subiectum generale omissum est, I. 85, 35.

Acer de hominibus dictum, I. 20, 2.

Acerbus et *asper* quomodo sensu differant, I. 41, 4.

Actio in iudiciis quid, I. 35, 9.

Activum et *passivum* simul ex eodem subiecto aptum, C. 51, 43. I. 35, 3.

Activum cum passivo confusum, I. 114, 2.

Activo critici temere passivam vim tribuerunt, C. 59, 1. I. 79, 6.

Actor et *auctor* confusa, C. 3, 2.

Ad in verbis compositis ante *s* cum alia littera *d* abiicit, C. 47, 1

Ad et *ab* confusa, I. 8, 2.

Ad urbium nominibus additum, I. 57, 1.

Ad ordinem significat, quo secunda aliqua res excipit praecedentem priorem, I. 19, 3.

Ad comparandi potestatem habet, I. 19, 8.

Ad rationem indicat, I. 19, 8.

Ad i. q. *apud* vel *in*, I. 67, 1.

Ad cum *versus* coniunctum, C. 56, 4. I. 69, 1.

Ad omissum in formula *adigere iusiurandum*, C. 22, 1.

Ad hoc qua ratione sententias nectat, C. 31, 8. 53, 3

Ad me, nihil ad me, elliptice dictum, I. 24, 6

Ad tempus dicendi formula, I. 70, 3.

Ad urbem esse explic., C. 30, 4

Adaequare aliquam rem quo sensu dictum, I. 4, 6.
Addere sine dativo obiecti dictum, C. 58, 1. I. 47, 2.
Addere in sententiam et *in sententia* quo discrimine dictum, C. 51, 21.
Addere aliquid alicui rei i. q. augere, I. 75, 9.
Adducere et *abducere* confusa, C. 57, 1. I. 8, 2.
Adeo explicatum, C. 37, 2. 49, 4. I. 110, 4.
Adeptus passivo sensu, C. 7, 3.
Adesse dictum de lacessentibus aliquem, C. 52, 18. I. 50, 4.
Adesse de iuvantibus aliquem dictum, I. 14, 13. 93, 4. 103, 7.
Adiectiva duplicis formae in *us* et *is*, C. 59, 5. I. 1, 1. 66, 3.
Adiectiva in —*bilis* ubi desunt, participium perfecti pass. eorum loco ponitur, I. 76, 1.
Adiectiva in —*osus* quam vim habeant, I. 66, 2.
Adiectiva in —*ius* a nominibus propriis ducta ubi legitime ponantur, I. 40, 4.
Adiectiva verbalia in —*bundus* quo sensu usurpata, I. 38, 1.
Adiectivi et adverbii, ubi utrumque poni potest, discrimen, I. 31, 2.
Adiectiva indefinitae potestatis genitivum regunt, C. 7, 6.
Adiectiva nonnulla modo activo, modo passivo sensu posita, C. 7, 5. 10, 5. 15, 4. 39, 2. I. 18, 6. 49, 5.
Adiectivorum neutra cum praepositione iuncta pro adverbiis sunt, C. 8, 1. 41, 1. I. 5, 3. 14, 11. 29, 5.
Adiectivorum usus in constructione ablativorum absoll., C. 11, 4.
Adiectivum ad plura substantiva diversi generis pertinens, quo genere poni debeat, C. 10, 2.
Adiectivum semel positum *alio numero* ad alia substantiva supplendum, I. 19, 1.
Adiectivum pro adverbio positum, C. 26, 5. 52, 29. I. 21, 1. 38, 1. 49, 1. 84, 1. 88, 5. 101, 1.
Adiectivum cum adverbio in bimembri oratione coniunctum, I. 31, 2.
Adiectivorum neutra pluralia cum genitivo singulari substantivi sociata, C. 59, 2. I. 48, 3.
Adiectivorum neutra substantive usurpata, I. 68, 3.
Adiectiva plurali numero posita substantivum genitivo adiunctum habent, C. 53, 5.
Adiectiva cum praedicato coniungenda interdum ad subiectum trahuntur, C. 53, 6. I. 52, 5. 63, 7.
Adiectivorum neutra in adverbiorum vim abierunt, I. 5, 4.
Adiectiva cum pronominis poss. neutro, ubi substantive ponitur, coniuncta, I. 10, 2.
Adiectivum pro genitivo nominis obiectivo, I. 41, 2.
Adiectiva aptus, paratus, alia, qua ratione infinitivum regant, I 46, 5.

Adiectiva attributiva cum ablativis substantivi et adiectivi commutata, I. 70, 2.

Adiectiva loci et temporis a Latinis singulari modo usurpata. I. 37, 4.

Adiectivorum loci et temporis *neutra* aurea aetate raro substantive ponuntur, I. 37, 4. 90, 1.

Adiectiva duo quando nomini praemittantur sine copula. I. 30, 3 38, 6.

Adiectiva duo quando nomini postponantur sine copula, I. 28, 4.

Adigere ad iusiurandum, non *adicere*, C. 22, 1.

Administer et *minister* quo differant, I. 29, 2.

Administrare bellum expl., I. 29, 1.

Administrare absolute dictum i. q. munia belli obire, I. 76, 3.

Admirari in re vituperanda, I. 2, 4.

Admittere facinus expl., I. 53, 7.

Adolescere i. q. iustas vires consequi, I. 63, 3.

Adoptio et *adoptatio*, I. 11, 6.

Adulescens rectior forma apud Sall. quam *adolescens*, C. 3, 3. I. 85, 41.

Adulescens vocatur etiam, qui est in flore aetatis virilis, C. 38, 1. 49, 2.

Adulta aetate homo et *adultus aetate* non idem, C. 15, 2.

Advenire i. q. contingere alicui, I. 111, 1.

Adventu i. q. tempore adventus, I. 30, 3.

Adverbii et *adiectivi*, ubi utrumque poni potest, discrimen, I. 31, 2.

Adverbia loci pro praepositione cum pronomine vel cum substantivo, C. 5, 2. 56, 5. I. 13, 5. 14, 22. 66, 2. 75, 4.

Adverbia cum *esse* verbo coniuncta, C. 58, 9. I. 7, 6. 14, 11. 75, 7, 85, 6.

Adverbia ex adiectivis facta, I. 5, 4.

Adverbia cum *adiectivis* in oratione bimembri sociata, I. 31, 2.

Adverbia absolute posita vim enunciationis secundariae habent, I. 76, 5.

Adverbiorum loco substantiva neutra adiectivorum cum praepositione ponuntur, C. 8, 1. 41, 1. I. 5, 3.

Adverbiorum vices sustinent verba *maturare*, *occupare*, *contendere*, C. 18, 8. I. 79, 5.

Advorsum et *advorsus*, I. 80, 3.

Advorsum confusum cum *avorsum*, I. 93, 1. 102, 2.

Advorsum aliquem, sine notione motus, i. q. *e regione*, I. 105, 4

Advorsus alicuius, I. 43, 1.

Aedes vox interdum omittitur, C. 49, 5

Aeger animus expl., I. 71, 2.

Aequabilis explic., I. 43, 1

Aequalitas structurae in bimembri oratione ab auctore *neglecta* interpolationes genuit, I. 78, 2; 4. 103, 7
Aequaliter i. q. aequa ratione, I. 91, 1.
Aeque i. e. aequo modo, I. 101, 2.
Aequum et honestum, I. 5, 5.
Aequum et bonum, I. 15, 3.
Aequus explic., C. 3, 2.
Aestivorum tempus, I. 44, 3.
Aestuare i. q. dubitare, anxium esse, I. 93, 1.
Aestumare diversum ab *existumare*, C. 8, 2. 58, 8. I. 85, 14.
Aestatem agere expl., C. 37, 6. 58, 14. *In aestate* quando dici possit. C. 48, 5.
Aeternum vi adverbii dictum, I. 5, 4.
Aevum i. q. aetas, I. 1, 1.
Affatim vocis propria vis, I. 43, 3.
Affectare aliquid, i. q. appetere, I. 66, 1.
Affinitas diversa a *cognatione*, I. 111, 2.
Afflictus i. q. pessumdatus, I. 76, 6.
Affligere i. q. deiicere, I. 60, 7.
Africa num tertia orbis terrarum pars, I. 17, 3.
Africa pro *Afris* dicta, I. 89, 7.
Ager et *agri* quo discrimine dicatur, I. 16, 2.
Agere et *agitare* bellum, I. 109, 2.
Agere et *agitare* absolute dictum vario sensu, C. 23, 3. I. 18, 9. 60, 4. 74, 1. *Id agere, ut*, I. 27, 2. *Se agere* i. q. se gerere, I. 56, 6.
Agger in oppugnandis urbibus, I. 76, 3.
Aggredi aliquem i. q. tentare, I. 46, 4.
Aggredi ad aliquid, I. 93, 4.
Agitare praecepta alicuius, I. 14, 2.
Agitare inducias, I. 29, 4.
Agitare praesidium, I. 85, 33.
Agitur de aliqua re alio sensu dicitur quam *agitur aliqua res*, C. 52, 6.
Agmen i. q. exercitus in itinere, I. 100, 1.
Agnoscere et *cognoscere* confusa, C. 35, 2,
Agnoscere quomodo diversum a *cognoscere*, C. 47, 3.
Aiens verbum ex praegresso *negante* eliciendum, I. 106, 3.
Ali aliqua re i. q. delectari, C. 37, 3.
Alienare aliquem de neglectu et contemtu dictum, C. 35, 3.
Alienus c. genit. coniunctum, C. 40, 5.
Alienus cum invidiae sensu, I. 14, 23.
Alienus oppositus propinquo, I. 10, 3.

Alieno i. e. incommodo opponitur *suus* i. e. commodus, I. 54, 8.
Aliquando cum vi dictum pro *tandem aliquando*, I. 52, 1.
Aliquantum i. q. satis multum, C. 8, 2. I. 74, 3. 79. 4. 105, 4.
Aliqui i. q. aliquis, C. 44. 5.
Aliquis diversum a *quisquam*, C. 36, 5.
Alius de duobus pro *altero*, C. 54, 1.
Alius post comparativum pro *quisquam*, I. 2, 4.
Alius saepe sine copula additur praegressis, C. 15, 1. I. 66, 1. 86, 1.
Alius ubi pluralem verbi asciscere possit, C. 6, 2.
Alius geminatum, sed diversis casibus, C. 51, 12. 52, 1. I. 87, 1.
Alius atque alius, I. 72, 2.
Alii — pars pro *alii — alii*, C. 2. 1. I. 19. 1.
Alii — partim, I. 38, 3.
Alia deinde alia, I. 18, 7.
Alia talia dictio non ob alterutram vocem sollicitanda. I. 81, 2.
Aliter i. q. alioquin, C. 29, 3.
Alitus participium minus usitatum quam *altus*, I. 63. 3.
Allobroges Romano nomini infesti, C. 40, 1.
Allobroges in Gallia Transalpina incolebant, C. 57, 1.
Altitudo ingeni i. q. ars sensa animi tegendi, I. 95, 3.
Altius repetere explic., I. 4, 8.
Ἅμα—καὶ simul — et, I. 97, 4.
Amare i. q. libidinibus indulgere, C. 11, 6.
Amare i. q. solere, I. 34, 1.
Ambiguitas structurae glossas genuit, I. 92, 5.
Ambire i. q. favorem quaerere, citra honorum petitionem, I. 84, 2.
Ambitio ducis in exercitu, I. 45, 1. 100, 5.
Ambitiosus de rebus dictum, I. 64, 5.
Ambos et *ambo* accusativi forma, I. 21, 4.
Amentia et *dementia*, I. 38, 1.
Amici regis i. q. proximi, I. 74, 1.
Amicitia et foedus quomodo coniuncta dicantur, I. 77, 2. 80, 4.
Amicus et socius populi Rom., I. 24, 3.
Amittere quomodo differat ab *omittere*, I. 31, 17.
Amoenus unde descendat, C. 11, 5.
Amovere senatu non dicitur, C. 23, 1.
Amplius sine *quam*, C. 56, 2. I. 68, 3.
Amplius i. q. plus, I. 69, 2.
An cum ellipsi positum, C. 51, 10.
An et *aut* confusa, I. 67, 3.
An in interrogatione duplici altero membro additur, I. 108, 3.
Anachronismum num Sallustius commiserit in Luculli persona, I. 85, 11.
Anacolutha ubi non admittenda, C. 18, 4. 19, 4.

Anacoluthorum formae. I. 4, 6. 66, 2. 85, 2. 88, 4. 90, 1.
Anacoluthum non cum ellipsi confundendum. I. 112, 3.
Anaphora vim orationi conciliat. C. 20, 4. 51, 16. I. 85, 30.
Anastrophe particulae non temere admittenda. C. 1, 1.
Anastrophe particulae ubi iusta. I. 113, 2.
Anastrophe praepositionis ubi licita. I. 101, 8.
Anastrophe praepositionis ubi vitiosa, C. 35, 1.
Anceps periculum explic., I. 38, 5.
Anima diversa ab *animo*. I. 2, 1.
Animus voce circumscribitur subiectum. I. 39, 5. 81, 1. 110, 4.
Animum advertere aliquid, I. 35, 8. 69, 1.
Animi genitivus perspicuitatis caussa additur. C. 58, 2. I. 4, 4. *ex animi mei sententia* formula solennis. I. 85, 27.
Anniti explic., C. 19, 1.
Ante verbo cum *prae* coniuncto abundanter additum. C. 18, 6. 32, 1
Ante aliquem esse explic., C. 53, 3. I. 10, 7. 15, 1.
Ante labor non coniungendum per hyphen. I. 76, 5.
Ante adverbium non intellectum interpolationem genuit. I. 106, 5.
Ante diem ... Kalendarum dici nequit, C. 30, 1.
Ante et *antea*. I. 11, 3. 108, 1.
Antecapere aliq. rem insolentius usurpatum. C. 13, 3. I. 21, 3.
Anteferre aliqd. aliqua re non falsum est. I. 16, 3.
Antequam diverso sensu cum indicativo et cum coniunctivo construitur. C. 4, 5.
Antiquus quomodo differat a *vetus*. I. 75, 8.
Antonius (C.) Hibrida, C. 21, 3.
Anxius vocis potestas, I. 65, 3.
Anxius quo differat ab *animi anxius*. I. 55, 4.
Aperire i. q. prodere, C. 40, 6. I. 33, 3.
Ἀποβάλλειν i. q. amittere, I. 31, 17.
Apollinis in templo senatus dabatur ducibus ad urbem. C. 30, 4.
Ἀπορία animi oxymoro declarata, C. 15, 4.
Appellere aliquem, i. q. precibus adire. I. 14, 17. vel alloqui. I 106, 1.
Appetere non dicitur de petendo honore. I. 63, 6.
Appositionis ratio in vocibus *pedes, eques*. C. 59, 1.
Appositionis ratio in dictione *mulier ancilla* et similibus. I. 12, 5.
Appositio in vocibus *pars — alii*. I. 19, 1. 104, 3.
Appositiones interdum non intellectae. C. 4, 1. I. 65, 4.
Appositionis liberior forma, I. 103, 1.
Apprehendere et deprehendere confusa. C. 52, 25.
Aptus cum infinitivo iunctum, I. 46, 5.
Apud aliquem res est, i. q. in aliquo. I. 106, 6.
Aquila Marii. C. 59, 3.

Ara i. q. monumentum exstructum, I. 79, 10.
Arae cum focis coniunctae quid significent, C. 52, 3.
Arbitratus germanico *Vollmacht* respondet, I. 105. 1.
Arcessere et *accersere*, C. 40, 6. I. 39, 2.
Arcessere ubi non commutandum cum *accersere*. I. 32. 1
Arcessere capitis hyperbolice dicitur, I. 73, 5.
Arduum explic., C. 3, 2.
Argentum aere solvere quid sit, C. 33, 2.
Arietis usus in oppugnandis urbibus, I. 76, 6.
Arma i. q. bellum, C. 24, 1.
Armis expugnare, I. 23, 1.
Armare manus i. q. arma manibus tenere, I. 107, 1.
Armare copias gravius, quam *parare*, I. 13, 2.
Armatura levis qualis fuerit, I. 105, 2.
Armeni improbanda forma pro *Armenii*, I. 18, 4.
Arretinus ager cum *Reatino* confusus, C. 36, 1.
Arrigere diversum ab *erigere*, C. 39, 3. I. 23, 1. 68, 3. 86, 1.
Artes praegnanti sensu i. q. res honestae, I. 82, 2.
Arte, artus pro *arcte, arctus*, I. 52, 6.
Arvum ager qui aratur, I. 90, 1.
Arx quo sensu de urbe dictum, I. 56, 1.
Ascendere et *escendere* confusa, C. 55, 3. I 93, 5. 97, 5.
Asciscere, non *adsciscere*, C. 24, 3. 47, 1.
Asia luxuriae Romanae mater, C. 11, 5.
Ἄσμενος non significat *ἡδύς* I. 84, 3.
Asperitas quo differat a *difficultate*, I. 92, 4.
Asperitas et *asper* voces Sallustio amatae, I. 29, 1. 87, 4.
Asperum diversum ab *acerbo*, I. 41, 4.
Assequi aliquid et *sequi aliquid* quo differat, C. 54, 6.
Assis et sestertii variis temporibus varia ratio, C. 33, 2.
Assolet absolute dictum, C. 39, 2.
Assuetus cum ablativo coniunctum, C. 2, 9.
Astrictus aliqua re explic., I. 60, 6. 70, 2.
Asyndeton, v. etiam *Copula*.
Asyndeton quid sit, I. 14, 7.
Asyndeton in contrariorum consociatione, C. 11, 2. I. 60, 4.
Asyndeton non temere auctori obtrudendum, I. 51, 1.
Ἀσύνδετος oratio caussali particula omissa, C. 39, 4. 51, 4.
At i. q. ex altera parte, I. 20, 2.
At vi oppositionis transitum parat ad rem novam, I. 63, 2.
At contra, I. 4, 7. 15, 2.
At enim cum ellipsi dictum, C. 51, 25.
Atque graviora annectit, C. 51, 10. 52, 26. 53, 1. I. 4, 3. 98, 2.
Atque inservit transitioni, I. 14, 3.

Atque i. q. et adeo, C. 52, 35.
Atque adversandi vi i. q. *sed*, C. 51, 35.
Atque i. q. et quidem, I. 92, 4. 101, 2.
Atque cum *et* confusum, C. 51, 10.
Atque cum *atqui* confusum, C. 51, 35. I. 31, 21.
Atque cum *aut* confusum, I. 82, 2. 98, 6. 112, 3.
Attinere aliquem i. q. retinere, I. 108, 3.
Attractio casus relativi praecedenti nomini adhaerentis, I. 104, 1
Attractio generis et casus pron. demonstrativi, I. 35, 6.
Attractio generis pron. relativi et demonstrativi ad praedicatum, C. 7, 6. 51, 14. I. 75, 6.
Attractio numeri in enunciatione comparativa, C. 25, 3. I. 50, 6 74, 3.
Attractio nominis aut pronominis in secundaria enunciatione positi, C. 11, 2. I. 93, 7. 95, 1.
Attractio verbi in enunciatione secundaria, C. 49, 4.
Attractio verbi ad nomen praedicati, I. 18, 11.
Attractione obiectum primariae enunciationis fit subiectum secundariae, I. 94, 2.
Attractione relativum aut demonstrativum, ad vocabulum omissum pertinens, cum sequente nomine sociatur, I. 54, 6. 83, 2.
Attractione subiectum enunciationis ex impersonali verbo pendentis huic ipsi verbo tribuitur, I. 49, 2.
Attractio obtinet in formula *non quo*, C. 34, 2.
Attractio in formula *mihi nomen est*, I. 5, 4.
Attractio in usu *nisi* particulae, I. 24, 5.
Attractio zeugmati confinis, I. 75, 3.
Attractio cum ellipsi coniuncta, I. 79, 8. 92, 5.
Attractio in duabus interrogationibus coniunctis, C. 47, 1.
Attractio non obtinet in formula *mihi est aliquid volenti*, I. 84, 3.
Attractio relativi non licita est, ubi demonstrativum ex praepositione pendens omittitur, I. 108, 3.
Auctor et *actor* confusa, C. 3, 2.
Audacia pro *virtute* dictum, C. 58, 2.
Augere aliquem i. q. potentiorem reddere, I. 86, 3.
Aut res non genere sed specie diversas distinguit, C. 26, 2. I. 3, 2 14, 17. 41, 8. 53, 3. 62, 1. 67, 3 85, 47
Aut post negationem i. q. *neque*, I. 18, 2.
Aut in interrogatione non ponitur pro *an*, I. 67, 3
Aut i. q. potius, I. 67, 3.
Aut et *atque* confusa, I. 98, 6. 112, 3.
Autronius (*P.*), C. 17, 2.
Auxilium modeste pro *vindicta* dictum, I. 31, 29
Aventinus num bis a plebe occupatus fuerit, C. 33, 3 I. 31, 17.

Aversum i. q. inimicum, alienum, I. 102, 3.
Aversum confusum cum *adversum*, I. 93, 1. 102, 3

B.

Baleares funditores peritissimi, I. 105, 2.
Bellonae in templo senatus dabatur ducibus ad urbem, C. 30, 4
Bellicosus vir, I. 20, 2.
Bellum vocis forma quomodo facta, I. 89, 6.
Bellum latrocinio oppositum, I. 97, 5.
Bellum i. q. proelium, C. 9, 4. 59, 4. I. 75, 10.
Bellum maritimum i. e. piraticum, C. 39, 1.
Bene facere divisim scriptum quid significet, C. 3, 1.
Bene facta scribendum, non *benefacta*, C. 8, 5. I. 85, 5
Beneficia populi i. q. honores, I. 1, 16. 85, 3.
Beneficiarii i. q. clientes, C. 19, 5.
Benevolentia scribendum, non *benivolentia*, C. 3, 2.
Bimembris structura variata, I. 5, 4. 7, 1. 38, 3. 47, 2. 78, 2
Bocchus Iugurthae socer falso pro genero habitus, I. 80, 6
Bonus substantive i. q. bonus vir, I. 42, 3.
Bonus aliqua re i. q. eximius, I. 7, 5. 13, 1.
Bonus alicui rei, I. 17, 5.
Boni i. q. optimates, C. 33, 2. 37, 3.
Boni i. q. fortes, I. 53, 8.
Bonum et aequum, I. 15, 3.
Bonum i. q. utile, I. 82, 2.
Bonum publicum, I. 25, 3.
Bona alicuius non significare possunt *virtutes*, I. 73, 4
Brevitas structurae, I. 36, 4. 92, 2.
Brevitatis Sallustianae exempla, C. 38, 3. I. 104, 1
Bruttia minus bene dicitur quam ager Bruttius, C. 40, 5
Brutus (*D.*), C. 40, 5.
—*bundus* adiectivorum terminatio, I. 38, 1.

C.

Κακέμφατον num admiserit Sall., I. 21, 2.
Cacophoniam veteres non ubique vitabant, C. 3, 5.
Cadere de rerum eventu dictum, C. 20, 2. I. 31, 21
Caepio (*Q.*) a Teutonis victus, I. 114, 1.
Caesar patronus Transpadanorum, C. 49, 2.
Caesaris munificentia et aes alienum, C. 49, 3
Calones cum *colonis* confusi, C. 59, 3
Camera rectius scribitur quam *camara*, C. 55, 4
Canere signa qua constructione dicatur, C. 59, 1

Capessere rempublicam, explic., C. 52, 5. I. 85, 47.
Capere pecuniam i. q. accipere, I. 32, 1. 85, 18.
Capit periculum aliquem expl., I. 51, 1.
Capi i. q. opprimi, I. 85, 6.
Capite censi militia vacabant, I. 86, 2.
Capitolium incensum, C. 47, 2.
Capsae urbis situs, I. 89, 4.
Caput; supra caput esse expl., C. 52, 24.
Carere aliqua re i. q. vacare, C. 13, 4.
Carptim explic., C. 4, 2.
Carthaginienses rectior forma quam *Carthaginenses*, C. 51, 6.
Carthaginiensium fines quando imminuti sint, I. 19, 7.
Carthaginiensium metus Romanis utilis, I. 41, 2.
Carus acceptusque voces saepe coniunguntur, I. 70, 2.
Cassius (*C.*), C. 17, 2.
Cassius(*L.*), I. 32, 1.
Castrorum muniendorum cura, I. 99, 1. 100, 4.
Casus eiusdem vocabuli diversus in bimembri oratione altero loco supplendus, C. 13, 2. I. 54, 1. 110, 4.
Casus i. q. calamitas, C. 35, 4. I. 23, 2.
Casus i. q. commoda occasio, I. 25, 9.
Casus dicitur id, quod per fortunam cecidit, I. 97, 3.
Catabathmi situs, I. 17, 4.
Catilinae genus, C. 5, 1.
Catonis oratio contra Caesarem, C. 52, 1.
Catulus (*Q.*), C. 34, 3.
Caussa vox num ad genitivum supplenda sit, C. 6, 7. I. 88, 4. *Eâ caussâ* i. q. eius rei caussa, C. 52, 7.
Caussales particulae, v. *Particulae*.
Cave omisso *ne* cum coniunctivo iunctum, C. 58, 21.
Celebrare i. q. frequentare, I. 47, 1.
Celebrare i. q. clarum facere, I. 85, 36.
Celer quomodo differat a *velox*, I. 17, 6.
Cella dei quid sit, C. 46, 6.
Censeo vox orationi non sine regimine interponitur, C. 52, 26.
Censere verbum duplici structura in eadem enunciatione positum, I. 1, 2. 25, 1.
Censet senatus, *iubet* populus, C. 29, 3. I. 21, 4.
Centuriones quomodo ordine et gradu diversi, I. 38, 6.
Cernere i. q. certare, C. 59, 5.
Certiorem fieri ubi proprie dicatur, I. 46, 1.
Certo et *certe* diversum, C. 51, 15. I. 9, 2.
Cetera accusativi quae ratio, I. 19, 7.

Ceteri diversi a *reliquis*, C. 3, 5. 43, 1. 52, 31. — I. 91, 2. ubi prior explicatio retractatur.
Ceteri vox sine copula praecedentibus additur, C. 15, 1. 57, 1.
Ceterus singulari numero, I. 89, 6.
Ceterum i. q. sed, I. 2, 4. 14, 1.
Cethegus (*C.*), C. 17, 2.
Chiasmus, C. 61, 9. I. 7, 5. 20, 8.
Cibus menstruus a militibus portabatur, I. 45, 2.
Cibus in universum alimenta notans etiam potum comprehendit, I. 89, 8.
Circa et *circum* praepositiones absolute positae, C. 30, 3.
Circumire vigilias, I. 45, 2.
Circumire melior forma quam *circuire*, I. 49, 2.
Circumscriptio vocabuli aliam sententiam praebet atque nudum vocabulum, I. 14, 33.
Circumvenire i. q. opprimere, C. 31, 9. I. 7, 1. 50, 6. 88, 4.
Circumvenire i. q. circumdare et cingere, I. 76, 2. 88, 4.
Cirta urbs, I. 21, 2.
Civilis i. q. comis, I. 85, 35.
Civitas i. q. gens, C. 40, 4.
Civitas vox genit. plur. et in *um* et in *ium* exeuntem habet, C. 40, 2.
Claritudo, antiquior forma, I. 2, 4.
Classes Romanorum in censu ac militia, I. 86, 2.
Clemens i. q. non nimius, I. 22, 1.
Clepsydrae usus in instituendis vigiliis, I. 99, 1.
Clientes in provincia, C. 19, 5.
Coarguere i. q. graviter arguere, C. 47, 2.
Cocus rectius scribitur quam *coquus*, I. 85, 39.
Coecum corpus dicitur tergum, I. 107, 1.
Coecus ob aliquid inepta structura, I. 37, 4.
Coepit aliqua res sine addito *fieri*, I. 33, 4.
Coeptus est cum infin. pass. pro *coepit*, I. 27, 1. 31, 8.
Coercitus qui coerceri potest, I. 76, 1. 91, 7.
Cogere molliore sensu est impellere, persuadendo adigere, I. 84, 2.
Cognatio diversa ab affinitate, I. 111, 2.
Cognoscere quid differat ab *agnoscere*, C. 47, 3.
Cognoscere et *agnoscere* confusa, C. 35, 2.
Cognoscere de aliqua re, I. 84, 3.
Cognoscere aliquem praegnanti sensu dictum, I. 82, 1.
Cognitus alicuius rei et *aliqua re*, I. 84, 2.
Cohors Romana, I. 38, 6. 99, 1.
Colere aliquem i. q. benigne tractare, I. 85, 34.
Colere et *observare* aliquem quo differat, I. 10, 8.
Collectiva pluralem verbi numerum asciscunt, C. 6, 2. 7, 4. 23, 6. I. 15, 2. 16, 1. 95, 1.

Collectiva etiam cum singulari construuntur, C. 37, 6; 7. 48, 1. I. 18, 3.

Collis ablativum *colli* habere potest, I. 50, 1.

Collocare aliquid in locum quando dicatur, I. 61, 2.

Collocandorum verborum ratio, C. 1, 1. 40, 3. 59, 4. I. 10, 1. 10, 3. 12, 3. 13, 16. — Vide etiam *Ordo verborum*.

Collocandarum sententiarum ratio, I. 7, 1.

Coloniae quomodo a *municipiis* diversae, C. 58, 9.

Coloniis deducendis triumviri, I. 42, 1.

Colos Sall. dixit, non *color*, C. 15, 5.

Comitiis i. q. in comitiis, I. 30, 3.

Comitiis centuriatis maiores magistratus creabantur, I. 3, 1.

Comitiis curiatis imperia dabantur, I. 3, 1.

Comitia impedita a tribunis, I. 37, 2.

Commeatus vox plurali posita, C. 58, 9.

Commeatus i. q. frumenti copia, I. 47, 2.

Commeatus germanice *Urlaub*, I. 64, 1.

Commodum vi adverbii positum, I. 5, 4.

Comparare reflexivo sensu, C. 46, 3.

Comparare provincias consulum fuit, I. 43, 1.

Comparantur interdum *personae* cum *attributis* aliarum personarum, C. 51, 14. I. 85, 13.

Comparativae sententiae diversis verbi *modis* elatae, I. 102, 8.

Comparativae sententiae particulis *potius quam* factae, I. 106, 3.

Comparativus qua ratione ablativum regat, I. 16, 3.

Comparativus particulae *quam* postpositus, I. 33, 3.

Comparativum membrum omissum, C. 53, 5. I. 80, 6.

Compendio scribendi ortae depravationes, C. 31, 7. I. 30, 3. 32, 5.

Compertum i. q. certo auctore cognitum, I. 17, 2. 39, 1. 67, 3. 75, 2.

Complures genuina forma est, non *quamplures*, C. 19, 2

Componere i. q. cum cura collocare, I. 103, 1.

Composita v. *Verba composita*.

Composite dicere quid sit, C. 51, 9.

Ex *composito*, C. 8, 1.

Concedere gravius quam *cedere*, I. 11, 4.

Concedere in gentem, dicionem, etc., I. 18, 12.

Concilium quid differat a *consilio*, C. 42, 2. I. 29, 5.

Concinnitatis ratio quid valeat in structura verborum, I. 14, 16. 64, 1. 69, 3. 85; 22.

Concionibus i. q. *in* concionibus, I. 30, 3.

Concordiae templum Romae, C. 46, 5.

Concurrere et *occurrere* confusa, I. 101, 10.

Concurrere et *incurrere* confusa, I. 97, 4

Concursus et *congressus* confusa, I. 74, 3.
Condicio scribendum, non *conditio*, C. 20, 4.
Condicio i. q. negotii alicuius conficiendi via, I. 79, 8.
Condicio tanquam coniunctio cogitari potest, I. 86, 3.
Condicionibus bellum ponere, quid sit, I. 112, 1.
Condicionales enunciationes sine *si* particula, I. 64, 5.
Condicionalis enunciatio omissa in bimembri oratione, ubi sequitur *sin* vel *si non*, I. 35, 4.
Condonare alicui aliquid, vel aliquem, explic., C. 52, 8. I. 27, 2.
Condonare se alicui i. q. victimam se praebere, I. 79, 9.
Confectus et *infectus* confusa, I. 104, 1.
Confirmare aliquem i. q. dubium permovere, I. 23, 2
Congressus et *concursus* confusa, I. 74, 3.
Coniugium pro *uxore* dictum, C. 14, 1.
Coniunctivi praes. passivi sec. persona in —*re* exiens, C. 58, 2.
Coniunctivi vis propria, C. 4, 5.
Coniunctivus pendens ex vocibus *sunt qui*, C. 19, 4.
Coniunctivus pendens ex verbis *potius quam* I. 106, 3.
Coniunctivus pendens ex verbis praecipiendi, C. 29, 2. I. 28, 1.
Coniunctivus ex *quia* aptus, I. 98, 6.
Coniunctivus praesentis aut perf. vi concedendi positus, I. 110, 3.
Coniunctivus perfecti vi imperativi positus, I. 110, 4.
Coniunctivus perfecti vitiose positus pro *indicativo plusquamperf.* ex *quod* pendente, C. 18, 3. I. 39, 1.
Coniunctivus verbi *esse* omissus, I. 88, 5.
Conscientia i. q. *mala conscientia*, I. 85, 26.
Conscius cum dativo personae coniunctum, C. 22, 2.
Conscius et *conscientia* de aliqua re, C. 35, 2.
Conscribi qui proprie dicantur, C. 59, 5.
Considere de exercitu, i. q. castra ponere, C. 57, 3
Consilium diversum a *concilio*, C. 42, 2. I. 29, 5.
Consilium militare, I. 29, 5. 62, 5.
Consilia militaria ex more Romanorum habebantur, I. 62, 5
Consilium est, ut, I. 85, 8.
Consistere non idem valet quod *constituere*, I. 49, 5.
Constat i. q. certum est, I. 30, 1.
Constituere i. q. confirmare, I. 31, 17.
Constituere absolute dictum i. q. pacisci, I. 66, 2.
Construere peculiari sensu i. q. *instituere*, I. 13, 1.
Constructio duplex eiusdem verbi in eadem enunciatione: C. 5, 9. 33, 1 I. 1, 2. 25, 1. 29, 5. 49, 2. 65, 2. 74, 3. 84, 2. 100, 2. 108, 1
Constructio ἀνακολούθως mutata, I. 4, 6. 17, 3.
Constructio sententiae bimembris variata, I. 5, 4. [illegible] 1. [illegible] 2
Consuetudo et *consuescere* in re turpi, C. 23, 3

Consuetum habere aliquid, I. 85, 7.
Consul interdum pro *proconsule*, C. 19, 1.
Consulum nomina sine copula ponuntur, C. 43, 2.
Consulere cum adverbio coniunctum i. q. agendi rationem sequi, I. 95, 3.
Consulere alicui rei, C. 51, 8.
Consulere sibi, I. 62, 1.
Consulta non possunt esse consulenda. I. 108, 2.
Consumere i. q. frustra impendere, I. 25, 11. 62, 9
Contemnere aliquid aliqua re, I. 16, 3.
Contemnere quomodo differat a *despicere* et *spernere*, I. 85, 19
Contemnere i. q. contemptum verbis declarare, I. 15, 2
Contendere adverbii vi positum, C. 18, 8.
Conterere tempus i. q. frusta impendere, C. 4, 1 I. 25, 11
Continere de disciplina dictum, I. 41, 2.
Continuare domos quid sit, C. 20, 11.
Contra adverbii potestate positum, I. 1, 2.
Contra ea, I. 57, 5. 85, 2.
Contubernium quale fuerit, I. 64, 4.
Conturbare rem explic., I. 79, 7.
Convenit aliqua res explic., I. 38, 10. 83, 2; 112, 2
Convenit absolute dictum, I. 39, 4.
Conventio et *coniuratio* confusa, C. 23, 1.
Convertere reflexivo sensu positum, C. 6, 7 I. 20, 4
Convivia plebi praebita, I, 4, 4.
Conviviorum luxuria quando orta, I. 85, 39
Coopertus aliqua re, C. 23, 1.
Cooriri i. q. cum vi magna excitari, differt ab *oriri*, I. 79, 6
Copia i. q. facultas, C. 8, 5.
Copia vox indefinitae potestatis, I. 54, 9.
Copia interdum absolute positum e contextu intelligendum est C. 48, 6.
Copia de militibus alio sensu dictum, quam *copiae* C. 56, 1
Copia et *inopia* non ad eandem rem relata, C. 11, 3.
Ex *copia* quid sit, I. 39, 5. 54, 9. 76, 3.
Copula qua ratione variarum particularum vim sustinere possit, C. 4, 2.
Copula exaggerandi vi posita pro *et quidem*, I. 79, 3.
Copula post negativam sententiam pro *sed* posita, I. 107, 3
Copula adiectivo *multus* more Graecorum addita, C. 20, 3 I. 28, 5 78, 5. 102, 10. 108, 1
Copula inter duas *enunciationes* ubi non omitti possit, I. 35, 2 37, 3.

Copula non additur adiectivo, quo universa res comprehenditur, C. 15, 1. 43, 2. 52, 36. I. 27, 5. 32, 1. 66, 1. 86, 1.

Copula inter *duo vocabula* quando omitti possit, C. 20, 2. 43, 2. I. 20, 8. 31, 19. 85, 7; 47. 87, 2.

Copula inter *duo vocabula* ubi omitti nequeat. I. 38, 9. 62, 1. 76, 3.

Copula ubi in quattuor vocabulis omitti nequeat. I. 2, 2.

Copula omitti solita inter duas voces notione diversas, sed *par* quoddam efficientes, C. 11, 2. I. 17, 5. 60, 4. 72, 2. 97, 5. 101, 9.

Copula quando omitti possit inter *duo* adiectiva nomini *postposita*, I. 28, 4. 106, 2.

Copula ubi omitti possit inter *duo* adiectiva nomini *praemissa*, I. 30, 3. 38, 6. 79, 3.

Copula que sequente littera *o* intercepta, I. 35, 2; 6. 38, 9. 79, 3.

Copula que proxima *quae* voce intercepta, C. 3, 5. I. 27, 5. 36, 1. 37, 4.

Cornificius (Q.), C. 47, 5.

Corrumpere rem i. q. amittere vel perdere, I. 64, 5. 79, 7.

Cotidie scribendum, non quotidie, C. 14, 4. 48, 2. I. 45, 2. 91, 1.

Cotta (*L.*), C. 18, 4.

Creber quomodo differat a *frequens*, I. 45, 2.

Creditorum in debitores iura, C. 33, 1.

Credo ironice dictum, C. 52, 13.

Credo sine ironia dictum, I. 90, 1.

Credo orationi sine regimine interponitur, C. 52, 26.

Cultus explic., C. 13, 3. 48, 3. I. 75, 1. 78, 4. 95, 2.

Cultus i. q. cultura terrae, I. 48, 3.

Cum condicionis potestatem habet, I. 86, 3.

Cum quomodo differat a solo ablativo instrumenti, I. 65, 3. 85, 3. 105, 2.

Cum ablativo nominis additum, quo verbum vice adverbii definitur, I. 14, 15. 53, 7. 54, 1. 106, 4.

Cum de vestitu et armatura dictum, qua quis utitur, I. 205, 2. C. 27, 2. 60, 2.

Cum imperio esse explic., I. 3, 1.

Cum animo habere aliquid, I. 11, 8.

Cum eo, ut, i. q. ea condicione, ut, I. 86, 3.

Cum non additur ablativo *exercitu*, C. 57, 4. I. 46, 5.

Cum loco *et* particulae nominibus coniugendis inservit, plurali sequente, C. 43, 1. 46, 6. I. 38, 6. 101, 5.

Cum singulari modo usurpatum in explicativa sententia, I. 49, 1. 100, 2.

Cunctari i. q. in incerto habere, C. 52, 25

Cunctus ablativo loci *in* non habet additum. I. 79. 2

—*cunque* terminatio pronominibus et particulis addita quam vim habeat, C. 27. I. 39. 6.

Curare in re militari, C. 59, 3. I. 90, 1.

Curare duplicem structuram habet, I. 100, 2.

Custodia; *in custodia habere*, C. 47. 3. *in custodiam habere*. I 112. 3.

Cyrene a Theraeis condita. I. 19. 3.

D.

D littera in verbis compositis ante *s* sequente alia consonante abiicitur, C. 47, 1.

D littera abiecta in initio vocum *iugis*. *Ianus*. *bellum*. *Iupiter*. I. 89. 6.

Damasippus, C. 51, 32.

Dare et *dedere* quomodo differant, C. 45. 4. I. 32. 5. 75. 5.

Dare cum participio perfecti pass. coniunctum valet ad circumscribendum verbum activum, I. 59, 3.

Dativus pronominis *nullus* in *o* terminatus, I. 97, 3.

Dativus quartae declin. in —*u* desinens. I. 6. 1. 32. 2. 39. 2 43, 2. 94, 2.

Dativus quintae declin. in —*e* desinens. I. 74. 1.

Dativus qua lege cum ablativo commutari possit, C. 2. 9.

Dativus pro genitivo positus non ex substantivo, sed ex *verbo* pendet. C. 19, 1. 32. 1. 39. 3. 40. 3. I. 7, 4. 14. 24. 35. 4. 55 8. 59. 1. 83, 1. 84. 1. 85. 1.

Dativus genitivo gravior est respectu praedicati. I. 54. 7.

Dativus pendens ex pronomine *idem*, C. 20, 3.

Dativus ex substantivo verbali pendens, C. 32. 1. I. 35. 4.

Dativus finis ac consilii ex *esse* pendens, C. 46, 2.

Dativus in formula *nomen est alicui*, I. 5, 4.

Dativus obiecti saepe omissus. C. 51. 28. I. 1. 3. 10. 3. 12. 4. 14 19. 43. 3. 47. 2. 50. 4. 82. 1. 85. 5.

Dativus ex passivo pendens interdum male pro ablativo personae habitus, I. 21, 3.

Dativus ex passivo pendens propria vi. neque vero pro *ablativo* et a praepositione ponitur, I. 46, 3. 107, 1.

Dativus non cum ablativo confundendus. I. 70. 3. 91. 7. 94. 2

Dativus personae male in genitivum corruptus. I. 79. 8.

Dativus personae quomodo ex verbo *iubere* pendeat. I. 84. 1.

Dativus ethicus. C. 52. 11.

Dativi ratio in formulis *est mihi aliquid* et *est mihi aliquid volenti*. I 84. 3.

Dativi duplicis ex *esse* pendentis ratio. I. 97. 3. 103. 7.

Dativi vim habet *supinum* in *u*, I. 91, 7. 98, 7.
De et *di* syllabae quomodo sensu differant, C. 25, 3. I. 1, 4. 102, 11
De inservit obiecto accusativi circumscribendo, I. 84, 3. 87, 3.
De cum ablativo pro genitivo positum, C. 35, 2.
De cum verbis compositum vim simplicis auget, C. 25, 3. 45, 4. I. 5, 7.
De cum substantivo aut neutro adiectivi pro adverbio, C. 8, 1.
De i. q. *e*, C. 61, 5.
Decedere quomodo differat a *discedere*, I. 20, 1. 23, 1. 36, 4. 41, 3. 88, 1.
Decernere diversum a *discernere*, C. 25, 3.
Decernere cum coniunctivo coniunctum, C. 29, 2.
Decernere cum accusativo coniunctum, C. 30, 6.
Decernere accusativo cum infinitivo et *ut* particulae simul iunctum, I. 25, 1.
Decernere non est populi, sed senatus, I. 40, 3.
Decernere alicui aliquid num recte dicatur, I. 73, 7.
Decernere i. q. putare, I. 39, 5.
Decernere i. q. sententiam dicere, I. 104, 2.
Declivis explic., I. 17, 4.
Decursio non est cohortium, sed legionum, I. 99, 1.
Decus regium, quale, I. 33, 1.
Dedere sensu praegnanti i. q. ad dedendum se paratum ostendere, I. 47, 3.
Dedere et *dare* quomodo differant, C. 45, 4. I. 32, 5. 75, 4.
Deditio i. q. statum deditorum, I. 75, 8.
Deditus quomodo differat a *dediticius*, I. 31, 19.
Deducere aliquem quo sensu dicatur, C. 55, 2. I. 113, 5
Deducere vigilias, I. 44, 5.
Defensare i. q. defendere, I. 26, 1.
Deficere ad aliquem, I. 61, 1.
Defluere diversum a *diffluere*, I. 1, 4.
Deformatus et *deformis*, de infortunio, I. 14, 7.
Degustare cum accusativo coniunctum, C. 22, 2.
Dein, I. 11, 4. 23, 2. 29, 5.
Deinde et *dein* confusa, C. 32, 1. 40, 6. 45, 4. 59, 4. I. 5, 4. 5, 6. 18, 12. 19, 3. 20, 4. 24, 6. 25, 5. 26, 3. 34, 1. 38, 9. 50, 2. 58, 4. 61, 4. 85, 1. 112, 2.
Deinde i. q. in posterum, I. 31, 22.
Deinde in formula *alius deinde alius*, I. 18, 7
Deinde omissum ubi praecessit *primum*, I. 45, 2
Dehinc i. q. deinde, C. 3, 2
Dehinc depravatum ex *dein*, I. 11, 4. 85, 1
Delectus genuina vocabuli forma, non *dilectus*, C. 36, 3

Delectus quomodo haberi solitus, I. 86, 2.
Delegere depravatum in *dilegere*, I. 108, 2.
Delicta i. q. mala reipublicae, I. 3, 2.
Deligere quomodo differat ab *eligere*, C. 6, 6. I. 23, 2. 103, 2.
Delubra quid et unde dicta, C. 11, 6.
Dementia et *amentia*, I. 38, 1.
Demissus i. q. humili sorte utens, C. 51, 12.
Demittere et *dimittere* confusa, I. 102, 11.
Denique i. q. uno verbo, I. 79, 7.
Denique i. q. demum, I. 105, 3.
Denunciare diversum ab *nunciare*, I. 112, 2.
Deponentia passivo sensu usurpata, C. 7, 3. 48, 7. I. 17, 7. 25, 2.
Deprecari i. q. precibus avertere, I. 104, 4.
Deprehendere aliquem, de sceleris convictis dictum, C. 52, 25.
Derelinquere gravius quam *relinquere*, I. 5, 6.
Descendere, escendere, ascendere confusa, C. 55, 3.
Descendere in animum, I. 11, 7.
Deserere quomodo differat a *relinquere*, C. 60, 7.
Deserere diversum a *prodere*, I. 31, 18.
Deserere diversum ab *omittere*, I. 70, 1.
Designati consules primi sententiam dicebant, C. 50, 4.
Despicere quomodo differat a *contemnere* et *spernere*, I. 85, 19.
Detractare verbi forma et potestas expl., I. 53, 8.
Devincere gravius quam *vincere*, I. 25, 3.
Devorare spe aliquid, I. 20, 6.
Dextumus antiqua forma, I. 100, 2.
Di et *de* syllabae quomodo sensu differant, C. 25, 3. I. 1, 4. 102, 11.
Dicere diversum ab *edicere*, C. 48, 4.
Dicere diversum a *loqui*, I. 64, 5.
Dicere et *facere* coniuncta, C. 23, 3.
Dicio scribendum, non *ditio*, C. 20, 7.
Dictitare i. q. rationem afferre, C. 22, 2.
Dictum i. q. constitutum, I. 113, 5.
Dies ac *tempus* coniunctim posita quo differant, C. 51, 25. I. 108, 2.
In *dies* i. q. in singulos dies, I. 44, 5.
Die et *diu* confusa, I. 38, 3. 44, 5. 70, 1.
In *die* quando dici possit, C. 48, 5.
Difficilis cum dativo coniunctum, I. 91, 7.
Difficilis locus, qui dicatur, I. 87, 4.
Difficultas quomodo differat ab *asperitate*, I. 92, 4.
Diffluere quomodo diversum a *defluere*, I. 1, 4.
Dignus absolute positum, C. 51, 8. I. 62, 8.
Digna poenae pro factis, C. 51, 8.
Dilectus falsa forma pro *delectus*, C. 36, 3.

Diligentia quomodo differat ab *industria*, I. 76, 1
Dimittere aliquem impunitum, C. 51, 5.
Dimittere quomodo differat ab *omittere*, I. 31, 17.
Dimittere et *demittere* confusa, I. 102, 11.
Διολλύναι i. q. perdere, I. 31, 17.
Dirimere aliquid, i. q. irritum reddere, C. 18, 8.
Discedere quomodo differat a *decedere*, I. 20, 1.
Discedere victum vel victorem, de contentionum eventu dicitur. C. 49, 2 I. 79, 7.
Discedere discessio, in sententiam, quomodo fiat, C. 50, 4.
Disceptare iure formula, I. 21, 4.
Discernere quomodo differat a *decernere*, C. 25, 3.
Disertus quomodo differat a *facundus* et *eloquens*, I. 85, 26.
Disiunguntur verba arcte cohaerentia vocibus nonnullis interpositis. C 29, 3.
Disserere duplici structura in eadem enunciatione positum. C. 5, 9.
Diu pro *die* dictum in formula *diu noctuque*, I. 44, 5. 70, 1.
Diversus quam vim habeat, C. 2, 1. 5, 8. I. 12, 5. 31, 24.
Divina et humana omnia quomodo intelligendum sit, I. 5, 2. 31, 9.
Docere quomodo differat ab *edocere*, C. 48, 4. I. 68, 3.
Docere i. q. narrare, I. 40, 4.
Doctus triplici modo constructum, C. 25, 2.
Dolere de aliqua re vel *aliqua re* diversum a *dolere pro aliqua re*, I 39, 1.
Dolet aliquid mihi, I. 84, 1.
Dolus varia relatione dictum, . I36, 3
Dolus i. q. sollertia, C. 26, 2.
Dolis interficere aliquem, I. 6, 3.
Domare i. q. res asperas superare, C. 7, 5.
Domi et *foris* quomodo sibi opposita sint, I. 85, 3.
Domi militiaque dubium, C. 53, 2.
Dominatio nobilitatis proprium vitium, I. 41, 5.
Domus vox cum adiectivo coniuncta praepositionem non requirit, I 66, 3.
Dubius cum dativo supini constructum, I. 94, 2.
Dubii hostes, i. q. ad fugam inclinantes, I. 51, 5
In *dubio* esse i. q. in periculo esse, C. 52, 6.
Ducere et *rapere* coniuncta, I. 41, 5.
Ducere et *deducere* confusa, I. 113, 5.
Ducere aliquid in aliquam rem, i. q. interpretari, I. 85, 26
Duces cohortem sibi eligebant, I. 98, 1
Ductare obscoene intelligi potest, I. 21, 2
Ductare exercitum i. q. praeesse exercitui, C. 11, 5
Dum soloece cum coniunctivo praesentis iunctum, I. 22, 1

Duo et *duos* accusativi forma, I. 23, 2. 28, 1. 192, 2.
Duo genitivum habet *duum*, I. 91, 3.
Duplex eiusdem *substantivi* in eadem enunciatione structura, et *subiecti* et *obiecti*, I. 35, 3
Duplex eiusdem *verbi* in eadem enunciatione structura, C. 5, 9. 33, 1. I. 1, 2. 25, 1. 29, 5. 49, 2. 65, 2. 74, 3. 84, 2. 100, 2.

E.

E verbis additum augendi et intendendi vim habet, C. 48, 4. 49, 4. 51, 20. I. 14, 22.
Ea adverbii vi relatum ad vocabulum *loci*, I. 38, 6. 50, 6. 93, 5.
Ecferre antique dictum pro *efferre*, I. 14, 11.
Edicere et *dicere* quomodo differant, C. 48, 4.
Edocere quomodo differat a *docere*, C. 48, 4. I. 68, 3.
Effetus rectius scribitur quam *effoetus*, C. 53, 5.
Efficere verbi propria vis, I. 14, 11.
Effusus exercitus i. q. dispersus, I. 55, 4. 98, 5.
Egere cum ablativo et genitivo coniunctum, I. 1, 3.
Ego pronomen ubi verbo addatur, I. 4, 5. 31, 21.
Egredi i. q. in summum eniti, I. 60, 6.
Egredi i. q. fines excedere, I. 110, 8.
Egregius aliqua re, in aliqua re, et *ad aliquam rem*, I. 82, 2.
Egregium publicum, i. q. decus civitatis, I. 25, 3.
Egressus alicuius, I. 35, 3.
Eiicere i. q. exstinguere, delere, I. 14, 10.
Eligere quomodo differat a *deligere*, C. 6, 6.
Ellipsis particularum caussalium, C. 17, 7. 39, 4. 51, 2. 52, 4. 56, 4. I. 5, 5. 28, 5. 30, 1. 31, 1. 31, 28. 38, 2.
Ellipsis particulae adversativae, C. 35, 2. 58, 14. I. 2, 3. 5, 5. 10, 4. 14, 5. 31, 25. 85, 38. 110, 7.
Ellipsis particulae *si*, I. 64, 5.
Ellipsis pronominis relativi et demonstrativi, alio casu supplendi, I 54, 1.
Ellipsis vocabuli *passuum*, I. 75, 2.
Ellipsis membri comparativi, C. 53, 5. I. 80, 6.
Ellipsis verbi *esse*, C. 51, 23. I. 24, 8.
Ellipsis verbi *oro* in obtestando, I. 14, 24. 24, 10.
Ellipsis verbi in enunciatione comparativa, ex *potius quam* pendente, I. 106, 3.
Ellipsis sententiae ad quam *nam* particula spectat, I. 19, 2. 28, 5.
Ellipsis sententiae condicionalis vocibus *maxime*, *primum*, *principio*, addendae, ubi sequitur enunciatio condicionalis negans, I. 35, 4

Ellipsis subiecti in structura accusativi c. infin. quando liceat. C. 31, 7. I. 46, 6.
Ellipsis praepositionum nulla est, C. 31, 3.
Ellipsis nulla est *aientis* verbi praegresso negante. I. 106, 3.
Ellipsis non cum *anacolutho* confundenda, I. 112, 3.
Eloquens quomodo differat ab *diserto* et *facundo*, I. 85, 26.
Eloquentia quomodo differat ab *loquentia*, C. 5, 5.
Ementiri quomodo differat a *mentiri*, C. 49, 4.
Emeritus activo et passivo sensu dictum, I. 84, 2.
Emeritis stipendiis homo, I. 84, 2.
Emittere non dicitur pro simplici mittere, I. 77, 4.
Emori diversum a *mori*; I. 14, 24.
En vocis propria vis, I. 9, 2.
Ἓν διὰ δυοῖν figura rarius admittenda. C. 2, 2. 3. 5. I. 107, 4
Ἓν διὰ δυοῖν ubi locum habere nequeat, I. 43, 4.
Enim v. etiam *Nam.*
Enim in nectendis sententiis omissum, C. 17, 7. 39, 4.
Enim parenthesin infert antecendentia explicantem. I. 108, 1.
Enisus passivo sensu dictum, I. 25, 2.
Enixus usu differet ab *enisus*, I. 22, 2.
Eo cum comparativo non semper refertur ad *quo*, sed etiam ad *quod*. I. 31, 17.
Eo interdum est i. q. *ibi*, I. 60, 1.
Eo magis voces coniunctae ad verbum referuntur. I. 20, 6.
Eo i. q. *in id*, I. 75, 4.
Eques vox alii nomini apposita, C. 59, 1.
Equi pro *equitibus*, I. 49, 5.
Equidem qua vi ponatur, C. 51, 20. Quae explicatio retractatur, I. 10, 6.
Equidem ego, I. 10, 6.
Equitatus singulari positum praedicatum habet plurale. I. 91, 4. 95, 1.
Equitatus plurali numero positum, I. 46, 7.
Erat, v. *Esse.*
Ergo in interrogatione sine *ne* ponitur. I. 14, 9.
Erigere quomodo differat ab *arrigere*, C. 39, 3. I. 23, 1. 68, 3.
Eripere saepe sine dativo personae ponitur, I. 1, 3.
Escendere et *ascendere* confusa. C. 55, 3. I. 93, 5. 97, 5.
Esse cum genitivo substantivi et participii futuri passivi coniunctum, C. 6, 7. I. 88, 4.
Esse aliquo periculo alio sensu dicitur quam *esse* in *aliq. periculo*, I. 57, 6.
Esse cum adverbio coniunctum, C. 58, 9. I. 7, 6. 14, 11. 75, 7 85, 6.
Esse ubi infinitivo, qui participio fit, non addatur. C. 1, 3 20, 3. 48, 5 I. 20, 1. 22, 1. 40, 4. 79, 7. 82, 1.

Esse verbi *numerus* ad praedicati nomen refertur, C. 25, 3.
Esse cum duplici dativo iunctum, I. 97, 3.
Esse in aliqua re quomodo differat ab *esse alicui rei*, C. 17, 2.
Esse i. q. exstare, ὑπάρχειν, in dictionibus *est mihi aliquid* et *est mihi aliquid volenti*, I. 84, 3.
Esse cum accusativo praedicati coniungitur, ubi subiectum generale intelligitur, I. 85, 35.
Esse in potestatem, in custodiam, in mentem, I. 112, 3.
Esse verbi imperfectum omissum, I. 28, 5. 67, 1.
Esse verbi coniunctivus praesentis (*sit*) omissus, I. 88, 6.
Est absolute positum, sequente *ut*, vel *infinitivo*, I. 110, 3.
Est omittitur in generalibus interrogationibus, C. 51, 23. I. 24, 8.
Est et *sunt* omissum, I. 74, 2. 75, 2. 77, 2.
Est a scribis textui illatum, C. 52, 20; 22. I. 114, 3.
Et — et i. q. non solum — sed etiam, C. 22, 3.
Et transitum parat ad *effectum rem*, de qua dictum erat, I. 93, 4
Et omittitur ante adiectiva *alii, ceteri, reliqui*, C. 15, 1. I. 66, 1.
Et explicandi vi positum, C. 19, 2. 20, 17. 51, 32. I. 5, 5. 18, 6. 24, 4. 43, 5. 47, 2. 52, 3. 77, 4.
Et ubi valeat *etiam*, C. 35, 3. I. 98, 4.
Et i. q. *et quidem*, I. 14, 25. 32, 2. 85, 3. 105, 4.
Et i. q. *et sane*, I. 86, 3.
Et non diversum a simplici *non* in oppositionibus, C. 52, 15. I. 31, 10.
Et obscuratum in verbum ab *e* incipiens, I. 77, 4.
Et iam depravatum in *etiam*, I. 11, 3. 24, 4. 47, 2.
Etiam quando cum vocibus *tum*, *num*, *si* coniunctim scribatur, C. 2, 1.
Etiam i. q. *adhuc*, C. 61, 4.
Etiam omissum post *non modo — sed*, C. 18, 7. 39, 6.
Etiam nunc, I. 31, 3.
Etiamsi et *etiam si*, C. 2, 1. I. 10, 7.
Etiamsi diversum a *tametsi*, C. 3, 2.
Etiamtum i. q. tunc adhuc, C. 2, 1. I. 21, 2.
Escendere confusum cum *ascendere* et *descendere*, C. 55, 3
Euphemismi quoddam genus, I. 20, 5. 62, 1.
Evadere aliquo i. q. exitum habere, I. 14, 9.
Evenire de provinciis dictum, de quibus consules sortiebantur, I. 35, 3.
Evenire de comparatione provinciarum dictum, I. 43, 1.
Evenire confusum cum *venire*, I. 8, 2. 103, 2.
Evocati qui dicti, C. 59, 3.
Evocare et *vocare* confusa, I. 62, 8.
Ex caussam significat, C. 12, 2. 49, 2. 57, 2. I. 5, 4.
Ex quomodo a praepositione *a* diversum, I. 102, 8.

Ex i. q. *post*, C. 4, 1. I. 36, 3.
Ex eventum denotat, I. 83, 3.
Ex cum substantivo aut neutro adiectivi pro adverbio, C. 8, 1. I. 14, 11.
Ex itinere, ex fuga quomodo differat ab *in itinere* etc., I. 54, 4.
Ex sententia i. e. *nach Wunsch*, I. 109, 4.
Ex animi mei sententia contestandi formula, I. 85, 27.
Ex agris praedari, I. 88, 3.
Ex loco abire, I. 107, 2.
Ex commodo i. q. commoda occasione oblata, I. 82, 2.
Ex voluntate quomodo differat a *voluntate*, I. 83, 3.
Ex improviso, I. 14, 4.
Ex composito, I. 83, 3.
Ex merito, I. 85, 37.
Exaequare facta dictis quid sit, C. 3, 2.
Exagitare verbi propria vis, C. 29, 1. 38, 1
Excellere de re mala dictum, C. 37, 5.
Exciere et *excitare* confusa, C. 37, 6.
Excitus et *excitatus*, I. 72, 2.
Excruciari de vehementi animi affectu dictum, I. 82, 3.
Exemplum vocis propria potestas, C. 51, 27.
Exempla edere in aliq. i. q. graviter punire, C. 51, 27.
Exercere aliquem i. q. exagitare et fatigare, C. 11, 1.
Exercere victoriam i. q. victoria intemperanter uti, C. 38, 4. I. 16, 2
Exercere proprium vocabulum de odio, C. 49, 1.
Exercitus quomodo differat ab *exercitatus*, I. 40, 5. 71, 1.
Exercitus confusum cum *excruciatus*, I. 82, 3.
Exercitus pro quavis multitudine, C. 43, 1.
Exigere vitam diversum ab *agere vitam*, I. 14, 15.
Existumare quomodo differat ab *aestumare*, C. 8, 2. 58, 18. I. 85, 14. 107, 1. 110, 5.
Existumare de Senatus decretis ursupatur, C. 51, 43.
Exitium i. q. exitus, C. 55, 6.
Exornare absolute i. q. parare se ad pugnam, I. 90, 1
Expedire se i. q. parare, I. 105, 4.
Expeditus notionem celeritatis habet, C. 57, 4.
Expeditae cohortes duplici sensu dictae, I. 50, 1.
Experimenta i. q. *Thatsachen*, I. 46, 3.
Experiri libertatem i. q. libere uti, I. 31, 5.
Expers duplici modo constructum, C. 33, 1
Exquirere sententiam, I. 29, 5.
Exsanguis translato sensu, C. 39, 4.
Exspectare praegnanti sensu dictum, I. 85, 20.
Exstruere mare quid sit, C. 20, 11.

Exsurgere i. q. audacem et potentem fieri, I. 31, 3.
Extollere laudando, I. 4, 2.
Extenuare aciem i. q. extendere, I. 49, 1.
Extorris vocis forma et usus, I. 14, 11.
Extrema Africa quo sensu dicta, I. 78, 2.
Extremae terrae quae Romanis fuerint, C. 16, 5.
Extremus quomodo cum vocabulo loci aut temporis coniungatur, I. 37, 4.
Exuere armis aliquem, I. 88, 3.

F.

Fabia, sacerdos Vestae, Terentiae Ciceronis soror, C. 15, 1.
Facere absolute positum, C. 3, 1. 8, 1.
Facere ut circumscribendo ei verbo inservit, quod ex *ut* pendet, C. 52, 22.
Facere aliquid alicui et *aliquo*, C. 52, 25. I. 85, 17.
Facere fugam duplici sensu dictum, I. 53, 3.
Facere imperata deditionis formula, I. 62, 3.
Facere et *dicere* coniuncta, C. 23, 3.
Faces in bello adhibitae, I. 57, 5.
Facile non significat *bene*, I. 63, 4.
Facilis cum dativo coniunctum, I. 91, 7. 95, 3. 98, 7.
Facinus vocis vis, C. 2, 9. 14, 1. I. 79, 1.
Facinus quomodo differat a *flagitio*, C. 14, 1.
Facinus i. q. homo scelestus, C. 14, 1.
Factiones sunt nobilium, non plebis, I. 41, 1.
Facundus quomodo differat a *disertus* et *eloquens*, I. 85, 26.
Falsus activo et passivo sensu dictum, C. 10, 5.
Falsum vi adverbii positum, I. 5, 4.
Falsum habere aliquem, I. 10, 1.
Fama praegnanti sensu i. q. mala fama, C. 3, 5.
Familiae et gentis discrimen, I. 95, 3.
Filii familias et familiarum, C. 43, 2.
Fatigare non dicitur sensu reflexivo, I. 3, 3.
Fatigare i. q. precibus instare, I. 11, 14. 73, 2.
Faucibus urgere vel *premere* aliq. translate dictum, C. 52, 35.
Fecundus scribendum, non *foecundus*, C. 33, 1.
Fecundus cum ablativo constructum, I. 17, 5.
Felicitas quomodo differat a *fortuna*, I. 95, 4.
Fenus, fenerator rectius scribitur, quam *foenus*, C. 33, 1.
Fenoris cohibendi leges, C. 33, 1.
Feo antiquum verbum i. q. gigno, C. 33, 1. 53, 5.
Ferax aliqua re, I. 17, 5.

Ferentarii qui fuerint, C. 60, 2.
Ferox i. q. fortis et strenuus, C. 11, 5. 61, 4.
Ferre aliquam rem i. q. coniunctum esse cum aliqua re, C. 21, 2.
Ferri aliqua re i. q. abripi, C. 3, 2.
Ferrum non pro *bello* dictum, I. 14, 9.
Ferus, qui ab humanitatis cultu alienus est, I. 80, 1.
Fessus et *lassus* quomodo differant, I. 53, 5.
Festae res etiam de otio et securitate dicuntur, I. 89, 5.
Festinare aliquam rem, I. 37, 4.
Festinare absolute dictum i. q. cum studio agere, I. 66, 1.
Fides publica quid sit, C. 47, 1.
Fides et *res* sibi opposita, I. 73, 6.
Fidem dare et accipere unde dictum sit, I. 81, 1.
Fieri magistratus dicuntur qui designantur, I. 82, 2.
Fieret confusum cum *foret*, I. 83, 2.
Fit aliquid *alicui* et *aliquo*, C. 52, 25.
Fit ut inservit circumscribendo ei verbo, quod ex *ut* pendet, C. 52, 22.
Firmus i. q. intrepidus, fortis, I. 28, 5.
Flaccus (*L. Valer.*), C. 45, 1.
Flagitium i. q. homo flagitiosus, C. 14, 1.
Flagitium quomodo differat a *facinore*, C. 11, 1.
Flaminius (*C.*), C. 36, 1.
Fluxa fides, I. 111, 2.
Foci cum *aris* simul memorati quid significent, C. 52, 3
Foedus facere, I. 38, 9.
Foedus et amicitia quo sensu coniunctim dicantur, I. 80, 4.
Fore cum participio perf. passivi non est pro infinitivo futuri passivi, I. 88, 4.
Foris et *domi* quomodo sibi opponantur, I. 85, 3.
Formido vocis vis propria, I. 72, 2.
Formido subiectiva potestate dictum, I. 99, 3.
Formido i. q. res formidolosa, I. 23, 1.
Formidolosus activa et passiva vi, C. 7, 6.
Formula solennis quando mutari possit, I. 40, 3.
Fortis non unice de bellica virtute dictum, C. 45, 2.
Fortuna i. q. condicio alicuius, I. 64, 2. 85, 14.
Fortuna quomodo differat a *felicitate*, I. 95, 4.
Fortunae plurali numero idem valet atque *fortuna*, I. 13, 3
Fossa ab obsidentibus facta, I. 23, 1.
Fraus: *sine fraude*, C. 36, 2.
Frequens diversum a *crebĕr*, I. 45, 2.
Frequens regio i. q. culta et habitata, I. 78, 4.
Frequentare aliquem honoris caussa, I. 73, 6.

Frequentare locum i. q. adire, I. 17, 2.
Frequentativa verba a Sallustio amata. C. 38, 1. I. 19, 7. 23, 1. 26, 1.
Fretum, i, et *fretus, us,* I. 18, 9.
Frumentum militibus datum, I. 44, 5.
Fruor recte habet *fruiturus,* non item *fruitus,* I. 47, 2.
Frustra quomodo differat a *nequicquam,* I. 31, 5. 110, 4.
Frustra esse, I. 7, 6. 14, 11. 85, 6.
Frustratus passivo sensu dictum, I. 58, 3.
Fuga i. q. exilium, et trepidatio, I. 40, 4.
Fuisse non omittitur, I. 40, 4.
Fulvius Flaccus (M.), ab Opimio interfectus, I. 16, 2.
Fundere et *fugare* verba promiscuo ordine usurpantur, I. 21, 2.
Fundere etiam in contentione civili de victis dicitur, I. 65, 5.
Futurum usurpatur, ubi interrogamus de rebus, quae vel nolumus fieri, vel non putamus fore, ut fiant, C. 51, 10.
Futurum in conclusione et consecutione certius affirmat, quam coniunctivus praesentis, I. 1, 2. 42, 6.
Futurum primum cum futuro exacto coniunctum, C. 51, 26.
Futuri exacti loco perfectum positum, C. 52, 4.
Futuri exacti usus in verbis *posse, velle, licet, placet,* I. 74, 1.
Futuri exacti vis ad celeritatem futurae actionis designandum, I. 106, 4.
Futurum exactum cum coniunctivo perfecti confusum, I. 110, 3.

G.

G littera interdum eiicitur in novis vocibus formandis, I. 31, 12.
Gaetuli rectius scribuntur, quam *Getuli,* I. 18, 1.
Gaetulorum sedes, I. 19, 5.
Gaetulorum mores et cultus, I. 80, 1.
Ganea i. q. comissationes et epulae, C. 13, 3.
Gallia citerior cum ulteriore confusa, C. 42, 3. 57, 1.
Gallorum nomine etiam Germani comprehenduntur, I. 114, 1.
Gaudium quomodo differat a *laetitia,* C. 48, 1.
Gaudium corporis quo sensu dictum, I. 2, 4.
Geminatae particulae, ut *partim partim,* interdum alteram in codd. absorbent, I. 83, 3.
Generali sententiae eique indefinitae annectitur finitior, qua prior explicetur, *nempe* particulâ omissâ, C. 51, 7. 29, 3. 52, 13. I. 25, 10.
Generali sententiae subiicitur explicatio per partes, C. 13, 3. I. 38, 3. 67, 1.

Genitivus pluralis primae declin. in adiectivis nunquam exit in *—um*, I. 23, 2.

Genitivus singularis verborum secundae declin. in *—ius* et *—ium* exeuntium non duplex *i* habet, C. 1, 3.

Genitivus pluralis secundae declin. graeca terminatione in *on* desinens, I. 19, 3.

Genitivus pluralis tertiae declin. nominum in *as* exeuntium et *—um* et *—ium* habet, C. 40, 2.

Genitivus pluralis tertiae declin. verborum in *—ens* terminatorum et *—um* et *—ium* habet, C. 11, 8. 51, 9.

Genitivus singularis quartae declin. in *—i* desinens, C. 33, 3. 59, 5.

Genitivus singularis quintae declin. in *—e* desinens, I. 21, 2. 43. 2. 51. 2. 52, 3. 97, 3. — Neque tamen ubique, I. 106, 2.

Genitivus singularis adiectivi *nullus* in *i* et *ae* desinens, C. 29, 3.

Genitivus pluralis pronominum *nostri, vestri*, nullus est, C. 33, 2.

Genitivi propria potestas, C. 6, 7. 11, 7. I. 81, 3.

Genitivus ex participio pendens sensu differt ab *accusativo*, C. 5. 3.

Genitivus substantivi et participii futuri pass. ex *esse* verbo pendens quid significet, C. 6, 7. I. 88, 4.

Genitivus cum adiectivis indefinitae potestatis coniunctus, C. 7, 6. 52, 36. I. 84, 2.

Genitivus pronomium personalium ex gerundio pendens quod accusativum regit, C. 31. 5.

Genitivus pendens ex omisso vocabulo *aedes* vel *templum*, C. 49. 5.

Genitivus obiectivus passivae potestatis, C. 52, 6. I. 14, 19.

Genitivus subiectivus activae potestatis, I. 70, 3.

Genitivus nominum pluralis cum adiectivis substantive positis coniunctus, C. 53, 5.

Genitivus pronominum personalium obiectivus, I. 80, 3.

Genitivus nominis abstracti ex *esse* pendens sine ellipsi vocis *signum* aut similis, I. 83, 1.

Genitivus caussali vi positus, C. 6, 7.

Genitivus pro *de cum ablativo* positus, C. 35, 2.

Genitivus partitivus ubi locum non habeat post verba *alii — pars*, I. 19. 1. 60, 8. 66, 2. 74, 1. 104. 3.

Genitivi ratio in dictione *aliquid reliqui facere*, C. 11, 7.

Genitivi ratio in dictione *non est operae*, I. 81, 3.

Genitivi ratio in dictione *aliquid pensi habere*, C. 5, 6.

Genitivi duo diversae rectionis coniuncti, I. 30, 3. 65, 3. 103, 5.

Genitivis duobus ex eodem nomine pendentibus, id nomen altero loco omittitur, I. 92, 4.

Genitivus substantivi et adiectivi casus regens interpositus, C. 51, 33. I. 20, 7.

Genitivo etiam ponuntur *terrarum* vocabula, si quaeritur *ubi*, I. 33, 4.

Genitivus interpolatione in nominativum mutatus, I. 83, 1
Gens quomodo differat a *populo* et *natione*, C. 10, 1.
Gens quomodo differat a *familia*, I. 95, 3.
Genus hominum alio sensu dicitur quam *genus humanum*, I. 2, 1.
Genus (vocabulum) qualem attractionis rationem habeat, I. 35, 6.
Genus (grammaticum) *praedicati* ad plura nomina relati non ubique eandem legem habet, C. 10, 2. I. 17, 2. 49, 5.
Genus praedicati interdum non ad primarium, sed ad secundarium substantivum se accommodat, C. 18, 1.
Genus praedicati neutrum quando ad *personam* subiecti spectet, I. 49, 5.
Genus neutrum numerum facillime mutari patitur, C. 18, 1. 56, 5.
Genus neutrum in generali sententia etiam *personas* complectitur, I. 13, 6. 14, 16. 88, 1.
Genus neutrum spectat ad indefinitam sententiam, vocabulo *res* comprehensam, interdum etiam numero mutato, I. 41, 1.
Genus pronominis relativi et demonstrativi per attractionem ex sequente substantivo pendet, C. 51, 14.
Germani a Romanis cum Gallis confunduntur, I. 114, 1.
Gerere animum, I. 54, 1. 107, 1.
Gerere et *quaerere* confusa, I. 98, 3.
Gerere aliquem i. q. tractare, per zeugma dictum, I. 55, 1.
Gerere rem vel *res geritur* i. q. pugnare, C. 60, 2.
Gerere bene rempublicam i. q. bonum publicum augere, I. 100, 5.
Gerundium quomodo differat a participio futuri passivi, C. 4, 1 I. 7, 2. 85, 21.
Gerundium nunquam passivum sensum habet, I. 62, 8.
Gerundium non habet vim participii *perfecti*, I. 1, 2. 103, 2.
Gerundium cum genitivo substantivi in unam notionem conflatum alterum genitivum regit, C. 31, 5.
Gerundii genitivus quomodo differat ab infinitivo, C. 17, 6. 30, 5. I. 89, 3.
Gerundii ablativus propria vi, sed paullo occultius positus, I. 70, 2.
Gignentia neutiquam dictum pro *genita*, i. q. *organische Körper*, I. 79, 6.
Glans funda emissa, I. 57, 4.
Globus cum invidia de factionibus nobilium dictum, I. 85, 10
Gloriae plurali dictum, I. 41, 7.
Glossae in textum illatae, I. 71, 5.
Glossae ortae ex ambiguitate structurae, I. 92, 5
Gnarus passive i. q. cognitus, I. 18, 6.
Gracchus (C.), I. 16, 2.
Gracchus (Tib.), I. 31, 7.
Gradatio in asyndeto, C. 43, 2. 51, 25. I. 20, 8

Gradus dignitatis, C. 35, 3.
Gradus militaris quid, I. 98, 4.
Graeca vocabula latinis explicata, I. 78, 3.
Graeci Romanis ob levitatem invisi, I. 63, 3.
Graecia pro *Graecis* dicta, I. 89, 7.
Graecismus quid, I. 4, 4.
Graecismi non temere admittendi, C. 6, 3. 20, 3. I. 5, 4. 33, 3. 34, 1. 49, 2.
Grandis vocis origo et propria potestas, I. 93, 4.
Grassari vocis propria et translata potestas, I. 64, 5.
Gratiam facere alicuius rei, i. q. veniam dare, I. 104, 5.
Eâ gratiâ i. q. eius rei gratia, C. 52, 7. I. 54, 4.
Gratificari alicui aliquid indignitatis sensu dictum, I. 3, 4.
Gratuito i. q. sine praemio, et sine caussa, C. 16, 3.
Gravitas sententiae ubertate dictionis effecta, I. 79, 9.

H.

Habere aetatem quomodo differat ab *agere aetatem*, C. 4, 1. 51, 12. I. 85, 41.
Habere absolute dictum i. q. in aliqua sententia esse, I. 114, 2.
Habere aliquam rem dicitur id, quod coniunctum est cum aliqua re, C. 11, 3. 51, 20.
Habere aliquid animo et *cum* animo, I. 11, 8.
Habere aliquem in aliqua re perpetuitatem designat, I. 79, 3. 94, 3.
Habere aliquem i. q. tractare, C. 5, 9. 11, 5. I. 89, 4. 103, 5. 113, 2.
Habere verba, I. 9, 3.
Habere aliquid in gratia et *in gratiam*, I. 111, 1.
Habere in custodia, C. 47, 3.
Habere aliquem in custodiam, *in potestatem*, I. 112, 3.
Habere cum participio perfecti pass. non idem est atque *perfectum activi*, C. 23, 4. I. 10, 1. 85, 7. 94, 3.
Haberi non simpliciter pro *esse* dicitur, C. 1, 4. 6, 3. 37, 3. I. 4, 8. 89, 4.
Habitus non natura, sed industria efficitur, I. 28, 4.
Hadrumetum, I. 19, 1.
Haerere in animo, I. 28, 1.
Haruspex rectius scribitur quam *aruspex*, C. 47, 2.
Hasta donum militare, I. 85. 29.
Hastatus primus, I. 38, 6.
Haveto scribendum, non *aveto*, C. 35, 6.
Hendiadyoin v. *Ἓν διὰ δυοῖν*.
Hercle comicorum est, I. 110, 2.
Hercules Libys idem qui Phoenicius, I. 89, 4.

Heres secundus quid, I. 65, 1.
Hexametri in oratione pedestri, C. 19, 5. I. 5. 1.
Hiberna quomodo differant ab *hibernaculis*, I. 103, 1.
Hic pronominis propria vis, I. 18. 9.
Hic sequente relativo pro *is* positum, C. 2, 4. 51, 8. I. 14, 8 23, 2.
Hic in *is* depravatum, C. 14. 3. 30, 4; 6. 37, 5. 50, 3.
Hic de praesente rerum statu dictum, I. 4, 7.
Hic temporis vocabulis additum i. q. *proximus*, I. 11, 6. 31, 2
Hic i. q. rebus ita comparatis, I. 18, 9.
Haec neutrum in unum comprehendit ante dicta, I. 85, 4
Hoc est explicationis et gravitatis formula, I. 31, 20.
Hippo Diarrhytus, I. 19, 1.
Hispaniae duae, C. 18, 4.
Ἵζεσθαι εἴς τι, I. 112, 3.
Homo non dicitur loco pronominis indefiniti *aliquis*, C. 33, 1
Homo dicitur pro *is* vel *ille*, I. 70, 5.
Homines et *omnes* confusa, I. 74, 1.
Honestare aliquem honore, C. 35, 3.
Honesta atque inhonesta pro appositione vocis *omnia*, C. 30, 4
Honestus i. q. honorificus, C. 20, 9. I. 3, 1.
Honestum i. q. decorum, I. 82, 2.
Honesti viri oppositi *claris*, I. 8, 1.
Honorare aliquem gloria, I. 10, 2.
Honoribus uti, I. 25, 4.
Honos Sallustii est, non *honor*, I. 3, 1.
Honos et munus publicum et praemium significat, I. 3, 1.
Hostia: per hostias supplicare, I. 63, 1.
Hostis quomodo differat ab *inimico*, I. 10, 5.
Hostis i. q. perduellis, C. 36, 2.
Hostis alicui et alicuius, I. 10, 5. 83, 1.
Huc et *huic* confusa, I. 47, 2.
Huc — illuc voces plerumque sine copula ponuntur, I. 60, 4.
Humi cum vocabulo motus coniunctum non valet *humum*, C. 55, 3.
Hyphen, figura a grammaticis ficta, in Latina lingua nullum exstat, I 76, 5.
Hysteron proteron, C. 36, 4.

I.

Iacere aliquid i. q. obiter memorare, I. 11, 5.
Iam transeundi vim habet, C. 15. 1.
Iam primum quo sensu dicatur, C. 15, 1.
Iam quomodo differat a *nunc*, I. 5, 1.
Iam inde a non est sollicitandum, I. 77, 2.

Ianuariis Kalendis consules magistratum inibant, C. 18, 4.
Ianus vocis forma quomodo facta, I. 89, 6.
Ibi i. q. apud eum, C. 5, 2.
Ibi i. q. tum, I. 114, 2.
Ibi confusum cum *illi*, I. 114, 2.
Id est, explicandi formula, I. 31, 20.
Id quod pro *quod* positum interpunctione non est disiungendum. C. 51, 20. I. 56, 1. 85. 24.
Idem cum dativo graeco more coniunctum, C. 20, 3.
Idem cum aliquo, I. 14. 19.
Idem cum copula coniunctum quam vim habeat, I. 14. 11.
Idem saepe cum demonstrativo coniungitur. I. 14. 21.
Idem et *item* confusa, C. 51, 7.
Idoneus, vocis propria potestas. C. 51, 27. I. 73, 2. 75, 3. 95, 2.
Igitur dicitur ubi oratio redit ad propositum, I. 19, 7.
Ignis missilis quomodo comparatus fuerit, I. 57, 5.
Ignotus et *ignarus* activo et passivo sensu dicta, C. 10, 5. I. 18, 6.
Ille rem, de qua agitur, conspicuam facit, I. 95, 4.
Ille quando pro reflexivo pronomine ponatur, I. 96. 2.
Ille pro *is* dictum, I. 8, 2.
Ille alter quo sensu dicatur, I. 16, 5.
Ille cum *idem* coniunctum, I. 25, 2.
Ille in oratione obliqua ponitur, ubi recta *hic* postulat, I. 49. 3. 51, 4. 56, 4. 106, 1.
Ille initio ponitur, quando praegressae enunciationis obiectum sequentis subiectum fit, C. 45. 2. 59, 5. I. 59. 3. 65, 5. 83. 3. 102, 3.
Illud indefinito sensu positum sequente enunciatione illustratur, C. 51, 7. I. 85, 5.
Illi confusum cum *ibi*, I. 114, 2.
Imagines, earum usus, I, 4, 5.
Imbecillis et *imbecillus*, I. 1, 1.
Immanis vocis origo et vis, I. 31, 12.
Imminuere i. q. corrumpere, turbare, I. 81, 4. 110, 2.
Imminuta mens, i. q. turbata, I. 65, 1.
Immittere aliquem i. q. subornare, C. 48. 8.
Immunis dicitur qui tributum non pendit, I. 89, 4.
Impedire aliquem *ab aliqua re*, I. 30, 3.
Impendēre et *impendĕre* confusa, C. 28, 2.
Impensius modo i. q. supra modum, I. 47, 3. 75, 1.
Imperare alicui aliquid, I. 62, 5.
Imperare alicui aliquid alicui rei, C. 32, 1.
Imperare in eadem enunciatione cum *ut* particula et cum *accusativo c. infin.* iunctum, I. 1, 2. 25, 1.
Imperare cum infinitivo activi iunctum ubi persona non nominatur, I. 47, 2.

Imperata facere deditionis formula, I. 62, 3.
Imperativus ubi coniunctivo praestet, C. 58, 12.
Imperativus praesentis et futuri, I. 85, 45.
Imperator latiore sensu dicitur, qui civitatibus praeest, C. 2, 3. I. 24, 7.
Imperatoribus ipsis tribuitur, quod per milites exsequuntur, I. 54, 6.
Imperfectum excipit *infinitivus* historicus, C. 16, 2. 54, 4. 56, 4. I. 15, 2. 30, 3. 32, 3. 43, 4.
Imperfectum rei agendae *conatum* exprimit, I. 27, 1.
Imperfectum verbi *esse* non facile omittitur, C. 31, 1.
Imperfectum et *praesens* simul in enunciatione bimembri aequali ferri nequit, I. 33, 4.
Imperfectum in enunciatione condicionali non pro *plusquamperfecto* ponitur, I. 14, 16. 59, 3. 82, 3.
Imperfectum cum *perfecto* coniunctum, C. 10, 1. 59, 32; 37. I. 70, 3.
Imperfecti indicativus in apodosi enunciationis condicionalis, I. 85, 48.
Imperfecti coniunctivus ex praesenti historico aptus, C. 34, 1. I. 97, 1. 107, 1. 109, 1.
Imperfecti et praesentis coniunctivus simul ex praesenti historico pendens, C. 34, 1. I. 23, 2.
Imperfecti usus in rebus explicandis proficiscitur a vivida praeteriti temporis cogitatione, I. 89, 4; 8.
Imperium duplex fuit, *civile* ac *militare*, I. 3, 1.
Imperia quomodo differant a *potestatibus*, I. 63, 5.
Imperitare et *imperare* confusa, I. 19, 7.
Imperitare absolute positum i. q. imperium exercere, I. 79, 1.
Impersonalia, v. *Verba imperson.*
Implicari alicui rei et *aliqua re*, C. 2, 9.
Imponere absolute positum, C. 51, 28. I. 47, 2. 100, 3.
Imponere aliquid in aliqua re, I. 61, 1.
Importunitas in hominibus, i. q. mala audacia, I. 31, 22.
Importunum i. q. periculosum et molestum, I. 3, 2.
Imprimis perperam *in primis* vel *inprimis* scribitur, C. 60, 6.
Imprimis superlativo augendo non inservit, I. 7, 5.
Improvisum: ex improviso, *de improviso*, I. 14, 11.
Imprudens et *imprudentia*, de homine non satis cauto dictum, I. 53, 7.
Impudicus i. q. pathicus, C. 14, 7.
In cum ablativo vim obtinet enunciationis secundariae, C. 2, 10. I. 14, 5; 1. 31, 24. 55, 1. 85, 26.
In c. ablat. significat *quod attinet*, C. 51, 35. I. 73, 4.
In c. ablat. quando etiam pro accusativo poni possit, C. 9, 2.
In c. ablat. i. q. *intra*, C. 48, 5. I. 28, 2. 96, 1.
In c. ablat. quando vocabulis *dies*, *tempus*, *annus*, *aetas*, *tempestas*, aliis, adiici possit, C. 48, 5. I. 66, 3.
In cum accusativo consilium et finem significat, C. 50, 2

In c. accus. ex verbis *ducere*, *trahere*, *vertere* pendens similitudinem denotat, I. 85, 26.
In c. accus. ex suppressa cogitatione repetendum, I. 112, 3.
In c. accus. non poni potest ubi verbum intransitivum adest, C. 11, 5. 51, 36.
In pro duplici nonnullorum verborum ratione et cum *accusativo* et cum *ablativo* coniungi potest, C. 51, 21. I. 17, 3. 41, 6. 111, 1.
In non additum *insularum* accusativo. I. 28, 6.
In non additum ablativo adiectivorum *totus*, *cunctus*, *plerusque*, I. 97, 2.
In cum *versus* coniunctum, C. 56, 4.
In auget vim vocabulorum compositorum, ut *immanis*, I. 31, 12.
In aperto, *in dubio*, *in incerto* esse vel habere, C. 41, 1. I. 5, 3.
In brevi i. q. intra breve tempus, I. 96, 1.
In imperio esse aliud significat quam *cum imperio esse*, I. 3, 1.
In loco aliquo esse i. q. aliquo statu, C. 58, 5.
In maius celebrare, *componere*, I. 73, 5.
In potestatem esse, C. 51, 36. I. 112, 3.
In primo, *medio*, *postremo* i. q. vel in prima parte, vel in primo agmine aut acie, I. 68, 4.
In praesens sine ellipsi vocis *tempus* dictum, C. 17, 2.
In primis diversum ab *imprimis*, C. 60, 6. I. 6, 1.
In primis quo sensu cum superlativo iungatur, I. 7, 5.
In tempore i. q. mature, I. 56, 2.
In unum sine ellipsi vocis *locus* dictum, C. 17, 2.
Inaccessus i. q. ad quem accedi non potest, I. 76, 1.
Inanis quomodo differat ab *vacuus* et *vanus*, I. 64, 5.
Incautus passivo sensu dictum, I. 49, 5.
Incedere fastum designat, I. 31, 10.
Incedere et *incessere* cum dativo iuncta, C. 31, 3.
Incendere de perturbationibus animi dictum, C. 25, 3.
Incendium i. q. res perditae, C. 31, 9.
Inceptum absolute dictum, sine genitivo, I. 80, 5.
Incertus passivo sensu, I. 49, 5.
Incertum proelium, I. 50, 4.
Incessere absolute positum, C. 10, 6. I. 13, 6.
Inconsultu meo qua analogia dictum, I. 2, 4.
Incorruptus i. q. qui corrumpi non potest, I. 2, 3. 76, 1.
Incultu qua analogia dictum, I. 2, 4.
Incurrere aliquem et *alicui*, I. 101, 8.
Incurrere et *concurrere* confusa, I. 97, 4.
Inde i. q. deinde, C. 22, 2.
Indefinita relatio fit genere *neutro*, praecedentis nominis genere et numero non observato, I. 102, 10.
Indicare de aliqua re, I. 84, 3.

Indicativus ponitur, ubi res enunciatur ex cogitatione non suspensa, C. 53, 2.
Indicativus pendens ex *quicunque*, *quicquid*, *utut* et similibus vocibus, C. 52, 5.
Indicativus pendens ex *tametsi*, C. 3, 2.
Indicativus ex praegresso relativo aptus quomodo differat a coniunctivo, C. 20, 5.
Indicativus pendens ex verbis *esse qui*, *sunt qui* etc. quomodo differat a coniunctivo, C. 19, 4.
Indicativo inest notio vocis *wirklich*, qua Latini non indigent, I. 105, 5.
Indicativus cum relativo iunctus, ubi propter caussalem nexum coniunctivus requiri videbatur, I. 10, 7.
Indicativus cum pronom. *reflexivo*, in cogitatione alterius, I. 103, 2.
Indicativus in oratione obliqua, C. 14, 7. 27, 4. 50, 3. I. 38, 9. 49, 2. 63, 1. 81, 1. 102, 13.
Indicativus in oratione obliqua simul cum coniunctivo positus, I. 4, 4.
Indicativus in oratione ubi admitti nequeat, I. 102, 13.
Indicativus temporis praeteriti in verbis *putandi*, ubi Germani coniunctivo utuntur, I. 110, 1.
Indicativus imperfecti in apodosi enunciationis condicionalis, I. 27, 2. 85, 48.
Indicativus perfecti ex relativo pendens pro coniunctivo imperfecti, C. 17, 2. 39, 5.
Indicativo praeteriti temporis ponuntur verba *posse*, *debere*, *oportere*, alia, quae a Germanis coniunctivo enunciantur, C. 51, 4. I. 95, 3. 110, 1.
Indicium profiteri i. q. rem fateri, I. 35, 6.
Inducere in animum, C. 54, 4.
Industria quomodo differat ab *diligentia*, I. 76, 1.
Inermis et *inermus*, C. 59, 5. I. 66, 3. 94, 2. 107, 1. 113, 5.
Inesse ubi proprie dicatur, C. 17, 2. 20, 11.
Inesse ubi dici nequeat, C. 40, 6.
Infectus i. q. perfici nequit, I. 76, 1.
Infectus et *confectus* confusa, I. 104, 1.
Infecundus aliqua re, I. 17, 5.
Infestus activo et passivo sensu dictum, C. 15, 4.
Infestus vox qua ratione passivam vim accipiat, I. 89, 5.
Infestus exercitus i. q. hostilem speciem prae se ferens, I 46, 5.
Infinitivus non ponitur pro *gerundio*, C. 17, 6. 30, 5. I. 89, 3. 102, 5.
Infinitivus cum substantivo iunctus, C. 16, 2.
Infinitivus pendens ex adiectivis *paratus*, *aptus* etc., I. 46, 5. 49, 3.
Infinitivus ex verbis *consilium* indicantibus pendens, C. 52, 24. I. 17, 1. 33, 3.
Infinitivus praesentis ex *quum* aptus, I. 98, 2.
Infinitivus praesentis pro infin. futuri, I. 33, 3.

Infinitivus perfecti non ponitur pro infin. praesentis. I. 31, 27.
Infinitivus futuri activi non necessario ad *genus* et *numerum* nominis refertur, I. 100, 4.
Infinitivus futuri passivi pendens ex verbo *statuere*, I. 39, 5.
Infinitivus futuri passivi non fit ex participio perfecti cum *fore* coniuncti, I. 88, 3.
Infinitivus historicus quam vim habeat, I. 98, 2.
Infinitivus historicus cum verbo finito iunctus, C. 22, 2.
Infinitivus historicus ubi non possit cum perfecto misceri, I. 18, 12.
Infinitivus historicus male in perfectum corruptus, I. 67, 2.
Infinitivus historicus addito *iubere* verbo corruptus, I. 76. 3.
Infinitivum historicum excipit imperfectum. C. 16, 2. 54, 4. 56, 4. 60, 4. I. 15, 2. 30, 3. 32, 3. 43, 4.
Infinitivi historici duo pendentes ex particulis *non secus atque*, I. 100, 4.
Infinitivus *esse* ubi abiiciatur, C. 1, 3. 20, 3. 48, 5. I. 20, 1. 22, 1. 40, 4.
Infinitivum passivi IV. coniugationis etiam nonnulla verba III. coniugationis habent, I. 62, 4.
Ingerere tela i. q. crebro mittere, I. 60, 6.
Ingredi aliquid quomodo differat ab *ingredi aliquâ*, I. 42, 1.
Inhonestus i. q. inglorius, C. 20, 9.
Inimicus quomodo differat ab *hoste*, I. 10, 5.
Inimicus substantive cum dativo coniunctum, C. 19, 1.
Inimicus et *iniquus* confusa, I. 54, 5.
Iniquum certamen i. q. impar, I. 54, 5.
Initio alio sensu dicitur quam *ab initio*, I. 29, 2.
Iniuriae alicuius i. q. iniuriae alicui illatae, C. 52, 6.
Iniussu qua analogia dictum, I. 2, 4. 39, 2.
Innocentia avaritiae opponitur, C. 12, 1. 54, 6. I. 46, 1
Innocentia i. q. morum integritas, I. 85, 4.
Innoxius activa et passiva vi dictum, C. 39, 2.
Inopia et *copia* singulari modo sibi opposita, C. 11, 3.
Insularum nomina interdum sine *in* ponuntur, I. 28, 6.
Instituere et *constituere* confusa, I. 79, 10.
Intactus i. q. integer, I. 54, 10.
Integer i. q. robustus, I. 63, 3.
Integrum bellum i. q. flagrans, I. 73, 1.
Intellego Sallustius dixit, non *intelligo*, C. 28, 1. I. 6, 2. 21, 1. 23, 2.
Intelligitur impersonalem structuram habet sequente accusativo c. infin. I. 191, 1.
Intempesta nox i. q. provecta, concubia. C. 27, 3.
Intendere aliquo i. q. aggredi aliquid, I. 74, 1.
Intendere aliquid i. q. augere, I. 75, 8.
Intendere aliquid i. q. propositum habere. I. 104, 1

Intendere arma dictum de iis, qui impetum facturi sunt, I. 105, 4.
Intendere iter, I. 107, 7.
Intentus exercitus, I. 46, 5. 49, 3.
Intentus alicui rei et aliqua re, C. 2, 9. I. 76, 2.
Inter quomodo differat ab *intra*, I. 92, 8.
Inter i. q. in medio, I. 92, 5.
Inter de tempore dictum, I. 40, 4.
Inter se voces mutuam agendi rationem designant, I. 41, 2. 66, 2.
Inter se voces distantiam duarum rerum ad se relatarum significant, I. 98, 3.
Intercedendi ius habebant tribuni plebis, I. 37, 2.
Interdum respondet particulae *modo*, I. 62, 9.
Interea et *interim* confusa, I. 40, 1.
Interest etiam cum nominativo rei construitur, I. 111, 1.
Interficere quomodo differat a *necare*, I. 26, 3.
Interim adhibetur in transitu ad aliud subiectum, I. 49, 4.
Interpolationes ortae ex neglecta ab auctore aequalitate structurae, I. 78, 2; 4. 103, 7.
Interponere fidem, I. 32, 1.
Interpretari passivo sensu dictum, I. 17, 7.
Interpunctione mutata Sallustii verba emendata, C. 4, 1. 5, 1. 10, 6. 13, 3. 16, 1; 2. 18, 6. 29, 3. 48, 8. 52, 11. I. 8, 1. 11, 2. 31, 11. 31, 18. 31, 25. 31, 27. 38, 9. 45, 1. 49, 4. 61, 1. 63, 6. 70, 3. 72, 1. 86, 3. 92, 5. 94, 4. 95, 3.
Interpunctio nimis crebra notata, C. 32, 1
Interrogari lege vel *legibus*, C. 18, 2.
Interrogandi vocabula duo iuxta collocata, C. 23, 4.
Interrogationes duae in eadem enunciatione coeuntes, C. 47, 1.
Interrogationes generales sine *esse* verbo efferuntur, C. 51, 23. I. 24, 8.
Interrogationes non *aut* particula disiungi possunt, I. 67, 3.
Interrogatione continetur adhortatio, I. 31, 11.
Interrogativa enunciatio sine interrogandi voce concepta, I. 31, 17.
Intervallo dicitur, non *in intervallo*, ad distantiam duorum locorum significandam, I. 75, 2.
Intestabilis i. q. scelestus, I. 67, 3.
Intra quomodo differat ab *inter*, I. 92, 8.
Intra aliquam rem, i. q. haud multum a re distans, I. 18, 5.
Intra Oceanum i. q. prope ab Oceano, I. 18, 5.
Intrare respectu finium dictum, I. 110, 8.
Intransitiva, v. *Verba intransitiva*.
Introivi et *introii*, I. 71, 4.
Inultus confusum cum *multus*, I. 67, 2.
Inultus i. q. non punitus, I. 70, 4.
Invadere absolute positum, C. 10, 6.

Invadere in rem et *rem*, I. 32, 4.
Invadere animo aliquid, I. 20, 6.
Invenire aliquid i. q. *parare* vel *habere*, I. 70, 2.
Invictus adversus aliquid, I. 43, 6.
Invictus i. q. qui vinci nequit, I. 76, 1.
Invidere verbi varia structura, C. 51, 38.
Invidia i. q. res quae invidiam excitat, I. 33, 1.
In invidia esse, I. 25, 5.
Invisus et *invitus* confusa, I. 73, 2.
Invitus non dici potest sine verbo, I. 73, 2.
Ioca et *ioci*, I. 96, 2.
Iocundus antiquior forma, I. 85, 41.
Ipse ad personam, quae primaria est, remittit, I. 65, 3.
Ipse germanice i. q. *persönlich*, C. 59, 6. I. 52, 1.
Ipse i. q. *per se*, *an sich*, I. 66, 4.
Ipse cum pronomine personali coniunctum quo sensu poni debeat, C. 20, 6. I. 14, 4. 41, 9.
Ipse mecum, *tecum*, *secum*, deterius quam *mecum ipse* etc. C. 32, 1. 52, 3. I. 62, 9.
Ire cum supino in *—um* coniunctum, C. 36, 5. I. 31, 27. 68, 1.
Ire et alia *eundi* verba num omitti possint, I. 100, 1.
Irrumpere cum solo accusativo coniunctum, I. 58, 1.
Is, v. etiam *Id*.
Is valet ad subiectum maiore vi efferendum, C. 49, 3. 51, 33. I. 63, 3. 85, 11.
Is cum vi et ἤθει dictum, I. 85, 3.
Is cum copula i. q. *et quidem*, I. 89, 6.
Is abundanter, praegresso iam nomine, orationi infertur, C. 37, 4.
Is non ponitur, ubi genitivus alter ex praegresso nomine pendet, I. 92, 4
Is antique pro *iis*, I. 17, 2. 102, 2.
Isdem antique pro *iisdem*, C. 39, 6. 42, 1. 49, 1. I. 14, 11. 25, 2 54, 1; 9. 85, 1.
Ita vim habet colligendi ex praegressis, C. 7, 6. I. 38, 2.
Ita quomodo differat a *tam*, C. 14, 1.
Ita —ut particulis quomodo comparatio instituatur, I. 31, 14.
Ita enunciationi, qua explicetur, praemissum, I. 85, 40.
Italici i. q. togati, I. 21, 2.
Italici quando ius suffragii habuerint, I. 40, 2.
Itaque i. q. *et ita*, C. 14, 1. I. 51, 2.
Item tantummodo *praedicata* annectit, C. 27, 2. 30, 7. 51, 7. 51, 36
Iterum verbis cum *re* compositis abundanter additum, C. 18, 6.
Iubere cum infinitivo activi constructum, I. 46, 4. 47, 2.
Iubere cum infinitivo perfecti passivi coniunctum, I. 106, 4.
Iubere cum duplici structura in eadem enunciatione, I. 1, 2. 25, 1

Iubere aliquam *rem* i. q. constituere, decernere, I. 84, 1. 85, 10.
Iubere rem alicui qua dativi ratione dictum sit, I. 84, 1.
Iubere cur infinitivum futuri non regat, I. 33, 3.
Iubere in formula *velitis, iubeatis*, I. 40, 3. 73, 7.
Iubet populus quae senatus *censuit*, C. 29, 3.
Iubet ex interpolatione infinitivis historicis additum, I. 76, 3.
Iudicium animi i. q. *Grundsätze*, I. 4, 4.
Iugis vocis origo et vis, I. 89, 6.
Iugis quomodo differat a *perennis*, I. 89, 6.
Iugum: mittere sub iugum et *sub iugo*, I. 38, 9.
Iugurthini regni fines, I. 102, 13.
Iunctus et *vinctus* confusa, C. 55, 4.
Iupiter vocabuli forma quomodo facta, I. 89, 6.
Iurgium i. q. quaesitae rixae et verborum contumeliae, C. 31, 5.
Ius i. q. potestas, I. 3, 1.
Ius regni non idem est atque regnum, I. 3, 1.
Ius libertatis i. e. ius quo liberi fruuntur, C. 37, 9.
Iure i. q. ut consentaneum est, I. 14, 10.
Iuventus collectivo sensu dictum, C. 7, 4. 17, 6.
Iuvaturus participium non est sollicitandum, I. 47, 2.
Iuxta aequalitatis notionem habet, C. 2, 8. 37, 8. I. 95, 3.
Iuxta cum, C. 58, 5.
Iuxta absolute positum, I. 65, 2.

L.

Labos Sallustii est, non *labor*, C. 7, 5.
Lacessere infinitivum passivi etiam habet *lacessiri*, I. 62, 4.
Lacunae non plane absunt a Sall. codicibus, I. 21, 4. 41, 5. 44, 5. 92, 1.
Laeca (M. Porcius), C. 17, 3.
Laetari aliquam rem, C. 51, 29.
Laetitia quomodo differat a *gaudio*, C. 48, 1.
Lanx satura quid, I. 29, 5.
Lares urbs Numidiae, I. 90, 2.
Largiri absolute positum, C. 52, 12.
Largiri et *largitio*, cum invidia dictum, I. 8, 2. 103, 6.
Lascivia quid proprie significet, I. 66, 2.
Lassus quomodo differat a *fessus*, I. 53, 5.
Late et *latere* confusa, I. 68, 3.
Latini quando ius suffragii habuerint, I. 40, 2.
Latini gravius habiti quam Romani, I. 69, 4.
Latitudo i. e. regio late patens, I. 17, 4.
Latrocinium i. q. vis iniusta, I. 4, 7.
Latrocinium oppositum iusto bello, I. 97, 5.

Lectus i. q. praestans, C. 50, 2. 59, 3.
Legati qua potestate fuerint in provinciis. C. 42, 3.
Legare i. q. legatos asciscere, I. 28, 4.
Legiones etiam aliarum gentium copiae dicuntur. C. 53, 3.
Legionis Romanae quae divisio, I. 38, 6.
Lenire aliquem i. q. permovere ad aliquid. I. 111. 3.
Lenis i. q. modicus, I. 22, 1.
Lenis quomodo differat a *levis*, I. 89, 4.
Lentulus Sura (*P.*). C. 17, 3. 58. 4.
Lentulus Spinther (*P.*), C. 47, 3.
Leptis magna, I. 19, 3.
Leptis parva, I. 19, 1.
Lex Plautia, C. 31, 4.
Lex Porcia, C. 51, 22. I. 69, 4.
Lex Sempronia, I. 27, 3.
Leges quomodo secundum auctoris nomen vocatae sint. I. 40. 4.
Levis diversum a *lenis*, I. 89, 4.
Libera custodia quid, C. 47, 3.
Liberalis alicuius rei, C. 7, 6.
Liberti quomodo differant a *libertinis*, C. 50, 1. 59, 3.
Licet cum coniunctivo i. q. copia est, C. 35, 2.
Licet aliquid *per* aliquem, I. 102, 9.
Lictor proxumus quo sensu dictus, I. 12, 3.
Ligures in exercitu Romano, I. 38, 6. 100, 2.
Litotes figura, C. 3, 1.
Lixae unde dicti, I. 44, 5.
Locus pluralem promiscue *loci* et *loca* habet. I. 76, 1.
Locus i. q. locus alicui proprius vel attributus, C. 9, 4.
Locus i. q. condicio, C. 58, 5. I. 63, 5.
Locus i. q. occasio, I. 85, 5.
Locus i. q. situs naturalis, munitioni oppositus, I. 57, 1.
Loco pelli aliud, quam *loco cedere* C. 9, 4.
Loco cum genitivo compositum, I. 14, 1.
Loca de regionibus *circa urbem* (*die Umgegend*), I. 79, 10. — *Ad id locorum interea loci*, qua ratione dicatur, I. 63, 6.
Longe quo sensu superlativi vim augeat, I. 7, 5.
Longus vox est relativae potestatis, I. 21, 2.
Loquentia quomodo differat ab *eloquentia*, C. 5, 5.
Loqui quomodo differat a *dicere*, I. 64, 5.
Lubidines quomodo differant a *voluptatibus*, C. 11, 4.
Lubido bono sensu pro *delectatione*, C. 7, 4.
Lubido in iudicando quo constet, I. 40, 5.
Luctus diversus a *moerore*, C. 61, 9.
Luculentus i. q. eximius, praestans, C. 31, 6.

Lucullus luxuriae apud Romanos auctor, C. 13. 1.
Ludificare et ludificari, I. 36, 2.
Ludificari i. q. ludibrio haberi, I. 50, 4.
Ludus quomodo differat a *luso*, I. 66, 2.
Ludis i. q. *in ludis*, I. 30, 3.
Lumen quomodo differat a *luce*, I. 21, 2.
Luxuria convivalis quando orta, I. 85, 39.

M.

Machinae bellicae, quales fuerint, I. 21, 3.
Machinatus passivo sensu dictum, C. 48, 7.
Magalia et *mapalia* re non diversa, I. 18, 8.
Magis post comparativam sententiam omissum. C. 8. 1. 52. 3.
Magistratus vocabuli liberior usus, I. 63, 5.
Magistratus minores qui fuerint, C. 30, 7.
Magistratus quomodo differant ab *imperiis*, I. 3. 1.
Magnifice loqui, i. e. res verbis augere, C. 51, 9.
Magnificus i. q. superbiens, I. 55, 1.
Magnum adverbialiter positum, I. 4, 5.
Magnum mare i. q. ventis intumescens, I. 78, 3.
Maiestas populi Romani quo constiterit, I. 31. 17.
Malevolentia scribendum, non *malivolentia*. C. 3, 2.
Malitia i. q. malae artes, I. 22, 2.
Malum publicum, I. 25, 3.
Malum i. q. poena, I. 100, 5.
Malus i. q. qui malum affert, C. 4, 2.
Mala alicuius non possunt significare *vitia*, I. 73, 4.
Mamilius Limetanus (*C.*), I. 40, 1.
Manifestus cum genitivo constr., C. 52, 36. I. 35. 8.
Manipuli pro *peditibus* dicti, I. 49, 2.
Manipulus et *maniplus*, I. 100, 2.
Manlius Torquatus (*T.*), C. 52, 30.
Manlii nomen corruptum in *Mallium*, I. 86, 1.
Manlius (*Gn.*) a Teutonis victus, I. 114, 1.
Mansiones i. q. stativa, I. 44, 4.
Manus dictum pro *alea*, C. 14, 2.
Manus i. q. pugna cominus facta, I. 57, 4.
Manus de mercede manuum diurna dictum, I. 73, 6.
Manus i. q. fortitudo pugnando ostensa, I. 98, 1.
In *manu* vel *in manibus esse*, C. 20, 10. I. 14, 4.
In *manus venire* i. q. congredi, I. 89. 3.
Mapalia et *magalia*, I. 18, 8.
Marcius Rex (*Q.*), C. 30, 3.

Mare nostrum Romanis dicebatur *mediterraneum*, I. 18, 4.
Mare magnum i. q. Oceanus, I. 18, 6.
Marius superstitiosus, I. 63, 1.
Marius Germanorum victor, I. 114, 1.
Marii aquila, C. 59, 3.
Marii genus ignobile, I. 63, 2.
Massilia litterarum cultu clara, C. 34, 2.
Materia non diversum a *materies*, I. 18, 5.
Maturare sequente infinitivo vim adverbii sustinet, C. 18, 8. 36, 3. I. 36, 1. 79, 5.
Mauretania rectius dicitur quam *Mauritania*, I. 16, 5.
Maurus i. q. rex Maurorum, I. 81, 3.
Maxume cum ellipsi sententiae condicionalis dictum, sequente *sin* particula, I. 35, 4.
Mediocris i. q. modestus, I. 6, 3.
Medius indefinitae relationis vocabulum, C. 61, 3.
Medius quomodo cum substantivo coniungatur, I. 37, 4.
Media inter partes *respublica* quo sensu dicta, I. 41, 5.
Mediusfidius vocis origo et potestas, C. 35, 2.
Mehercule et *mehercules*, C. 35, 2. 52, 35. I. 85, 45. 110, 2.
Melior bello, v. *Bonus.*
Memmius (C.), I. 30, 4.
Memoria rerum gestarum varium sensum habet, I. 4, 1.
Mens : in mentem est aliquid qua ratione dicatur, I. 112, 3.
Mensium nomina adiectiva forma ponuntur, C. 18, 4. I. 114, 3
Menstruum sc. frumentum, I. 44, 5.
Mentiri et *ementiri* diversa, C. 49, 4.
Merens et *meritus* quomodo sensu differant, I. 62, 1.
Merere bono ac malo sensu dicitur, I. 100, 3.
Mereri aliquid dictum de eo, quod fieri consentaneum est, I. 103, 5
—*met* syllaba pronominibus possessivis addita, C. 23, 2. I. 8, 2. 31, 6. 85, 25.
Metellus Celer (Q.), C. 30, 5. 42, 3.
Metellus Creticus (Q.), C. 30, 3.
Metellus Numidicus (Q.), I. 43, 1.
Metus quid differat a *timore*, I. 70, 5.
Metus respectu subiecti et obiecti dictum, I. 35, 2. — *Sine metu* i. q. *kaltblütig*, I. 87, 2.
Meus sensu passivo pro genitivo obiecti *mei*, C. 51, 11
Mihi ἦθος orationi infert, C. 52, 11.
Militaria dona quae fuerint, I. 85, 29.
Militaris homo i. q. rei militaris peritus, C. 45, 2.
Militia usu, non libris discebatur, I. 85, 12.

Militiae Romanae vocabula a scriptoribus etiam de externis gentibus usurpantur, C. 53, 3. I. 49, 2.
Militiae more quid, I. 54, 1.
In *militia* etiam *gratia* valebat, I. 98, 1.
Domi *militiaque* dictio non satis commendata, C. 53, 2.
Militium misera condicio, I. 41, 8.
Militum labores et exercitia, I. 44, 3. 45, 2.
Militum scribendorum quae ratio fuerit, I. 86, 2.
Mille cum genitivo coniunctum, I. 68, 3.
Minister quomodo differat ab *administro*, I. 29, 2.
Minucius Rufus, I. 35, 2.
Minuere num reflexivo sensu pro *minui* dici possit, C. 24, 2.
Minumus i. q. minumus natu, I. 11, 3.
Mirari quid differat ab *admirari*, I. 2, 4.
Missio militum varia fuit, I. 64, 1.
Mittere et *emittere* confusa, I. 77, 4.
Mobilitas et *nobilitas* confusa, C. 49, 4.
Moderare et *moderari* aliquid i. q. regere aliquid eique intentum esse, I. 73, 4.
Moderari aliquam rem i. q. coercere, I. 82, 2.
Modestia i. q. sensus modi servandi, I. 44, 1.
Modestus dicitur, qui est animi bonitate ac probitate, I. 41, 2.
Modice i. q. modeste, I. 111, 1.
Modo — interdum pro *modo — modo*, I. 62, 9.
Modo rei sufficientis notione usurpatum, I. 75, 7.
Modo restringendi vi positum, C. 39, 6.
Modo — modo iuxta collocatum, C. 56, 4.
Modo geminatum altero loco interdum excidit, I. 93. 4.
Modus, modi alicuius rei, expl., C. 16. 1.
Modum facere alicui rei, C. 24, 3.
Modum et modestiam nullam habere, C. 11, 4.
Moenia quomodo differant a *muro*, I. 94, 4.
Moeror diversus a *luctu*, C. 61, 9.
Mollis i. q. voluptarius, C. 25, 5.
Mollis et *molliter* i. q. parum fortis, haud viriliter, I. 82, 2.
Manere cum *ut* et cum *infinitivo* coniunctum diversum sensum habet, C. 52, 3.
Mortales dicti pro *hominibus*, C. 1, 4.
Mos : more militiae, I. 54, 1.
Malo more i. q. ut malus mos existat, I. 42, 3.
Mores naturae oppositi, C. 58, 2.
Motus i. q. pavor, terror, C. 42, 2.
Movere senatu dicitur, non *amovere*, C. 23, 1.
Mulier ancilla, I. 12, 5.

Multo quo sensu superlativum augeat, I. 7, 5.
Multo comparativo postpositum, I. 56, 3.
Multus homo dicitur qui modum excedit, I. 84, 1.
Multus per *copulam* alii adiectivo additur, C. 20, 3. I. 28. 5. 102, 10.
Multus et *inultus* confusa, I. 67, 2.
Multum vi adverbii positum, I. 1, 5. 5, 4. 108, 1.
Multum et *multa* non eodem sensu verbum definiunt. C. 27, 4. 45, 4. I 113, 3.
Mulucha fluvius, I. 19, 7.
Mulvius pons, C. 45, 1.
Municipia qualia fuerint, C. 58, 9.
Munditiae nimiae vituperandae, I. 85, 40.
Munitus i. q. defensus, tutus, I. 28, 4.
Munitum agmen quale, I. 46, 6.
Murus quomodo differat a *moenibus*, I. 94, 4.
Mutare aliquid pro aliquo, I. 83, 1.
Mutare reflexivo sensu i. q. *se mutare*, I. 38, 10. 104, 2.
Muluum et *mutuo sumere* aliquid, C. 24, 1.

N.

Nae minus proba scriptura quam *ne*, C. 52, 27. I. 14, 21. 85, 20.
Nam omissum, C. 17. 7. 39, 4. 46, 2. I. 28, 5. 30, 1. 38, 2. 63, 6. 67, 1.
Nam spectat ad *omissam* sententiam, I. 19, 2. 28, 5. 82, 2. 88, 5. 102, 11.
Nam parenthesin infert, priora explicantem, I. 108, 1.
Nascentia pariter ut *gignentia*, et animantia et arbores significat, I. 79, 6.
Natio quomodo differat a *gente* et *populo*, C. 10, 1.
Natus alicui rei, I. 31, 11.
Natura opposita *operi* i. e. munitioni arte factae, I. 57, 1. 61, 1.
Nave i. q. gnaviter, I. 77, 3.
Navigare mare, C. 20, 11.
Nē i. q. profecto, minus recte *nae* scribitur, C. 52, 27. I. 14, 21. 85, 20.
Ne i. q. *dummodo ne*, C. 52, 12.
Ne i. q. *nedum*, C. 11, 8.
Ne ubi post *cave* abesse possit, C. 58, 21.
Ne in priore interrogationis duplicis membro ubi poni debeat, C. 52, 10.
Ne et *neu* confusa, I. 14, 24. 108, 2.
Ne — quidem diversum ab *nec — quidem*, I. 51, 5.
Nec i. q. *ne — quidem*, I. 44, 5. 57, 6.
Nec non confundendum cum *neu*, I. 8, 2.
Nec non non potest ubique pro *et* poni, C. 3, 5.
Nec — quidem bene habet, I. 51, 5. 57, 6.
Necare quomodo differat ab *interficere*, I. 26, 3.

Necessarii i. q. officiis astricti, I. 103, 2.
Necessitudo i. q. calamitas, C. 17, 2.
Nedum, C. 11, 8.
Negare verbi notio transit in *dicere*, I. 106, 3. 111, 2.
Negationi, qua prioris membri verbum aiens negatur, id ipsum verbum additur, I. 85, 38.
Negatio adiectivis addita litotem efficit, C. 3, 1.
Negitare gravius est quam *negare*, I. 111, 2.
Neglego perfectum habet *neglegi*, I. 40, 1.
Negligentiae culpa Sallustius non ubique caret, I. 19, 3.
Negotia quid, C. 2, 2. 48, 5. I. 4, 4.
Negotiari et *negotiatores*, C. 40, 2. I. 64, 5.
Negotiosus i. q. rebus gerendis intentus, C. 8, 5.
Nempe ex Germanicae linguae ratione suppleri potest, ubi generali sententiae finitior sine particula annectitur, C. 29, 3. 51, 7. 52, 13. I. 25, 10.
Neque pro *non* valde suspectum, I. 44, 5. 84, 3. 98, 4.
Neque i. q. *ne — quidem*, I. 44, 5. 57, 6.
Neque i. q. *etiam — non*, I. 98, 4.
Neque i. q. *nam — non*, I. 112, 3.
Neque i. q. *neque tamen*, I. 20, 6.
Neque non poni potest in prohibitiva sententia pro *neve*, C. 34, 2. I. 14, 7
Neque — et, I. 1, 5. 84, 3. 107, 4.
Neque — neque particulae non disiunctiva, sed copulativa vi positae, C. 58, 1. I. 61, 1. 89, 7.
Neque tamen transitioni inservit, C. 57, 4.
Nequicquam quid differat a *frustra*, I. 31, 5.
Nequitur non nisi cum infinitivo passivi construitur, I. 31, 8.
Nescius activo et passivo sensu dictum, C. 10, 5. I. 49, 5.
Neu depravatum in *nec*, I. 8, 2.
Neu et *ne* confusa, I. 14, 24.
Neutrum, v. *Genus neutr.*
Neutrum adiectivorum *loci* et *temporis* aurea aetate raro substantivi potestate ponitur, I. 37, 4. 90, 1.
Neve i. q. *et ne*, C. 34, 2.
Ni et *nisi* confusa, I. 31, 26.
Nihil de personis i. q. *nemo*, C. 47, 1.
Nihil qua ratione pro *non* dicatur, C. 16, 5. I. 31, 6.
Nihilominus vocis propria vis, C. 26, 1.
Nihilo segnius, I. 75, 10.
Nisi non potest pro *nonnisi* dici, I. 54, 5.
Nisi cum ellipsi dictum, I. 24, 5. 67, 3.
Nisi cum indicativo coniunctum, I. 31, 22
Nisi tamen elliptice dictum, I. 100, 5.

Nisi forte ironice dictum, C. 20, 17. I. 3, 4. 31, 20.
Nisi forte cum indicativo coniunctum, I. 14, 10.
Nisi quod elliptica dicendi ratione explicandum, I. 95, 3.
Niti de pugnantibus dictum, I. 60, 1.
Nobilitas vocabulum collectivum, C. 23, 6.
Nobilitas quibus rebus parata fuerit, I. 95, 3.
Nobilitas et mobilitas confusa, C, 49, 4.
Noctes diesque, C. 36, 4.
Noctium in castris divisio, I. 99, 1.
Nomen i. q. debitum, vel debiti in tabulis relatio, C. 35, 3.
Nomen i. q. gloria, I. 10, 2. 58, 3.
Nomen est alicui duplici structura dicitur, I. 5, 4.
Nomen Latinum et *socii nominis Latini*, I. 43, 4.
Nomine corruptum addita *sub* praepositione, I. 18, 11.
Nomina propria et *appellativa plura* quando sine copula poni possint, C. 43, 2.
Nomina propria quando appellativis postponantur, C. 51, 5. I. 19, 7. 81, 1.
Nominum propriorum legitimus ordo interdum mutatus, I. 27, 4.
Nominativus absolutus, C. 37, 4 et 7. I. 66, 2.
Nominativus in partitiva sententia, pro genitivo, I. 19, 1. 60, 8. 66, 2. 74, 1.
Nominativus nominis proprii in formula *mihi nomen est*, I. 5, 4.
Nominativus ex interpolatione pro genitivo illatus, I. 83, 1.
Non i. q. *nonne*, I. 31, 17.
Non quomodo differat ab *ac non* vel *et non* in oppositionibus, C. 52, 15. I. 4, 8. 31, 10.
Non — sed, I. 100, 4.
Non tam — quam, I. 100, 4.
Non — quam soloecum est, I. 100, 4
Non magis — quam, C. 9, 1.
Non quo attractione ortum ex *non quod*, C. 34, 2.
Non — neque pro *neque — neque*, C. 52, 6.
Non modo — sed quid differat ab *non modo — sed etiam*, C. 18, 7. 39, 6.
Non ita est diversum a *non est ita*, C. 51, 11. I. 85, 42.
Nos scriptoribus Romanis interdum est i. q. populus Romanus, I. 65, 2.
Nostri non est genitivus pluralis, C. 33, 2. I. 14, 17.
Noster et *voster* etc. confusa, I. 31, 6; 7; 25.
Novae res i. q. defectio, I. 70, 1.
Novare res i. q. rempublicam turbare, I. 39, 3.
Novare aliquam rem i. q. iterare, repetere, I. 39, 3.
Novus i. q. insolens, inusitatus, C. 51, 8.
Novus quomodo differat a *recens*, I. 75, 8.
Novus homo contemptui fuit nobilibus, C. 23, 6. I. 85, 14.

—*nt* litterae absorbent *ut* particulam, I. 79, 8.
Nudus i. q. armis non tectus, I. 107, 1.
Nullus genitivum etiam in *i* exeuntem habet, C. 29, 3.
Nullus dativum etiam in *o* terminat, I. 97, 3.
Nullus quando possit pro *non* dictum esse, C. 29, 3.
Numantinum bellum, I. 7, 2.
Numero abundanter additum *summae* notionem accuratius designat, I. 53, 4
Numerus (vocabulum) quam attractionem patiatur, I. 35, 6.
Numerus (grammaticus) nominum mutatus, ubi a generali sententia ad partes transit cogitatio, C. 51, 42.
Numerus nominum per synesin sive ad sensum variatus, C. 39, 3.
Numerus adiectivi semel positi pro ratione substantivorum *cogitatione mutandus*, I. 19, 1.
Numerus singularis nominum collectivorum quid differat a plurali, I. 57, 4. 100, 3.
Numerus subiecti non respicitur, ubi *generalis* sententia per neutrum cum magis definitia sociatur, I. 41, 1. 102, 9.
Numerus verbi ad secundarium substantivum relatus, C. 18, 1. 25, 3. I. 18, 11.
Numerus verbi, pluribus substantivis praegressis, saepe ad ultimum se accommodat, C. 10, 2. 12, 1. I. 8, 2.
Numerus verbi quando per synesin mutari non possit, C. 48, 1. I. 16, 1.
Numerus verbi ex sensu, non ex grammatica substantivorum forma pendens, C. 6, 2. 7, 4. 23, 6. I. 15, 1.
Numerus verbi *esse* ad praedicati substantivum referri potest, C. 25, 3.
Numeri enallage, singulari ad praegressum pluralem relato, C. 18, 1. 51, 42. 56, 6.
Numida i. q. rex Numidarum, I. 81, 3.
Nunc vocis propria vis, I. 5, 1
Nunc ubi non respondeat germanico *jetzt*, I. 11, 6.
Nunc in oppositione, I. 14, 17.
Nunc i. q. hoc rerum statu, I. 85, 13.
Nunciare diversum a *denunciare*, I. 112, 2

O.

Ob consilium indicans i. q. *ad*, I. 89, 2.
Ob rem i. q. utiliter, I. 31, 5.
Obiectum et *subiectum* eodem vocabulo contentum, I. 35, 3.
Obiectum saepe omittitur, cogitatione supplendum, I. 49, 4. 61, 4. 71, 2.
Obiecti loco ponitur *de c. ablat.*, sed diverso sensu, I. 84, 3. 87, 3.
Obliqua oratio, v. *Orat. obliq.*
Obliquus quomodo differat a *transversus*, I. 49, 1.
Obnoxius invidiosius vocabulum quam *serviens*, C. 48, 5. I. 31, 3.

Obscoena interdum circumscriptione teguntur, I. 85, 41.
Pro *obscoenis* nonnulla vocabula falso habita, I. 21, 2.
Observare quid differat a *colere*, I. 10, 8.
Observare et *servare* ordines, I. 51, 1.
Observare imperium explic., I. 80, 2.
Obsidēre et *obsidĕre* confusa, C. 45, 2.
Obtentui esse, I. 46, 6.
Obtinere absolute positum, I. 17, 7. 80, 7.
Obtruncare i. q. immaniter interficere, I. 97, 5.
Obvius pro *obviam*, I. 21, 1. 46, 5.
Obviam itio non coniungendum per hyphen, I. 76, 5.
Occultare se aliqua re et *in aliqua re*, I. 12, 5.
Occultatus et *occultus* confusa, I. 90, 2.
Occupare adverbii vi positum, C. 18, 8.
Occurrere et *accurrere* confusa, I. 101, 10.
Occurrere et *concurrere* confusa, I. 101, 10.
Occursare i. q. reniti, obstare, I. 85, 3.
Odium i. q. res quae odium excitat, I. 23, 1.
Offensus et *invisus* sibi opposita, I. 73, 2.
Officere scribendum, non *obficere*, C. 51, 2.
Officere i. q. obesse, I. 85, 43.
Omittere quomodo differat ab *amittere*, I. 31, 17.
Omittere quomodo differat a *dimittere*, I. 31, 17. 102, 14.
Omnis cum praedicato coniunctum germanice valet *lauter*, I. 103, 1.
Omnis aliis adiectivis interdum sine copula additur, C. 15, 1.
Omnes, *omnia*, ita dicitur, ut appositione illustretur, C. 30, 4. I. 76, 1.
Omnium frequenter pronomini indefinito *quisquam* additur, C. 51, 2.
Onerare promissis aliquem, I. 12, 4.
Onerari dictum de largo cibi potusque usu, I. 76, 6.
Onustus latiore sensu i. q. plenus, I. 87, 1.
Operae non est aliquid sine ellipsi dictum est, I. 81, 3.
Operae pretium est alio sensu dicitur, quam *pretium est*, I. 81, 3.
Opes et *spes* coniunguntur, I. 107, 4.
Ope summa frequens pro *valde*, C. 38, 2.
Opimius (L.), I. 16, 2.
Opinor ironice dictum, C. 52, 12.
Opinor orationi sine regimine interponitur, C. 52, 26.
Opportunus i. q. credibilis, C. 49, 3.
Opportunus iniuriae, I. 20, 2. 55, 3.
Opportunus pro aliquo et *contra aliquem*, I. 88, 4.
Oppositiones verborum ac sententiarum a Sallustio quaesitae, C. 12, 5. 46, 5. 61, 2.
Oppositionis caussa dicendi ratio interdum singularis existit, C. 39, 6. I. 70, 1. 73, 2.

Oppositicnes interdum certum verborum ordinem postulant. I. 70. 5. 74, 1.

Oppositionum ratio ab interpretibus neglecta, C. 56. 2. I. 113, 3.

Oppositionum talis ratio, ut non verba verbis, sed sententiae sententiis respondeant, C. 14, 2. 20, 8.

Oppositio particulae interdum refertur ad sententiam cogitatione supplendam, C. 12, 4.

Oppositio facta ipsius sententiae vi, sine particula adversativa, I. 83, 1.

Oppositio non accurate declarata, I. 93, 3.

Oppositionum singularis quaedam ratio, C. 15, 4. I. 31, 5.

Opprimere aliquid i. q. abscondere vel tegere, I. 72, 1.

Oppugnare quomodo differat a *propugnare*, I. 60. 1.

Optimus i. q. fortissimus, C. 59, 3.

Optimus consul quo sensu Cicero a Sall. dicatur, C. 43. 1.

Optionem facere alicui alicuius rei, I. 79, 8.

Opulentus vocis vis et structura, I. 57, 1.

Opus i. q. munitio arte facta, I. 57, 1. 92. 8.

Opera i. q. munitiones, I. 96, 3.

Ora : per ora i. q. in conspectu, I. 31, 10.

Orare non est *legatum esse*, I. 24, 1.

Oratio obliqua pendens ex supplendo *dicendi* verbo, C. 21, 3. 40. 3. I. 8, 1.

Orationis obliquae in rectum transitus quot modis fiat, I. 4, 6. 49, 3. (v. etiam *Indicativus ; ille ; tum.*)

Orator i. q. legatus, I. 24, 1. 108, 1.

Ordines commutare, in re militari, I. 49, 6.

Ordines servare, observare et *habere*, I. 51, 1. 80, 2.

Ordine facere, qua ablativi potestate dictum sit, C. 51, 4.

Ordo rerum naturalis inversus, C. 36, 4,

Ordo verborum. v. etiam *Verborum collocandorum ratio.*

Ordo verborum solitus nonnullis interpositis mutatus, C. 29, 3.

Ordo verborum a recepto usu deflectens, C. 33, 5. 37, 9. 51, 5. 60, 7. I. 13, 7. 22, 2. 41, 2.

Ordo verborum a Cortio aut ab aliis corruptus, C. 1, 2. 51, 16. 51, 23. I. 2, 1. 2, 2. 3, 1. 20, 1. 20, 8. 25, 1. 25, 11. 31, 7. 35, 1. 38, 5. 43, 6. 54, 4. 61, 4. 67, 3. 69, 2. 69, 3. 70, 5 bis. 74, 1—3 ter. 85, 2. 85, 4. 85, 12. 85, 13. 85, 31. 86, 4. 86, 5.

Ordo verborum in oppositis sententiis certam legem habet, I. 70, 5. 74, 1. 87, 1.

Origines i. q. metropoles, I. 19, 1.

Oriri sensu differt ab *cooriri*, I. 79, 6.

Ornatus i. q. cultus, I. 94, 1.

Ostendere et *ostentare* aliquid i. q. conspiciendum et exspectandum praebere, I. 23, 1.

Ostentare i. q. promittere, I. 68, 3.
Ostentui esse, I. 24, 19. 46, 6.
—osus terminatio adiectivorum, I. 66, 2.
Otium i. q. pax, C. 36, 4. I. 14, 13.
Oxymoron in oppositione, C. 15, 4. I. 85, 12.

P.

Paces insolens forma, I. 31, 20.
Palari quomodo differat a *vagari*, I. 44, 5.
Par cum aliquo, I. 14, 9.
Par similisque disiunctivo sensu dictum, I. 14, 4.
Parare reflexivo sensu i. q. *se parare*, C. 46, 3. I. 13, 2
Parare provincias explic., I. 43, 1.
Parare absolute i. q. rem instituere, I. 60, 1.
Parare i. q. *parĕre*, I. 31, 17.
Paratus cum infinit. constructum, I. 49, 3.
Parentes ubi significent *genitores*, ubi *subditos*, C. 6, 5. I. 3, 2. 87, 2.
Parentum et *parentium* genitivus, C. 51, 9.
Parentheses turbant orationem et ἀνακόλουθα efficiunt, I. 90, 1.
Parere alicui rei i. q. ex aliqua re pendere, C. 2, 7.
Parĕre i. q. parare, I. 10, 4. 31, 17.
Parere et *patere* confusa, C. 10, 1. 36, 4.
Pariter cnm aliqua re i. q. eodem tempore, I. 68, 2.
Parricida latiore sensu i. q. nefarius, scelestus, C. 31, 8. 51, 25.
Pars cum plurali coniunctum, I. 15, 2.
Pars — *alii* voces non pendent ex genitivo partitivo, sed per *appositionem* ad nomen praecedens referuntur, I. 19, 1.
Partes a factionibus diversae, maxime *populares* sunt, I. 41, 1.
Particeps consili, I. 71, 3.
Participia in *—ns* exeuntia quando ablativum in *—i* terminent, I. 73, 3.
Participia et cum genitivo et cum accusativo coniuncta, significatione differunt, C. 5, 3.
Participia in enunciationem condicionalem solvenda, I. 102, 3.
Participia deponentium passivo sensu usurpata, C. 7, 3. 48, 7.
Participium praesentis non habet vim participii perfecti, I. 10, 2. 62, 1. 106, 1.
Participium perfecti passivi habent etiam nonnulla verba neutralia, I. 81, 1.
Participium perfecti passivi quomodo differat a supino in *—u*, C. 32, 1.
Participium perfecti passivi quando vim adiectivi in *—bilis* accipiat, I. 2, 3. 76, 1. 91, 7.
Participium perfecti passivi cum *habere* coniunctum sensu differt a perfecto activi, C. 23, 4. I. 10, 1.

Participium perfecti passivi in adiectivi potestatem transit, C. 31, 1.
Participium futuri activi non semper descendit a supino, quod in usu est. I. 47, 2.
Participium futuri passivi quomodo differat a gerundio, C. 4, 1. I. 7, 2. 85, 21.
Participium futuri passivi deposita necessitatis potestate positum pro adiectivo in —*ilis*, C. 10, 2. I. 3, 1. 14, 5. 64, 1.
Participium per anacoluthiam alio casu positum, atque nomen, ad quod refertur, I. 102, 6.
Particulae quo sensu pro aliis particulis positae esse dici queant, C. 4, 2.
Particulae interdum spectant ad *omissam* sententiam, C. 12, 4. 26, 2. I. 19, 2. 28, 5. 54, 2.
Particulae eaedem deinceps positae, C. 31, 5.
Particulae eaedem repetendae cum synonymis commutantur, I. 62, 9.
Particulae geminandae altero loco interdum excidunt, I. 93, 4.
Particulae loci pro praepositione cum pronomine aut substantivo iuncta ponuntur, C. 5, 2. I. 13, 5. 14, 22.
Particulae adversativae omissae, C. 35, 2. 58, 14. I. 2, 3. 10, 4. 14, 5. 31, 25. 85, 38. 110, 7.
Particulae caussales vel explicativae omissae, C. 17, 7. 29, 4. 51, 2. 52, 4. 56, 4. I. 5, 5. 28, 5. 30, 1. 31, 28. 38, 2. 63, 6. 85, 38.
Partim — *alii* voces sibi respondent, I. 38, 3. 83, 3.
Partim i. q. *partem*, I. 55, 4. 85, 13.
Partitiva vocabula ubi non ex genitivo pendeant, sed ad nominativum referantur, I. 19, 1. 60, 8. 66, 2. 74, 1. 104, 3.
Partire provincias, I. 43, 1.
Partus et *paratus* confusa, I. 31, 17.
Parumper quid differat a *paulisper*, I. 1, 4.
Parum vocis sensus et constructio, I. 31, 9.
Parum i. q. non multum, I. 85, 31.
Pasci aliqua re i. q. delectari, C. 37, 3.
Passim i. q. sine ordine, I. 18, 3.
Passivum et activum simul ex eodem subiecto pendens, C. 51, 43. I. 35, 8.
Passivum cum *activo* confusum, I. 114, 2.
Passivo generalis sententia enunciatur, I. 108, 2.
Passivum, v. etiam *Verba pass.*
Passuum omittitur ad vocem *millia*, I. 48, 3. 75, 2. 91, 3.
Patere i. q. in potestate nostra esse, C. 10, 1.
Pati nihil quietum, I. 66, 1.
Patiens cum genitivo et cum accusat. coniunctum, C. 5, 3.
Patrare quomodo differat a *perficere*, I. 21, 2.
Patrare bellum frequens dictio, I. 21, 2.
Patria parentesque quo sensu coniunctim dicatur, C. 6, 5. I. 3, 2. 87, 2.

Patria i. q. reipublicae sedes, I. 3, 2.
Patronis Rom. externae civitates utebantur, C. 41, 4.
Pauci invidiose dicuntur optimates, qui imperium in republica tenent. C. 20, 7.
Paullisper diversum a *parumper*, I. 1, 4. 56, 6. 68, 1.
Paullum et *paullulum*, I. 60, 3,
Paullus (*L.*), C, 31, 4.
Pavere aliquam rem, C. 31, 3.
Pedes appositione ad nomen aliud relatum, C. 59, 1.
Pedibus in alicuius sententiam ire, C. 50, 4.
Pedites interdum intelligendi ex oppositione *equitum*, I. 49. 5.
Pedites in pugna interdum admixti equitibus, I. 59, 3.
Peligna cohors in Rom. exercitu, I. 105, 2.
Pelles i. q. tentoria, I. 105, 1.
Penes ubi dici nequeat, C. 27, 4.
Pensi habere aliquid, quo sensu et structura dictum sit, C. 5, 6.
Per quomodo differat ab *in* cum ablativo, I. 30, 1.
Per de tempore dictum, quo aliquid factum est, i. q. *circa*, I. 63, 1.
Per cum substantivo vi adverbii positum, C. 20, 2. I. 14, 25.
Per in obtestando sine verbo *oro* vel simili positum, I. 14, 24. 24, 10.
Per se ipse dictio quam structurae legem habeat, I. 14, 4. 96, 2.
Per se pro *ipse* dicitur in oppositione concinnitais caussa, C. 39, 6.
Per sese i. q. quantum in se esset, I. 33, 3.
Per ora i. q. palam, I. 31, 10.
Per restringendi vi, I. 64, 3.
Per significat id, quod germanice dicitur *in Veranlassung*, I. 99, 1.
Per et *post* confusa, C. 38, 3.
Percontari unde descendat, C. 40, 2.
Percontari rectius scribitur quam *percunctari*, C. 40, 2.
Perculsus quomodo differat a *percussus*, C. 6, 4.
Perdere quid differat ab *amittere*, I. 31, 17.
Perducere aliquem, sine loci significatione dictum, C. 46, 5.
Perennis quid differat a *iugis*, I. 89, 6.
Perfectum cum *imperfecto* sociatum, C. 10, 1. 51, 32. 51, 37. I. 70, 3.
Perfectum cum *praesente historico* sociatum, C. 20, 1. I. 12, 4. 20, 1. 26, 3. 34, 2. 35, 4.
Perfectum historicum pro tempore relativo in enunciatione secundaria positum, C. 17, 2; 39, 5. I. 102, 2.
Perfectum pro futuro exacto, C. 52, 4.
Perfectum in enunciatione relativa quomodo differat a *plusquamperfecto*, I. 85, 32.
Perfectum aorist. vim verbi *solere* habet, C. 10, 4. 51, 11. I. 17, 6. 42. 4. 74, 3. 102, 7.
Perfectum ubi aoristi vim habere nequeat, I. 75, 5.

Perfectum verborum *deliberandi* ita usurpatum, ut cum praesente commutatum videatur, I. 95, 2.
Perfecti infinitivus non ponitur pro inf. praesentis, I. 31, 27.
Perfecti coniunctivus cum futuro exacto confusus, I. 110, 3; 4.
Perfecti coniunctivus depravatione ex indicativo plusquamperfecti, ex *quod* apto, ortus, C. 18, 3. I. 39, 1.
Perfecti coniunctivus vi imperativi positus, I. 110, 4.
Perfecti infinitivus pendens ex *iubere* verbo, I. 106, 4.
Perfecti passivi participium aut infinitivus ex *volo* pendens a praesente diversum, I. 110, 6.
Perfecti activi III. persona pluralis in —*ere*, I. 11, 2.
Perfecti in epistolis ratio non ad alia scribendi genera est traducenda, I. 95, 2.
Perfecto aoristo subiungitur praesens coniunctivi, C. 41, 5. I. 28, 2. 111, 1.
Perficere verbi propria vis, I. 16, 3.
Perficere quid differat a *patrare*, I. 21, 2.
Perfidia et *scelus* saepe coniunguntur, I. 107, 2.
Perfugium quomodo differat a *profugio* et *refugio*, C. 54, 3.
Perfugere confusum cum *profugere*, I. 103, 3.
Pergere iter qua structurae ratione dictum sit, I. 79, 5.
Periclum et *periculum*, I. 7, 1.
Perinde quomodo differat a *proinde*, I. 4, 8. 31, 10.
Permittere quando pro *mittere* dicatur, C. 51, 22.
Permittere gratiae et clementiae vocabulum, C. 51, 22.
Permixtio terrae i. q. chaos, I. 41, 10.
Perscribere non est *animo conspicere*, I. 93, 4.
Persequi i. q. ulcisci, C. 9, 5. I. 14, 23.
Perses et *Perseus*, C. 51, 5.
Persona subiecti tacite mutata constructio mutatur, I. 8, 2.
Personae positae pro *rebus*, quae personarum sunt, I. 110, 8.
Personae rebus comparatae aut oppositae, C. 51, 14. I. 85, 13.
Personis quando praedicatum *neutro* genere addatur, I. 49, 5.
Perspicuitatis caussa verbo nomen additur, cuius notio iam in verbo inest, I. 73, 1. 83, 3. 88, 4.
Pertinere confusum cum *pertingere*, I. 48, 3.
Pessimum publicum quid, I. 25, 3.
Pessumdare verbi vis et origo, I. 1, 4.
Pestilentia et *pestis* quomodo translate usurpentur, C. 10, 6.
Pestis, homo nefarius, C. 14, 1.
Petere et *petitio* absolute dictum de petendo consulatu, C. 18, 3. I. 63, 6 64, 1.
Petreius (M.), C. 59, 4.
Phalerae, donum militare, I. 85, 29.
Philaeni scribendum, non *Phileni*, I. 19, 3.

Philaenon arae ubi sitae, I. 19, 3.
Pila omittere, C. 60, 2.
Pilus, primus pilus, I. 38, 8.
Piscinae Romanis valde amatae, C. 13, 1.
Piso (C.), C. 18, 4.
Placide i. q. sine turbis civilibus, I. 41, 2.
Placide i. q. sine animi perturbatione, I. 83, 2.
Placitus i. q. placet, I. 81, 1.
Platonis sententiam expressit Sallustius, I. 85, 49.
Plautia sive *Plotia* lex, C. 31, 4.
Plebes, forma antiquior, I. 40, 3. 73, 6.
Plebes cum plurali verbi iunctum, I. 73, 4.
Plenus gradus in militia qualis fuerit, I. 98, 4.
Pleonasmus in dictione *rursus redire*, et similibus, C. 18, 6.
Pleonasmus demonstrativi et *sic* particulae ante uberiorem enunciationem, C. 51, 7. I. 14, 12.
Pleonasmus in dictione *indicium patefacere*, I. 73, 1.
Pleonasmus dictionis *praesidio adesse*, I. 85, 4.
Plerumque qua structura dicatur, I. 1, 5.
Plerusque ablativo loci *in* non habet additum, I. 79, 2.
Pluralis a Latinis positus, ubi Germani singularem adhibent, C. 14, 5. 15, 4. 47, 3. 50, 3. I. 20, 8. 64, 6. 113, 3.
Pluralis maiestatis falso ita dicitur, I. 17, 7.
Pluralis verbi post verba *collectiva*, C. 6, 2. 7, 4. 23, 6. I. 15, 2. 73, 4. 95, 1.
Pluralis ubi post verba *collectiva* poni non possit, C. 48, 1. I. 18, 3.
Pluralis per *synesin* pro *singulari*, C. 39, 3. I. 15, 1. 28, 2. 111, 1.
Pluralis non illegitimus, si verbum ad duo nomina per *cum* iuncta refertur, C. 43, 1.
Pluralis haec quid differat ab *hoc*, C. 51, 35.
Pluralis per anacoluthiam ad singularem relatus, C. 51, 42.
Plus positum sine *quam*, C. 56, 2.
Plures quomodo differat a *complures*, C. 19, 2.
Plusquamperfectum ubi poni debeat, C. 18, 3. 53, 2.
Plusquamperfectum positum respectu *eventus*, omisso membro relativo, C. 24, 1. 50, 4. I. 57, 6. 64, 4. 88, 3.
Plusquamperfectum qua ratione vim *imperfecti* habere possit, C. 37, 1. 50, 1. I. 4, 7. 39, 2.
Plusquamperfectum in enunciatione relativa quomodo differat a *perfecto*, I. 85, 32.
Plusquamperfectum usurpatum in *caussa* alicuius rei *absoluta* significanda, I. 50, 6.
Plusquamperfectum verborum *consilium* significantium, I. 74, 1.
Plusquamperfectum cum *imperfecto* sociatum, I. 91, 1.

Plusquamperfectum vitio ex imperfecto ortum, C. 56, 2.
Plusquamperfecti indicativus non poni potest pro perfecti coniunctivo, I. 31, 19.
Plusquamperfecti indicativus ex *quod* pendens in coniunctivum perfecti depravatus, C. 18, 3. I. 39, 1.
Plusquamperfecti coniunctivus vim habet coniunctivi futuri exacti, I. 64, 2. 112, 3.
Plusquamperfecti singularis quidam usus, C. 33, 6.
Plutarchus ex Sallustio quaedam expressit, I. 85, 16. 85, 33.
Poenae esse pro *puniri*, insolens dictio, quo excusetur, I. 69, 3.
Poenas petere in aliquem dici non potest, I. 65, 3.
Poenitere aliquam rem, I. 85, 28.
Poeniteo pro *poenitet me*, non falsum, I. 104, 5.
Poenus i. q. dux Poenus, I. 81, 3.
Pollens potensque voces saepe coniunctae quomodo sensu differant, I. 1, 3.
Polliceri quid differat a *promittere*, I. 47, 4. 113, 1.
Polliceri quid differat a *pollicitari*, C. 38, 1. I. 8, 1. 16, 3. 23, 2.
Pollutus vocis propria vis, I. 15, 5.
Pomptinus (*C.*), C. 45, 1.
Ponere de *praemiis* dictum, C. 20, 14.
Ponere aliquid *in tertiam partem* et *in parte tertia*, I. 17, 3.
Ponere aliquem imperatorem, I. 24, 7.
Ponere rem i. q. *finire*, I. 112, 2.
Pontificatus simpliciter dictum pro pontificatu maximo, C. 49, 2.
Popularis i. q. socius, C. 22, 1.
Populus arctiore sensu i. q. *plebs*, C. 85, 10.
Populus quomodo differat a *gente* et *natione*, C. 10, 1. I. 81, 3.
Populus Rom. in codd. confusus cum *plebe Rom.*, C. 31, 7.
Populus dicitur pro *terra* aut *agro* populi, I. 88, 3.
Populi nomine dux aut rex populi significatur, I. 81, 3.
Porcia lex, C. 51, 22.
Porro continuat orationem ad contraria, I. 25, 7.
Porta collectivo sensu pro *portis* dictum, I. 100, 4.
Portae castrorum cum cura instituebantur, I. 99, 1.
Portare quomodo differat a *ferre*, C. 6, 5. I. 36, 1.
Portendere et *portentum* quid, I. 3, 2. 63, 1.
Possidēre i. q. occupare, I. 6, 5.
Possum extra condicionem positum, ubi germanice condicio obtinet, C. 51, 4. I. 95, 3.
Posse cum *quam* particula coniunctum vim superlativi auget, I. 13, 2.
Post et *per* confusa, C. 38, 3.
Post cum nomine coniunctum vim habet integrae enunciationis, I. 5, 4. 55, 3.
Post esse scribendum, non *postesse*, C. 23, 6.

Post id locorum et *post ea loci*, I. 63, 6. 102, 1.
Post paullo et *paulo post*, C. 33, 5. I. 56, 3. 71, 5. 74, 1. 106, 3.
Post adverbium ablativo temporis coniunctum quomodo differat a solo ablativo, I. 11, 2.
Postquam cum praesente coniunctum, C. 40, 3. 57, 5. I. 38, 4.
Postquam cum imperfecto coniunctum, I. 13, 5.
Postquam cum perfecto coniunctum, I. 29, 3.
Postquam cum plusquamperfecto coniunctum, I. 11, 2. 29, 3.
Postquam cum infinitivo historico coniunctum, I. 98, 2.
Postremo vim comprehendendi habet, C. 14, 6. 37, 5. I. 16, 3. 35, 5.
Potare i. q. largiter bibere, C. 11, 6.
Potens et *pollens* quid differant, I. 1, 3.
Potentia et *potentes* invidiam habent, C. 20, 7. I. 27, 2. 41, 9.
Potentia quomodo differat a *potestate*, C. 38, 1. I. 3, 1.
Potestates et *imperia* quid differant, I. 63, 5. 85, 9.
In *potestatem esse* vel *habere* qua ratione dicatur, I. 112, 3.
Potestur antique pro *potest*, I. 31, 8.
Potiri cum genitivo coniunctum, C. 47, 2. I. 13, 5.
Potiri cum accusativo coniunctum, I. 25, 10.
Potiri simul cum genitivo et ablativo coniunctum, I. 74, 3.
Potiri i. q. possidere, tenere, I. 13, 5.
Potius quam sententias comparativas inaequali structura nectit, I. 106, 3.
Praeceps esse dici nequit, C. 37, 4.
Praeceps ire, C. 37, 4. I. 31, 6. 63, 6.
Praecisum i. q. abruptum, I. 92, 8.
Praeclarus aliquo, I. 14, 21.
Praeclarus bello, I. 39, 1.
Praeda i. q. praedatio, I. 55, 5.
Praeda i. q. res ad praedandum apta, I. 87, 1.
Praedae plurali usurpatum, I. 20, 8. 88, 3.
Praedari ex agro, I. 88, 3.
Praedicare i. q. saepe et palam dicere, C. 48, 8. I. 108, 3.
Praedicare per se non est *laudare*, I. 85, 27.
Praedicati numerus et *genus* interdum non ad primarium, sed ad secundarium substantivum se accommodat, C. 18, 1.
Praedicati numerus pluralis, ubi subiecti nomina *cum* praepositione coniunguntur, C. 43, 1.
Praedicatum ad plura nomina appellativa pertinens quo *genere* ponendum sit, C. 10, 2. I. 38, 7. 49, 5.
Praedicatum ad personam relatum quando *neutro* genere ponatur, I. 49, 5.
Praedicatum cum vi praemissum, I. 82, 2. 85, 34.
Praedicere i. q. iubere, I. 75, 5.
Praeditus imperio, C. 51, 12.
Praeesse absolute positum, C. 51, 28.

Praefectus in re militari intelligitur *equitum sociorum*, C. 59, 6.
Praeficere absolute positum, C. 51, 28.
Praemium i. q. commodum, C. 41, 1.
Praemissae explicativae sententiae ei rei, quae explicatur, I. 7, 1.
Praenomina ubi non omittantur, I. 43, 1.
Praeparare et *properare* confusa, I. 37, 4.
Praepositiones ubi repeti debeant, C. 49, 1. I. 13, 3.
Praepositio non additur substantivis verbalibus in —*u* exeuntibus, C. 42, 3.
Praepositiones vi adverbiorum, I. 5, 3.
Praepositiones nonnullae cum nominibus *sine verbo* iunctae, I. 54, 6. 61, 4.
Praepositiones urbium nominibus additae, C. 40, 5. I. 61, 1.
Praepositiones in et *ex* voci *domus* cum adiectivo coniunctae non adduntur, I. 66, 3. 76, 6.
Praepositiones genitivo appositae, omisso *aedis* vel *templi* vocabulo, C. 49, 5.
Praepositiones sine nomine, ex antecedentibus supplendo, genitivo appositae, I. 92, 4.
Praepositiones vi adverbii absolute positae instar enunciationis secundariae sunt, I. 76, 5.
Praepositionum ellipsis nulla est, C. 31, 3.
Praepositionum anastrophe, I. 101, 8.
Praesens i. q. efficax, C. 51, 19.
Praesens inter duo imperfecta esse nequit, C. 40, 1.
Praesens et *imperfectum* in bimembri enunciatione aequali poni nequit, I. 33, 4.
Praesens, praegresso imperfecto, ex praesenti pendens, C. 34, 1.
Praesens excipit infinitivus historicus, C. 16, 2.
Praesens historicum cum perfecto coniunctum, C. 20, 1. I. 12, 4. 20, 1. 26, 3. 34, 2. 35, 4.
Praesens historicum a scribis in perfectum mutatum, I. 29, 5. 58, 5. 80, 2.
Praesenti historico subiungitur coniunctivus imperfecti, C. 34, 1.
Praesentis coniunctivus ex perfecto aoristo pendens, C. 41, 5. I. 28, 1.
Praesentis infinitivus pro infinitivo futuri, I. 33, 3.
Praesentis participium non ponitur vi perfecti, I. 10, 2. 62, 1. 106, 1.
Praesertim quum et *quum praesertim*, C. 51, 19. I. 2, 4.
Praesidere i. q. praeesse, C. 57, 1.
Praestare de re mala dictum, C. 37, 5.
Praestaturus proba participii forma, I. 47, 2.
Praeter i. q. praeterquam, C. 36, 2.
Praeterea in media oratione quasi copulae vi positum, C. 50, 3.
Praetor i. q. propraetor, C. 19, 1. I. 103, 4.
Praetoris urbani officia, C. 33, 1.
Pravus vocis potestas, C. 5, 1. I. 64, 2.
Pretium est i. q. res magni pretii est, I. 81, 3.
Primo quomodo differat a *primum*, C. 24, 1. I. 29, 3. 111, 2.

Primum cum ellipsi condicionalis sententiae, sequente *sin* particula, I. 35, 4.
Primum positum non sequente *tum* aut *deinde* particula, I. 45, 2.
Primus hastatus, *princeps*, *pilus*, I. 38, 6.
Princeps i. q. incipiens seu primus, C. 24, 2.
Princeps senatus et *in senatu*, I. 25, 5.
Princeps primus, I. 38, 6.
Principio non plane idem est atque *a principio*, I. 29, 2., 102, 6.
Principio cum ellipsi condicionalis sententiae, sequente *sin* particula, I. 35, 4.
Prius verbis iunctum cum *prae* vel *ante* compositis, C. 18, 6. 32, 1.
Priusquam cum indicativo et cum coniunctivo iunctum, C. 4, 5.
Privatim i. q. singulorum gratiâ, I. 8, 5.
Pro praepositionis propria potestas, I. 29, 6. 39, 1. 59, 1.
Pro rationem indicat, qua duae res continentur, C. 59, 1. 51, 8. I. 11, 1. 39, 1.
Pro potestatem defendendi vel excusandi habet, I. 102, 12.
Pro dictum de loco *ubi* sis, I. 67, 1.
Pro concione qua ratione dictum sit, I. 29, 6.
Pro i. q. quasi, verae rationi falsam quandam substituit, I. 98, 6.
Pro i. q. loco alicuius rei, I. 1, 5. 22, 4.
Pro cum nomine vim adverbii habet, I. 22, 4.
Pro i. q. *ἀντί*, C. 51, 8.
Pro certo i. q. certum, C. 15, 2.
Pro consule, *pro praetore*, ubi dici nequeat, I. 44, 1.
Probrum i. q. res quae dedecus affert, I. 85, 14.
Procax i. q. nimis petulans, C. 25, 5.
Procedere i. q. prospere evenire, I. 85, 5. 35, 4.
Procedere cum dativo iunctum, C. 32, 1.
Procul errare quo sensu dictum, I. 85, 38.
Prodere quomodo differat a *deserere*, I. 31, 18.
Proelium latrocinio oppositum, I. 97, 5.
Profiteri sc. nomen apud rogatorem, in petendis honoribus, C. 18, 3.
Profiteri indicium i. q. rem omnem fateri, I. 35, 6.
Profugium, *perfugium* et *refugium*, quid differant, C. 54, 3.
Profugere germanice, *davon fliehen*, I. 13, 4.
Profundus i. q. vastus, inexplebilis, I. 81, 1.
Prohibere cum ablativo iunctum, I. 21, 2.
Prohibere quomodo *tutandi* et *impediendi* sensum accipiat, I. 107, 1.
Proinde i. q. perinde, C. 12, 5. I. 4, 8. 31, 10.
Prolatare et *protelare*, I. 27, 2.
Proleptice posita vocabula, I. 29, 5.
Promittere quid differat a *polliceri*, I. 47, 4. 113, 1.
Promptus i. q. ad aliquid audendum paratus, C. 43, 4.
Promptus lingua, I. 44, 1.

Promptum i. q. facile, I. 111, 1.

Promulgare vocis vis et origo, I. 30, 1.

Pronomen personale verbis *voluntatis* additum non abundat, C. 1, 1. 7, 6. — Eius locus in ista structura, C. 1, 1. 48, 4. I. 48, 1.

Pronomina personalia et *possessiva* quo consilio orationi addantur, I. 4, 1. 14, 1. 14, 3. 14, 4. 14, 8. 14, 10. 15, 1. 22, 4. 24, 3. 24, 7. 31, 1. 31, 3. 31, 5. 31, 6. 31, 10. 31, 16. 31, 18. 31, 21. 31, 27. 32, 2. 33, 2. 79, 9. 83, 1. ter. 85, 1. 85, 10. 85, 14. 85, 25. 110, 4.

Pronomina personalia ex gerundio pendentia, non accusativo, sed genitivo posita, C. 31, 5.

Pronomina personalia ubi in constructione accusativi cum infinitivo omitti possint, C. 31, 7. 40, 3. 56, 3. I. 14, 3. 15, 1. 76, 1. 102, 9. 107, 4. 109, 1.

Pronomina personalia genitivum plural. *nostri*, *vestri* nullum habent, C. 33, 2.

Pronomen demonstrativum ad remotius nomen, parenthesi interiecta, refertur, I. 89, 6.

Pronomen demonstrativum in attractione omissum, C. 11, 2.

Pronomen demonstrativum ad integram enunciationem relatum genus sequentis substantivi sequitur, C. 7, 6.

Pronomen demonstrativum alio casu supplendum, quam quo relativum positum est, I. 54, 8.

Pronomen demonstrativum alio casu supplendum, quam quo praecedens substantivum positum est, C. 12, 2. 37, 3. 58, 17. I. 54, 1.

Pronomen demonstrativum refertur ad id, quod in antecedente sententia primarium est, I. 18, 9.

Pronomen demonstrativum, nomine substantivo iam praegresso, abundanter et duplici vi ponitur, C. 37, 4.

Pronomen demonstrativum in oratione alterius pro *reflexivo*, I. 4, 6. 96, 2.

Pronomen demonstrativum attractione cum sequenti nomine sociatur, I. 35, 6. 54, 6.

Pronomine demonstrativo sequentis enunciationis sensus generaliter significatur, C. 51, 7. I. 81, 4.

Pronominis demonstrativi genitivus perspicuitatis caussa orationi additus, I. 85, 23.

Pronominis demonstrativi *idem* cum copula, quae vis, I. 14, 11.

Pronomen reflexivum cum indicativo iunctum in oratione alterius, I. 103, 2.

Pronomen relativum interdum non ad nomen *proximum*, sed ad *remotius* refertur, C. 48, 1. I. 18, 9. 24, 8.

Pronomen relativum substantivum, ad quod refertur, repetit, C. 51, 40.

Pronomen relativum genus praedicati sequitur, C. 55, 3.

Pronomen relativum non potest ita ad *verbum* referri, quasi eius loco substantivum verbale fuerit, C. 18, 1.

Pronomen relativum neglecto *numero* praecedentis substantivi sensu regitur. I. 38, 6.

Pronomen relativum plurale non potest iuxta collectivi nominis singularem poni, I. 16, 1.

Pronomen relativum non ubique ad *proximum*, sed ad primarium substantivum refertur, I. 18, 9.

Pronomen relativum ad personam non nomine expressam, sed verbi terminatione significatam, refertur, I. 14, 23.

Pronominis relativi neutrum ad aliud genus, sed indefiniti sensus, spectat, I. 41, 1.

Pronomen relativum attractione cum sequenti nomine sociatur, I. 54, 6.

Pronomen relativum alio casu, quam quo antecedens nomen aut relativum positum fuit, supplendum, I. 54, 1.

Pronomen relativum bis ponendum interdum altero loco cum demonstrativo commutatur, I. 101, 5.

Pronomen relativum non ubique necessarium in enunciationibus explicativis. I. 51, 3.

Pronomen relativum cum infinitivo iunctum in oratione obliqua, I. 54, 5.

Pronomen relativum cum indicativo iunctum, ubi caussalem nexum exspectes, I. 85, 9.

Pronomen relativum compendio scriptum saepius male intellectum, C. 18, 1. 39, 2. I. 14, 17.

Pronomen interrogativum cum aliis *interrogandi* vocabulis coniunctum, C. 23, 3.

Pronomen interrogativum et *indefinitum quis* et *qui* quomodo differant, C. 44, 5.

Prononomina possessiva sensu passivo, pro genitivo personalium obiectivo, C. 51, 11. I. 82, 3.

Pronominis possessivi neutro, vi substantivi posito, adiectivum additum, I. 10, 2.

Pronominibus possessivis syllaba *met* addita, C. 23, 2.

Pronomen possessivum tertiae personae, *alieno* oppositum, *commodum* significat, I. 54, 8.

Pronomen ille ponitur, ubi obiectum praegressae enunciationis fit subiectum sequentis, C. 45, 2. 59, 5.

Pronomen ille in oratione obliqua pro reflexivo, I. 49, 3. 51, 4. 56, 4.

Pronomine is subiectum maiore vi effertur, C. 49, 3. 51, 33. I. 63, 3. 85, 11.

Pronum de rebus dictum i. q. facile, I. 80, 4.

Propatulum, in propatulo, C. 13, 3.

Prope, proprior, proxumus, cum accusativo coniuncta, C. 11, 1. I. 18, 11. 49, 1.

Properare aliquid, I. 37, 4.

Propinquus oppositus *alieno*, I. 10, 3.

Proponere de praemiis dictum, C. 20, 14.
Propraetoris locum *quaestor* potuit ad tempus obtinere, I. 103, 4.
Propter et *prope* confusa, C. 59, 3.
Propter finem et consilium designat, I. 100, 1.
Propugnare et *oppugnare* quomodo differant, I. 60, 1.
Prorsus comprehendendi vim habet, C. 15, 5. I. 30, 3.
Prosapia priscum vocabulum, I. 85, 10.
Proscriptorum liberis ius libertatis imminutum erat, C. 37, 9
Prospectare i. q. de loco edito spectare, I. 60, 3.
Protelare non idem valet atque *prolatare*, I. 27, 2.
Providere absolute positum i. q. cavere sibi, I. 90, 1.
Providere aliquid i. q. cavere, I. 99, 2.
Provincia i. q. Carthaginiensium ager, I. 13, 4.
Provinciae consulares, I. 27, 3.
Proximus temporis vocabulo additum, I. 11, 6. 28, 2
Proxumus lictor quo sensu dictus, I. 12, 3.
Proxumi i. q. coniunctissumi, C. 14, 3.
Proxumus cum dativo non est sollicitandum, I. 78, 2.
Proxumus num cum ablativo construi possit, I. 18, 11
Proxumus et *proxume* confusa, I. 18, 11.
Prudens i. q. peritus, I. 49, 2.
Publicare pecunias vel *bona* alicuius, C. 51, 43.
Publice i. q. officiis in rempubl., I. 8, 2.
Publicum bonum i. q. reipublic. commodum, I. 25, 3
Pudore regere aliquem, I. 100, 5.
Pulvere gloriabantur milites, I. 85, 41.
Putare aliquid in aliqua re, I. 103, 6.
Non putaveram pro *non putassem*, I. 110, 1.

Q.

Q. i. e. *Quintus* ortum ex *que* particula, I. 81, 2
Qua adverbii potestatem habet, C. 57, 3. I. 18, 2 38, 6.
Qua et *quo* confusa, I. 46, 7. 50, 3.
Qua et *quia* confusa, I. 110, 3.
Quadratum agmen quale fuerit, I. 100, 1
Quaerere i. q. parare, I. 3, 3.
Quaerere i. q. postulare, vel indigere, I. 98, 3.
Quaesitores iudiciis extraordinariis praeerant, I. 40, 4
Quaero cum vi dictum, I. 85, 10.
Quaestiones i. q. iudicia in re capitali, I. 31, 7. 40, 4.
Quaestor interdum i. q. proquaestor, C. 19, 1.
Quam quo sensu vim superlativi augeat, I. 7, 5
Quam — *tam* particulis membra orationis aequantur, I. 31, 14.

Quam omissum post *amplius*, *plus*, *minus*, C. 56, 2. I. 68, 3.
Quam ante comparativum collocatum, I. 33, 3.
Quamplures improbanda forma, C. 19, 2.
Quamquam cum coniunctivo, I. 3, 2.
Quamquam non ubique excipit particula *tamen*, I. 26, 2. 33, 2. 39, 5.
Quamquam sine apodosi, I. 85, 15.
Quamquam — *tum vero*, I. 94, 3.
Quamvis cum adiectivis et adverbiis coniunctum, C. 23, 6.
Quando vi caussali positum, I. 102, 9.
Quando et *quoniam* confusa, I. 102, 9.
Quando et *quanto* confusa, I. 102, 9.
Quantum in comparativa sententia, I. 31, 22. 85, 23.
Quantum pro *quando*, post comparativum, I. 85, 21.
Quasi mollit insolentiorem dictionem, I. 41, 20.
Quasi i. q. circiter, fere, I. 48, 3. 54, 1.
Quasi vero ironiae inservit, C. 52, 15.
Que interdum excidit ante *quae*, C. 3, 5. I. 27, 5.
Que i. q. *et propterea*, C. 3, 5. 48, 6. I. 9, 3. 95, 4.
Que vim explicativam habet, C. 4, 2. 19, 2. I. 2, 3. 25, 5. 102, 6.
Que non coniungit adiectiva diversae notionis, I. 53, 5. 70, 2.
Que i. q. et quidem, I. 79, 3.
Que in disiunctionibus pro *ve*, C. 8, 1. 14, 4.
Que i. q. *etiam*, I. 98, 4.
Que qua ratione variarum particularum vim habere possit, C. 4, 2.
Que omissum post nonnulla adiectiva, C. 15, 1. 57, 1. I. 66, 1.
Que interceptum sequente *o* littera, I. 35, 2. 35, 6. 38, 9. 79, 3.
Que — *que* etiam in prosa oratione licitum, I. 10, 2. 100, 5.
Que — *et* abundanter pro simplici *et*, I. 81, 2.
Qui interrogativum et indefinitum diversum a *quis*, C. 44. 5.
Qui antiquus ablativus unde descendat, C. 51, 24.
Quia quomodo differat a *quod*, I. 80, 6. 102, 7.
Quia in *qui* depravatum, I. 16, 2.
Quia cum coniunctivo iunctum, I. 98, 6.
Quia et *qua* confusa, I. 110, 3.
Quicunque tmesi disiunctum, C. 5, 4.
Quicunque et *quicquid* cum indicativo iunctum, C. 52, 5.
Quicunque et *quisque* confusa, C. 39, 6.
Quidem particulae quae propria vis sit, I. 51, 5.
Quidem ante *tamen* omissum, C. 61, 3.
Quietes pluralis quo sensu dictus sit, C. 15, 4.
Quilibet tmesi disiunctum, C. 5, 4.
Quin in cohortatione cum indicativo coniunctum, C. 20, 14.
Quippe qui cum indicativo et coniunctivo coniunctum, C. 48, 2.
Quippe et *quippe qui*, I. 1, 3.

Quis interrogativum et indefinitum diversum a *qui*, C. 44, 5.
Quis antique pro *quibus*, I. 7, 6. 13, 6. 25, 4. 31, 4. 66, 4. 80, 3. 80, 5. 105, 1.
Quisquam vim indefinitam habet, C. 52, 11.
Quisquam diversum ab *aliquis*, C. 36, 5.
Quisquam diversum a *quisque*, C. 5, 3.
Quisquam confusum cum *quispiam*, I. 45, 2.
Quisque pronominis propria vis, C. 5, 3.
Quisque et *quisquam* confusa, C. 5, 3.
Quisque et *quippe* confusa, I. 1, 4.
Quisque et *quicunque* confusa, C. 39, 6.
Quisque ἀνακολούθως ablativis absolutis interpositum, I. 18, 3.
Quisque plurali appositionis vi additum, I. 1, 4.
Quisque ubi pluralem verbi sibi adiungere possit, C. 6, 2. 7, 1. 37, 6. 43, 1.
Quisque non ubique pluralem verbi requirit, C. 37, 6. I. 75, 5.
Quo in generali relatione non ad *nomen*, sed ad totam enunciationem praecedentem refertur, I. 102, 10.
Quo i. q. ut ea re, C. 38, 3.
Quo ante comparativum non valet *propterea*, C. 1, 3. 37, 8.
Quo non potest valere *quoniam*, I. 32, 5.
Quo non significat *ad quod*, I. 64, 1.
Quo in interrogatione ad *consilium* spectat, I. 64, 1.
Quo pro *ad* cum accusativo *rei* aut *personae*, I. 66, 2.
Quo et *quod* confusa, I. 22, 3. 31, 17. 75, 7.
Quo et *qua* confusa, I. 46, 7.
Quod cum plusquamperfecto indicativi quomodo differat a perfecto coniunctivi, C. 18, 3. I. 39, 1.
Quod relatum ad praegressum *eo* cum comparativo, I. 31, 17
Quod quomodo differat a *quia*, I. 80, 6. 97, 5. 102, 7.
Quodni coniunctim scribendum, C. 18, 8.
Quod non dictum pro *quin*, C. 40, 4.
Quodsi coniunctim scribendum, C. 2, 3.
Quodutinam vocis forma et potestas, C. 2, 2. I. 14, 21.
Quoniam caussam indicat, in rebus factis positam, C. 37, 3. I. 3, 1. 31, 21. 32, 5.
Quoniam et *quando* confusa, I. 102, 9.
Quoque dictum pro *et quo*, C. 23, 4.
Quotidie minus antiquum quam *cotidie*, C. 14, 4. 48, 2. I. 45, 2. 91, 1.
Quum pro *quum tamen*, C. 35, 3.
Quum pro *quamquam*, C. 36, 4. I. 6, 1.
Quum praesertim particularum usus et potestas, C. 51, 19.
Quum cum indicativo coniunctum *caussam* non significat, I. 102, 5.

Quum in apodosi cum indicativo perfecti et praesentis coniunctum, I. 12, 5. 49, 3. 98, 2.

Quum cum indicativo plusquamperfecti coniunctum repetitionem indicat. I. 44, 4.

Quum cum indicativo iunctum i. q. eo tempore, quo, I. 71, 1.

Quum, ubi praecessit temporis notatio, significat *ex quo*, I. 91, 1.

Quum coniunctum cum infinitivo praesentis, in apodosi. I. 98, 2.

R.

Rapere et *trahere* coniuncta, C. 11, 4. I. 41, 5.

Ratus non sum pro *ratus non essem*, I. 110, 1.

—*re* secundae passivorum temporum personae terminatio pro —*ris*. C. 58, 2.

Recens quomodo differat a *novus*, I. 75, 8.

Recludere i. q. claudere, C. 10, 5.

Recte atque ordine, C. 51, 4.

Redire non valet i. q. venire, I. 4, 8.

Referre ad senatum, cuius fuerit, C. 29, 1.

Referre aliquid in *numero* et in *numerum* quomodo differant, C. 51, 21.

Refert cum nominativo constructum, I. 111, 1.

Reflexiva vis in passivo inest, I. 46, 3.

Reflexivorum verborum vis, C. 6, 7.

Refugium, *perfugium*, *profugium*, quomodo differant, C. 54, 3.

Reges appellari quinam externorum soliti sint, I. 65, 2.

Regium imperium Sallustio invisum, I. 78, 4.

Regium omne Romanis odiosissimum, I. 64, 5.

Regnum: in regnum accipere aliquem, I. 10, 1.

Regni fides quo sensu dictum, I. 10, 3.

Reguli i. q. regis filii, I. 12, 1.

Relativum, v. *Pronom. relat.*

Relativa seu *indefinita* nonnullarum vocum potestas, I. 21, 2.

Relatione nominum potestas eorum definitur, I. 48, 3. 55, 4.

Relicuus scribendi verior ratio, quam *reliquus*, C. 3, 5.

Relicui quomodo differat a *ceteris*, I. 61, 2.

Relicui sine copula positum, C. 15, 1.

Relicui facere aliquid, qua constructione dictum, C. 11, 7.

Religio i. q. pietas deorum, I. 75, 9.

Relinquere rem i. q. discedere a re, I. 106, 6.

Relinquere quomodo differat a *deserere*, C. 60, 7.

Remissus i. q. incautus, non intentus, I. 58, 1.

Repeti propric dicuntur *debita*, I. 85, 37.

Repetitio eiusdem vocabuli in proximo membro propter perspicuitatem aut vim orationis facta, C. 51, 40. I. 76, 1.

Repetitio substantivi ad quod relativum refertur, C. 51, 40.
Repetitio *verbi*, quod in secundo membro negatur, I. 85, 38.
Repetitio eiusdem vocabuli non vitiosa est, C. 9, 4. 48, 7. 52, 28. I. 46, 5.
Repetitio eiusdem particulae vitio caret, C. 31, 5. 52, 17.
Repetitiae iisdem verbis sententiae a Sallustio ipso. scribis non sunt imputandae, I. 80, 5.
Repetundae et *pecuniae repetundae* eodem sensu dictum, C. 49, 2.
Res ubi significet *civitatem*, C. 6, 3.
Res vocabulum usurpatur ad circumscribendum neutrum adiectivi vel pronominis, C. 18, 8. 40, 4. I. 41, 1.
Res et *spes* coniunguntur, C. 20, 13.
Res personis comparatae vel oppositae, C. 51, 14.
Res verbis vel orationi oppositae, C. 52, 35. I. 48, 1.
Res et *fides* coniuncta, I. 73, 6.
Res gestae, vi unius substantivi dictum, I. 30, 1.
Rem gerere i. q. dimicare, C. 60, 2.
In rem, *ob rem*, *ex re*, C. 20, 1.
Respublica in codd. depravatum in *pop. Rom.*, I. 30, 3.
Rempublicam bene gerere, I. 100, 5.
Rescindere i. q. abolere, I. 11, 5.
Respondere proprium verbum de haruspicibus, C. 47, 2.
Respondit verbum ubi abesse possit, C. 34, 1. I. 102, 12. 109, 1.
Responsa legatis hostium *in consilio* data, I. 46, 4.
Reticere quid differat a *tacere*, I. 85, 26.
Retinere oppositum verbo *amittere*, I. 31, 17.
Retinere et *continere* confusa, I. 41, 2.
Retrahere aliquem ex fuga, C. 47, 4.
Rhodiorum cum Romanis simultates, C. 51, 5.
Rhythmi quaesitiores apud Sall. a Quintiliano vituperati, I. 1, 1.
Rogare magistratus, I. 29, 6.
Rogatio i. q. lex, I. 32, 5.
Rogatio Mamilia, I. 40, 1.
Romana urbs pro *urbs Roma*, C. 18, 8.
Romanus i. q. *dux* Romanus, I. 81, 3.
Romanorum adversus externos reges superbia, I. 102, 3.
Romanorum institutorum vocabula etiam de externis gentibus usurpata, C. 53, 3. I. 49, 2. 65, 1.
Ruina restinguere quo sensu dictum, C. 31, 9.
Rufus, non *Rufo*, cognomen Octaviae gentis, I. 104, 3.
Rursus et *rursum* i. q. contra, C. 53, 5. I. 69, 1.
Rursus verbis cum *re* compositis pleonastice additum, C. 18, 6. 32, 1.
Rutilius, Metelli legatus, quis fuerit I. 50, 1.

S.

Socer quomodo differat a *sanctus*, I. 85, 40.
Saevus i. q. ferox, I. 7, 2.
Saevum i. q. severum, I. 100, 5.
Saginari aliqua re i. q. delectari, C. 37, 3.
Salubre quomodo differat a *sanus*, I. 17, 6.
Salutandi mos, I. 4, 3.
Salutationum tempus, C. 28, 1.
Sanctus quid differat a *sacer*, I. 85, 40.
Sarcinas colligere, quando fieri solitum, I. 97, 4.
Satias antiqua forma, I. 32, 20.
Satis non necessario genitivum nominis regit, I. 101, 7.
Satisfactio i. q. excusatio, C. 35, 2.
Satis placent res alicui suae i. q. acquiescit rebus suis, I. 64, 2.
Satura : per saturam i. q. confuse, nullo ordine, I. 29, 5.
Scaurus (M. Aem.), I. 15, 4.
Scauri maiores obscuri, I. 95, 3.
Scelus i. q. homo scelestus, C. 14, 1.
Scelus atque perfidia saepe coniunguntur, I. 107, 2.
Scilicet sequente accusativo cum infinitivo, I. 4, 6. 102, 9. 104, 2.
Scilicet cum ironia confirmat, I. 31, 19. 41, 3.
Scipio Nasica (P.), I. 27, 4.
Scribere haeredem, proprium verbum, I. 65, 1.
Scutorum usus apud pedites, non apud equites, I. 101, 4.
Secessiones plebis a Sallustio commemoratae, C. 33, 3. I. 31, 17
Secreto adverbium confusum cum adiectivo *secreta*, I. 29, 5.
Secum ipse rectius quam *ipse secum*, C. 32, 1.
Secundo mari ire i. q. secundum mari ire, I. 19, 3.
Secundus i. q. favens, I. 65, 3.
Secundum praepositio et adverbium, I. 14, 3.
Securus quid differat ab *tutus*, I. 88, 2.
Secus unde descendat, I. 92, 4.
Secus cedere, euphemismus, I. 20, 5.
Sed particula redeuntis ad id, unde digressus erat, C. 23, 1.
Sed transitum parat ad contraria, I. 21, 2. 33, 4.
Sed particulae in enunciationibus adversativis duplex vis, C. 51, 13.
Sed duobus praedicatis eiusdem vocis interpositum subiecti notionem angustioribus finibus astringit, I. 75, 4. 85, 15.
Sed non ponitur pro *sed etiam*, ubi *non modo* praecedit, C. 18, 7. 39, 6
Sed omissum, C. 35, 2. 58, 14. I. 21, 2. 24, 2. 24, 10.
Sedere de iudicibus dictum, C. 31, 7.
Sedis iuxta imperatorem honor, I. 65, 2.
Seditiosi magistratus dicuntur tribuni pl., I. 73, 4.

Sella iuxta imperatorem posita, honorifica fuit, I. 65, 2.
Semper vox non coit per hyphen cum proximo substantivo, I. 76, 3.
Sempronia lex, I. 27, 3.
Senatus genitivum *senati* habet apud Sall., C. 30, 3. 53, 1. I. 25, 11.
Senatus vocabulum saepe sequitur pluralis verbi, I. 28, 2. 95, 1.
Senatus populusque Rom. interdum alio verborum ordine dicitur, I. 41, 2.
Senatu movere, non *amovere*, C. 23, 1.
Senatorum numerus a Caesare auctus, I. 4, 4.
Senescere i. q. debilitari, C. 20, 10. I. 35, 3.
Sentina vocis propria et translata potestas, C. 37, 5.
Sententia : ex sententia aliud, quam *ex animi mei sententia*, I. 85. 27.
Sequi et *assequi aliquam rem* quomodo differat, C. 54, 6.
Sequi aliquid i. q. appetere, C. 58, 13.
Sequi post aliquam rem, I. 55, 3.
Sequi sine casu positum, C. 57, 3. I. 55, 3.
Seria et *ioca* saepe coniunguntur, I. 96, 2.
Serpens masculinum apud Sall., I. 89, 5.
Servare oppositum *perdendo*, I. 31, 17.
Servare ordines in militia, I. 51, 1.
Servitium pro *servis*, C. 14, 1.
Servitium eodem sensu dictum atque *servitia*, C. 56, 5.
Sestertii et *assis* aliis temporibus alia ratio, C. 33, 2.
Si omissum in enunciationibus condicionalibus, I. 64, 5.
Si i. q. etiamsi, I. 85, 48.
Sic vi colligendi ex praegressis positum, C. 7, 6.
Sic ubi omitti possit ubi *ut* praecedit, I. 2, 3.
Sic pleonastice positum ante plenam enunciationem, I. 14, 12.
Sicca urbs, I. 56, 3.
Sicut i. q. quasi, C. 31, 5.
Sicut i. q. pro ratione, I. 60, 4.
Sicut quomodo differat a *velut*, C. 53, 5. I. 60, 4.
Signa canere qua constructione dicatur, C. 59, 1.
Signa pugnae quae fuerint, I. 97, 4.
Signa quando proprio sensu, et ubi de militibus ipsis intelligenda sint, C. 59, 2.
Signorum religio, C. 59, 3.
Ab *signis abesse*, I. 44, 5.
Signa sequi, I. 80, 2.
Silanus, non *Sillannus*, C. 50, 4.
Silanus (M. Junius), I. 43, 1.
Silere quid differat a *tacere*, I. 19, 2.
Simul vi copulativa positum, C. 19, 2. 56. 5.
Simul quomodo differat ab *una*, C. 20, 17.
Simul pro *simul ac* C. 45. 3.

Simul et i. q. simul etiam, I. 20, 1.
Simul — et pro *et — et*, I. 47, 2. 97, 4.
Simul et — et, I. 91, 1.
Simul — et i. q. *simulac — etiam*, I. 97, 4.
Sin ad praecedens *si* refertur, C. 51, 24. 52, 16. 58, 10. I. 1. 4. 10. 6. 35, 4. 46, 4. 58, 3.
Sin ad suppressam condicionalem enunciationem affirmativam relatum, I. 35, 4.
Sine cum substantivo coniunctum ad aliud substantivum spectat vi adiectivi negantis, I. 54, 6.
Singularis, v. *Numerus singul.*
Singularis ad praegressum pluralem relatus, C. 56, 5.
Singuli adiectivi notio interdum in *plurali* inest, I. 44, 5.
Sinistumus, antiqua forma, I. 100, 2.
Sisenna qualis scriptor fuerit, I. 95, 2.
Sit, v. *Esse.*
Sit in oratione obliqua omissum, I. 88, 6. 113, 1.
Sittius Nucerinus (P.), C. 21, 3.
Situs i. q. positus, collocatus, I. 37, 4.
Sive — sive quando dicatur, C. 49, 4.
Socius et amicus P. R., I. 24, 3.
Socii, sc. Italici, I. 43, 4. 84, 2.
Socii populi Romani non impune laedebantur, I. 77, 1.
Socii i. q. *ager sociorum*, I. 88, 3.
Socii non intelligendi sunt, ubi *cohortes* separatim a legionibus memorantur, I. 99, 1.
Socordia scribendum, non *secordia*, C. 4, 1.
Solere i. q. consuetudinem inire, C. 50, 1. I. 4, 7.
Solere cum accusativo obiecti coniungitur, I. 96, 3.
Solere adiuncto infinitivo vim *saepe* particulae obtinet, C. 47, 1 I. 4, 5
Solet absolute positum, C. 29, 2. I. 59, 3.
Solus : sola loca, i. q. deserta, I. 103, 1.
Somnus i. q. desidia et inertia, C. 2, 8.
Sonaturus proba participii forma, I. 47, 2.
Sortitio provinciarum, I. 43. 1.
Spatio, non *in spatio* dicitur ad distantiam significandam, I. 75, 2
Species opposita *usui*, I. 79, 8.
Spernere quomodo differat a *despicere* et *contemnere*, I. 85, 19.
Spero orationi sine regimine interpositum, C. 52, 26.
Spes et *sperare* dictum de rebus quae timentur, C. 20, 13. I. 88, 1.
Spes et *res* opposita, I. 20, 13.
Spes et *opes* oppositae, I. 10, 1. 107, 4.
Spem facere alicui, I. 79, 8.
In *spe habere*, C. 31, 7

Spolia i. q. pretium victoriae civilis, I. 84, 1.
Sponsionem facere i. q. pacisci, I. 79, 4.
Stare de iis dictum, qui orationem habent, C. 31, 7.
Stativa castra, I. 44, 4.
Statuere verbum iudiciale, C. 52, 17.
Statuere i. q. censere, I. 39, 5.
Status dignitatis ubi dici non possit, C. 35, 3.
Strenuus i. q. in agendo impiger, I. 7, 5.
Studia partium a Sallustio vituperata, I. 73, 4.
Studium i. q. inconsiderantia, C. 3, 3.
Subiectum ab initio enunciationis valde remotum, C. 60, 7. I. 13, 7.
Subiectum in proxima enunciatione tacite mutatum, I. 1, 4. 35, 9. 94, 1.
Subiecto tacite mutato structura enunciationis secundariae mutatur, I. 8, 2.
Subiectum quando in structura accusativi c. infin. omitti possit, C. 31, 7. I. 14, 3. 15, 1. 46, 6. 76, 1.
Subiectum tacite transit in obiectum, I. 14, 16.
Subiectum simul obiecti vim sustinens, I. 35, 3.
Subiectum omissum in structura gerundii, C. 62, 8.
Subiectum non recte intellectum turbas dedit, I. 73, 4.
Substantiva cum praepositione pro adverbiis posita, C. 8, 1. 13, 2.
Substantiva ab adiectivis suis vel pronominibus longe remota, C. 17, 5.
Substantiva in appositione loco adiectivi posita, C. 59, 1. I. 44, 1. 54, 3.
Substantiva bis ponenda altero loco omittuntur, ubi Germani solum articulum ponunt, I. 92, 4.
Substantiva verbalia activa et passiva significatione, C. 47, 1.
Substantiva verbalia eidem casui iuncta, quem verba, unde descendunt, regunt, C. 32, 2.
Substantiva verbalia quando ablativo sine praepositione ponantur, C. 42, 3.
Subvertere i. q. demoliri, destruere, C. 13, 1.
Succedere i. q. ad rem altam accedere, I. 57, 4.
Sudore gloriabantur milites, I. 85, 41.
Suffragatio i. q. commendatio, I. 65, 5.
Suffragii ius quando Latini et Italici acceperint, I. 40, 2.
Sulla rectius scribitur quam *Sylla*, C. 5, 6.
Sulla (P.), C. 17, 2.
Sullae (L. Corn.) gens et familia, I. 95, 3.
Sulla suos ditavit, C. 37, 6.
Sulla proscriptorum liberos honoribus prohibuit, C. 37, 9.
Sulla tribuniciam potestatem imminuit, C. 37, 9.
Sullae gloriatio de Iugurtha capto, I. 113, 7.
De *Sulla* quibus locis Sallustius egerit, I. 95, 2.
Sumere bellum, I. 20, 5. 83, 1.
Summus quomodo cum nomine iungatur, I. 37, 4
Super i. q. *de*, I. 71, 5.

Superare i. q. abunde esse, C. 20, 11.
Superare i. q. restare, I. 70, 2.
Superare i. q. redarguere, I. 85, 27.
Superesse i. q. abunde esse, C. 20, 11.
Superlativi vis quibus vocibus augeatur, I. 7, 5.
Superlativi terminatio in —*sumus*, I. 31, 12.
Supervacaneum explic., C. 58, 11.
Supinum non semper congruit cum participio futuri activi, I. 47, 2.
Supinum in —*u* exiens quomodo differat a participio perfecti pass., C. 32, 1. I. 107, 5.
Supinum in —*u* exiens saepe non ablativus, sed *dativus* est, I. 91, 7. 98, 7.
Supinum in —*um* exiens cum *ire* coniunctum, C. 36, 5. I. 68, 1.
Supinum in —*um* exiens *loci*, non consilii vim habet, I. 102, 12.
Supplenda verba, ex praecedentibus repetenda, C. 3, 2. I. 75, 7. 85, 38.
Supplendus eiusdem vocabuli *alius casus*, ex sequentibus ad antegressa trahendus, C. 51, 38.
Supplendus eiusdem vocabuli *alius casus* ad verbum diversae structurae, C. 13, 2. I. 54, 1. 110, 4.
Supplicia i. q. intentae preces, I. 70.
Supplicia i. q. supplicationes, I. 55, 2.
Supra adverbii potestate positum, I. 24, 5.
Supra repetere explic., I. 5, 3.
Supra caput esse, C. 52, 24.
Suspectare i. q. suspectum habere, I. 70, 1.
Suspicere i. q. in suspicione habere, I. 70, 1.
Sustinere aliquid explic., C. 53, 2. I. 14, 2.
Suus passive pro genitivo obiectivo *sui*, C. 51, 11. I. 20, 4.
Suus oppositus *alieno* i. q. *commodo*, I. 54, 8.
Syncope u litterae in *periculum* et *manipulus*, I. 7, 1. 100, 2.
Synesis, C. 39, 3. 48, 1. I. 15, 1. 18, 10. 28, 2. 77, 1.
Synesis ubi non statuenda, I. 66, 2.
Syrtium situs, I. 19, 3.
Syrtium natura, I. 78, 1.

T.

Tabescere i. q. paullatim interire, I. 14, 25.
Tacere quid differat a *silere*, I. 19, 2.
Tacere quid differat a *reticere*, I. 85, 26.
Taeda duplici potestate usurpatum, I. 57, 5.
Talis rem aliquo modo auget, I. 10, 8. 25, 2. 31, 9. 32, 5. 63, 6
Talia perspicuitatis caussa coniungitur cum *alia*, I. 81, 2.
Tam quomodo differat ab *ita*, C. 14, 1.
Tam — *quam*, I. 31, 14. 100, 4.
Tamen praegresso *quum* omissum, C. 36, 4.

Tamen omissum post *quamquam*, *licet* etc., I. 33, 2. 39, 5.
Tamen relatum ad omissum *quidem*, C. 61, 3.
Tamen vim apodosis auget, I. 10, 7. 83, 1.
Tamen relatum ad sententiam cogitatione supplendam, I. 54, 2.
Tamen positum ubi non praecessit concedendi particula, I. 55, 1. 63, 4.
Tametsi cum indicativo coniunctum, C. 3, 2. I. 26, 2.
Tametsi in codd. mutatum in *tamen etsi*, I. 13, 3. 31, 21. 34, 1.
Tametsi particulae propria vis, I. 16, 3.
Tantummodo diversum a *tantum modo*, I. 53, 3.
Tantus relatum ad sequentia, I. 45, 1.
Tarditates, pluralis numeri vis, C. 15, 4.
Tegere aliquid ab aliqua re, I. 101, 4.
Temere vario sensu dictum, I. 54, 6. 71, 4. 105, 3.
Temperare sine casu personae, C. 11, 8. I. 85, 9.
Tempestas i. q. calamitas, C. 20, 8.
Tempestas i. q. tempus, I, 73, 7.
In *tempestate* quo sensu dicatur, C. 48, 5. I. 78, 2.
Templum vox interdum omittitur, C. 49, 5.
Tempus i. q. periculum, C. 20, 3.
Tempus ac dies coniunctim posita quo differant, C. 51, 25. I. 106, 2.
Tempus praegnanti sensu i. q. tempus iustum, commodum, constitutum. I. 79, 7. 89, 3.
In *tempore aliquo* quando recte dicatur, C. 48, 5.
Tempore et *in tempore* i. q. mature, I. 56, 2.
Tempus (verbi) aliud ex sequentibus ad antecedentia assumendum, C. 47, 2.
Tempora (verbi) diversa saepe a librariis exaequata, I. 58, 5.
Tendere i. q. contendere, C. 60, 4.
Tenere absolute dictum, I. 17, 7.
Tentare i. q. ad proditionem illicere, I. 47, 2.
Tentare aliquam rem i. q. efficere, studere, I. 50, 1.
Tentari aliqua re, i. q. in periculum adduci, I. 90, 1.
Terere tempus, bono et malo sensu dictum, C. 4, 1.
Terrarum vocabula genitivo posita si quaeritur *ubi*, I. 33, 4.
Terrarum nomina pro *populis*, I. 89, 7.
Terracina vera nominis forma, non *Tarracina*, C. 46, 4.
Testudo in militia quid, I. 94, 3.
Tetrarchae regibus inferiores saepe simul cum iis nominantur, C. 20, 7.
Theraei scribendum, non *Therei*, I. 19, 3.
Timor quomodo differat a *metu*, I. 70, 5.
Timor activo et passivo sensu, I. 42, 4.
Timor animi quomodo dictum, C. 58, 2.
Tisidium ignotum Africae oppidum, I. 62, 8.
Tmesis, C. 5, 4.
Togati i. q. cives Romani, I. 21, 2.

Tolerare difficultatis notionem habet. C. 24, 3.
Torquatus (*L.*), C. 18, 4.
Torques donum militare, I. 85, 29.
Totus vocabulum ablativo loci *in* non habet additum. I. 79, 2.
Tractare rempublicam i. q. administrare, I. 41, 2.
Trahere et *rapere* coniuncta, C. 11, 4. I. 41, 4.
Trahere absolute i. q. moram facere, I. 64, 5.
Trahere bellum, I. 83, 3.
Trahere aliquid animo, de perpetua cogitatione dictum, I. 84, 4.
Trahere rationes i. q. deliberando moram facere, I. 97, 2.
Trahere aliquid ex aliqua re num significet *sumere ex aliqua re*. I. 98, 3.
Trames vocis propria vis, I. 43, 2.
Transfugae periculis obiecti, I. 100, 2.
Transire et *transigere* confusa, C. 2, 8.
Transpadani Caesare patrono utebantur, C. 49, 2.
Transvorsum quid differat ab *obliquo*, I. 49, 1.
Transvorsum agere aliquem, i. q. in pravum abstrahere. I. 6, 3.
Transvorsa proelia, I. 50, 1.
Trepidare i. q. in trepidatione esse, I. 67, 1.
Trepidus i. q. consilii inops, I. 40, 4.
Triarii etiam *pilani* dicti, I. 38, 6.
Tribunicia potestas a Sulla imminuta, C. 37, 9.
Tribunicia potestas a Pompeio restituta, C. 38, 1.
Tribunicia potestas cur *summa* dicatur, C. 38, 1.
Tribunorum ius intercessionis, I. 37, 2.
Tribuni militares a populo creati, I. 63, 4.
Tribuni militares comitiati et *Rufuli*, I. 63, 4.
Triduo i. q. intra triduum, I. 25, 5.
Trinundinum septendecim dierum erat, C. 18, 3.
Triumviri coloniis deducendis, I. 42, 1.
Triumviri capitales, C. 55, 1.
Tueor participium futuri habet *tuiturus*, I. 47, 2.
Tueor participium perfecti plerumque habet *tutatus*. I. 52, 4.
Tugurium quid, I. 12, 5.
Tum quomodo differat a *tunc*, C. 51, 40. I. 5, 1. 7, 4. 16, 2. 25, 4. 32, 1. cf. 36, 3.
Tum post ablatt. absoll. aut *postquam* particulam, C. 51, 40. 61, 1.
Tum omissum praecedente *primum* voce, I. 45, 2.
Tum respondet germanico *jetzt*, I. 11, 6. 46, 1. 49, 3. 81, 1. 83, 1. 102, 14. 109, 3.
Tum i. q. *tum demum*, I. 112, 3.
Tum depravatum in *tam* et in *cum*, I. 83, 1.
Tumultus i. q. subitum bellum, C. 59, 1.
Tunc vocis vis, I. 5, 1.

Tunc respondet voci *nunc*, I. 111, 1.
Turma triginta equitum erat, I. 38, 6. 49, 2.
Turris i. q. arx, I. 103, 1.
Turris oppugnandi instrumentum, I. 21, 3.
Tutus quomodo differat a *securus*, I. 88, 2.
Tutus et *tutatus* confusa, I. 74, 3. 85, 45. 110, 6.
Tuus passive pro genitivo obiectivo *tui*, C. 51, 11.

U.

U littera per syncopen eiecta ex *periculum* vocabulo et similibus, I. 7, 1. 100, 2.
Ubi cum infinitivo historico iunctum, I. 98, 2.
Ubi cum imperfecto iunctum, I. 99, 1.
Ubi i. q. apud quem, C. 5, 2.
Ubi et *uti* confusa, I. 1, 5.
Ubique i. q. *et ubi*, C. 23, 4. I. 52, 5.
Ubique diversum ab *ubicunque*, C. 27, 1.
Ulcisci passivo sensu, I. 31, 8.
Ultra vi adverbii positum, C. 51, 20.
Ultro quid significet, I. 15, 1. 110, 2.
Una diversum a *simul*, C. 20, 17.
Unde i. q. a quo, C. 5, 2. I. 14, 22.
Uni, ae, a, ubi dicatur, C. 6, 2.
Unum vi substantivi in dictione *in unum*, C. 17, 2.
Unus et alter i. q. complures, nonnulli, I. 60, 7.
Urbium nominibus praepositiones additae, C. 40, 5
Urbs Romana i. q. urbs Roma, C. 18, 8.
Usquam i. q. in ulla re, I. 13, 5.
Usus i. q. res necessaria, I. 84, 3.
Usus et *utensilia* de victu dicuntur, C. 48, 2.
Usus oppositus *speciei*, I. 16, 5.
Ut omissum in enunciatione comparativa post particulas *potius quam*, I. 106, 3.
Ut omissum post verba *praecipiendi*, C. 29, 2. 32, 2. I. 38, 1.
Ut ubi ponatur praegresso substantivo voluntatis, I. 85, 7.
Ut i. q. *quasi*, C. 31, 5.
Ut si i. q. *ac si*, C. 31, 5.
Ut — sic, I. 2, 3.
Ut — ita, I. 31, 14.
Ut cum *esse* et *nomine* coniunctum caussam designat alicui rei peculiarem, C. 31, 7.
Ut est, formula, qua rei veritas asseritur, I. 105, 5.
Ut i. q. pro rerum condicione, C. 59, 2.

Ut in interposita enunciatione comparationi inserviens vel ex aeque ponit utramque rem, vel restringit alteram, I. 107, 5.
Ut absorptum litteris *—nt* aut voce *vel*, I. 79, 8.
Uti honoribus, I. 25, 4.
Utique i. q. prorsus, I. 3, 2.
Utrique de duobus, C. 30, 4.
Uterque cum plurali coniunctum, C. 49, 1.
Uxor i. q. matrimonium, res uxoria, I. 95, 3

V.

V littera transit in *m*, I. 40, 1.
Vacuus quomodo differat ab *inanis* et *vanus*, I. 64, 4.
Vacuus i. q. se relaxans, I. 52, 6.
Vadari quid sit explic., I. 35, 9.
Vaga urbis nomen, non *Vacca*, I. 29, 3. 47, 1. 66, 2.
Vagari quid differat a *palari*, I. 44, 5.
Valens oppidum i. q. opibus potens, I. 89, 4.
Valida ingenia i. q. intrepida, I. 103, 2.
Vallum ab obsidentibus factum, I. 23, 1.
Vanus quid differat ab *inanis* et *vacuus*, I. 64, 5. 103, 5.
Varginteius (*L.*), C. 17, 2.
Variata structura bipartitae sententiae, I. 5, 4. 7, 1. 47, 2. 70, 2. 78, 2. 79, 3.
Varium i. q. sibi non constans, I. 74, 1.
Varium bellum quale sit, I. 43, 3.
Varius, vanus et *vagus*, confusa, I. 74, 1.
Vastus ab aliqua re, I. 48, 3.
Vegeo diversum a *vigeo*, C. 1, 7.
Vehemens vocis origo et potestas, C. 43, 3.
Vel quo sensu superlativum augeat, I. 7, 5.
Vel absorpsit *ut* vocem, I. 79, 8.
Velites et *velitaria arma*, I. 105, 2.
Velitis iubeatis, formula solennis, I. 40, 3. 73, 7
Velle populus dicebatur, I. 21, 4.
Velle absolute dictum i. q. *favere*, I. 84, 1.
Velox quomodo differat a *celer*, I. 17, 6.
Velut diversum a *sicut*, C. 53, 5.
Venire alicui i. q. contingere, I. 8, 2. 103, 2.
Venum ire, I. 28, 1.
Verberari non poterant *Romani*, sed *Latini*, I. 69, 4.
Verba facere ad aliquid non recte dicitur, I. 102, 12.
Verbis opponuntur *res*, C. 52, 35. J. 48, 1.
Verbis alicuius nunciare, I. 21, 4.

Verba absolute posita, I. 63, 1. 79, 3.
Verba maturare, occupare, contendere vices *adverbiorum* sustinent, C. 18. 8. I. 79. 5.
Verba impersonalia per attractionem subiecto iunguntur. I. 49, 2.
Verba transitiva, quae *in c. accusativo* regunt, intransitive posita *in c. ablat.* adiunctum habent, C. 9. 2.
Verba transitiva etiam reflexivo sensu ponuntur, C. 6. 7. 46, 3. I. 3, 3. 38, 10.
Verba intransitiva qua ratione cum accusativo coniungantur, C. 20, 11. 31, 3. I. 79, 5.
Verba de *rebus* usurpata ad personas referuntur, I. 88, 5.
Verba eundi num recte omitti possint, I. 100, 1.
Verba voluntatis subiectum repetere solent, C. 1, 1. 7, 6.
Verba duo diversae structurae coniuncta, C. 13, 2. I. 54, 1.
Verba putandi indicativo praeteriti temporis ponuntur, ubi Germani coniunctivo utuntur, I. 110, 1.
Verba existimandi abiiciunt *esse* infinitivi signum, C. 1, 3.
Verbum aiens tacite in locum *negantis*, quod praecessit, substituendum, I. 106, 3.
Verbum passivum et *activum* simul ex eodem subiecto pendens, C. 51, 43. I. 35, 8.
Verbum passivum intransitivi aut reflexivi vim habet, I. 46, 3.
Verbum idem in eadem enunciatione duplici modo constructum, C. 5, 9. 33, 1. I. 1, 2. 25, 1. 29, 5. 49, 2. 65, 2. 74, 3. 84, 2. 100, 2. 108, 1.
Verbum idem eodem loco duplicem significationem habere nequit, C. 13, 3. I. 63, 2.
Verbum idem ex eodem pendens, C. 52, 22.
Verbum idem non potest simul subiectum definitum et indefinitum continere, C. 51, 39.
Verbum pluribus substantivis praegressis saepe ad *numerum* ultimi se accommodat, C. 12, 1.
Verbum compositum nunquam est pro simplici, I. 51, 1.
Verbi eiusdem alia forma ex sequentibus ad antegressa suppleri debet, C. 47, 2. I. 49, 2. 71, 2. 73, 4. 81, 1.
Verbi eiusdem alia forma ex praegressis repetenda, C. 3, 2. I. 75, 7. 85, 38.
Verbis compositis per abundantiam particulae eiusdem sensus adiiciuntur, C. 18, 6. 32, 1.
Verbis praecipiendi aut voluntatis solus coniunctivus sine *ut* adiungitur, C. 29, 2. 32, 1. I. 28, 1.
Verbis pleonastice adduntur nomina eiusdem potestatis, quae in verbo inest, I. 73, 1. 83, 3.
Verborum collocandorum ea lex, ut graviora praemittantur, I. 20, 1. 55, 3. 82, 2. 83, 1.

Verborum collocandorum ratio in oppositis sententiis, I. 70, 5. 74, 1.
Verborum collocandorum singularis quaedam ratio, C. 58, 4. 60, 7. I. 13, 7.
Vero affirmandi potestate positum, C. 27, 4. 52, 15. I. 50, 6. 84, 1. 94, 3.
Versari in aliqua re, I. 14, 9.
Versus in oratione pedestri, C. 19, 5. I. 5, 1. 98, 2. 101, 8.
Versus cum *in* vel *ad* coniunctum aut participium est, aut praepositio, C. 56, 4. I. 58, 4.
Vertere reflexivo sensu, C. 6, 7.
Vertere aliquid ad aliquam rem, i. q. exponere impetui, I. 107, 1.
Verum i. q. rectum, I. 16, 1.
Verum enim vero, C. 2, 9.
Vestitus i. q. consitus, I. 48, 3.
Vestri non est genitivus pluralis, C. 33, 2.
Veteranorum belli scientia, I. 97, 5.
Vetus quomodo differat ab *antiquus*, I. 75, 8.
Vexari res quo sensu dicantur, C. 5, 8.
Videlicet ironice dictum, C. 52, 14.
Videlicet vim eius vocabuli auget, cui additum est, I. 107, 3.
Videre i. q. cognoscere, audire, C. 40, 3.
Videri cum *ut* iunctum in sententiis interiectis rarius ad subiectum refertur, C. 43, 1.
Videri verbum solenne censentium et iudicantium, C. 48, 5.
Vigere diversum a *vegere*, C. 1, 7.
Vigiliarum in castris institutio, I. 99, 1.
Vigilias circumire, I. 45, 2.
Vincere i. q. rationibus probare, I. 85, 27.
Vinctus et *iunctus* confusa, C. 55, 4.
Vindicare aliquid i. q. rem ut debitam sibi postulare, C. 54, 6.
Vindicare manu i. q. supplicium sumere, I. 106, 6.
Vineae oppugnandi instrumenta, I. 21, 3.
Vir i. q. maritus, C. 24, 3.
Vir positum loco pronominis *ille* vel *is*, I. 70, 5.
Viri interdum significant *pedites*, I. 49, 5.
Viri i. q. homines ad bellum apti, I. 88, 4.
Wirklich latine indicativo modo, non peculiari verbo exprimitur, I. 105, 5.
Virtus coniungitur cum *industria*, I. 76, 1.
Vis i. q. studium, intentio, I. 40, 3.
Vis et *ius* confusa, I. 3, 1.
Vivere non idem atque *esse*, I. 31, 6.
Vocabulum idem ad duo verba relatum simul obiecti et subiecti vim habens, I. 35, 3.
Vocare confusum cum *evocare*, I. 62, 8.
Vocativus quo consilio orationi praemittatur, non interiiciatur, I. 102, 5.
Volens i. q. favens, I. 73, 3. 84, 1. 103, 6.

Volenti est mihi aliquid qua ratione dictum, I. 84, 3.
Volgus vocis forma, I. 69, 2.
Volgus duplici potestate dictum, C. 20, 7.
Volo quomodo construatur, I. 24, 9.
Volo cum infinitivo aut participio perfecti passivi coniunctum, I. 106, 4. 110, 6.
Voluntate oppositum voci *vi*, I. 13, 2. 102, 6.
Voluntates i. q. studia, cupiditates, I. 113, 1.
Voltus corporis quomodo dictum, I. 113, 3.
Voluptates quomodo differant a *lubidinibus*, C. 13, 4.
Volvere animo aliquid, I. 6, 2.
Voster et *noster* etc. confusa, I. 31, 6. 31, 7. 31, 25.

Z.

Zeugma, C. 17, 2. 51, 8. 51, 9. 51, 15. 51, 22. 58, 11. I. 3, 1. 14, 4. 14, 9. 14, 23. 28, 5. 38, 9. 46, 8. 54, 3. 55, 1. 63, 3. 63, 6. 85, 34. 89, 4. 92, 2. 103, 5. 105, 3. 111, 2.
Zeugma attractioni confine, I. 75, 3.

M. Vellei Paterculi

quae supersunt ex historiae Romanae libris II.

Recensuit et

scholarum in usum

t *Fridericus Kritzius*, (Prof. Erfurt.) Editio altera, viliore pretio parabilis. (6 Bogen.) 6 gGr.

Die Heidelb. Jahrb. f. Lit. Jahrg. 34, No. 60 u. d. Zeitschrift f erthumswissensch. 1841, pag. 499 sprechen sich in einer längeren k über diese kleine Ausgabe des Vellejus sehr belobend aus und empfehlen Aufnahme dieses Historikers, von dem nun ein so reiner und guter Text vorten, in den Kreis der Schulautoren. Beiderseits geht ihr Urtheil einstimmig n: „Sei Vellejus auch nicht mit den Historikern des ersten Ranges zu leichen, so dürfe er doch einem Nepos, Justinus, Curtius etc. ht nachgesetzt werden, ja in mancher Hinsicht sei er diesen gar vorziehen; die Sprache selbst sei sittlich rein, die Fügung leicht und ohne kelheiten, der Stil durch seine Lebendigkeit und Gedrängtt gerade für das Jugendalter ganz besonders anziehend; er sei der Inhalt dieses geschichtl. Abrisses der Art beschaffen, dass sich die üre dieses Autors als ganz besonders zweckmässig für den Kreis der Schulen telle; die Geschichte des Vellejus umfasse die schönste Zeit des röm. Staats, zwar hier in klaren und scharf gezeichneten Umrissen, die einseitige Herebung des biograph. Elements erscheine zwar in anderer Beziehung als fehaft, empfehle aber gerade das Werk für die Lectüre der Jugend, da es wer um eine folgenrichtige Entwickelung der Begebenheiten, als um hervorende Charaktere und interessante Persönlichkeiten zu thun sei. . . . Als tiger Umstand wird hervorgehoben, dass die Lectüre des Werkes wegen es mässigen Umfanges in Jahresfrist leicht vollendet wer- könne, und als gleich wichtig, dass die Geschichte auch nicht das Min- enthalte, was in sittlicher Beziehung anstössig erscheine. — In d. Ztschr. lterthumswissenschaft wird an dem angef. Orte (v. K. G. Jacob) e Ausgabe noch ganz besonders zur Lectüre, abwechselnd mit Tacitus und ustius, anempfohlen. — Desgl. in d. Jahrb. f. wissensch. Kritik 1841, 43—45 (C. G. Zumpt); Götting. gel. Anz. 1841, No 68; Berl. Liter. . 1841. No. 1 (C. Passow).

Im Uebrigen vergl. man in Bezug auf die Herstellung eines reinen Textes Vellejus von Hrn. Kritz die oben angeführten Kritiken über den Text der sen Ausgabe.

---

er zur Nachricht, dass im Laufe des Jahres 1848 von Hrn. Prof. Kritz eine

Schulausgabe des Sallustius

mit kurzem Wort- und Sachkommentar

heinen wird, worüber sich der Verleger s. Z. noch nähere Mittheilung vorbehält.

Platonis Parmenides

n quatuor libris Prolegomenorum et Commentario perpetuo. ccedunt Procli in Parmenidem Commentarii nunc ementatius editi. Cura *Godofr. Stallbaumi* (Prof. Lips.).

Editio viliore pretio parabilis. 2 Thlr. 16 gGr.

In dem Repertorium f. d. in- u. ausländische gesammte Philophie v. Prof. Dr. Beckers 1839, Heft 4. p. 43 liest man hierüber: „Un- allen Werken des Autors ist dieses Werk die Hauptquelle die Platonische Ideenlehre, die sich nirgends so tiefsinnig vielseitig als in ihm dargestellt und entwickelt findet. . In dieser Ausgabe bilden 4 Bücher gelehrter Prolegomenen, in

denen Plato's Gedanken Schritt vor Schritt historisch und philosophisch erläutert und dann die dem Ganzen unterliegende Idee und die daraus hervorgehenden Resultate dargelegt werden, die Hauptmasse des Ganzen. Hierauf wird der Text im Einzelnen grammatisch und kritisch beleuchtet, jedoch so, dass alles nicht zur Sache Gehörige ausgeschieden und nur das mitgetheilt wird, was zur Erläuterung des Originals unmittelbar nöthig scheint. Endlich sind die umfangreichen Commentarien des Proclus in einer gereinigten und lesbaren Gestalt hinzugefügt worden, und so dem Leser die Möglichkeit geboten, sich über die Ansichten der alten Ausleger des Parmenides aus der einzigen noch übrigen Quelle selbst vollständig zu unterrichten."

Ferner sagt die Hall. Lit. Ztg. 1843. No. 162 ff. in einer längern Kritik über die Stallbaumische Arbeit und Erklärung des Parmenides, (welche ihn als ein grossartiges, wundervolles Kunstwerk, als eines der gründlichsten, tiefsinnigsten Werke aller Zeiten bezeichnet) — dass diese an Gründlichkeit der Erklärung und an genauer und sorgfältiger Entwickelung der Gedanken alle früheren dafür geleisteten Arbeiten weit hinter sich lasse; Hr. Stallbaum habe sich, wenn nicht schon durch seine früheren Platonischen Arbeiten, durch diese Prolegomena ein unvergängliches Verdienst erworben, die er mit dem rühmlichsten Fleisse und mit wahrhaftem philosophischen Interesse so gearbeitet habe, wie es in dieser viel umfassenden Ausdehnung und mit dieser Gründlichkeit noch von Keinem geschehen sei; ja es sei ihm für dieses ausserordentlich mühsame Werk gar nicht genug zu danken. — Ganz besonders wird hierbei noch die klare, präcise, ja zierliche Latinität des Herausgebers gerühmt.

Auch Gerdorf's Repertorium Band 24, pag. 55 ff. spricht sich dahin aus, dass Hrn. Prof. Stallbaum der Ruhm gebühre, der Erste gewesen zu sein der zu den Räthseln des Parmenides des Plato, der isolirt in dunkler Majestät dastehe, durch die Erläuterung dieser Schrift den Schlüssel gegeben, den Parmenides vollkommen aufgeklärt und alle Zweifel beseitigt habe. Man findet in dieser Arbeit einen Schatz wahrhafter Gelehrsamkeit u. s. w.

In eben solcher Weise wurde dieses Werk noch empfohlen in der Berlin. Liter. Ztg. 1839. No. 33, und bei Beurtheilung noch eines andern gleichwichtigen classischen Werkes: Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1841 pag. 486 ff., wo Ref. diese Prolegomena als eine Meisterarbeit anführt.

Prof. K. Reissig's Vorlesungen über

lateinische Sprachwissenschaft.

Herausgegeben mit Anmerkungen von **Prof. Dr. *Fr. Haase.***

gr. 8. (55 Bog.) 3 Thlr. 12 gGr.

Die Heidelb. Jahrb. d. Lit. 1842, No. 16, 17 sagen unter Anderem über dieses ausgezeichnete Werk: „Selten hat Ref. seine einem neuen Werke gewidmete Aufmerksamkeit so belohnt, seine nicht geringe Erwartung wirklich so erfüllt gefunden, als bei diesem Werke, das er Allen dringend empfehlen muss die sich für ein gründliches Studium der Grammatik interessiren, namentlich den Gymnasiallehrern aller Grade." — Gersdorf's Repertorium Band 12 Heft 1: „Die nicht geringen Hoffnungen, die man von diesem Werke hegen durfte, sind vollkommen befriedigt, und man kann selbst behaupten, dass es allein im Stande sein würde, dem Namen Reisig's den ehrenvollen Platz in der Literatur zu sichern, welchen er bereits behauptet. Es ist ein schönes Denkmal des Scharfsinns und der sorgsamsten Forschung und Gelehrsamkeit desselben." — Die Liter. Ztg. von Dr. Brandes 1839, 40, erkennt belobend an, dass durch den obengenannten Herausgeber, der mit sehr grossem Fleisse den Text Reisig's überall ergänzt und berichtigt habe, diese Vorlesungen einen allgemeinen Werth erhalten haben u. s. w. — In dem Brockhaus'schen Conv.-Lexikon (9. Aufl.) Band 12, pag. 41 ff. ist hierüber zu lesen: „Die von Fr. Haase herausgegebenen Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft von Reisig enthalten einen wahren Schatz gediegener Sprachforschung und in einzelnen Punkten ganz neue und überraschende Resultate." —

Druck von Ernst Stange's Buchdruckerei in Leipzig.